Digitized by Google

NAZIONALE
B. Prov.
269
NAPOLI
BIBLIOTECA
VITT. EM. III

1673

BIBLIOTECA PROVINCIALE

Armadio 10

Palchetto 3

Num.° d' ordine 42

1302

Digitized by Google

B Pu
XX
269

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMUELIS LIB. BAR. de PUFENDORF

De

REBUS

A

CAROLO GUSTAVO

SVECIÆ REGE

GESTIS.

BIBLIOTECA PROVINCIALE
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLUS XI, SUECORUM, GOTHORUM,
ET VANDALORUM REX.

C. Alexanderson Ser. Elect. Brand. Sculptor. Sculp.

NAPOLI

Digitized by Google

648269

SAMUELIS LIBERI BARONIS de PUFENDORF

De

REBUS

A

CAROLO GUSTAVO

SVECIÆ REGE

GESTIS

COMMENTARIORUM

LIBRI SEPTEM

ELEGANTISSIMIS TABULIS ÆNEIS

EXORNATI

Cum

TRIPLICI INDICE.

BIBLIOTECA PROVINCIALE di NAPOLI

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NORIMBERGAE

Sumptibus CHRISTOPHORI RIEGELII.

Literis BIELINGIANIS.

ANNO MDCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO XI.

SVECORUM, GOTHORUM,

VANDALORUMQUE

REGI,

AC PRINCIPI HÆREDITARIO,

MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIÆ, ET VANDALIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ,

NEC NON

COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI,

&c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

REX,

DOMINE CLEMENTISSIME

PRodeunt nunc in publicam lucem dudum confecti de rebus à CAROLO GUSTAVO Svecorum Rege, glorioſiſſimæ memoriæ, PARENTE SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ per totum orbem inclyto, fortiter, feliciterque geſtis, Commentarii, à beato Marito

zed by Google

Marito meo auſpiciis MAJESTATIS VESTRÆ ex Archivis Regni conſcripti, Eidemque, antequam is ad parile munus obeundum in Aulam Brandenburgicam dimitteretur, debita ſubmiſſione exhibiti, poſtmodum à REGIA MAJESTATE VESTRA, cum Holmiam vocitatus is eſſet, eidem novis honorum Titulis atque Inſignibus, & Regiæ Gratiæ Documentis haud vulgaribus cumulato, redditi, addito Mandato clementiſſimo, ut typis nunc evulgarentur. Equidem paucorum intra annorum decurſum eædem fuere patratæ; (diutinam enim ætatem INCOMPARABILI HEROI fata non conceſſere) ita tamen ſunt comparatæ, ut fidem fere excedere, & omnem poſteritatem inſimul in admirationem rapturæ videantur. Majus ſane perennius que monumentum SACRA REGIA MAJESTAS VESTRA DIVO GENITORI erigere haud poterat, & opus plenum abſolutumque ideo cenſeri poterit, quod SACRA REGIA MAJESTAS VESTRA magnis ſumptibus elegantiſſimas Tabulas, à præſtantiſſimis artificibus æri inciſas, addi curaverit, unde non poteſt non inſigne eidem accedere ornamentum, multorum oculos & animos allecturum. Votum igitur, REX POTENTISSIME, poſtremum, à Marito non perſolutum, quod ex Svecia redux in fatalem incideret morbum, & terrenis, pia placidaque morte defunctus, valediceret, nunc ego humillima mentis ſubmiſſione ſolvo, Editionem Germanicam & Gallicam, ut pientiſſimæ SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ Voluntati ſatisfiat, ſimul curatura, cum haſce in Linguas Hiſtoria jam ſit translata. Ut igitur SACRA REGIA MAJESTAS VESTRA poſthumum hunc partum gratioſiſſimo, uti conſvevit, vultu

Digitized by Google

tu ſuſcipere, meque, Marito, & Liberos meos Parente optimo deſtitutos, Gratia Regia & Auguſtiſſimo Patrocinio porro complecti ne dedignetur, devotiſſima mente oro atque contendo

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ

Dab. Berolini die 15. Nov.
Anni M. DC. XCVI.

Humillima & obſequentiſſima
Cliens

VIDUA L. B. à PUFENDORF.

IN HI-

Digitized by Googl

IN HISTORIAM
CAROLI GUSTAVI

A SAMUELE L. B. de PUFENDORF

DESCRIPTAM PRÆFATUR

GODEFRIDUS THOMASIUS.

ACROSANCTAM IMPERANTIUM MAJESTATEM, quæ populorum oculos omnium fulgore clarissimo præstringit, nec fatorum injuria obscurant, neque ipse adeo rerum omnium interitus tenebris involvit suis. Præsto adest Historia, antiquitatis reparatrix, vindex temporum, quæ purissima serenitate memoriam Eorum illustrat, & ab oblivione ac silentio asserit, ut non magis occidisse existimandi sint, quam ignes illi sempiterni, in utraque hujus universi axe collocati, circa quos, tanquam cardines, immensa tot siderum corpora perenni cursu provolvuntur. In primis istud nostro tempore Septentrioni dandum est decus, fortissima Svecorum genti nunc quasi hereditarium, quod horum Regum incomparabili prorsus Animi imperterriti Magnitudine, ac Virtutibus vere Imperatoriis ita emineant, ut rebus domi militiæque præclarissime gestis Inclyti, eam ad posteros transmittant factorum gloriam, in cujus commemoratione omnium fere ceterarum nationum, sive bello perdomitarum, sive pactionum & fœderum vinculis conjunctarum, notitia, tanquam communi ambitu comprehendatur. Quod ipsum uti antehac luculento sane specimine declaravit GUSTAVI ADOLFI, Summi atque à morte etiam Invicti Principis historia, stilo Pufendorfiano adornata; ita nunc porro CAROLUS GUSTAVUS, neutiquam impar tanto Achilli successor à CHRISTINA nominatus, documentum dabit, ad quod fastigium Regalis Animi Virtus enitendo possit pertingere. Paucissimis Hic annis ingentem omnino negotiorum difficillimorum molem & mente complexus est, & opere exequutus, fortuna quasi ad votum adspirante, ut ubicunque signa extulisset, etiam insignia victoriarum defigeret, Maximus utique Regum jure appellandus, nisi PROGNATUM ex Se reliquisset, qui nulla profecto in re habendus sit Hoc Tanto Geni-

Genitore inferior. Exuperantiſſima Pietatis, qua reliquarum Virtutum decora complectitur, officium hoc cum primis opere effulget, in quo condendo ac perficiendo nullis pepercit Regalis Munificentia ſumptibus, ne quidquam facile poſſet deſiderari ſplendoris in illuſtri monumento Nominis longe Illuſtriſſimi. Conquiſiti magna cura atque judicio excellentiſſimi artificii calatores, qui tabulis ex are ad omnem elegantiam inciſis referrent tantarum rerum ac perſonarum ſimulacra, mentique adeo ipſi protinus ingererent, qua ut æternum inſideant, intimis medullis defixa, permagni ſane civium, & bonorum maxime omnium intereſt. Non eſt hoc loco retitendum, aut fraudandum laude ſua, præclarum Dalbergii Comitis officium, qui uti Herculi Muſarum habetur, genialiter his temporibus inter Borealium regionum receſſus hoſpitantium, ita incredibili induſtria ac nitore ad naturæ fidem deſignatos dedit locorum ſitus, & caſtrorum limites, proſpectusque expeditionum, aſſiduus ipſe Regis itinerum comes ac particeps periculorum. Neque vero poſtremum operi decus accedit ex ingenio Scriptoris, qui præcipua inter ſeculi labentis ornamenta recenſendus, ſummis quibuſvis rebus parem adhibuit ſollertiam, ut unice exiſtimatus fuerit dignus, cui glorioſiſſimarum actionum deſcribendarum negotium committeretur. Fecit hoc omnino ſumma, qua potuit, fide, rerumque maximarum momenta accurate, uti decet, expenſa conſignavit ſtili politiſſimi acumine, idque tam expedita alacritate, ut dubium maneat, citiusne Regis Strenuitas deſtinata perfecerit, an hujus concitatiſſima ingenii vis penſo deducendo fuerit perfuncta. Eadem oppido celeritate, quaſi fato fieret, liber è prelis typographorum nunc emergit, trimeſtri admodum temporis ſpacio abſolutus; qua quidem ratione ſi mendarum fortaſſe nonnihil hinc inde diſperſum deprehendatur, ex præcipiti feſtinatione operarum, excuſabunt, credo, eam culpam, neutiquam ſponte admiſſam, cordati ac benigni rerum æſtimatores. Jam autem porro dabitur opera, in exterorum maxime ac literis minus tinctorum gratiam, ut proxime in Germanicam linguam, & Gallis vernaculum idioma transſcriptus prodeat Hiſtoria luculentiſſima contextus, cui perennitatem auguramur & ſuum pretium, donec homines erunt, qui maſculam virtutem atque animi magnitudinem aut miraturi ſunt, aut è longinquo quantumvis imitaturi. Ineptorum tenebrionum inſulſa temeritas heic equidem non cohercebitur, quorum imbelles ſæpenumero impetus leviſſimo halitu diſſlare ſolebat magnus, dum viveret, Pufendorfius, ut mirum pene ſit, non deeſſe adhuc, qui barbam mortuo leoni ſubinde audeant vellicare, lepuſculos. Horum ex familia haut ita pridem aliquis inſano furore correptus poſthumam de conſenſu inter Proteſtantes ſtabiliendo diſſertationem adgreſſus eſt ſtolidiſſimis argutationibus inſectari, uti fere ſolent peſſimi homines, qui, ut criminum nihil intentatum relinquatur, nequaquam verecundantur impietatem ipſam, ſcelerum matrem, ſuſcipere in patrocinium, eosque, qui religioſa ſanctimoniæ ſtudio fœditates omnes execrantur & procul habent, neſcio cujus ſectæ pietaticultricis convicio proſcindere. Alter etiam impudentiſſimo livore excæcatus illepidis prorſus & inſicetis verſiculis ludere voluit in hiſtoricos ſummi viri labores, quaſi vitio danda eſſent, qua omnes ſanæ mentis pro præcipuis hujusmodi operum virtutibus habenda eſſe merito cenſent, & cumprimis requirunt, integritas videlicet ac fides, qua nihil recenſere omittat eorum, qua aut laudanda in hoſte fuerunt, aut in conſiliis etiam atque actionibus, tametſi fœderatorum, reprehendenda. Quid facias miſerrimo huic hominum generi, quod omnes adeo honeſtatis ac rectæ rationis ſenſus videtur ejuraſſe? Ecquid aliud, niſi ut plorare jubeas, & in protervia parem Poggiis, Joviis, Maimburgiis, Varillaſiisque, ac ceteris de hoc cenſu, fabularum magis Mileſiarum, quam hiſtoriæ ſcriptoribus ætatem pervolvendis immorari & immori.

SAMUE-

HOSTES VIRTUTE REPELLIT
SAMUEL LIBER BARO DE PUFENDORF.
SERENIS. ET POTENT. ELECTORIS BRAN,
DENBURGICI CONSILIARIUS INTIMUS.
NAPOLI

Digitized by Google

AROLI GVSTAVI
SVECORVM GOTHORVM
et
VANDALORVM
REGIS
VITA ET RES GESTÆ

NAPOLI

Digitized by Google

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM
CAROLO GUSTAVO
GESTARUM

LIBER PRIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPITOME.

INgreſſus operis 2. Spes Caroli Guſtavi nuptiis Chriſtinæ potiundi, 3. Is Succeſſor Chriſtinæ deſignatur. 4. Ejusdem deſignati Succeſſoris vivendi ratio. 5. Idem coronatur. 6. Chriſtinam exquiſito cultu proſequitur. 7. Regis matrimonium. 8. Luſitanicus Miniſter priore dignatione habetur. 9. Cum Angliæ Protectore acta. 10. Cum Gallis acta. 11. Cum Moſcis acta. 12. Slippenbachii legatio in Germaniam ad Electorem Brandenburgicum 13. Ad Electorem Saxoniæ, ad Moguntinum, ad Bavarum. 14. Legatio ad Luneburgicos. 15. Rex Bremenſes turbas componi cupit. 16. Bremenſes ferociunt. Iidem Burgum expugnant. 17. Iidem vapulant. 18. Copiæ è Svecia mittuntur. Königsmarchius Burgum recuperat. 19. Cæſaris circa turbas Bremenſes intentio. Regis ad Cæſarem literæ. 20. Rex Cæſaream Commiſſionem repudiat. 21. Luneburgici officium declinatur. 22. Ut & Brandenburgici. 23. Hanſeaticorum opera non eſt ingrata. 24. Belgæ Fœderati à Bremenſibus ſolicitantur. 25. Bremenſes in compoſitionem inclinant. 26. Roſenhanius ad tractandum cum Bremenſibus mittitur. Ejus mandata. 27. De ſtatu urbis Bremenſis. 28. Scopus Regis circa tractatus Bremenſes. 29. Königsmarchius cum Bremenſibus inducias init. 30. Illæ Regi diſplicent. 31. Königsmarchius ſe excuſat. 32. Inducias non abrumpi placet. 33. Tractatus à ſolo Roſenhanio ſuſcipiuntur. Præliminaria expediuntur. 34. Belgarum & Hanſeaticorum Deputati adveniunt. 35. Eorum propoſitio. 36. Tractatuum progreſſus. 37. Quæſtio de

Digitized by Google

1654. ſtatu Bremæ ſeponitur. 38. De Homagio Bremenſium. 39. Horum moroſitas. Tractatus concluditur. 40. Transactionis cum Bremenſibus capita. 41. Homagium præſtitur. 42. Copiæ in Germania manent. Oldenburgicus neutralitatem fruſtrà ambit. 43. Poloni bellum in ſe attrahunt. Canaſilii negotiatio. 44. Rex mentem ſtatumque Poloniæ penitius explorat. 45. Ablegati Svecici Warſaviæ acta. 46. Diſceptatio ſuper reſponſo Johannis Caſimiri. 47. Poloni cum Belgis ſuper fœdere agitant. 48. Alia in Poloniam explorandi cauſa miſſio. 49. Status Poloniæ tunc temporis. 50. Conſultatio de parandis armis in Svecia. Rationes pro pace. 51. Rationes pro parandis armis. 52. Armorum paratus quem potiſſimum reſpicere debeat? An Danum. 53. An Moſcum? 54. An Polonum? 55. Quousque adverſus Polonos procedendum. 56. Senatus conſultum fit. 57. Status vicinorum. 58. Miſſio ad Brandenburgicum. 59. Polonorum miſſio in Sveciam. 60. Diſpoſitio per Livoniam.

CAROLI



AROLI GUSTAVI Regis Svecorum res geſtas condere aggredior, opus paucos quidem annos complexum, ſed arduum ac varium magnitudine eventuum, difficultate negotiorum, ſucceſſuum viribus. Concuſſi validiſſimi populi, duorum Regum alter extra fines regni ſui ejectus, intra Regiam obſeſſus alter, progreſſibus victoris ſiſtendis tota propemodum Europa excitata. Ad Sveciam premendam ſex populi connixi, quos unius Regis virtus ſuſtinuit, ab amicorum auxilio deſtituti, cui quanquam finem belli mors fato propera conſpicere haut dedit, fructus tamen tot laborum filio patriæque ſervatus. Iſta omnia, qua ſerie, quibusque conſiliis acta ſint, ut plene & incorrupte poſteritati traderentur, Filius Rex haut poſtremum pietatis partem judicavit, quod magnis viris haut ſplendidum magis, ac duraturum monumentum excitari queat, quam hiſtoriæ opera. Quam ſane egregiam polliceri poſſem, ſi magnitudinem rerum ingenio, dicendique artibus æquare liceret. Sed cum hæ infra mediocritatem ſint, apud cordatos ex hoc uno commendationem ſcriptioni meæ expecto, quod eadem ſincera fide ex indubiis documentis depromta eſt, nullo affectu aut præjudicio interpolata.

Regni ſucceſſio.

§. 2. Huic igitur Comitum Palatinorum ad Rhenum proſapia oriundo ad Sceptra Sveciæ aditum præbuit non tam ſanguis per matrem è Regibus Sveciæ demiſſus, quam favor Chriſtinæ Reginæ & Ordinum Regni conſenſus, quem egregiis ſpeciminibus bello Germanico meruerat. Etſi jam à puero ſpem aliquam regni apud ipſam genuerat, quod Guſtavus Adolfus nulla ſobole maſcula relicta deceſſiſſet, & unica regni hæres Chriſtina extaret, cujus amorem puellaribus annis ſibi pigneraſſe viſus eſt, ejusdem nuptias ſubinde ſibi ſtipulatus in ea ætate, quæ validi conſenſus capax nondum habetur. Quam ſpem tamen poſt ambiguam reddebat magnus rivalis Fridericus Wilhelmus Brandenburgicus Elector, quem Guſtavus Adolfus maritum filiæ deſtinaſſe conſtat. A multis ea conditio Sveciæ cumprimis exoptanda videbatur, opibus Sponſi perpetuo nexu cum eo regno conſociandis, per quas gradus ad condendam Septentrionis Monarchiam ſtruendus eſſet. Ac tali modo Poloniam quondam atque Lithuaniam tum plerasque ditiones Domus Auſtriacæ coaluiſſe. Enim vero iſta incrementorum Sveciæ Spes Proceribus tanti non fuit viſa, ut ideo extraneum Principem adſciſcere vellent, poſt luctuoſa quondam externi in ſe imperii documenta, & quia metus erat, ne iſte magis ſe Principem Germaniæ, quam Regem Sveciæ meminiſſet. Quo æmulo amoto Carolus Guſtavus nil amplius obſtiturum cenſebat, quo minus optato connubio ſimul dotalitio regno potiretur. Eaque ſpe plenus poſt tot virtutis bello Germanico edita ſpecimina in Sveciam revertebatur, quando Regina plenis jam nubilis annis florebat. Aſt hæc quo magis ætate pro-

Spes Caroli Guſtavi ineundi Chriſtinæ potiendi.

1654.

1654. grederetur, eo minus desiderio mariti ac prolis, quæ plerisque virginum summa votorum solet esse, tangi, magnitudine animi, uxoralis conditionis leges adspernantis, aut quia aliquid de fastigio suo delibandum videbatur, cura Reipublicæ in maritum translata, aut eidem communicata. Sponte ista animi inclinatio, an aliorum suggestione provenerit, ut in negotiis, quæ nullo teste suscipi solent, haut asseveraverim. Sane constat fuisse, qui cum animum virtutemque Caroli Gustavi elevare non possent, habitum corporis parum sublimem, nec eminentem sat oris gratiam cavillarentur, ut disturbato hocce connubio, quod solum in Svecia ipsam decere videbatur, post ejusdem in cælibatu extinctæ fata interregno locus fieret, quod indigenæ cuipiam aditum ad coronam præbiturum erat. An jam quidam profani homines, qui specie sapientiæ haut protritæ obrepserant, animum fastidio sacrorum patriorum imbuerant, &, quæ communi hominum judicio probatur, viam deserere subegerant? Quicquid causæ subesset, nullis precandi artibus obtinere iste poterat, ut connubium ipsi Regina prommitteret, & ad extremum cum summæ belli per Germaniam præfuturus discederet, omnesque suadæ vires, cupidine tam splendidam conditionem obtinendi excitatus, incassum expromsisset, id demum extorsit, ut eadem declararet, si utique matrimonium inire placeret, non alii se quam ipsi nupturam: cæterum ut diademate potiatur, se utique effecturam. Hæc pollicita uti non poterat non grato animo accipere Carolus Gustavus, ita nec nimium istis confidere, & qua ratione fatorum decreta sese explicitura essent, expectare constituit.

Successor Christinæ designatur.

§. 3. Christina tamen, isto in Germania absente, quod promiserat bona fide repræsentatum ibat, &, ut ab Ordinibus Regni Princeps hæreditarius decerneretur, obtinuerat. Isti Reginæ instituto Senatus acerrime restiterat, non odio in Carolum Gustavum, aut quia Sceptro ipsum minus dignum judicaret; sed quia anceps valde videbatur, Reginam florente ætate Successorem sibi adsciscere, qui forte regnum habere, quam expectare mallet. Neque enim in mentem adhuc venire poterat, non connubio solum, sed & Coronæ ab ipsa renunciatum iri. Sed & plerisque ex Equestri ordine ea res parum accepta erat; quod, si utique Christinæ ætatem absque marito exigere placeret, rem ad interregnum deduci mallent, renovando tunc forte veteri eligendi juri, & quia inter arcana servandæ libertatis habetur vivo Principe Successorem non designare. Prævaluit tamen Regina autoritate, suasu, ac prensantium artibus, ostentato cumprimis periculoso interregnorum statu, ac pertractis in suam sententiam sacerdotibus, oppidanis, & agrestibus, queis sub quovis regiminis genere par fere conditio, Nobiles quoque, ut placito ipsius adquiescerent, permovit. Ea res post, reverso è Germania Carolo Gustavo, dum Christina solenniter diademate redimitur, publica lege sancita est. 1654.

Eundem designati Successoris virtutibus ratio.

§. 4. Ast Carolus Gustavus, quo propius jam summæ spei admotus erat, eo longius à publicorum tractatione negotiorum sese removit, altissimo otio in Oelandia Insula, aut assignatis prædiis immersus, raro in urbem accessu, & non nisi hactenus, ut Reginam salutandi officio defungeretur. Unde Holmiam ingressus statim in arcem se conferebat, & hac relicta mox iterum digrediebatur, ne longioribus in urbe moris, & familiari cum Proceribus conversatione Reginæ animum suspicione perstringeret. Eoque proceres populumque nec ipse ambitiose colere, nec ab iisdem cultum admittere, nec quam cupiti regni opinionem excitaret, quæ multos summo fastigio proximos præmaturo exitio involvit. Nam tacitus metus coquebat, ne Christina, quam sententiam circa regnum deponendum ceperat, iterum mutaret, & penitius secum expenderet, quantum distet, regnum possidere ac regio quantumvis vocabulo fulgentem alieno fere imperio obnoxiam agere. Tum ne florente adhuc ætate cupido matrimonii ineundi exsuperaret; quo casu novus Reginæ maritus non poterat non ægris oculis adspicere solio velut imminentem, ac soboli suæ prægravem. Nec latebat, ab illis, quibus invitis jus Regni in ipsum collatum erat, nihil non ad extremum usque tentatum iri, ut Reginam consilio abdicandi regnum dimoverent. Certe Viennæ, & per magnam Europæ partem tunc credebatur,



Senatores Regni Presentes.

17. D. Baro Gyllenius Bendz.	24. D. Baro Wilhelm Taube.
18. D. Baro Christiernus Bendz.	25. D. Baro Gustavus Bonnier.
19. D. Comes Gabriel Oxenstierna.	26. D. Baro Laurentius de Leuhe.
20. D. Comes Nicodemus Wrangel.	27. D. Baro Nicodemus Stiernhoek.
21. D. Comes Carolus Dela Gardie.	28. D. Baro Gustavus Horn.
22. D. Comes Carol. Leyonhufvud.	29. D. Baro Ioh. Gyllenstierna.
23. D. Baro Paulus Brunebeller.	30. D. Baro Claud. Ruthensteerna.

NAPOLI

Digitized by Google


GUSTAVI Sueco
saliculi celebrati
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTINA

Svecorum, Gothorum et Vandalorum Regina. &c.

Le Brun pinxit. *P. Lombart fecit 1668* N°9

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLUS GUSTAVUS

Dauid Klöcker pinxit. Svecorum Gothorum et Vandalorum Rex Augustißimus &c. *Petrus van Schuppen fculp. 1696.*

1654. batur, Chriſtina regno abeunte rem in Svecia ad imperium Optimatium redituram. Unde & ipſe Princeps ſecuritatis ſuæ cauſa, & quia ſic decebat, Reginæ deſtinata diſſuadere, ac ut Sceptrum, quoad vita ſupereſſet, retinere vellet obſecrare. Contra non deerant, qui Carolum Guſtavum quam primum ſolio admotum optabant, indies magis refrigerato in Chriſtinam civium affectu ob vivendi rationem à ſeveris nationis moribus abhorrentem, & quia poſt finitum Bellum Germanicum eo modo negotia Regni tractare inſtituerat, ut hoc peſſum iturum utique videretur, ni brevi alia Gubernandi ratio iniretur. Et quia *de la Gardie.* Magnus Gabriel Gardius, qui tunc flagrantiſſima Reginæ gratia florebat, hanc præcipue à conſilio Sceptri deponendi retrahere credebatur, artibus quorundam effectum eſt, ut iſte affectu Reginæ, aulaque expelleretur. Sane non multo poſt Chriſtina conſilium per aliquot annos protractum bona fide exſequi inſtituit. Unde & Carolus Guſtavus, cum jam demum ſerio rem à Regina agi animadverteret, poſt omnem tergiverſationem conſumtam iter Upſaliam, quo à Regina diadematis accipiendi cauſa invitabatur, ingreſſus eſt, animo ita obfirmato, ut aut moriturum ſe apud familiares diceret, aut Corona nunc potiturum. Nam ne tunc quidem negotium id diſturbare ceſſabant nonnulli, qui fortunis ſuis novo ſub Rege aliquam imminutionem non citra rationem metuebant. Quorum tamen machinationes iſte disjecit per fidos ſibi homines, quos inter præcipui *Wittenberg.* Arvidus Wittenbergius, & Carolus Chriſtophorus Slippenbachius erant. Etſi idem mox Regno potius nullum offenſi animi ſignum adverſus eos, quos ſibi adverſatus norat, oſtendit; quin præcipuos eorum exquiſitis benevolentiæ indiciis mactaret, Axelium quoque Oxenſtiernam paterni vocabuli honore dignatus, cujus & filium Ericum ipſi Succeſſorem in Cancellarii munere deſtinabat. 1654 *Slippenbachi*

§. 5. Tandem amotis omnibus obſtaculis dies aderat, quo Chriſtina ſolenni Ordinum Regni conventu Imperio ſe abdicaret, idque in Carolum Guſtavum transferret; quo & ipſo die horis pomeridianis hic Upſaliæ in ſumma æde ritu ſolenni diademate redimitus fuit pompa mediocri, & longe infra ſplendorem, quo Chriſtina idem ſumſerat, exhauſto tunc ærario, & quia ipſe per inania æs alienum, quo Regnum premebatur, ad quinquagies centena uncialium millia adſcendens, accumulare intempeſtivum ducebat. Iſto in actu id cumprimis obſervatione dignum videbatur, quod Carolus Guſtavus tantam eloquentiæ vim, gratiamque oſtenderet, ut ipſam Chriſtinam, omnesque adſtantes admiratione perfunderet, & quæ antea de ipſius prudentia ac dexteritate fuerat non mediocris, opinionem plurimum ſuperaret. *Idem coronatur 6. Junii.*

§. 6. Inter primordia imperandi id cumprimis generoſi animi indicabat eſſe, omni verborum honore, cultuque exprimere, quantum de ipſo merita eſſet Chriſtina. Inde in nummis, qui peracta coronatione in vulgus ſpargebantur, unum latus ipſius effigiem, alterum coronam præ ſe ferebat cum lemmate, A DEO ET CHRISTINA. *Chriſtinam exquiſito cultu proſequitur.*



Sane utut penes Reginam non erat Regnum cui vellet dare, ac revera conſenſus Ordinum jus ad Regnum contulerat; non poterat tamen viva Regina ſuper iſto negotio quid moveri & conſtitui, niſi hacce autore. Extulerat quoque hæc Comitis dignatione Antonium Steinbergium, à quo ipſa olim *Steinberg.* in aquas præcipitans ſervata fuerat, quem in Domo Equeſtris Ordinis debito

1654 bito loco recipere antiquæ Nobilium familiæ dedignabantur, velut tribuni duntaxat munere functum, & tenui re; & quia in odium Magni Gardii eo honore potitus erat, cum reliqui Comites ſupremorum fereDucum munia obiiſſent. Id negotium cum ſibi cordi eſſe Chriſtina oſtendiſſet, Rex novus ſtatim reſcripto Equeſtris Ordinis Mareſcallo denunciat; Steinbergium à ſe Comitis honore mactum; & ut juſto loco potiatur imperat. Et cum ne ſic quidem tergiverſari deſinerent, non niſi iſto inter Comites recepto Equeſtrem Ordinem ad juramentum dicendum admiſſum iri ſignificat, quibusdam tantum rigorem ipſo regni ingreſſu mirantibus. Sed cordati magnopere probabant conſtantiam inter imperandi primordia autoritatem tuentis, & quod eo ſpecimine declaraſſet, noſſe jam ſe perſonam Regis agere. Sed & Chriſtinam regno jam depoſito ſuper nuptiis ſollicitare decorum ducebat, ne antehac regnum magis, quam ipſam ambiiſſe videretur. Aſt cum illa propoſiti tenax perſiſteret, claſſem duodecim navium bellicarum magnifice inſtrui curat, quæ ipſam Calmaria in Pomeraniam aut Wiſmariam trajiceret; etſi ita poſt per Daniam Hamburgum ire mallet. Quia etiam eadem opinionem reditus ſui in populo ali volebat, ne forte hic ipſius itineri intercederet, de ædibus Holmiæ locandis loqui cœperat. Id quod amabili à Rege expoſtulatione caſtigatum, velut non deteriore jure quam antea de arce diſponere integrum eidem foret. Et fatebatur Chriſtina, iis verborum deliciis adverſus ſe uſum Regem, ut nihil elegantius cogitari queat. Mox ad ipſam in Brabantios digreſſam Rex Claudium Tottium mittebat rogatum, ut poſt abſolutam eam peregrinationem in patriam redire dignaretur, quo Rex cultum, quem ipſa mereretur, exhibere eidem poſſet. Id ſi abnueret, jubebatur Tottius apud omnes Principes, qua tranſeundum erat, teſtari, quicquid honoris atque officii Chriſtinæ uſpiam præſtitum ſit, id velut ſibi factum imputatum iri. Quo fine & literæ ad Reges Galliæ, Hiſpaniæque, & Archiducem Leopoldum Wilhelmum Belgii tunc Gubernatorem dabantur. Iſta cum Chriſtinæ Tottius Bruxellis exponeret, teſtabatur hæc; *Regis affectum ſibi magnopere probari: Sed cum omnia domi tranquilla ſint, ac iſtius adminiſtratione res Svecia indies in melius eant, non perſpicere ſe, quid ipſi ac Regno inſervire queat. Unde ſperare neminem fore, qui ſibi libertatem inviderit, quam pretio* Coronæ emerit. Literas commendatitias reddi nolebat, velut cui ſua merita, ac rerum geſtarum gloria ſat favoris ubique conciliarent. 1654

Tott.

Regis matrimonium.

§. 7. PrimaRegi cura firmando novoRegno habebatur matrimonio ſe innectere, hucusque dilato, quod ambiguus fortuna ageret. Conditiones diſpicienti placuit potiſſimum Holſatica Domus, qua olim oriunda Chriſtina Guſtavi Adolfi mater gratam ſui memoriam apud Svecicam gentem reliquerat. Ac intererat Sveciæ, illam Domum ipſius rationibus propius adjungi. Sed cum Friderico Holſato-Gottorpienſi Duci duæ tunc nubiles filiæ forent, miſſus eſt primo Adolfus Joannes Regis frater, inde Laurentius Lindanus, & Paulus Wirtzius in aulam Ducis, qui Regio connubio digniorem deligerent. Horum calculo minor natu Hedvvigis Eleonora, cujus & imago Regi magis arriſerat, potior viſa eſt, etſi majorem natu Regina Chriſtina, quæ in tranſitu ambas ſpectaverat, commendaſſet. Iidem & in anteceſſum ſuper legibus pacti connubialis convenere; ad quas ſolenni inſtrumento adornandas, ſimul Sponſæ in Sveciam deducendæ poſt ablegabatur Ericus Oxenſtierna, Vicecancellarii tunc munus gerens à Rege nuper delatum. Eum quatuor bellicæ naves inſigniter inſtructæ, quibus Claudius Biolkenſtierna imperabat, Eclenverdam deducebant. Legato inter alia, quæ præſens negotium requirebat, injunctum poſtulare, ut primo adventu *ab ipſo Duce in arcis area infimas ante Scalas exciperetur, mactus inſuper dextra manus, prioris inceſſus, ſedisque honore, ac titulo* Excellentiæ: *ut tamen Duce renitente titulum hunccc, & occurſum ad infimas gradus non adeo rigide exigeret. Quod ſi forte Dux obtenderet, ſibi non conſtare, quid honoris alii Principes Legatis Regiis deferre ſoleant; docere jubebatur; Moguntinum, Trevirenſem, Saxonem, & Palatinum Electores Pragæ Anno* 1652. *Marchionem Caſtellorodericum Regis Hiſpania Legatum ad infimas Scalas excepiſſe, dextram inſuper manum*

Mon. Lind. Wirtz.

Wilkenſtierna. Eclenverda.

Digitized by Google

E.I.D. Br. Delin.

Digitized by Google

HEDWIGIS ELEONORA
Svecorum Gothorum et Vandalorum Regina, R. Petrus van Schuppen fculp. cu

Daniel Klöker pinxit

N. 3.

1654. *manum, priorem ingreſſum in conclave, digniorem locum ſub uraniſco, & vocabulum* Excellentiæ *detuliſſe.* Qui legatus viciſſim Electoribus Secularibus titulum *Celſitudinis*, Eccleſiaſticis *Eminentia tribuerit.* Ubi & contigerat, ut cum Colonienſis Bavarica Domo oriundus *Celſitudinis* titulo honorari pretenderet, Hiſpanus id abnueret, nonniſi *Eminentia* titulum oblaturus; quod iſte Electore patre haut natus eſſet: Unde & Salutatio inter ipſos omiſſa eſt. Viciſſim Oxenſtierna Ducem vocabulo *Celſitudinis*, aut idiomate Teutonico *Serenitatis* nuncupare jubebatur. Enimvero neque circa cerimonias, quæ poſtulabantur, neque circa ipſam conditionem tam honorificam filiæ, ſibique Dux quicquam ſcrupuli movit. Negotio Gottorpii confecto Sponſa Regia Eclenverdæ navibus imponitur, quam patris nomine comitabantur Claudius à Qualen & Fridericus Alfeldius. Vento ſecundo in portum Dalerenſem delatam ipſe Rex excepit. Paucos poſt dies nuptiæ Holmiæ celebratæ, ac biduo poſt novæ Reginæ in primario urbis templo ſolenni ritu corona impoſita eſt. 1654.

Aleſſ.

Durchleuchtigkeit.

12. *Octob. Alefeld.*

24. *Octob.*

26. *Octob.*



Luſitanus Reſidens priore dignatione habetur.

§. 8. Porro initia Regni non per delectationes, feriasque exacta; ſed ſtatim ad negotia publica converſus Rex, quæ deſtinatis in futurum inſervirent, curabat. Ac primo quidem is amicitiam Regis Luſitaniæ ſtudebat retinere, cujus miniſtro Chriſtina paucos ante abdicationem dies denunciarat, ſe ipſius Principem haut quidquam legitimum Regem agnoſcere, quod hactenus citra exceptionem fecerat. Gratiæ id Hiſpanorum dabatur, ad quos Sceptro depoſito divertere cogitabat, & perſuaſionibus Antonii Pimentelli, qui Regis inimici Legato inſultatum ibat. Sed Carolus Guſtavus veritus, ne iſthæc injuria commerciis Svecorum apud Luſitanos fraudi foret, & in iſtius vindictam navibus civium ibidem manus injicerentur, jam antea Luſitano Miniſtro per Piequium Reſidentem Gallicum inſinuaverat, ne facto Reginæ offenderetur, quod ipſe propediem correcturus ſit. Et mox cum Luſitanus Regi partam coronam Scripto gratularetur, hic per Piequium eidem ſignificat, *ſe ipſi eo nomine gratias acturum, ſimulque teſtaturum, quam latum ſibi ſit ipſum in aula ſua conſpicere, poſtulans, ut Regi ſuo ita anteceſſum denunciet de ſuſceptis à ſe Regni habenis, & quantopere cordi ſibi ſit cum Rege & Regno Luſitania amicitiam colere.* De facto tamen Chriſtinæ nullum verbum, uti nec in literis, quas ſtatim poſt Chriſtinam ex urbe digreſſam Carolus Guſtavus ad eum Regem dabat. Ita enim decorum videbatur ſilentio potius, quam aperta improbatione abolere qualecunque factum Reginæ *Piequa.*

1654. ginæ tantopere de ipſo meritæ; nec ipſa inſpectante quid agere, quo ab eadem acta damnarentur.

Cum Angliæ Protectore acta.

§. 9. Cæterum quia novi Regis curam præcipue adverterant turbæ Bremenſes ſub Chriſtina motæ, ac late per Lithuaniam graſſantia Moſcorum arma, id cumprimis agendum videbatur, ut qui vicinorum in Sveciam animus foret, quidve conſilii apud eosdem agitaretur, exploraret, & ſi quos poſſet rationibus ſuis conciliaret. Et, quia Belgas Fœderatos jam pridem invidia in Sveciam Danorum partibus adjunxerat, quo illorum infeſtos conatus eluderet aut libraret, Anglorum amicitiam affectare inſtituit, jam à Chriſtina fœdere firmatam. Eo fine ad Oliverum Cromvellum Angliæ Protectorem ſtatim literæ dantur, de ſuſcepto imperio, & propenſo in ipſius amicitiam animo ſignificantes. Etſi nec id officii erga Carolum II. Regem Britanniæ exulem omittebatur. Tum

Cojet.

& Petrus Julius Cojetus itineri in Angliam ſuſcipiendo ſeſe accingere jubebatur. Inter alia Scrupulum Regi injecerat, quod Cromvellus legato cuipiam dixiſſe ferebatur, cum de paratu armorum in Svecia mentio injiceretur. *ſe mirari, quare non Gedanenſes quoque, & alii Hanſeatici ſe ad ſequeſtris officium inter Svecos Polonosque ſuſcipiendum invitent, prout à Polonia Rege jam factum ſit; cum iſtorum tantopere interſit, ne illi populi in mutua arma erumpant.* Huic negotio quid veri ſubeſſet Cojetus jubebatur inquirere, & per idoneos homines Polonorum petita, ſi quæ forent, Cromvello ſuſpecta reddere, velut non aliud ſpectantia, quam ut conjunctio Sveciæ & Angliæ convellatur. Tum operam daret, ut Protector ipſi de inſtituto ſuo ſuper concilianda pace operam offerendi prius ſignificet, quam de eadem Polono, aut aliis polliciatur: Id quod Sveciæ cum Anglia conjunctio requirat, & quia Anglia, ex quo tempore liberæ Reip. faciem induit, à Polonis præter moleſta nihil ſenſerit. Nam cupiebat Rex, ne Cromvellus operam ſuam circa conciliandam pacem ulli offerret, antequam ſolennis legatio in Angliam adpuliſſet, de arctiori fœdere & conjunctione Sveciæ cum ea Republica penitius expoſitura, quæ utriusque conſervationi & incrementis idonea videantur; cui obſtaculo futurum ſit, ſi Cromvellus jam alterutri ſequeſtris officium addixiſſet. Volebat etiam Rex à Cromvello Gedanenſibus confirmari, non eſſe quod à Svecia infeſti quid ſibi metuant, velut quæ ad amicitiam cum ipſis exercendam prona ſit. Enim vero differebatur aliquandiu Cojeti iter, quod reſponſum ad Regis literas à Cromvello nondum adveniſſet. Eoque Benjamin Bonellus Commiſſarius Londini Regius, Witelocium cuſtodem ſigilli monere jubebatur; indecorum eſſe in negotiis, quæ promta & obvia cum humanitate obeunda ſint, moras interponere, ac Regi ſuſpicionem injicere, velut Anglis recens cum Sveciæ Regno inſtaurata amicitia parum æſtimetur. Quo fine & Cojetum adferendæ ratificationi deſtinatum hucusque detentum. Paulo poſt tamen cum Cromvelli reſponſum adferretur, quale Rex deſiderabat, Cojetus iter in Angliam accelerare jubetur. Fœdus porro à Bucſtrodo Witelocio in Svecia concluſum Cromvellus ſtatim firmaverat; ratihabitionis tamen inſtrumentum non prius mittere conſtituerat, quam Svecica ratihabitio Londinum allata foret, ſuam cum ejus latore in Sveciam remiſſurus. Sed cum Rex per Bonellum moneret, ut ſuo officio pari ratione reſponderetur, ac ratihabitio per peculiarem ablegatum in Sveciam mitteretur: Cromvellus id ſe facturum pollicebatur confirmans inſuper, ſibi cum Bremenſibus nihil negotii fore. Hi quippe literis ad ipſum datis multa ſuper Königsmarckio queſti fuerant, auxilium implorantes, ſi res in diuturnum bellum eruperit, veterem Hanſeaticorum cum Anglia conjunctionem & communes circa ſacra opiniones memorantes. Accedebant à Belgarum Legato ſtimuli, queis Cromvellus ad ejus urbis cauſam ſuſcipiendam inſtigabatur. Aſt Cromvellus palam teſtari; *ſe in ejus civitatis gratiam nolle amicitiam cum Rege imminuere, cui vitio verti nequeat, quod ditionem atque autoritatem ſuam adverſus refractarios tueri inſtituat.* Idem tamen literas in favorem Bremenſium ad Regium ejus provinciæ Regimen ſcribebat, queis controverſiam æqua ratione componi ſuadebat. Sed Rex per Bonellum Cromvello demonſtrabat, *tantum abeſſe, ut ſacra Bremenſium turbare velit, ut potius utilem operam navarit, ne Romanos ritus profeſſi ſacerdotes*

1654.

Bonell. Witloc.

30. *Sept.*

1654. *dotes ea urbe nidularentur.* Cojeto iter
25. Nov. ingreſſuro demum in mandatis datur, ut *Cromvello pro gratulatione de ſuſcepto Regno gratias agat, deque ſincero Regis in ipſum affectu teſtetur, tum ſolennis legationis moram negotiorum circa mutationem imperii emergentium varietate excuſet. Dein oblata fœderis cum Witelocio concluſi ratihabitione poſtulet, ut civibus Svecicis de damnis nupero bello inter Anglos & Belgas acceptis ſatisfiat. Et quia alio bello maritimos inter populos ſurgente ingens commerciis turbatio injici*
f trahendi. *poterat, liquido definire tentet, quid mercium bello vetitarum cenſu venire debeat; ac ut in certam formulam diplomatum tuti itineris conveniatur; ſimul quid navibus belliſis obſervandum, ſi in alterutrius portus introeant. Tum de piſcatione halecum ſub litoribus Angliæ, commerciis ad Anglicanas in America colonias obtinere laboret, oſtentato viciſſim Moſcici commercii compendio per Livoniam & Ingriam. Utque Anglorum in America colonia cum incolis novæ Sveciæ amicitiam exerceant, ac vitandæ colliſioni fines inter ſe regant.* Denique Cromvelli ſtatum exploret, ejusque firmitatem, & quid expulſo Regi circa recuperandum Regnum ſpei ſit: Quæ Cromvello copiæ, claſſes, qui reditus, quæ fœdera & conſilia, qui circa negotia publica tractanda miniſtri, & quæ alia ſcire expediat, ut quid ab iſto expectandum ſit judicari queat. Hiſce cum mandatis ſub exitum anni Cojetus in Angliam adpulit, cujus ibi acta ſequenti libro exponentur.

Cum Gallis acta. §. 10. Galli circa officia, ejusmodi caſu ſolita, promtam humanitatem exhibebant. Julius Mazarinus Cardinalis literis, *queis Regi partum diadema gratulabatur, inſeruerat, dolorem ob Chriſtina abdicationem majorem fuiſſe futurum, ni tam egregius Succeſſor conſtigiſſet, & quia certo ſibi conſtet Regis affectus ſemper eo inclinaturos, quo rationes ſtatus ſui vergunt. Scilicet uti conjunctio Gallia & Svecia inſignes effectus bello Germanico produceret; ita neceſſum eſſe eas res virtute iſtius conjunctionis conſervari, ex eoque generari juſtum æquilibrium coërcenda ambitioni eorum, qui legitime ad ipſos pertinentibus ſatiari nolunt.* Ab ipſo Galliarum Rege in Sveciam Legatus mit-
Avaugur. tebatur Carolus Avaugurius, quondam in Germania apud exercitum Svecicum Reſidentis ſimul ac tribuni militaris munere functus, eoque Regi Carolo Guſtavo notus, acceptusque. Suaſerat Petrus Chanutus Mazarino, ut *Chanut.* per Avaugurium, dum terreſtri itinere in Sveciam tendit, circa amicitiam inter Sveciæ & Daniæ Regna arctius ſtringendam apud Fridericum Regem tentaret, ſic ut duo hæc Regna inter ſe juncta poſtea Galliæ ſociari queant; quo vinculo potentia ſurrectura ſit formidabilis, ac Cæſaris, Hiſpanorumque, & Anglorum viribus librandis ſufficiens, & quæ Belgas vel invitos ipſorum partibus adjungere valeat. Nec pauci in Svecia fuerant, qui Borealia iſta Regna arctiore fœdere ſociari optabant, quo Dani Belgarum conjunctione abſtraherentur. Sed nimia Danorum diffidentia Svecos ad affectandam Anglorum amicitiam averterat. Et Avaugurius Daniam tranſiens de conjunctione illa ſilebat, quod interea Gallis cum Cromvello conveniſſet. Idem cum Holmiæ per 17. Octob. duos Senatores ex hoſpitio ſuo ad ſolennem audientiam deducendus eſſet, horum uni ſedem ad latus ſuum in curru, & utrique titulum *Excellentia* tribuere abnuebat. Inde factum eſt, ut ſolo Magiſtro officiorum comitante in aulam veheretur, gratulationem & amica verba expoſiturus. Eidem & cum Senatoribus univerſis controverſia oriebatur, quibus *Excellentia* titulum negare inſtituebat, cum hi in ejus ſe poſſeſſione eſſe oſtenderent. Id negotium Galliarum Rex Caroli Guſtavi deciſioni committebat, quanti ipſe ſuos æſtimare vellet. *Qui ſtatuit; obſervandum eſſe morem, qui Chanuti temporibus in uſu fuerit, nec quicquam innovandum.* Poſtulabat mox Avau- 11 Nov. gurius, ut poſt compoſitas turbas Bremenſes Teutonicus miles Sacramento Gallico transſcriberetur, Gallisque per Bremenſem provinciam conducere militem liceret. Cui reſponſum: *Copias in Bremenſi Ducatu maximam partem indigenis Svecis conſtare; & Teutonicas cohortes non exauctorandas, ſed augendas potius. Circa permittendos delectus Regem facturum, quod legibus Imperii Germanici congruum ſit, ac in neutram partem ſtudio inclinaturum, ſed quod uni permittatur, nec alteri denegandum.* Rex quippe uti nulla ratione bello tunc Gallos inter Hiſpanosque flagranti immiſceri

1654. volebat, ne Hiſpani offenſi Svecorum navigationem turbarent: Ita & ſufficere judicabat Hiſpaniam inimicam non habere, arctiorem cum eadem conjunctionem fruſtra affectari arbitratus. Unde & Matthias Palbitzkius à Chriſtina in Hiſpaniam ablegatus ex itinere Lutetia domum revocatur, quod Rex Gallis ſuſpicionem nullo fructu injicere nollet; ac ſatis habebatur per literas de ſuſcepto Regno, & colenda amicitia ſignificaſſe.

Palbitzk.

Cum Moſcis acta.

§. 11. Moſci tunc de inſtaurandis in limite tractatibus, novoque titulo Czari tribuendo monebant. Unde Rex Guſtavo Hornio Livoniæ Gubernatori ſcribebat, ut eos tractatus tantiſper declinaret obtentu mutati in Svecia regiminis, & quia è pacto Legati prius invicem ſint mittendi. Super titulo nihil ſibi in mandatis datum excuſaret. Nam & Polonicas provincias, quarum titulos arripuerat Czar, Poloniæ Rex nondum pacto ceſſerat; & appendix recens iſtius titulo adſuta de multis regionibus Septentrionem & Occaſum verſus altius penetrare, ipſius Sveciæ præjudicio fore videbatur, cujus provinciæ Moſcis ad Occaſum objacent. Juſſus quoque eſt Joannes Rhodius velut privata curioſitate à Moſcis ſciſcitari, quid per iſtud tituli augmentum intelligatur? Mox & nuntius cum literis ad Czarem miſſus eſt de ſuſceptis Regni habenis ſignificantibus, quæ veterem duntaxat Czaris titulum exprimebant. Eas ſi Moſci acceptare abnuerent, oſtenderet iſte: *Haut moris eſſe Chriſtianos inter Principes titulum ſibi præſcribere provincia per pacta nondum ceſſa. Unde & Svecia Reges titulo Livonia tamdiu poſſeſſa abſtinuiſſe: nec Chriſtinam provinciarum Germanicarum vocabula niſi poſt pacem adhibuiſſe. Sed nec Czarem id per literas à Rege petiiſſe: hoc ſi fiat, Regem facturum, quod rationi & mutuæ amicitiæ conveniens ſit. Sicuti nec Czar Chriſtina titulos provinciarum recens partarum prius tribuerit, quam ipſa per literas requiſiverit.* Cæterum Moſcis per Lithuaniam graſſantibus Rex tuendo limiti legiones aliquot è Finnonia in Livoniam tranſire juſſit, reliquis Guſtavo Hornio monente ſtatim eodem ſecuturis, ut ne tamen ullum offenſæ, aut hoſtilia induendi anſam præberet. Unde cum nonnulli Poloni Nobiles, partem Livoniæ Polonicam incolentes, ab Hornio militem Svecicum tutelarem peterent; Rex lares ſuos deſerentibus refugium in ſua provincia præbere; inſidendis arcibus & prædiis ſuperſedere jubebat. Tum ne quid iſte trepide ageret, quamdiu incendium non propius Livoniæ finibus advolveretur. Citra ſtrepitum tamen oppidorum munitiones firmaret, ac provinciales arma in promtu habere curaret repellendis, ſi forte ad limitem ſe oſtenderint, prædatoriis catervis. Interim quomodo arma ipſis adverſus Poloniam ſuccedant, diligenter exploraret. Præterea ne forte Moſci ad Mare Balticum penetrarent, Rex Jacobum Curlandiæ Ducem id petentem Czari commendabat, ut ditioni ipſius pareat, ac quiete frui eundem permittat ab armorum contagio utrinque remotum. Apud Daniæ Regem in tranſitu de ſuſcepto Regno ſignificabat Adolfus Joannes Regis frater, abſterſurus etiam ſi quid eſſet offenſæ, quod Chriſtina citra denunciationem, & diſſimulata dignitate Daniam tranſierat.

Mort.

1654.

cf. Oſtorod.

Slippenbachii Legatio in Germaniam.

§. 12. Ad Germaniæ Electores, Principumque nonnullos mittebatur Slippenbachius Comes, qui de ſtudio Regis amicitiam cum ipſis colendi, communemque libertatem ac pacem tuendi confirmaret: tum falſas ſuſpiciones eximeret, velut Rex occaſione turbarum Bremenſium novo Germaniam bello involvere inſtitueret, cum nihil aliud ipſi propoſitum ſit, quam dignitatem & jura ſua adverſus inſolentis vulgi inſultationes aſſerere; eoque is vel Principes cauſa Regis conciliaret, vel infeſta ſi qua eſſent conſilia averteret, probe exploratis eorundem ſtudiis, deſtinatisque. Sed quia Rex Cæſari per literas duntaxat de aſſumto diademate ſignificaret, ne circummiſſa ad Electores & Principes ſplendida legatio iſtum offenſa aut ſuſpicione perſtringeret, (quæ tamen ne ſic quidem declinabatur,) Slippenbachio literis fiduciariis Legati dignatio haut tribuebatur; præſertim cum ab iſtis Principibus Legati nondum ad Regem acceſſiſſent. Etſi haut eo ſecius omnes Electores, Bavaro exceptos, Legati Regii honore iſtum mactabant, honoratiore loco in propria domo, & titulo *Excellentiæ* ultro delato. Primus adibatur Elector Brandenburgicus, qui antea

Ad Electorem Brandenburgicum.

1654. antea literis ad Regimen Bremenſis provinciæ datis non obſcure Svecos injuriæ Bremenſi civitati illatæ arguerat, monens, ne ad extrema rem deduci patiantur, utque hoſtilibus actibus abſtineant, & quæ deberi ſibi putent, via juris exſequantur; ſatis abrupte, & velut pro imperio. Ejusmodi literis ut deinceps Elector ſuperſedeat, Slippenbachius velut ſuo nomine monere jubebatur. Hic cum de ſtudio Regis ad fulciendam Evangelicorum cauſam teſtaretur, Elector de fœdere inter illos ineundo differebat, confirmans ſimul, *niſi Mors Ferdinandi IV. Romanorum Regis interveniſſet, quem menſe Julio mors ſato propera abſtulerat, pacem Germaniæ ultra annum duraturam haut fuiſſe. Nunc Electores morte Ferdinandi III imminere autoritati ſuæ recuperandæ.* Litem Bremenſem amice, componi idem optabat; cui fini haut congruere cognitores à Cæſare delegatos, qui revera ſpectent ad Ordines Imperii in Sveciam irritandos; & quam functionem quoque Luneburgicus Dux, ac Monaſterienſis Præſul improbent: quorum uterque ad Cæſarem ſcripſerit, ſe commiſſam cognitionem ſuſcipere non poſſe niſi ſententiæ quædam è mandato ipſorum deleantur; qui & agnoſcant, in hac cauſa Cæſari judicis poteſtatem haut competere. Pollicebatur quoque Elector, ſe ad Cæſarem ſuper abolenda illa commiſſione ſcripturum, ac Proteſtantibus Principibus perſuaſurum, ne Bremenſi è negotio ſiniſtri quid ſuſpicentur. Hiſce tamen, quæ ſat amica videbantur, ſubinde altius penetrantes querelæ adſpergebantur, quæ ſatis conciliati animi fidem adimebant; præſertim cum Cæſarei apud ipſum Miniſtri ſparſiſſent, poſt domitam Bremam Svecicas copias in Clivenſem ditionem infundendas, vindicando Regis in eam juri. Qui 28. Nov. & paulo poſt apud Belgas Fœderatos propoſuiſſe comperiebatur; ſe in eo nunc occupari, ut cum Colonienſi, Luneburgicis, & aliis Imperii Principibus arma paret defenſionis cauſa adverſus omnes, qui pacem turbare audeant; in quam ſocietatem & Belgæ invitabantur. Obiter quoque petebat Elector, ut *Rex Legatos ipſius pari deinceps cum Venetorum & Belgarum Legatis modo habeat. Quod quo minus Lubeca nuper factum ſit, Svecos obſtitiſſe, qui primario dantaxat Legato titulum Excellentiæ, & honoratiorem locum detulerint; cum tamen tres Belgarum Legates pari honore exceperint. Par quippe eſſe Regum Legatis Principum ob vicinam reiminis formam pra omnibus Rebuspublicis favere. Atque idem ſuadere prærogativam Electoralem, & quod indeciſam adhuc litem Dux Sabaudiæ cum Venetis ſuper præcedentia agitet.* Idem tunc de Poloniæ rebus mentione injecta judicabat; *tempus jam monere, prudenti haut negligendum, controverſiam Svecia cum Polonis per tractatus, aut arma finire: ac ubi in arma proruptum fuerit, ſe Boruſſiæ nomine vel Svecia patrocinium ſubiturum, vel Polonorum vaſallagio ſe exemturum.*

1654. §. 13. Apud Saxoniæ Electorem tum alia, tum quæ ſuper conjugio Regis cum iſtius Nepte memorabantur, pronis auribus accepta. Cæterum ſeni inolitum in Auſtriacos ſtudium immotum ſtabat. Cum properata præter neceſſitatem Ferdinandi IV. electio exprobraretur, excuſabat favorem tunc Chriſtinæ in Hiſpanos, eoque cum nihil præſidii è Svecia expectari poſſet, Auſtriacorum deſideriis reluctari non auſum. De cætero oſtendebat, nil curæ ſibi eſſe, quid Bremæ à Svecis fiat. Et tamen idem paulo 4. Sept. ante inſtinctu ſine dubio Cæſaris de Bremenſi negotio ad Regem ſcripſerat, non obſcure huic culpam violatæ pacis Weſtphalicæ impingens. Quæ literæ ob vitium tituli haut rupto ſigillo remiſſæ ſunt. Ad Moguntinum Ad Mogun. Electorem jam antea Georgius Snoilſcius Francofurto conferre ſe juſſus erat, eum moniturus, cum fama ferat Bremenſes à Cæſare ſecreto obſirmari, ut is pro virili impedire laboret, ne novum in Germania bellum oriatur. Simul conteſtetur; milite in Germaniam trajecto Regem haut quidquam id agere, ut Bremam vi oppugnet, aut ulli vicinorum moleſtiam faceſſat; ſed ut loca ab iſtis occupata recuperet, & vim ſua ditione averruncet. Slippenbachio eadem ingerenti declarabat Moguntinus; *Quod nuperis Comitiis Brema velut immediata Imperii civitas inter ordines ſeſſione potita ſit, in cauſa fuiſſe, quod exiguus tunc ad Sveciam reſpectus fuerit, armis exutam, ac languentibus conſiliis. Nunc poſtquam Rex ſuper amicitia cum Ordinibus colenda teſtetur, longe minoris Bremam eſſe, quam ut ullus Principum ejus curam ſit ſuſceptura, ac modo*

1654. *modo ne urbs præſidio impoſito ſubjugum mittatur, neminem vitio daturum, ſi impertinum vulgus probe argento emungatur, ac ad refundendum Regi damnum compellatur, cum nemini non ejus urbis inſolentia improbetur.* Ad Bavarum acceſſuro Slippenbachio prior in domo iſtius ſedes abnuebatur, quam reliqui Electores conceſſerant. Igitur ne vel Regi vel cœteris Electoribus præjudicii quid adferret minore honore admiſſo, exuto Legati charactere velut privatus Monachium ingreſſus, nec literis fiduciariis exhibitis negotium ſuum expedivit.

Ad Bavarum.

Legatio ad Luneburgi-

§. 14. Ad Luneburgicos Duces, & Adminiſtratorem Magdeburgicum eandem ob cauſam proficiſci jubebatur Benedictus Oxenſtierna. Mandata eadem, quæ Slippenbachii, ut de Scopo Regis circa turbas Bremenſes ipſos edoceat, & ab infeſtis Sveciæ conſiliis, ſi qua agitentur, avertat. Additum, ut apud conventum Inferioris Saxoniæ, qui tunc Brunſvigæ habebatur, & in quo iſte primum actum alternantis directorii nomine Ducatus Bremenſis exercuerat, dextre impediat, ſi qui forte ſequeſtres iſti negotio ſe ingerere velint; utque exploret, num Proteſtantibus animus ſit arctiore ſe invicem fœdere illigare. Quam rem tamen caute, nec fervide agat, ne ejus facti invidia apud Catholicos in Regem redundet. Et quia Luneburgicus copias circuli contrahi poſtulabat, offerens, ſi qui Ordinum ratam partem militum in promtu non habeant, ſe eandem ſubminiſtraturum, ac in ſua provincia aliturum, accepta impenſurum refuſione id impedire jubebatur, velut Regi præſenti rerum facie ſuſpectum; oſtenſo *mali rem exempli eſſe, ſi præfecto Circuli pro lubitu circa militem publicum diſponendi poteſtas concedatur;* præſertim cum tunc apud Luneburgicos, ac vicinos Ordines delectus fervere dicerentur. Qui & iſta omnia ex voto Regis expedita dedit.

Rex Bremenſes turbas compoſui cupit.

§. 15. Bremenſes turbæ quomodo exortæ, & quousque progreſſæ fuerint, priore opere, quo Guſtavi Adolfi, & Chriſtinæ geſta expoſuimus, traditum reperitur. Illas Rex quantum daretur honeſta ratione componi optabat, quod rationes ſuæ tunc non ferrent novo in Germania bello implicari, dubio inſuper eventu, nec digno operæ pretio adparente. Etſi ignava conſilia, quæ nonnulli ſuggerebant, reſpuebantur, ut Königsmarckii acta à Rege improbarentur, velut ſolius Reginæ juſſu ſuſcepta, inconſulto Senatu. Sed Regi potius viſum Chriſtinæ mandata ad Regimen ejus provinciæ repetere, ne Königsmarckius ulla amplius loca occupet, ſed capta tueri ſatis habeat, ac vim, ſi qua intentaretur, propulſet. Quod ſi Bremenſes apertos provinciæ agros tributis ſubjicere audeant, tantiſper id diſſimulet, quoad nova mandata ſint allata. Tum ne commercia terra, aut flumine ad urbem impediat, ne Saxonibus Weſtphalisque prætextum ſumendis armis præbeatur. Simul ubi res ferat, Cæſari, aliisque juſtitiam cauſæ ſuæ demonſtret. Quod ſi Lubecenſes atque Hamburgenſes, aliique vicini ſequeſtres ſe offerant, de prono in pacem Regis animo teſtetur, & quas oblaturi ſint conditiones cognoſcat; tractatus tamen non ſuſcipiat, niſi relatione ad Regem facta. Quod ſi nova à Cæſare mandata inhibitoria veniant, uti fama eſt, in iſtius honorem eadem decenter accipiat, ſimul oſtendat; prioribus ſe mandatis obtemperaſſe, ac à vi inferenda abſtinuiſſe; Bremenſes contra hoſtilium pervicaces non potuiſſe non vi repelli. Cæterum ſi qua à Cæſare veniant ad Regem transmittat, hujusque ſententiam expectet.

1654.

10. Jun.

Bremenſes ferociunt.

§. 16. Enimvero Bremenſes longe ferociores, quam pro captu conditionis ſuæ, vicina provinciæ loca tributis ſubjicere, ac in provinciales ſævire, ſpretis quæ à Stadenſi Regimine ad ipſos dabantur literis, quæ talibus abſiſtere monebant. Poſtulantes, ut captivi ſui apud Svecos oblato lytro, aut permutatione dimitterentur, Königsmarckius rejiciebat, velut indignum ſit cum ſubditis Regis pactum inire juſtos inter hoſtes ſolitum. Qui & judicabat, non parum ferociæ iſtis deceſſurum, ſi mercium in urbem illatarum nomine tantundem exigatur, quantum ipſi à provincialibus per tributa exprimant, ſalvis de cætero commerciis, ni Rex diſerte vetuiſſet hiſce ullam remoram injici. Aſt Bremenſes hinc inde ſubmiſſo clam milite aucti Burgum quingentis militibus infeſſum noctu invaſere, ac poſt acrem pugnam opus cornutum, tribuno Forbuſio præfecto jam cæſo, expugnarunt.

14. Jun.

Idem Burgum expugnant Burg. Farin.

Qui


BREMA
cum Situatione circumiacente
A. Porta S^t. Stephani.
B. Port. Cathedralis.
C. P. Anjarij.
D. P. Nobilium.
E. P. Anjrasij.
F. Sepi.
G. Molestein
I U S
DVCA
OLDENBVRGENSIS.
PARS.
Sanctbrael
Hasenbur.
Schiesen.
Santwarden
BREMER
BLOK LANDT.
Wesera fluv.
Franken.
Ochsjen.

Digitized by Google

1654. Qui ſupererat miles Svecicus è munitione interiore, in quam ſe receperat, ſtrenue reſiſtebat. Sed Bremenſes ſuorum ſanguini non parcentes oppugnationem pertinaciter urgere, centuriis licet aliquot amiſſis, ac tandem duos cohortium vicarios, totidem ſigniferos cum ducentis triginta gregariis ad deditionem compellere, qui & quatuor poſt horas ſignis explicitis loco exceſſerunt, cum ſub veſpera manus Svecorum ſerum auxilium latura accelerare; Culpa amiſſi loci in vitium munitionis conferebatur. Alii judicabant, debuiſſe ſtativa equitum non procul Burgo collocari, ut ingruentibus hoſtibus citra moram occurri poſſet. Eo facto immenſi Spiritus Bremenſibus acceſſere, aditu jam late in provinciam Svecicam aperto; etſi excurſionibus eorundem prohibendis Königsmarckius ad alterum aggeris latus ſtatim caſtellum excitaret. Accedebant ampla à Cæſare promiſſa de auxilio ferendo; & Moguntinus de protectione Imperii ſecuros eſſe juſſerat. Per Luneburgicam quoque & Mindenſem ditionem delectus habiti provincialesque luſtrati animos addiderant, velut ipſis ubi opus ſit ſubventuri. Sane Stada ad Luneburgicos Principes miſſus Paulus Hafnerus exciendis è fœdere Hildeſienſi auxiliis irritus fuerat, eminente iſtorum in Bremenſes favore: quos & extructum nuper apud Verdam caſtellum non levi ſuſpicione perſtrinxerat. Cellas quoque miſſo Placco Penſino ad petendum tranſitum trecentis peditibus è Pomerania venientibus, obtentu mandatorum Cæſareorum frigide reſponſum: *ad alios Principes ſuper hoc negotio referendum.* Tum & Haſſiæ Landgravius ſuper auxiliis è fœdere Hildeſienſi præſtandis monitus, cum aliis ſibi communicandum reſponderat; cæterum amicam compoſitionem omnibus modis ſuadere: Interim cum Königsmarckio exigua manus eſſet, & provincialis eques ægre ad officium moveret, Bremenſes nullo metu caſtellum ad Vegeſaccum machinis quatiunt, ac centurionem Stuartum, acriter licet initio reſiſtentem, exteriore munitione expulſum in arcem ſe recipere cogunt, quæ & ipſa machinis verberata ad deditionem compellitur hac lege, ut præfectus abire permitteretur, gregarii & machinæ penes Bremenſes manerent. Inter alia hoſtilia Bremenſes Braunium quoque tribunum in prædio ſuo agentem trucidabant, ac provinciales ad rebellionem in Svecos ſumendam ſtimulabant. Mox cum bis mille peditibus, ducentis equitibus Verdam accedentes ei oppido tributa imperabant. Iidem dehinc cum octingentis peditibus, trecentis equitibus Tedingshuſam aggreſſi portam machinis disjecerant, vicario cohortis Grothuſio ſalvis armis inde coacto diſcedere: cui jam digreſſo Königsmarckius ſerum auxilium adducebat. Bremenſes per Luneburgicam ditionem vi ſibi viam ſumſerant, collocata licet à Ducibus aliqua manu ad cuſtodiendos tranſitus. Quæ inſultatio diſſimulata fuit, & Bremenſium catervis impune vagari permiſſum; cum contra ſi qua Svecorum manus ad Luneburgicos fines ſe oſtenderet, ab agreſtibus ſtatim ad arma conclamaretur.

1654. *Braun.* *Verden.* 23. *Jul.* *Tedingshuſen.* *Grothuſen.*

§. 17. Mox tamen Königsmarckio Verdæ agenti occaſio vindictæ ſumendæ præbita eſt; cui nuntius venit, à Bremenſibus trecentos equites, ducentos pedites Tedingshuſam miſſos arci per noctem demoliendæ. Is igitur contracta raptim manu eodem adproperans in equites invehitur, ac viginti quinque cæſis captisque, reliquos in fugam compellit. Pedites ab equito ſuo deſerti, & repentino Svecorum adventu à navigiis quoque excluſi, queis jamjam Bremam avehendi erant, aggere Viſurgis tecti iter facere inſtituunt, quo Svecis equitibus difficilis acceſſus erat. Inſtabant tamen abeuntibus Sveci, receptis in equos peditibus, quoad uno ab urbe milliari in aperta progreſſos invaderent, ac pleriſque cæſis ſeptuaginta caperent fere ſaucios, non niſi octo in urbem evadentibus. Excuſavit Regimen Stadenſe apud Luneburgicos, quod ſui milites, dum Bremenſes inſequuntur, territorium ipſorum tetigiſſent.

Bremenſes vapulant. 28. *Julii.*

§. 18. Aſt Rex cum ſatis perſpiceret, miſſo in Bremenſem provinciam milite opus eſſe ad decorum iſtis turbis finem imponendum; nec citius flexuros Bremenſes, eorumque incentores, quam ſi Sveciam bello paratam videant; Guſtavum Ottonem Stenbockium cum valida manu eodem trajicere juſſit. De cujus adventu in anteceſſum Lubecenſibus & Hamburgenſibus ſignificatur, innoxio tranſitu petito;

Hafner. 24. *Jun.* *Zell* *Penſin.* 26. *Jul.* *Vegeſack.* *Stuart.* *Copiæ è Svecia mittuntur.* *Stenbock.*

1654. perito; ſimul oſtenditur, *injuriis ſe Bremenſium adigi ad vim opponendam, tuendis ſuis terris; caterum neminem praterea offendere ſibi propoſitum.* Pari argumento ad Principes Inferioris Saxoniæ, & Weſtphaliæ ſcribitur, ne ex iſta copiarum miſſione ſiniſtri quid ſuſpicentur. Præcipue cordi erat Burgum recuperare, antequam ad tractatus perventum foret, efficaciore tunc poſſidentis diſputatione: ſimul ferociam
23. *Aug.* plebis frangere admittendis eo facilius conditionibus. Is feliciter trajecto mari cum octodecim peditum cohortibus, equitumque manu Königsmarckio jungitur. Hic igitur copiis auctus, quod diu meditatus fuerat, per inſolitam antea viam paludes transgreditur, ut medium ſe urbi ac Burgo interponeret, viamque Bremenſibus intercluderet ad auxilium ſuis ferendum. Sed ſuperata licet palude difficillimus ad Burgum acceſſus erat, dejectis omnibus pontibus, & aggere viæ decies interciſo. Ingruentibus Svecis Bremenſes ab uno abſciſſu ad alterum ſe receperunt, machinis in ſubeuntes confertim detonantes, queis Sveci haut ſegnius reſponderunt, donec duæ peditum phalanges anguſtias viæ eluctarentur, inſequentibus mox equitibus. Bremenſibus tamen, etſi non ſine jactura, Burgum ſe recipiendi ſpatium fuit, quod difficilem per viam Svecis gradum accelerare non daretur. Dehinc exterior munitio nullo ſuorum amiſſo à Svecis expugnatur. Et brevi
5. *Sept.* poſt Burgum citra exceptionem deditur, cujus præfectus tribunus Balthaſar in urbem dimiſſus eſt, gregarii trecenti ſexaginta legionibus Svecicis admixti. Ea res Bremenſium animos vehementer fractos admittendæ transactioni temperavit. Regi contra eadem læta admodum accidit, vindicata jam armorum exiſtimatione, & proniore ad compoſitionem via; quam maturari cupiebat antevertendis machinationibus apud vicinos in Sveciam agitatis, & Cæſare gravius in dies ſuſpectante, juxta ac ſuſpecto. Simul bellum Moſcos inter Polonosque flagrans Regis curas in ſe verterat. Unde Königsmarckio injunctum; *caute deinceps procedat, nec multum amplius in Bremenſes moveat, ne forte vicinorum invidia in acre incendium erumpat. Tum commercia nullo modo turbet, queis vicinorum rationes implicitæ ſint.* Etſi Königsmarckius eam breviſſimam judicarat viam ad obſequium redigendæ urbi: Unde & aliquot jam navibus manum injecerat: quæ juſſu Regis iterum dimittendæ erant. 1654.

Königsmarckius Burgum recuperat.

Cæſaris circa Bremenſes turbas intentio.

§. 19. Circa componendas eas turbas plurium opera ſatagebat, ſed diſpari ſcopo aut candore. Sane Cæſar initio gaudebat occaſionem ſibi oblatam Svecos inſultandi, ac Proteſtantes Ordines in eosdem irritandi, pro re nata longius progreſſurus. Quem ad auxilia urbi ferenda Jeſuitæ ſtimulabant, cultus Romani exercitium ſibi apud Bremenſes viciſſim ſtipulaturi. Ac confirmarat Schræderus Cæſareus Secretarius Edeno Bremenſi Syndico auxilia adverſus Svecos imploranti; *Cæſarem & Imperium Bremenſibus nunquam defuturum; Interim à vicinis Belgis Svecia infeſtis ſuppetias excitent. Addebat, ſi vel minimum quid Bremenſes Svecis compoſitioni promovendæ gratificentur dignos ipſos eſſe, quin Danubium precipitentur.* Et conſtat Viennæ diu dubitatum, num inhibitoria mandata adverſus Svecos publicanda forent; donec reverſus è legatione Svecica Raimundus Montecuculus omnem dubitationem exemit. Is quippe retulerat, ſolutiore adminiſtratione Sveciæ res eo redactas, ut hujus jam ratio minus ſolicite habenda ſit. Unde edictum promulgatur ea forma, qua contemtus juxta atque odium in Svecos aperte pellucebat, nominato inter alia ſine ulla dignitatis mentione Königsmarckio; de qua tituli omiſſione velut indecoro facto Rex Cancellariæ Cæſareæ exprobari juſſerat. Etſi Königsmarckius pro ſolita conſtantia jactaret; cum machinas Cæſareas nunquam formidaverit, neque nunc chartas ipſius & atramentum metuere. Mox tamen ut tectius procederent Cæſarei, mora Ferdinandi IV. & Hiſpanorum in obſidio Atrebatum à Gallis accepta clades efficiebat; & quia jam Svecia Rex ſpectatæ virtutis imperare cœperat. Unde quanquam per literas hortari Bremenſes non ceſſarent, ne Svecis ſe ſubmitterent, ſpe certi à Cæſare auxilii facta ſi opus fuerit: Id tamen præcipue nunc captabant, ut judicis partes hac in lite Cæſar invadere poſſet. Cui rei anſam præbuiſſe videbatur ipſum Regimen Stadenſe, quod literis ad Cæſarem ſuarum actionum juſtitiam demonſtrantibus ſubjunxerat: *Ut Cæſar indignationem ſuam adverſus urbem pacis violata*

Schraderi, Eden.

Montecuculi.

1654. *late manifestam exprimerit, mandatis inhibitoriis, ac restitutoriis editis, ipsaque proscriptione intentata.* Quæ verba Regi vehementer displicebant, velut per quæ agnosceretur, Cæsari ejus cognitionem competere; quo principio idem sibi soli interpretationem, & executionem Pacis Westphalicæ sit arrogaturus. Quod erratum non excusabat color, velut in Germania non inusitatum foret, auxilium Cæsaris adversus refractarios subjectos implorare; cum & hoc ipsum confessionem imbecillitatis haberet.

Regis ad Cæsarem litera. Igitur Rex, ne Cæsari jurisdictionis quid circa hanc controversiam tribuere videretur, ad eundem literas dedit, quibus ostendebat: Bremam à prima origine Episcopis subjectam in Reginam Regnumque Sveciæ cum omnibus juribus priorum Præsulum, & postremi præcipue translatam. Qua homagium abnuente cum Cæsaris autoritas requisita fuisset, ut urbem de officio admoneret, nil potuisse obtineri. Quin injustos hujus conatus fuisse sublevatos, ac quæstionem de statu urbis cognitioni, atque interpretationi ordinum subjectam; Qui tamen tum satisfactio Svecica Osnabrugæ adornatur non interfuerint, eoque quid actum tunc sit ignorarint. Neque Cæsarem velut unam pacisentium partem ejus causæ decisionem pro Imperio sibi asserere posse. Quibus omnibus à Christina Regina semper contradictum sit. Et à se contradici, competentibus reservatis. Post cum ob periculum à copiis Lotharingicis ac bello maritimo Anglos inter ac Belgas, non improbante decreto circuli inferioris Saxoniæ, Anno 1652. ob securitatem provinciæ Bremensis, & vicinorum castella ad Alleram, & Visurgim strui cæpissent, Bremenses id factum acerbis questibus distulisse. Inde territorii sui fines variis ausis proferre instituisse, Burgum munitionibus firmasse, locum ad territorium Regium spectantem. Quibus cum obviam iret provinciæ gubernator, à Cæsare mandato inhibitorio, & pœnali sine clausula fuisse notatum. Cui mandato hunc paruisse: Bremenses velut probatis suis ausis insolentiores tributis subditos Regios subjeciisse, aliaque hostilia patrasse. Quibus compescendis necessum sibi fuisse copiarum aliquid in Bremensem Ducatum mittere tuendis suis subjectis, finibusque. Ea destinata naturali ac gentium juri quadrantia Cæsari se jam indicare; ac sperare Bremensium calumniis aures ab ipso præbitum non iri, qui potius acrem à se castigationem, ac Cæsaris, Ordinumque indignationem promeruerint.

§. 20. Haut eo minus tamen Cæsari idoneum visum pertrahendæ ad se isti causæ cognitores decernere Christinum Ludovicum Luneburgicum Ducem, & Bernhardum Monasterienſium Præsulem; Cujus & Residens Plettenbergius Bremensium causam Duci quam diligentissime commendabat. Commissioni denuntiandæ Dux Ottonem Joannem Wittium Stadam mittebat, simul scisciturum; Num Regi placeat amicam tractationem admittere atque armis interim supersedere. Cui à consilio responsum: *Regem amicam negotiationem haut repudiaturum, modo idonea conditiones offerantur, quas cognoscere cupiant.* Ad quæ Wittius; *De aliis non cogitandum, quam quæ conservandæ autoritati Regiæ* faciant. *Cæterum se rem prius cum Monasterienſi communicaturum.* Ab istis dies undecima Decembris tractationi auspicanda dicta est. Id Stadensium responsum Regi non parum displicebat, quod delegata ista Cæsaris cognitio suæ dignitati non exiguo præjudicio foret. Eoque monebat, si denuo tale quid apud ipsos proponatur, id nullo dato responso ad se remittant.

Rex Cæsaream Commissionem rejudicat.

Plettenberg.

10. Aug. Hist.

§. 21. Accedebat post ab eodem Duce Holmiam missus Adolfus Fridericus Molzanus, Regi Cæsaream *Commissionem* ipsi ac Monasterienſi Præsuli delatam, significaturus. Qui tamen nullum ejus delegationis exemplum se attuliisse excusabat ob iter festinatum. Ex quo colligebatur, eandem nonnulla continuisse Regi præjudicio cedentia; velut quod Bremæ dignatio civitatis imperialis tributa, culpa quoque præsentium turbarum Svecis impacta esset. Enimvero Rex commissionem à se admitti posse negabat, quæ à se petita nunquam sit. Quam & ipsi Bremenses à se desideratam inficiabantur. Ac facile rem componi posse, modo Bremenses non ultro turbas altere velint. Nec Regem Cæsaris judicio causam istam submittere posse, quamdiu consilium ipsius Aulicum

Luneburgi officium declinatur. 2. Sept. Hist.

1654. „Aſſeſſoribus Evangelicis haut rite „conſtitutum, ejusque judicii Ordina„tio in Comitiis per ordines examina„ta, & ad modum aliarum Imperii le„gum confirmata non fuerit. Cogni„tores quippe acta una cum ſententia „ſua ad Cæſarem referre, à quo iſta ad „conſilium Aulicum remittantur, „cauſas in longum extrahere, ac tur„bas in fraudem Proteſtantium alere „callidum. Denique etſi princeps „controverſia in præſens de ſtatu urbis „non ſit, ut ut ejus opinio Bremenſi„bus ad infeſtandam provinciam ani„mos addiderit; tamen quia Cellenſis „Dux & Monaſterienſis Præſul in „Comitiis pro *immediato* Bremæ ſta„tu ſuffragia tulerint, non poſſe non „ipſos adverſæ parti addictos, Sveciæque iniquos haberi. Legatus iſte cum jam Elsnabbam in Germaniam trajecturus abiiſſet, Holmiam regreſſus proponebat: *Quia Princeps ſuus velut Cæſareus cogniter admitti nequeat, num Regi placeat ipſum proprio nomine ſequeſtris partes obire?* Aſt Rex, cui in hac cauſa quivis ſequeſtres diſplicebant, reponebat: *ob ambages, moraſque quamvis interventionem declinari, ac breviorem compoſitionis viam oſtendi, ſi cum ſua urbe ſoli ſibi tractare detur. Et quia Dux ob rationes jam adductas Cæſaream delegationem tantum non abdicaret, parum decorum fore, ſi nunc ſuo nomine iſti controverſiæ interponere ſe aggrediatur.*

§. 22. Offerebat quoque Electoris Brandenburgicus operam ſuam apud conſilium Stadenſe per Matthæum Weſenbecium Mindenſem Cancellarium, his adductis rationibus, *quod Rex vix admiſſurus videatur cognitionem Cæſaream Luneburgico & Monaſterienſi commiſſam, velut circa litem inter Principem & cives: & quia Electoris plurimum interſit, eam litem mature ſopiri, ne forte iſthac occaſione Catholici Principes, Colonienſis, Neoburgicus, & Monaſterienſis patrocinium ejus urbis invadant.* Rex ad quem ea res remittebatur, ſuis reſpondebat: ſi è *republica* id ipſis videatur, Brandenburgici operam admitti poſſe, ſaltem *elidenda Commiſſioni Cæſareæ.* Igitur poſt modeſtam tergiverſationem acrius inſtantem ne protelarent. Hic tamen, cum rem ad compoſitionem ultro vergere intelligeret, ſe Mediatorem obtrade- 1654.
re omiſit; etſi alias Weſenbecius ſite non ſpernendam operam diſponendis ad quietem Bremenſium animis navarit.

§. 23. Rex tamen uti aliorum Principum interpoſitionem averſabatur: ita quo minus Lubecenſes & Hamburgenſes operam circa ſedandas illas turbas ſumerent, etſi non ad modum juſtorum ſequeſtrium, haut repugnabat. Nam ſaltem Hamburgenſes Svecis non iniqui habebantur, nec utrorumque tanta autoritas, ut Sveciæ commodis obſtare poſſent, qui & ipſi Bremenſibus, ut amicam tranſactionem affectarent, magnopere ſvadebant. Et ubi ad tractatus veniendum erat, opus videbatur viris, qui inter partes hinc inde mearent, ac ſubinde Bremenſibus exponerent, quæ ab ipſis Svecis dici parum decebat. Quod ut illis dextre inſinuaret, Vincentio Mœllero Regio Hamburgi Miniſtro anſa præbebatur, dum utrique civitati de ſuſcepto in Carolo Guſtavo imperio ſignificare, deque hujus ſtudio ad colendam cum ipſis amicitiam teſtari jubetur. Quibus addenda erant, quæ adſtruendæ Regis cauſæ adverſus Bremenſes facerent, nec huic aliud propoſitum, quam quod dignitatis ac ditionis ſuæ neceſſitas injungeret. Simul ut expiſcetur, num iſti forte quid Sveciæ adverſi cum Bremenſibus miſceant, & ab auxilio hiſce ferendo eosdem avertat. Quid ſi ea occaſione operam ſuam componendæ liti offerant, Stadam ipſos remitteret.

§. 24. In Belgis fœderatis maximam fiduciam collocaverant Bremenſes, quos ut ad militem & argentum ſibi ſuppeditandum impellerent, omnem lapidem movebant. Illos contra ut ab hiſce verteret Rex, per Haraldum Appelbomium de juſtitia cauſæ ſuæ, ac innoxiis deſtinatis confirmabat. Nec animum ſibi eſſe urbem oppugnare, ſed duntaxat inſolentiam urbanæ plebis compeſcere, & ablata recuperare, ni iſti pertinacia ſua neceſſitatem ipſi adferant longius progrediendi. Si forte Belgæ ex ipſo percontentur, num interventio ſua Regi grata ſit futura, velut extra mandatum & privato judicio dextre eandem eluſum iret, obtentu ſumto, quod tanti non ſit ea controverſia: & facile inter Principem ac cives viam inventum iri

1654. iri eidem componendæ citra extraneorum operam. Et quia jam Brandenburgicus, & Hanſeatici huic negotio ſeſe accinxerint, plurium interpoſitionem plus impedimenti, quam facilitatis allaturam, ipſe quoque Rex datis literis eosdem monebat, *ne Bremenſium criminationibus, pro ſolita ſibi irreverentia perſtrepentium, aures præberent, neu quid facerent, quo iſtorum ſpiritus augeantur, Sibi vicinorum quietem turbare haut propoſitum.* Quæ etſi non parum refrigerarent ardorem eorum, qui Bremenſibus militem ſubmitti contendebant: ſubinde tamen pellucebat malignus in Sveciam affectus, cum de Burgo à Bremenſibus capto nuntiaretur, eminente in Königsmarckium odio, quem præſidentem, reique gerendæ avidum metuebant, ubi nimium ſe confirmaſſet, ne ad vicinos differre incendium conaretur. Nec deerant qui jactarent; *ignominia ceſſurum Belgis, ſi & nunc Reformatis ſacris addictam urbem deſtituerent, cum vix quovis piaculo eluendum facinus ſit, ad Rupellam quondam jugo eripiendam nihil contuliſſe.* Contra à Bremenſibus miſſus graves querimonias miſcebat, quo promiſſum auxilium ita ſegniter procederet, cujus fiducia oblatas à Cromvello ſuppetias repudiare ſubegerat. Quæ etſi pronis auribus à pleriſque excipiebantur, Hollandia tamen provincia rem ſubinde extrahens quo accuratius conſultando eandem expendebat, eo minus audebat aperte in partes deſcendendo novi belli cum Svecis telam ordiri. Et cum nupero bello Anglicano opes defuerint pro ſe ipſis pugnam ciendi, quare nunc pro aliis vires prodigant. Sed & Conradus Beuningius è Svecica legatione redux non parum ſcrupuli Belgis injecerat, ut non temere, & tenuem adeo ob cauſam Svecis inſultare auderent: præſertim gliſcente inter Hollandiam, & reliquas provincias ſimultate ob ſeparatum cum Cromvello pactum ſuper excluſione Principis Arauſionenſis. Et quanquam Geldria, Tranſiſalania, Friſia, & Groninga duo militum millia Bremenſibus ſubmittenda decernerent, quibus & factio Arauſionenſis ſuccinebat: Hollandia tamen eo magis ceſſim ibat, verita, ne adverſa factio ipſam bello cum Svecis implicare ſtuderet, cujus impenſæ & damna in eandem potiſſimum redundatura erant. Et Beuningius oſtenderat, Svecis, ubi irritentur, in proclivi eſſe centum quinquaginta naves Hollandorum onerarias in portu Rigenſi intercipere. Tum Germaniam vix ſolide deguſtata quiete armis in Sveciam haut facile quid tentaturam. Ac prudentes judicabant, plus emolumenti in Sveciam redundaturum honeſta tranſactione, quam ſub jugum redacta urbe; præſertim cum ſalvo hujus ſtatu Cæſaris, ac vicinorum invidia non parum remiſſura ſit. Nec ceſſabat Appelbomius juſtitiam cauſæ Regiæ demonſtrare; nec Regi propoſitum ipſam urbem invadere, ſed hoſtiles duntaxat ejusdem ſpiritus infringere. Igitur tandem decretum; *Deputatos eſſe, mittendos compoſitioni tentandæ. Ubi hac non ſuccedat, Bremenſes pecunia juvandos, idque miſſo in Sveciam Legato excuſandum.* Cæterum quanquam Regi ingratum erat Belgas ſeſe liti huic ingerere; quia tamen aperte repudiati ad perniciosiora Sveciæ conſilia impelli poterant, ad literas, queis officium ſuum offerebant, placide reſponſum; nec ſe repugnare, quo minus Bremenſes ad officium faciendum ipſi diſponant. Et quanquam veroſimile erat, inter Belgas & Bremenſes fœdus exiſtere, Roſenhanio tamen injungebat Rex, ut iſto diſſimulato eos velut neutri parti addictos conciliandæ tractationi admitteret.

1654.

25. Jul.

Mr. Bell.

Beuning.

Schering. Kaſenbam.

§. 25. Iſta Belgarum deſtinata etſi Bremenſibus valde diſplicerent, militum & pecuniæ affatim inde expectantibus: tamen quia iſtos bellum cum Svecis declinare, nec alios ad ſuppetias ſibi ferendas accurrere conſpiciebant, gliſcente quoque in urbe diſcordia, ad compoſitionem cum Rege animum adplicant, deficiente cumprimis argento, quod conductitio militi ſolverent. Ut viam tranſactioni ſternerent, literas ad Regem componunt, quibus poſt præmiſſam *gratulationem de ſuſcepto imperio variis coloribus acta ſua defendere, ſtatumque liberum ſua urbis adſtruere ſatagebant, culpa turbarum in Königsmarckium devoluta, quem gravibus querelis onerabant. Petebant hinc armis pauſam imperari; ac paratos ſe tranſactioni Cæſareis cogni-*

Bremenſes in compoſitionem inclinant.

1654. *soribus interuenientibus.* Rex ad gratulationem humaniter, ad reliqua graviter respondebat. *Turbas non à Kenigsmarkio, sed ab ipsis ortas ob castella, quæ ii in solo Regio ob periculum belli externi excitarint. Arma, quorum necessitas sibi imposita sit, medio successu deponere haud decorum, aut Cæsarea cognitioni se submittere; cum hac in causa ipse non ut Bremensis Dux, sed ut Svecia Rex æstimetur, lite nimirum orta ex Instrumento Pacis, cujus ipse non minus, quam Cæsar princeps pars pacisceus sit. Quod si tamen serio nunc ipsis sedeat ad officium redire, gratasque, & honestas conditiones offerre, à Scheringio Rosenhanio prolixius responsum acceptures.* Eas tamen literas Bremensibus post reddere Rosenhanius omisit, ne ansam ad illas quid reponendi arriperent; sed satius visum per Secretarium Regis mentem illis significare; Rege deinceps id factum probante.

Rosenhanius adtractatum cum Bremensibus mittitur.

§. 26. Isthunc quippe virum Rex obeundis tractatibus destinaverat titulo Legati in Germaniam, ne ob solam Bremensem causam mitti videretur, quasi hæc ipsi tantopere cordi foret, ut ex metu compositio quæreretur. Unde & facultas eidem conferebatur cum quibusvis, ubi opus sit, circa sopiendam litem Bremensem tractandi. Ac primum Wismariam trajicere jubebatur, certum ibi negotium expediturus, velut ejus gratia præcipue venisset. Cæterum summa rei erat cum Bremensibus transigere, quod in præsens res Germaniæ haut ita forent dispositæ, ut ibi bellum cum spe emolumenti geri posset; quin potius scintilla ista ingens productura incendium videretur, rationes Regis tam in Germania quam alibi destructurum, summamque rerum periculo expositurum. Si Bremenses pervicaciæ suæ insistant, operam daret, ne turbata Visurgis navigatio vicinis ansam præberet Bremensibus sese arctius jungendi. Nam quia exterorum merces à Bremensium mercibus citra acrem inquisitionem discerni nequeant, magna cum invidia conjunctum fore, si tale quid tentetur. Eoque præstare, ut quibusvis mercibus absque molestia liber transitus permittatur; præsertim cum alias impensæ belli lucra Bremensium absumturæ sint, modico ex usurpata libertate fructu in ipsos redunduturo; nec Christinæ Reginæ, aut si bi animus fuerit urbem vi oppugnare; id quod prudentibus facile sit conjicere modico ex adparatu, copiisque Svecicis in Germania. Ne tamen Pontificii, Principes in Westphalia, aliique queis de animo suo non constet, suspicione perstringantur, supersederet quid suscipere, quod speciem præbeat urbem oppugnare cupientium; sed satis haberet ipsorum petulantiam compesci, & intra mœnia coërceri. Si Cæsarea mandata adferantur, ea modeste ac decore acciperet; quod si tamen Cæsar judicis sibi partes arrogare videatur, illa declinaret, & ad se remitteret, testatus, prioribus mandatis receptis Svecos quievisse, Bremenses hostilia multo acerbius expromsisse. In negotiatione cum Bremensibus aliorum interventionem defugeret, quod sæpe sequestres rem difficultatibus involvant; ac partibus inter se facile convenire queat, si utrinque concordia placeat. Lubecensium & Hamburgensium operam, si commode repudiari nequeat, placebat admitti, quod illi ob respectum Sveciæ alteri parti aperte favere non ausuri sint. Sed Luneburgicis, quos Rex nullo modo huic negotio misceri volebat, officium offerentibus reponeret: *Litem inter Regem, ipsisque urbem municipalem verti, quæ nec tanti sit, ut alios se eidem ingerere opus videatur, ac citra sequestres expeditius componi queat. Exemplo Luneburgicorum alios quoque se negotio immixturos, magis exinde intricando. Cum itaque Rex de sincero ipsorum animo certus sit, sperare eosdem perspecta difficultate è plurium interpositione oriturâ ob accelerandum negotium sese ultro subtracturos, quo & aliis via intercludatur sese obtrudendi.* Si Belgæ se offerant, qui & Anno 1639. liti inter Fridericum Archiepiscopum, & urbem interverierint, quantum possit modeste eorum operam eluderet. Nam etsi ratio ipsis sit, ne favore plus in unam, quam alteram partem inclinent; non infrequens tamen esse, ut ministri varios ob respectus in transversum acti negotium tricis involvant. Circa locum tractatuum, si dato diplomate tuti commeatus intra præsidia Svecica nullo modo accedere velint Bremenses, Hamburgum demum admitteret.

§. 27. Cæterum quia vix evitari poterat, quo minus de statu Bremæ tange-

De statu urbis Bremensis.

1654. tangeretur, saltem ubi Bremensium deputatorum procuratoria examinanda erant; Rex nolebat Rosenhanium super jure Regis in disceptationem descendere, quod velut extra dubium ponendum sit. Ubi tamen res ferret, per modum extemporanei sermonis ista Regii juris fundamenta deduceret. Bremam urbem à primis „casis piscatoriis ad annum usque „1640 sine dubio municipium, & Archiepiscopatus membrum, haut quaquam Imperialem civitatem fuisse, „Invitationem ad Comitia Ratisponensia Anno 1640. à Bremensibus per „subreptionem obtentam, eique confestim Archiepiscopum contradixisse; „cujus & causa in Senatu Principum „probata, Cæsarique commendata sit; „qui rationibus Archiepiscopi expensis actum ipsum invitationis, sessionis, & suffragii inanem declaraverit, „ac decreto cassatorio Anno 1643. urbem in priorem statum reposuerit, „qui fuerat ante invitationem ex consessione ipsorum Bremensium utique „mediatus & municipalis. Bremensem inde deputatum Kochium tra- „statu Osnabrugensi ad Legatos Svecicos decretum cassatorium Viennæ „die XV. Decembris Anno 1643. editum attulisse, multa questum super „inconstantia aulæ Cæsareæ. Ex quo „manifestum sit, Bremensibus id decretum fuisse cognitum; etsi nunc „emolumenti sui causa negent sibi de „isto quidquam constitisse; Legatos „Suecicos tunc è querela Kochii scivisse, affectatum à Bremensibus statum immediatum fuisse abolitum; „Bremamque in pristinam conditionem municipalem repositam. Atque „de isthac consolidatione urbis cum „Archiepiscopatu Regina referentibus suis Legatis constitisse, antequam eundem in Satisfactionem sibi „deposceret; eoque non necessum fuisse postulato suo ejus urbis disertam „mentionem fieri, sed sufficisse Archiepiscopatum postulare cum omnibus bonis, juribus, & pertinentibus, „prout ultimi Præsules eum possederunt. Ita statum Bremæ tempore „inchoatorum tractatuum, & quando „præsulatus ille à Regina expetebatur, mediatum & municipalem fuisse. Sed nec statum ejusdem per tra- „status Osnabrugenses fuisse immutatum, si consideretur, quod palam „& rite inter Cæsareos, Regiosque 1654.
„actum sit, insuper habito quod Cæsar susceperit inscio qui tunc erat Archiepiscopo, inscii Ordinibus Imperii, & Legatis Svecicis in fraudem „Archiepiscopatus, & tractationis super satisfactione cum Svecis institutæ. Reginam postulasse totum Archiepiscopatum cum omnibus juribus & pertinentibus. Cæsareos, cum „perspicerent ea verborum latitudine Bremam quoque comprehendi, „binis formulis Anno 1646. & 1647. „eam urbem excipere voluisse. Sed Legatos Svecicos Cæsareis (id quod hi „attestato die 18. Februarii An. 1647. „Bremensibus dato fateantur,) significasse; per mandata sua integrum fibi haut esse in eam exceptionem consentire. Ac ad oculum patere è formula mense Januario Anno 1647. „concepta. Svecos immediatum urbis „statum, quem Cæsarei infarcire cupiebant, dispunxisse, ac pro eo reposuisse *suus status*. Igitur verba, quæ „nunc in Instrumento Pacis extant, „*præsens suus status*, non intelligenda „de statu civitatis controverso, velut „quæstio status iis tractatibus indecisa „relicta, ac Cæsaris & Ordinum dijudicationi commissa sit; sed Svecos „ipsa in negotiatione Cæsareis ostendisse, Bremam à prima sua Origine „fuisse, & adhuc esse municipium imperio mediate duntaxat subjectum; „& quo statu, atque conditione præsens Archiepiscopus, ac priores eam „agnoverint, talem & non aliam à Regina in Archiepiscopi jura succedente agnoscendam. Constare quoque „Fridericum Archiepiscopum admisoni ejusdem Imperiales inter civitates „contradixisse. Hæc igitur cum præcesserint, antequam §. *Civitati vero Bremensi* Tabulis Pacis insereretur „omnium quorum interest præscitu „& consensu, de genuino ejusdem sensu non amplius obscurum esse. Pace „demum facta, cum Regina Bremenses ad homagium præstandum „evocaret, & postea Viennæ ac Ratisponæ intellectum, Cæsareos, quia „exceptionem de immediato Bremæ „statu Instrumento Pacis inferere haut „valuerant, quo eam Ducatu avellerent, postea Bremensium ambitionem clam foviisse ad immediatum „statum affectandum, ut legationi Cæsareæ centum millia florenorum

1654 „Monaſterii exſolverent; quod Bre- „menſis deputatus Ratisponæ, ac Mo- „guntinus Elector, ipſique Cæſarei „Miniſtri faſſi ſint. Ea pecuniæ ſum- „ma emtum Cæſareum diploma Lin- Lint. „zii Calendis Junii Anno 1646. da- „tum, quod vocant *declaratorium & „confirmatorium ſtatus Civitatis im- „mediati & ſeparati ab Archiepiſcopa- „tu, nunc Ducatu Bremenſi.* Cui ac- „ceſſiſſe atteſtata nonnulla à Legatis „Cæſareis, & Cancellaria Mogunti- „na, velut in tractatibus pacis o- „mnia acta ſint, uti Cæſarei, & Bre- „menſes jactant. Enimvero vendi- „tionem illam Capitulationi Cæſa- „reæ, Imperiisque legibus adverſari, „& velut peſſimi exempli ab omni- „bus Ordinibus pro communi grava- „mine habendam. Saltem Svecos „eandem probare non poſſe, quippe „inter alios geſtam inconſultis iis, „quorum intererat, & in fraudem tra- „ctatus. Cæſareos ſi candide agere „voluiſſent, id diploma legatis Svec- „cis, atque Ordinibus inſinuare, ac „tanti momenti negotium publicæ „disceptationi ſubjectum definire de- „buiſſe. Nunc diploma argento em- „tum, ac falſis narratis & fundamentis „ſuperſtructum, quia publicam lucem „non ferebat, ſuppreſſum, & Bremen- „ſibus per *atteſtata* aliquot cautum; quorum vanitatem Sveci ſcriptis pub- licis dudum deſtruxerint, Equidem „jactari; Bremenſem deputatum du- „rante negotiatione in conſpectu le- „gationis Svecicæ Senatui Civitatum „interfuiſſe, & ad hanc inter alios Or- „dinum Legatos citra contradictio- „nem delegatum, ſuffragiumque ibi „tuliſſe. Enimvero haut ideo Bremam „legitime Collegio urbium inſertam, „aut Svecis tunc rationem & jus fuiſſe „Bremenſis deputati admiſſioni inter- „cedendi. Nam Reginam tunc Ar- „chiepiſcopatum jure belli duntaxat, „eumque non integrum poſſediſſe, ac „durante bello, & nondum abſolutis „tractatibus non potuiſſe ſibi arrogare „jus jam conſtituti in Imperio ſtatus, „qui conſenſu Cæſaris & Imperii jus „territoriale, & huic connexum jus „Comitiorum haberet. Eoque non po- „tuiſſe impugnare ſeſſionem Bremæ „in Collegio urbium, quod ea non- „dum Svecicis armis occupata foret, „nec de belli aut tractatus eventu ad- „huc conſtaret. Ac Reginam, licet „provinciæ reditibus jure belli fruen- 1654. „tem, ſibi nondum tribuiſſe omnia „jura, quæ legitimus, & ab omnibus „quorum intereſt agnitus provinciæ „dominus exercere poſſet. Sicuti eo- „dem tempore citra ullum ipſius præ- „judicium Brandenburgicus Elector „pro Pomerania, & Franciſcus Wil- „helmus Epiſcopus pro Verdenſi Præ- „ſulatu ſuffragium Regina non repug- „nante tulerint. Et Fridericum licet „Svecorum armis expulſum adhuc „ſaltem in civili poſſeſſione Præſula- „tus fuiſſe, quem & Cæſar diplomate „Linciano Archiepiſcopum nuncupa- „verit, cumque ipſo ſub finem tra- „ctatuum ſuper reſignatione egerit. „Qui & jura Archiepiſcopatus ſaltem „contradicendo, & proteſtando con- „tra Bremæ admiſſionem, ac ſeſſio- „nem inter Ordines conventu Osna- „brugenſi, conſervarit, ſic ut actus iſte „Bremenſibus tantopere jactatus con- „tradictione non caruerit.

§. 28. Circa rem ipſam jubebatur Roſenhanius, ſi Bremenſes homagium abnuant, vocabula præſens ſuus ſta- tus in medio relinquere, reſervatis ju- ribus Regis. Cæterum amneſtia ſta- bilita à Bremenſibus ſtipularetur, ne hi Capitulares amplius foveant, pro- tegantque: tum ut damna data repa- rent, ac in poſterum cautionem præ- ſtent. Ad extremum permitteret, ut Burgum cum adſito Caſtello munitio- nibus exuatur, ſed caſtella ad Viſurgim extructa, ne in limite poſita, provin- ciæ ſecuritati inſervientia, utique reti- neret: cum nec Rex intercedat, quo minus Luneburgici poſt pacem factam Nienburgum novis munitionibus fir- Nienburg. ment. Contra nec permitteret, ut Bre- menſibus Bederkeſæ aut alibi præſidia Bederkeſ. habere liceat. Satisfactionis loco præ- dia Bremenſium longius ab urbe in provincia ſita obtinere ſtuderet, ut ta- men nimis rigide iſtam ne intenderet, quod Regi id præcipue ſpectetur, ut hæ turbæ ſalva ſua dignitate & ſecu- ritate quamprimum componantur. Pro ſecuritate Regis ſtipularetur, ne Bremenſes quid in regem, ejusque ju- ra machinentur; & ſi ab aliis tale quid agitari ſentiant, huic indicium faciant, & ingruens periculum juncta cum Re- giis opera propulſent. Denique ne Pontificiis, ac Jeſuitis cumprimis, tem- plum in urbe concedatur, id quod in aula Cæſarea quæri feratur. Quod ſi tamen

S. quæ Regis circa tracta- tus Bremen- ſes.

1654. tamen gliſcens in urbe diſcordia ita poſſit ali, ut cives ultro Regi ſe ſubmittant, eam occaſionem haut negligendam. Alias fixum Regi ſedere turbis iſtis ocyus defungi. Cæſaream commiſſionem, ubi ſe ingerat, amoliretur Legatus hoc obtentu, quod pace Weſtphalica cautum ſit, ut lite inter proteſtantes Ordines exſurgente uterque Commiſſarius ex Evangelicis ſit: cum nunc Monaſterienſis Luneburgico ſit adjunctus: qua exceptione objecta tempus produceret tranſactioni interim perficiundæ. Cum Bremenſibus inducias inire defugeret, ne per has negotio extracto Cæſareæ Commiſſioni anſa præbeatur eidem ſeſe obtrudendi: & quod minus invidioſum ſit arma continuare, quam ſemel poſita iterum arripere. Occaſionem quoque rei gerendæ fruſtra perituram, & copias per otium ſtipendia gratis conſumturas: ac interim forte urbem inita cum Catholico quopiam Principe ſocietate hoſtilia iterum orſuram, dum per hiemem à Svecia nil copiarum Königsmarckio ſubmitti poteſt.

Königsmarckius cum Bremenſibus inducias init.

§. 29. Enimvero paucos ante dies, quam Roſenhanius Stadam acceſſiſſet Königsmarckius cum Bremenſibus ſuper induciis convenerat, connitentibus ſummopere Weſenbecio, & Hanſeaticorum legatis; qui urbis quidem cauſam ſummo ſtudio apud Svecicum ducem agebant, ut tamen viciſſim obſtinatam plebem adduras ſat conditiones admittendas diſponerent, oſtentato urbis periculo, quam validus extra hoſtis, diſcordia intus urgeat. Tum tenues opes bello diu ſuſtinendo, & indies ruentes in pejus ipſorum res. Nec alios ita temere auxilio adcurſuros, alienamque litem ſuam facturos, uti antea crediderant. Monaſterienſi quoque Præſule diſcordia cum Ordinibus ſuis provincialibus implicito. Unde fracti ſemel animi quocunque pretio depaciſci malebant, quam diutius inter belli terrores agitari. Inibantur inducíæ iſtæ pure, non expectata Regis adprobatione, quæ intra menſem adferri haut poterat, quas Königsmarckius & Stenbockius ſubſcripſerant. *Earum le-*
„ges erant, ut à die 13. Septemb. ad 13.
„Novembris incluſo poſtremo die ho-
„ſtilia utrinque ceſſent, Bremenſibus-
„que in provinciam, Regiis in urbem
„tuto hinc inde commeare liceat Bre-
„menſes adſuſtentandum militem Sve-
„cicum quindecim uncialium millia 1654.
„quatuor penſionibus exſolvant, binis
„quibusque ſeptimanis quartam par-
„tem. Inducíæ utriusque partis conſen-
„ſu prorogari queant. Bremenſes inte-
„rim milites ſuos non augeant, nec
„Sveci alios evocent, præter quadrin-
„gentos, qui Gothoburgo expectaban- Gothenburg.
„tur. Reddant Bremenſes machinas &
„mortaria Burgi, & Tedingshuſæ cap-
„ta. Regiis miniſtris intra urbem tu-
„to agere liceat. Qui è provincia in ur-
„bem pertracti ſint, libere dimittan-
„tur. Captivi utrinque permuten-
„tur; aut qua permutatio non pertin-
„git, redimantur. Bremenſes militem
„ſuum intra urbem, & ſuburbia conti-
„neant: Sveci contra extremas urbem
„verſus ſtationes amoveant. Si inter
„milites Svecicos, Bremenſesque rixa
„orta fuerit, id induciis fraudi non ſit,
„ſed authores injuriæ è dictato legum
„puniantur. Denique Bremenſes Capi-
„tularium protectionem non ſuſcipi-
„ant, ſi denuo poſſeſſione Curiarum,
„& redituum *ſuorum ejiciantur*. Interea Königsmarckius tentare conſtituerat, num trans Viſurgim validam ſtationem capeſſere poſſet, ut via ad auxilium urbi inferendum plane intercluderetur, Burgo quoque & caſtellis ad Viſurgim, ac Wilzhuſa valido milite Wilzhuſa.
inſeſſis; præſertim cum Luneburgicorum delectus non ceſſarent.

§. 30. Enimvero inducias haſce citra mandatum, & ſe inſcio factas ægerrime ferebat Rex, quod ſua expedire videretur, ut molleſcentes jam Bremenſes acrius urgerentur. Nec conſtabat Regi, quo animo hi ad eas deſcenderint, & num ſerio viam paci ſtruant; an vero tempore in hiemem extracto aliunde auxilium expectent, majore mole bellum inſtauraturi, quando clauſum ob mare è Svecia nil amplius copiarum ſubmitti poſſit: Idque literis ſat aſperis Königsmarckio exprobabat, & quod adverſus toties repetita interdicta commerciorum libertatem turbaſſet, datis quoque ad Stenbockium literis, ut ſi forte Königsmarckius hac reprehenſione offenſus imperium in copiis abdicaret, ipſe regimen ſuſciperet. Unde Ro- „ſen-
ſenhanio Rex injungebat; ſi fraudu-
„lenti quid à Bremenſibus ſtrui ani-
„madvertat, ſtatim inducias abrumpe-
„ret, præſertim ubi ſub ſpe rati ſint
„concluſæ. Sed ſi inducias tollere haut

„è re

1654. „è re videatur, tractatus ad finem per- 1654.
„ducere maturaret. Nam constabat Regi, ni alii casus in Europa interveniissent, harum turbarum obtentu in Bremensi provincia ac Pomerania Sveciæ multum negotii fuisse facessendum. Sed & Rosenhanio, aliisque istæ induciæ improbabantur, præsertim quod ita longe porrigerentur. Nam Bremensibus è metu respirantibus priores spiritus redituri videbantur, spatium quoque nactis machinationes suas Viennæ, & in Batavis, ac apud vicinos persequendi; tum copiis, annona, pecunia, & paratu bellico sibi prospiciendi; sopiendis & interim intestinis turbis, quæ alias non parum facilitatis tractatui adferre poterant. Post elapsos quoque duos induciarum menses ipsa hyems, urbisque situs Svecis facultatem rei gerendæ ad mensem usque Martium ademtura erat. Ita istis interim probe firmatis Svecos ludibrium debituros. Et quia plus copiarum jam contractum erat, quam quibus alendis provincia sufficeret, illæ hiberna tempestate in Sveciam trajiciendæ erant, ni provinciales plane exhauriendi forent. Equidem ut in duas vel tres septimanas arma suspenderentur, non abs re fuisse, ut eo spatio elapso perspici posset, num serio ad tractatus animum applicarent Bremenses; ubi pro re nata inducias prorogare, aut ad arma redire integrum fuerit. Idque cunei vicem habiturum fuisse ad transigendum illos compellendi, ac perpetuo metu, simul continuis bellorum sumtibus ac molestiis oppressos detinendi. Ac facile ex eo, quod Bremenses ultro inducias rogarant, patere, metu eos tunc fuisse consternatos, cum omnia quæ postulabantur annuerint; quo in statu facile ad compositionem compelli posse videbantur.

Kœnigsmarckius se excusat.

§. 31. Kœnigsmarckius tamen hasce facti sui rationes Regi exponebat: Lautis se conditionibus potitum, ac „materiam rei gerendæ jam defe„cisse, cum vetitum sibi foret com„mercia intercludere, aut urbem op„pugnare: nec Bremensibus præter „mœnia quid superfuisse. Nam si tur„ris speculæ in usum serviens trans „Visurgim invaderetur, Novæ urbi „ita propinqua, non potuisse non su„spiciones vicinorum asperari, velut „utique ipsa urbs peteretur. Ac ter„restri itinere copias traducturo Lu„neburgicum, aut Oldenburgicum „territorium fuisse tangendum: Iis„dem trans Visurgim portandis, equi„tatui cumprimis, naves defuisse. „Tum locum urbi tam vicinum toto „prope exercitu tuendum fuisse ad„versus oppidani militis eruptionem: „qui & facile perfossis aggeribus tu„mido autumnalibus aquis Visurgi in „vitæ periculum conjici potuerit, à „provincia insuper plane discluſus. „Denique quid mandatorum Rosen„hanius habuerit se ignorasse. Com„mercia se haut turbasse, uti Olden„burgicus Comes questus est, sed ex „officio fraudibus detegendis inquisi„tionem instituisse. Et potiores sibi „causas esse de eo Comite querendi, „quam huic de se, velut qui connivendo Bremensibus permiserit, ut com„plura Svecis hostilia inferendi facul„tas foret. Porro Bremenses haut „quaquam vi adhibita ita arcte inclu„di potuisse, uti nunc per inducias fa„ctum, omni ipsorum agro militum „nostrorum hospitiis infesso. Ac iis„dem in proclivi fuisse provinciam da„mno afficere; quæ nunc in tutum „subducta sit, cum per hiemem ipsis „nihil moræ à nobis inferri potuerit. „Nunc quoque vires urbis insigniter „atteri alendis proprüs copiis, agro„que omni nostris tributis subjecto, „non modica insuper pecuniæ summa „exsolvenda. Et ita institisse, qui pro „Bremensibus intervenerant, spe quo„que promtæ compositionis facta, ut „defugere se non posse crediderit, quo „minus pronum paci animum vicissim „declararet. Quæ rationes sic satis Regi probabantur, modo ejusmodi rerum tractatio illi relicta fuisset, cui à se commissa erat, & induciæ speratum fructum produxissent, cum nunc Bremenses magis animo obfirmati videantur.

Inducias non abrumpi placet.

§. 32. Consultatum igitur inter Rosenhanium, Kœnigsmarckium, & Stenbockium fuit, servari inducias, an abrumpi præstaret? Sane fraudulenter egisse videbantur Bremenses, & spatium duntaxat quæsivisse auxiliis undique exciendis, & querimoniis suis passim differendis; tum & tractatus lente admodum moliebantur. Quæ idonea resumendis armis causa haberi poterat; quo & Kœnigsmarckius valde incinabat, sicca cumprimis autumni tempestate arridente. Sed Rosenhan-

1654. senhanio induciis stare potius visum, quod *Bremenses jam antea mœnibus inclusi sint, ut nuspiam in agros prodire queant: nec amplius obtineri posse, si castra urbi admoveantur. Ereptum illis, quicquid extra urbem muniti tenuerant, præter speculam: ac nil restare præter urbem, & commercia, quæ invadi Rex vetuerit, ut armis licet resumtis noceri eisdem haut queat. Contra abruptas inducias magnam Regi invidiam parturas, & velut fidei violatæ criminationem, incitandis eo acrius invidis, ut Bremensium causam serio suscipiant. Præterea carendum tunc fore militibus nostris pecunia per inducias promissa, quibus ex hospitiorum quiete protractis cum fame, & injuriis æris fuerit luctandum, postquam provincia tributa tantæ multitudini non sufficiant. Ac ita Bremenses de annona sibi jam prospexisse, ut intercepta subvectione non amplius premi queant. Sed nec quemquam pro istis adhuc arma movere, nec Moguntinum, aliosque ægre ferre insolentiam eorundem castigari, Regique è bonis eorundem extra urbem positis satisfieri; qui tamen toleraturi non sint ipsam urbem oppugnari: quo casu & Cæsar Ordines per literas ad auxilium huic ferendum graviter sit adhortaturus.* Eas ob rationes potius visum inducias servare, quarum & jam major pars cesserat, & quia nullum periculum adparebat ab aliquo, qui urbi suppetias latum moveret. Et quod Bremenses ita tarde ad tractatus accederent, id videbatur profectum à stupore, & insciti, turbidoque intus statu, quo extricare se nesciant; eoque non ausos citra patronos ad ordiendam negotiationem descendere, sed Belgarum & Hanseaticorum deputatos hucusque expectasse. Quæ rationes & Regi probabantur.

Tractatus à solo Rosenhanio suscipiuntur.

§. 33. Cæterum quod soli Rosenhanio tractatus à Rege commissus foret, id Kœnigsmarckium non leviter mordebat, qui lautiores se conditiones Regi obtenturum fuisse judicabat, si collega isti adjunctus foret, quem Bremenses faciliorem sibi arbitrabantur. Sed Regi ratio fuerat, ne is bellicis actionibus abstraheretur; & quia Bremenses velut sibi iniquum horrebant, & proprias injurias ulturum, ne conditiones nimium asperando ad desperationem istos propelleret. Cæterum cum Bremenses tarde admodum molirentur, Rosenhanius quod diu istos expectare parum è dignitate Regis esset, per certos homines Bremæ spargi curabat, se propediem ad alia negotia per Germaniam expedienda digressurum, ac ni temporia nunc occupent, deinceps tractandi occasionem haut futuram. Ita ergo duo ab istis missi Stadam veniunt, super præliminaribus conventuri, de cætero promtos se tractatibus ferentes. Hi primo Cæsaream Commissionem sibi adjungi cupiebant; quo fine & Christianus Ludovicus Dux Wittium miserat super eadem admittenda denuo propositurum. Qui tamen, Rosenhanio repugnante, languide rem agebat. Rejecta Cæsarea Commissione Bremenses Belgicam interventionem sibi deposcebant; qua opus esse Rosenhanius negabat, velut negotiationem remoratura magis, quam promotura. Igitur petebant, ut saltem Lubecenses atque Hamburgenses adhibere liceret non velut sequestres, sed ut assistentes: id quod haud ægre concessum. Locum tractatui Bremenses primo Mindam, inde Hamburgum proponebant. Sed cum Rosenhanius Stadæ insisteret, diu huc descendere abnuebant, ac re infecta tunc discedebant, aliquot tamen post dies Stadam regressi, ut præliminarium reliqua absolverent. *Hæc primo postulabant, ut miles Svecicus provincia deducatur, ac tractatus alio quam Stadæ loco instituatur, ubicunque Rosenhanio placeat. Tum ut peculiari sibi diplomate caveatur in casum abrupti tractatus, reservata quoque Cæsarea Commissione, & Belgarum interventione.* Iis responsum: *præposterum esse de milite dimittendo agere ante cœptos tractatus, cum istud ad horum executionem spectet. De salvo conductu annuebatur. De loco mutando non posse Cæsarea Commissione opus non esse, si serio & citra ambages transigere velint.* Excipiebant Bremenses: *plebem suam esse difficili ingenio, ut vix Cæsareæ Commissioni, & Belgarum officio renunciatura sit, nisi cognitis prius conditionibus ferendis, ut de eventu tractatuum judicari queat.* Ad quæ Rosenhanius: *postulatum nimis crassum & absurdum esse, cum nec facultatem nec mandata habeant tractandi, adversæ partis conditiones explorare, & rem sibi integram servare velle. Exhiberent prius procuratorium, ut vim obligandi sortiantur, quæcum ipsis agenda sint. Sat cognitam illis esse materiam litis, quæ ad præsentia tempora sit accommodanda.*

Præliminaria expediuntur. 20. Sept. 1654.

6. Octob.

1654. Iſti hæc ac ſuos ſe relaturos recipiebant, ſimul formulam procuratorii à Roſenhanio præſcribi petebant. Qui ſat aſperam dabat, ſed quæ Regium Legatum decebat. Quam cum à ſe Bremam mitti poſſe negarent, aliam ex urbe ſe curaturos promittebant, quæ 17. Octob. Roſenhanio ſatisfactura ſit. Sed ejus allatæ vitia ſtatim demonſtrabantur, quæ & pleraque ipſi agnoſcebant, niſi quod acriter contenderent; *ſibi cum ſolo Gubernatore & Regimine provinciæ rem eſſe, non cum Rege*, in quem aliquid moliri nunquam ſibi in mentem venerit. Mittebant tamen è ſuorum numero in urbem, qui aliud procuratorium adferret.

Belgarum & Hanſeaticorum Deputati adveniunt Bootsma. Kniphuſen. Glexin. Pœpping. Freſe.

§. 34. Aderant interim à Belgis Fœderatis miſſi Conradus Beuningius, Eppo Bootsma, & Rudolfus Wilhelmus Kniphuſius. Lubeca Davidem Glexinum & Joannem Pœppingium; Hamburgum Joann. Mœllerum & Hieronymum Freeſium huic negotio deſtinaverat. Belgis, qui haut invitati ſe obtrudebant, Roſenhanius ſuper fiduciariis, quas exhibebant, literis ſcrupuli nonnihil movebat; quod *lingua latina ſcripta non eſſent, & macularum quid raſuraque præferrent. Nec conſtare, quem ſenſum Belgica lingua familiaris formula U. L. habeat, ſi Legato Regio adplicetur, nec inſcriptionem rite formatam.* Belgæ contra: *tanti iſta non eſſe, ut negotiationi mora inde naſci debeat. Sana lingua genus ad ſubſtantiam rei nihil facere, nec ſuperioribus temporibus ita ſcrupuloſe Linguam latinam adverſus Svecos uſurpatam; maculas ab incogitantia ſcribæ profectas, & formulam U. L. adverſus ipſos quoque Germaniæ Principes adhiberi. Quæ circa inſcriptionem moveantur, facile negotio ſuccedente emendanda.* Mordebat Belgas, quod de lingua latina Roſenhanius monuerat, cum Hanſeaticorum literæ fiduciariæ Teutonico idiomate conſcriptæ citra ſcrupulum admitterentur. Congreſſu facto circa cerimonias Belgis non ſatisfaciebat Roſenhanius. Ipſos enim medio atrio exceptos cum conclave ingrederentur præcedebat, ac ipſe honoratiorem ſedem capiebat. Qua de re cum poſt miſſo Secretario quererentur, hic reponebat: *ſibi haut conſtare, quem dignitatis gradum* Extraordinarii Deputati *vocabulum exprimat. Alias ſi Legati aut Plenipotentiarii character illis tributus fuiſſet, ut adhuc tribuatur, ſolitis ritus haut defuturos.* Et quanquam Beuningius oſtenderet, ſe nuper Holmiæ eodem Deputati vocabulo inſignitum pari cum Regiis Legatis honore affectum; & qui Hagæ è Collegio ordinum generalium ad Legatos Regios deputentur, ad valvas currus excipi, primoque inceſſu, & ſede honoratiore potiri. Roſenhanius tamen diſcrimine inter Legatos & Deputatos haut decedebat. 1654.

Eorum poſitio.

§. 35. Proponebant dehinc iſti, cum è *turbis hiſce ingens incendium ſurgere queat, totam Germaniam involuturum non ſine gravi commerciorum ruina, qua vigere ſua Reipublica tantopere interſit, ſe veniſſe ob amicitiam & venerationem, qua Regem proſequantur, fida opera ad amicam compoſitionem conferenda.* Roſenhanius viciſſim laudato eorum ſtudio teſtabatur: *Regi haut in animo eſſe vicinorum quietem turbare; unde & jam per inducias hoſtilia fuiſſe ſublata, & commerciis libertatem ſemper relictam. Ac potuiſſe rem jam eſſe confectam, ni Bremenſes ipſi moras inutiles adhibuiſſent, quinque induciarum ſeptimanis fruſtra elapſis. Super interventione Regem conſuiſſe, rem ejus molis, aut indolis non eſſe, ut adhibitis ſequeſtribus, aut fatigatis amicis opus ſit; ſed inter ipſum, urbemque ſuam ſine aliorum interventu commode convenire poſſe. Et quia ante ſuum è Svecia diſceſſum nemo Regi ſequeſtris operam obtulerit, de hac ſibi mandari nil potuiſſe; nec penes eſſe inſcio Regi eam admittere. Ne tamen iter ipſorum amico animo ſuſceptum fruſtra ſit, ſuadebat, rogabatque, auctoritate & conſiliis ſuis Bremenſes ad faciendum officium permoveant; quod ſi ſerio fiat, de ſucceſſu ſe haut dubitare.* Repoſitum à Deputatis: *Rem eſſe ſat periculoſam, & in quam tota Germania oculos conjeceris, & unde occaſionem arripturi ſint Catholici Principes arma ſumendi.* Addebant peculiariter Hanſeatici: *jam Chriſtina Regina operam ſe ſuam obtuliſſe negotio huic componendo, nec ſequeſtrium dignationem ambire, ſed ut fidele ſtudium expromant promovendæ paci, nulla ſuper vocabulo cura. Nec tamen Cæſareæ Commiſſioni præjudicium adferre velle.* Ut autem officia ſua exhibere poſſint, conditiones ſibi communicari petebant. Ad quæ Roſenhanius: *notorium eſſe, quid Rex deſideret; nec in præſens diſtinctius mentem ſuam declarare poſſe, antequam juſtum procuratorium Bremenſes attulerint.* Belgis, qui

1654. qui hac negotiatione excludi nolebant, declarabat Rosenhanius: *etsi periculosum sit citra mandatum mediatores admittere: quia tamen Regi de ipsorum amicitia, & studio cautum sit, sine dubio magni ponderis apud Bremenses futuro; confidere se eidem hanc ingratum fore, si absque titulo Mediatorum negotio interesse velint Assistentiæ & amicorum invicem, quod à Rege responsum ad Ordinum generalium literas adferatur. Has lege omnia cum ipsis communicaturum & quavis occasione testaturum, non nisi aqua Regem cupere.* Qua declaratione Belgæ adquiescebant, nec plus à se desiderari; simul de studio suo proliùs testabantur. Quanquam autem Rosenhanio injunctum esset omni modo Belgas sequestres declinare, & ipse non obscure innueret, quam insolens sibi videatur, istos accessu prius non petito alienum in negotium irrumpere: tamen quia durum erat præsentes repudiare, & cum offensa abeundi necessitatem imponere, dicta lege istos admittere satius ducebat. Nam repulsam sine dubio ægre laturi erant Belgæ, forsitan aperte hinc in Bremensium partes transgressuri, iisque auxilia laturi. Quin & forte Deputatis suis imperare poterant, ut in gratiis Svecorum manerent, Bremensibus pertinacia addita, ac pravis consiliis in Svecos suggestis. Sane in mandatis isti habebant, irrita inter Svecos & Bremam transactione cum vicinis Principibus super fœdere tuendæ urbi agere. Observatum etiam fuerat ex hactenus actis, tantam Bremensium hæsitationem, ut expedire se, ac negotio finem imponere nescirent, nisi cordatis viris, & quibus ipsi confiderent, intervenientibus, qui suadere ipsis, ac proposita declarare possent. Ipsi quippe attoniti, interque se diffisi, metuente Senatu, ne per tumultum à plebe trucidaretur. Tum & angustæ intus res; ac supra vires erat, conventam pecuniam Svecis exsolvere, ac proprium militem alere; qui & crebris desertionibus minuebat.

Tractatum progressus 25 Octob. Wachmann. Meier Blanck. Kæper.

§. 36. Jam igitur Bremensium Deputati Joannes Wachmannus, Henricus Meierus, Nicolaus Blanckius, Georgius Kæperus, & Joannes Ariens novum procuratorium exhibebant, in quo prius monita emendata erant, nisi quod utique asseverarent, nil sibi controversiæ cum Rege, sed cum Regimine provinciæ fuisse; simul idem ad mandata sibi data restrictum esset. Quod erratum statim explodebatur, eas tricas, absurdumque agendi modum Rosenhanio, & Assistentibus acriter exprobantibus. Excusabant isti, eam clausulam è vetere apud ipsos consuetudine promanasse, & aliud procuratorium pollicebantur. Ea super re Rosenhanius apud Assistentes valde questus, cum talibus nil sibi negotii fere testabatur, qui hactenus tam perversam viam institerint. Agnoscebant hi Bremensium sævitatem, ac miserebantur consilii fere expertes. Precibus tamen & rationibus evincebant, ut spatium ipsis in perendinum indulgeretur emendato procuratorio adferendo; quod curaturos Bremenses chirographo se obstringebant, caventibus insuper Assistentibus. Interea parcendo tempori ad summam negotii accedebatur. 1654.

Quæstio de statu Bremæ seponitur.

§. 37. Primum igitur Rosenhanii postulatum erat, ut Bremenses *immediato*, quem affectabant, statu desisterent. Hi contra testari; *nunquam sibi animum fuisse Regem aut Regnum Svecia offendere, nec Cæsari aut Imperio præjudicium se creare velle, sed irritis hisce tractatibus Cæsaream sibi commissionem reservare. Tum & reliquas conditiones nosse cupere: & qua circa unam aut alteram concessuri sint, valida non fore, nisi omnibus absolutis.* Quibus præmissis declarabant immediato statu nulla ratione à se cedi posse; etsi ad fundamenta Juris Regii, quæ late deducebantur, parum esset quod responderent. Assistentes ferebant; *acriter se apud Bremenses institisse, ut circa hoc caput placito se Regis attemperarent; sed nullo istos modo inde potuisse dimoveri. Caterum eo salvo ostendisse circa reliqua ita acturos, ut Regi dignitas, ac securitas constet. Igitur petere, ut huic aliquod temperamentum dispiciatur.* Ita placebat quæstionem de statu urbis in præsens seponi. Quo facto Assistentes formulam concipiebant; quæ repudiata, Rosenhanius aliam adornabat, quam aliqui è Deputatis Bremam deferebant, ut cives ad eam acceptandam permoverent. Circa caput de assecuratione tractatus Rosenhanius jussus erat accurate prospicere, ne forte Cæsar, qui ejus rei cognitionem ad se pertrahere voluerat, data occasione istum irritum declararet; eoque fine ab Assistentibus evictionem

1654. ſtipulari. Id quod cum iſte his proponeret, obtentu ſumto, quod alias non congruat tractatum ab ipſis ſubſcribi; iidem reponebant, de eo ſibi mandatum non eſſe, ad ſuperiores ſe tamen relaturos. Belgæ addebant: *eam evictionem æque Bremenſibus, atque Regi profuturam.* Quod cum Roſenhanio altius penetrare videretur, iſtam ſilentio penitus involvere ſatius judicabat. Idem quoque Regi prædiis, quam pecunia ſatisfieri malebat. Id quippe ſpecioſius „eſſe, ne adeo indigus aut avidus Rex „videatur; & majoris eſſe rem, è qua „certi reditus annui proveniant, quam „quæ ſtatim conſumi poſſit. Facilius „quoque iſta obtineri velut ſingulos „cives parum onerantia, quod illis „prædiis pauci Senatorum in ſalarii lo„cum, aut delectationis cauſa frueren„tur. Publica quoque urbem pau„pertate premi, & pro octoginta un„cialium millibus annuas uſuras ſol„vere. Quod ſi nunc à Belgis pecunia „mutuo ſumenda ſit, ea prædia hiſce „oppigneranda eſſe, plurium mole„ſtiarum deinceps, anſam præbitura, „quam ſi à Bremenſibus poſſideantur. „Sed præcipuum eſſe, quod hoc modo „Bremenſes è viſceribus provinciæ „amoveantur, ultro dehinc litibus ſu„per jure territoriali, & ſuperioritatis, „& quæ inde fluunt, expiraturis.

De homagio Bremenſium. §. 38. Voluerat quoque Rex à Bremenſibus ſibi homagium præſtari, uti Friderico Archiepiſcopo factum fuerat, ipſe dehinc privilegia iſtorum confirmaturus. Excipiebant Bremenſes; *homagium urbis non traxiſſe originem è vetuſtis Regalibus ab Ottone I. Epiſcopo Adaldago collatis; ſed è contractu mutuæ defenſionis: & confirmationem privilegiorum non à Præſulum gratia deprendere, ſed habere vim* reverſalium *ex aliqua præcedente obligatione ortam.* Cum tamen demum homagium quoque annuerent, confirmationem privilegiorum prius repræſentari volebant, quam iſtuc præſtarent; quod illa ſemper antehac dicto homagio ſtatim exhiberi ſolita ſit. Sed quia Roſenhanius metuebat, ne ſi tempus extraheretur, & copiis abductis metus ceſſaret, iſtud abnueretur, cautionem ſuam interponebat, confirmationem privilegiorum utique conventa die adfore, aut eadem negata homagium irritum fore. Formulam porro homagii nolebat Roſenhanius inſtrumento conventionis inſeri, velut laxis nimium verbis conceptam, & parum ſtringentem. Ac nudum homagii vocabulum plus opinionis apud exteros habebat, velut par foret illi, quod ſubditis præſtare mos eſt. Interim ad finem vergentibus induciis Beuningius ſuper iisdem prorogandis proponebat. Id quod Sveci differebant, quoad perſpicerent, quo negotiatio evaſura eſſet. Simul machinas verſus urbem vehi, copiasque ex hibernis contrahi jubebant. Productæ ſunt tamen illæ in triduum inde binos in dies, quoad finis tractatuum imponeretur. 1654.

Bremenſium morioſitas. §. 39. Cæterum Bremenſes etſi toto tractatu difficiles ſe exhiberent, ac ſingula verba cavillarentur: tamen omnibus jam prope abſolutis plurimum pervicaciæ oſtendebant, ac velut deſperabundi rationi aut modeſtiæ nihil loci relinquebant, velut ultro tractatus abrumpi optarent. Ejus rei cauſa judicabatur, quod à Cæſare eidemque addictis, ipſoque Cromvello obſirmarentur. Quin & Celleníis Dux homagium & conventionem cum Rege enixe diſſuaſerat, auxilio prolixe promiſſo. Ac ipſos Aſſiſtentes jam tantæ moroſitatis tædium ceperat; qui dextre admodum & modeſte in hoc negotio ſe geſſerant, ut citra ipſorum induſtriam Roſenhanius operam luſurus fuerit. Circa id quoque tempus Hollandia provincia, quæ hactenus cæterarum pro Brema ſtudium fere refrigeraverat, oſtium Viſurgis, ſimul iter terreſtre explorari juſſerat, quo copiæ in urbem, transactione non ſecuta, introduci poſſent. Quæ conſilia ſub finem tractatuum concepta quidam à Dano, atque Oldenburgico profecta judicabant. Alii oſtentationi id datum cenſebant, cum de imminente tractatuum concluſione jam conſtaret, ut ſtudia ſua pro Bremenſibus jactarent, quando iis haut opus fore norant. Igitur Roſenhanius, ne in nervum res erumperet, remiſſis ſuper quibus certabatur, negotiationi finem impoſuit. Cujus egregiam in hoc negotio operam Rex dono quinquies mille uncialium proſecutus eſt. Bremenſes jactabant, homagii præſtationem quinquaginta uncialium millibus redimere ſe maluiſſe. Quæ ſatisfactionis loco dederant trecentis uncialium millibus, etſi juſto liberalius, taxabant; unde Regi ſeptem uncia- *Tractatus concluditur.* 24. Nov.

lium

1654. lium millia annua redibant. Caſtello ad Vegeſaccum à Svecis extructo non tam Bremenſes quam Aſſiſtentes ſe opponebant, ut in priorem ſtatum redigeretur, velut commercia in Viſurgi turbare aptum. Et Roſenhanio tanti non videbatur ſuper eo contendere. Burgo cum ægerrime cederent Bremenſes, Belgarum demum Deputati horum tergiverſationem abruperunt, minati ni annuerent, ſe omiſſa negotiatione diſceſſuros. Pro expenſis deducendo militi ultra duodecim uncialium millia obtineri non poterant ob notoriam urbis paupertatem, & importunas Bremenſium juxta & Aſſiſtentium preces. Sed maximum operæ pretium erat, quod hac transactione ingens bellum declinaretur, cui plurimi quorum intererat diuturna alimenta ſuppeditare poterant, multorum infeſtis conſiliis eluſis, parta inſuper apud Proteſtantes moderationis laude. Sane Wilhelmus Naſſovius Friſiæ Gubernator magnopere ad arma rediri cupiebat, quo rei gerendæ occaſio foret, captandæ ſimul populari auræ, velut de ſacris res ageretur. Sed & apud Brandenburgicum, Neoburgicum, & Monaſterienſem delectus fervebant, vaſto incendio promta materia. Hollandi tamen uti urbem à Svecorum manibus ſervari ſerio cupiebant, ita ut ejusdem opibus acciſis commercia imminuerentur parum curabant. Unde & duodecim uncialium millia mutuo ipſis dare abnuebant, quæ Regi in ſatisfactionem exſolvendæ erant. Beuningius quoque ut invidiam patrocinii Bremenſis apud Svecos utcunque dilueret, de fœdere injiciebat inter Sveciam, Belgas, & Proteſtantes Germaniæ Principes ineundo conſiliis Domus Auſtriacæ coërcendis; cui tamen Dania includenda ſit ob fœdus, quo illa Belgis innectitur. Quibus ſermonibus nil ſolidi ſubeſſe facile animadvertebatur. Et Rex ejusmodi fœdus coaleſcere haut poſſe cenſebat, ut quidem idoneas vires ſortiretur, ob tam multorum diverſas rationes. Appelbomio tamen injunctum, ut caute expiſcetur, num forte Belgæ fucum ſibi facere inſtituant, quoad cum Polonia & Dania adverſus Sveciam ſe conjunxerint.

Tranſactionis cum Bremenſibus capita.

§. 40. Conventionis cum Bremenſibus tunc initæ iſta erant capita: Con- „troverſia circa immediatum urbis „ſtatum, titulumque civitatis Imperia- 1654.
„lis ad alios tractatus ſeponatur, ſalvo „interim jure Regis, ac ut urbi quo- „que immedietas ſua, & quæ inde de- „pendent, prout eam in præſens poſ- „ſedit, reſervata ſit; quo nomine dein- „ceps nihil inferetur. Ea reſervatione „ſalva urbs fidem Regi Sveciæ pro- „mittit, in ejusque confirmationem „homagium ſtatim poſt concluſos tra- „ctatus præſtabit, ea formula, qua id „nupero Archiepiſcopo Anno 1637. „præſtitum fuit: idemque Regis ſuc- „ceſſoribus præſtabitur, ſtatim atque „illi inveſtituram Ducatus à Cæſare „obtinuerint, pari cum reſervatione, „ſi interea controverſia illa non fuerit „impoſita. Viciſſim Rex urbi jura, „conſuetudines, privilegia, quatenus „huic conventioni non repugnant, „confirmabit; quod diploma ſimul „cum præſtito homagio exhibebitur „ad formulam anno 1637. conceptam. „In præſens lucrando tempori Roſen- „hanius Legatus ſuper iſta confirma- „tione & ratihabitione tractatus ca- „vebit, illam intra trimeſtre repræſen- „tandam. Bremenſes uti nullo fœ- „dere adverſus Regem & ejus ditiones „innexi fuerunt: Ita deinceps ejus- „modi quid ne ineant. Si Bremenſes „intelligant Regi Regnoque Sveciæ & „Ducatui Bremenſi periculum aut ho- „ſtilia ſtrui, mature Regem aut Regi- „men Ducatus monebunt, & ad iſtud „avertendum operam dabunt. Vicis- „ſim Rex urbi adverſus vim injuſtam „adſiſtet, & commercia ejus tuebitur. „Urbs non amplius Canonicos circa „prætenſa bona jam ſeculariſata, tue- „bitur. Baſilica, cum adjunctis curiis, „domibus, & incolentibus illas Magi- „ſtris & fundatariis Regis, & proprie- „tariis, Eccleſiæque, & Scholæ Mini- „ſtris, (qui tamen commerciis & ne- „gotiationibus civium abſtinebunt,) „à civili juriſdictione urbis ſint exem- „ti, nec ullis oneribus ordinariis, aut „extra ordinem graventur. In Pala- „tio Archiepiſcopali urbs omni juris- „dictionis criminalis actu abſtinebit, „prætoremque ibi juriſdictionem „ſuam citra turbationem exercere pa- „tietur. Ut pro more veteri ſemel „in anno conventus judicialis in domo „Capituli agatur, urbs ne impediat. „Satisfactionis loco urbs Regi pleno „dominii jure in perpetuum cedit „jus ſuum in vicum Leam, arcem- Lee.

1654. „que & præfecturam Bederkeſam. „Burgum quoque & vectigal ibi in „præſenti ſtatu maneat, donec aliter „fuerit transactum. Contra Domus & Blumenthal. Neukirch. „præfectura Blumenthalia cum Neu„kircha & Vegeſacco, aliaque Bremen„ſium bona per Ducatum ipſis relin„quantur in ſtatu, quo ſemper tenue„runt, reſervato tamen Regi jure terri„toriali. Jus territoriale in quatuor Borchfeld. „Goas, & Jurisdictionem Borchfel„diam, quod Brema prætendit, ſed cui „Rex contradicit, itidem ad aliam „compoſitionem ſeponatur, poſſeſſio„ne interim uti hactenus penes civita„tem manente. Circa jura & com„munionem in Eccleſias Wilhadi, & „Anſcharii urbs poſſeſſione hacte„nus recepta deinceps quoque gau„deat. Subditi Regis in urbe nullis „tributis nomine conſumtionis one„rentur. Æs alienum Ducatus, ad „quod Bremenſes ſeſe obſtrinxerunt, „pro rata exſolvant, ab ære alieno „deinceps per provinciam contra„hendo immunes. Rex urbi donat „fundos ad Clerum quondam ſpe„ctantes, nunc ad ipſum devolutos, „quibus Nova urbs inædificata fuit. „Copiis abducendis urbs certam pe„cuniæ ſummam peculiari conven„tione promittit. Statim omnis ho„ſtilitas ſublata ſit, & præterita quævis „per amneſtiam aboleantur, copiæ de„ducantur, captivi absque lytro dimit„tantur. Ratificatio intra tres menſes „curabitur. Subſcripſerant inſtrumen„tum Roſenhanius, deputati Bremenſes cum Belgis & Hanſeaticis Stadæ die 24. Novembris Anno 1654. In ratihabitione Bremenſes nolebant à Rege nuncupari vocabulo *urbis ſuæ*. Quod Rex admittebat quidem, ut tamen in exordio poneretur; *litem exortam fuiſſe in noſtro Ducatu inter ipſum & urbem Bremam*, eoque Bremam quoque partem Ducatus eſſe innuebatur; ſimul Stadæ vocabulum *noſtræ urbis* haut adponebatur.

Homagium præſtatur. 4. Dec. §. 41. Profecti dehinc ſunt Roſenhanius & Kœnigsmarckius Bremam recipiendo homagio, cui anguſtum ſpatium præfixum fuerat, ne forte per longiores moras invidi conventa iterum turbarent. Sed extremam ſub horam ita aſpera colliſio oriebatur, ut tota prope negotiatio velut in portu everteretur. Occaſio erat, quod Roſenhanius Stadæ acriter inſtiterat, ut prolixior clauſula, quam quæ initio conventionis extat, inſereretur; quo Regi jura ſua reſervarentur, quod cum ibi pervincere non poſſet, verebantur Bremenſes, ne forte ejusmodi clauſula ratihabitioni Regiæ adnecteretur. Unde ſcriptam cautionem Roſenhanium poſcebant, ut ſi forte tale quid à Rege ratificationi addatur, quod conventioni repugnet, homagium irritum ſit. Cui poſtulato eludendo Roſenhanius totum diem impendebat, ac tandem ad unam & alteram cautionis formulam concipiendam ægre deſcendebat. Sed qua magis efferati Bremenſes declarabant, niſi cautione qualem velint obtenta ſacramentum ſe non dicturos. Roſenhanius eas minas ſpernens in cathedrale templum concedebat audiendæ concioni, præſenti negotio accommodatæ. Sed quia Bremenſium ſuſpicio ex iſtius tergiverſatione gliſcebat, eo momento, quo & templo in Curiam accipiendo juramento deſtinatam adſcendendum erat, cautio, qualem illi cupiebant, in templo ſubſcribenda erat. Quamvis enim Roſenhanius eadem opus eſſe negaret, iſtis tamen in ſententia obfirmatis ſatisfacere potius videbantur, quam abrupto negotio turbis ingerentibus anſam præbere. Ita demum in Curiam proceditur, ubi à duobus Camerariis nomine univerſorum juratum eſt, in hunc ſenſum, quod „ Senatus & to„tius civitatis nomine in Clementiſſi„mum ſuum Principem adſumant „Regem Carolum Guſtavum, & Co„ronam Sveciæ, velut Ducem Bremen„ſem, cui fideles faventesque eſſe, „ejus bona cupere, mala avertere ve„lint, uti bonos viros jure decet: in cujus ſignum manus elevabant. Ejus homagii hic eſſe effectus ferebatur, ut deinceps *reſpective clementiſſima & humillima confidentia* inter Regem & urbem ſit. Hoc peracto Roſenhanius ipſis confirmationem privilegiorum tardebat; cui quod dies adſcripta non eſſet, Secretarius in exteriore membrana adnotabat, eam ſexta die Decembris exhibitam fuiſſe. Legatis Svecicis pro more lautia data, ſingulis argenteum poculum, in quo crumena cum centenis aureis repoſita erat. Cæterum qui hactenus tantum moroſitatis oſtenderant Bremenſes, poſt cautionem quod diximus obtentam in ho-

1654. 6. Dec. Conf. Diar. ſecr.

1654. homagii actu, & subsecutis conviviis maximam humanitatem & submissionem ostendebant, ac tota urbs lætitiam præferebat, velut summa fide & affectu Regi addicta. Eo facto Rosenhanius per decem equites Canonicos refractarios, Schultzium, Kulam, Schœnbeckium, & Syndicum Hæringium comprehendi jussit, qui vetera & per Westphalicam pacem abolita Capituli jura sibi arrogare veriti, haut fuerant. Sed Schultzius & Syndicus fuga custodiam evadebant. Reliqui duo ad preces conversi promittebant, se talia deinceps haut ausuros.

Schultz. Kula, Schœnbeck, Hæring.

Copiæ in Germania maneant.

§. 42. Enimvero compositis licet Bremensibus turbis copias in Germania hibernare Rex volebat stabiliendæ suæ per Imperium autoritati, quo Ministrorum Regiorum dictis in Conventu Deputatorum Francofurti, & alibi pondus inde accederet; & quia Cæsar ad Inferiores Saxones mandatum emiserat super restituendo ad Warnemundam castello. Unde Antonius Guntherus Comes Oldenburgicus suspicione perstrictus Sebastianum Fridericum Kœtericium in Sveciam mittebat post expromtam gratulationem ambiturum, ut Comiti neutrarum esse partium indulgeatur. Eum Rex initio differebat obtentu Bremensium turbarum brevi sopiendarum. His compositis respondebat; „neutralitate opus non „esse; ac ea concessa multum suspi„cionis apud vicinos excitari posse. Alias Comitem de amicitia sua securum esse jubebat.

Oldenburgicus neutralitatem frustra ambit. Katerat.

Poloni bellum in se attrahunt.

§. 43. Cura Bremensis negotii solutus Rex bellum Polonicum acriore studio parare cæpit. Eam tempestatem declinare Polonis, si mens non læva fuisset, facili negotio licuerat regnante Christina, quæ obsoletam actionem cedentibus amicitiam & fœdus addicere parata erat, cujus respectus Moscum quoque ab inferendo istis bello revocare poterat. Sed minoris tunc fiebat Christina inermis, cujus & suscepta post pacem Germanicam gubernandi ratio vicinis nil formidandum minabatur. Nec ita brevi grande quid susceptura credebatur Successor exhausto ærario, rebus domi nondum firmatis, nec solio Regio per sobolem stabilito. Unde eousque istorum insolentia excesserat, ut urgentibus quantumvis hinc Cosaccis, inde Moscis, Carolum Gustavum Sveciæ diadema capessentem irritare non dubitarent. A Joanne Casimiro Poloniæ Rege ad Christinam paucos ante dies, quam hæc Regno abiret, missus fuerat Henricus Canasilius, super instaurandis tractatibus, uti ferebat, monitorus. Quod negotium velut intempestivum à Regina rejectum fuit. Enimvero adparebat longe diverso istum fine venisse, ut Carolo Gustavo super jure Regni controversiam moveret. Nam in oratione ad Reginam inter alia jecerat, à „Polonis Gustavo quidem Adolfo & „Christinæ Regni Sveciæ titulum tri„butum fuisse; sed eodem alterum ho„norare iisdem haut placere, nec ad id „se teneri. Et à Joanne Casimiro utcun„que ferri potuisse, Regnum Sveciæ „penes proximos sibi agnatos esse; „sed ut idem nunc in alienam fami„liam transferatur, nullo modo con„cedi posse. Cui Christina reposuerat: „Cognatum suum Joanni Casimiro „cum triginta millibus testium de„monstraturum, se legitimum Sveciæ „Regem esse. Eadem Canasilius moverat apud Archiepiscopum & alios Ordines, ne in præjudicium Joannis Casimiri coronam in istum conferrent. Quæ inaudiens Carolus Gustavus dixerat: „si ipse coronam con„ferentibus DEO, Christina, & Ordi„nibus obtineat, adversus quosvis „alios eandem se facile tuiturum. Meritus erat importuno isthoc facinore Canasilius, ut hostili modo haberetur; ac multi fremebant: Non par esse, ut „sanctimonia legatis debita fruatur, „qui ipsa fundamenta convellere pa„ret ejus Reipublicæ, ad quam missus „sit. Eoque recte supplicium de ipso „sumi posse, qui ausus sit operam suam „accommodare patrando actui tam „protervo in conspectu Reginæ Prin„cipis hæreditarii, & Ordinum adver„sus constitutiones Regni & pacta induciarum. Sed Regina præcaverat, ne in istum durius quid statueretur. Et Carolus Gustavus machinationes istius ante coronationem dissimulaverat, nec tanti eundem æstimaverat, ut tam atrocis injuriæ vindicta de ipso sumeretur. Cæterum post peracta coronationis solennia idem

1654.

Canasilius legatus.

Cana-

1654. Canaſilius per Miniſtrum Gallicum Regi novo inſinuabat de ſtudio Joannis Caſimiri circa firmandam cum Svecia amicitiam, ac de fœdere adverſus Czarem Moſcoviæ ineundo. In quod ſi Rex pronus ſit, Legatos plenis mandatis inſtructos adfuturos, qui ſe interveniente id negotium confecturi ſint. Enimvero Rex per Axelium Oxenſtiernam Canaſilio præter vetera adverſus induciarum leges à Polonis admiſſa demonſtrabat injuriam & importunitatem præſentis facti, quod è mandato Joannis Caſimiri patrare auſus fuiſſet, adverſa fronte induciis repugnans, quo ipſo haſce per ipſum abruptas videri, velut quibus hoſtiles duntaxat actus ſuſpendantur, & quæ ſtricti juris habeantur, ita ut una earum parte violata, eædem planè diſſolvantur, ſtatu belli iterum recrudeſcente. Se tamen ob reſpectum Chriſtinæ pro meritis in ipſum animadvertere nolle, ſiquidem Joannes Caſimirus miſſis in Sveciam Legatis eam injuriam reparet. Nam hanc diem aliam vitam, alios mores poſtulare. Id quod futurum Canaſilius pollicebatur, oſtenſis Oxenſtiernæ à Cancellario Poloniæ literis, quibus ſignificabat; ſi ipſius proteſtatio in Svecia ſiniſtre accipiatur, eo nomine Regi ſatisfactum iri. Quod perinde habebatur, atque propriam injuriam in anteceſſum damnare. Nam quod eam proteſtationem Carolus Guſtavus æqua mente laturus eſſet, nemini ſano in mentem venire poterat. De cætero oſtendebatur, etſi Svecia à pace haut quidquam aliena ſit; tamen neque Regibus Regnisque decorum, neque paci promovendæ idoneum, ad priorum tractatuum morem novam ſcenam ſtruere orbi fabulas daturam, ac tot ſequeſtribus laboris juxta ac ſumtuum neceſſitatem adferre, mox diſceſſu re infecta ſuſcepto aliis ludibrium, nobis exacerbatæ ſuſpicionis cauſam præbere. Unde ſi Polonis revera pax cordi ſit, in locum tot inanium miſſitationum ſeriam legationem huc deſtinandam, plenis mandatis inſtructam, quæ citra ambages tam vetuſtam controverſiam heic in Svecia componat. Sin veniant minus idonea poteſtate præditi, Regem judicaturum, quidvis potius, quam pacem & ſinceram cum Svecia amicitiam Polonis quæri. Recenſebantur inde injuriæ adverſus inducias à Polonis illatæ, quas Regi diutius tolerare haut placeat; ac ni iſtas mature reparatum veniant, bellum iisdem expectandum. De fœdere adverſus Moſcos præmaturum nunc eſſe verba facere, quiscum & nulla offenſa Regi intercedat. Quibus minis perſtrictus Canaſilius promittebat, legatos cum idoneis mandatis, brevi adfore toti liti componendæ. Ita iſte tunc è Svecia diſceſſit; cætera ſat frigide habitus velut qui nullas ad novum Regem fiduciarias literas exhibuiſſet. Poſt reditum in Poloniam idem ad Miniſtrum Gallicum Holmiam ſcribebat; omnia ſe Regi ſuo fideliter retuliſſe, & hunc utique Legatos in Sveciam miſſurum. Enimvero iſti per totam æſtatem atque autumnum fruſtra expectabantur; ac interim intelligebatur, Joannem Caſimirum per Byæum in Curlandia, apud Brandenburgicum, in Holſatia, & Dania portus diſpicere pro claſſe, quæ ſub inſignibus Polonicis in Mare Balticum adverſus Sveciam ventura ſit, ac in eum finem fœdus Hagæ agitari.

1654.

de Byæ.

§. 44. Aſt Rex, cum id à Polonis agi animadverteret, ut per varia ludibria dilatis Svecis ſuo dein tempore arma inferrent, iſtorum menti, ſtatuique penitius explorando Joannem Kochium cum literis ſuis ad Joannem Caſimirum Regem proficiſci jubet, cum mandatis, ut ſolicite obſervaret, quo animi motu eæ literæ ab iſto excipiantur. Quas & huic ipſi in manus traderet, & ſi vario prætextu ad eundem acceſſus negetur literas in alterius manus pervenire ne patiretur, ſed id perinde haberet, ac ſi Carolus Guſtavus à Polonis Rex non agnoſcatur, coque diuturni ludibrii impatiens inde faceſſeret. Tum ut reſponſum ſibi è Cancellaria utique Latina lingua dari poſtulet; etſi hactenus Poloni literis manu Regis lingua Gallica ſcriptis ad Chriſtinam Reginam defuncti ſint: ac niſi hoc modo ſcribere velint, potius citra epiſto-

Rex mentem ſtatumque Poloniorum penitius explorat.

Koch.

1654. „epiſtolam diſcedat, quod ejusmodi tergiverſatio, quid animo iſti volvant, ſatis arguat. Simul exemplum reſponſi tradi ſibi, & ſi quid Regi præjudicio cedens illud contineat, emendari poſtulet. Ubi exemplo potiri nequeat, ſaltem inſpiciat, ut inſcriptio rite, & prout pacta requirunt concepta ſit. Ubi ſecus quid deprehendat, potius nullis acceptis literis inde diſcedat: ſi titulus recte ſe habeat, de ſigillo ſolicitus ne ſit, ac iſtud à ſe obſervari diſſimulet. Dum Proceres inviſit cognoſceret, quid ſtudii præ ſe ferant ad repetendos tractatus: quid Regi ſuo circa hos propenſionis ſit, in neutram partem indicium faciat. A ſalutandis illis, qui à Moſco aut Coſaccis forte in aula adſint, abſtineat evitandæ Polonorum ſuſpicioni. Imprimis curioſe exploret, quis Polonici Regni interior habitus, quid virium; quid Poloni à Turcis, Tartaris, Tranſſylvano, Moldavo timeant, ſperentve: quæ ſpes cum Coſaccis tranſigendi: qui Moſcorum progreſſus, & num hi Polonis formidentur: num Poloni à Cæſare auxilium expectent: an Hiſpanica conſilia ibidem quid valeant: num Danus quid aut Brandenburgicus agitet, fœdusque cum Belgis abſolutum ſit; quam de Carolo Guſtavo opinionem foveant; quæ conditiones placeant æternæ cum Svecis paci concludendæ: num denique legationem in Sveciam adornent. Imprimis expiſcetur, quid Canaſilius è Svecia redux retulerit. Ubi ſiniſtra hunc renuntiaſſe conſtet, Kochius id excuſet, quod Chriſtinæ non vacaverit in ipſo abdicationis articulo adventanti plenius reſponſum dare. Et quia ad hanc duntaxat literas fiduciarias attulerit, Carolo Guſtavo Regi haut conveniſſe ipſius negotiationem admittere: & cum idem facultate agendi deſtitutus fuerit, haut congruere viſum plenius mentem ſuper inſtaurandis tractatibus declarare: etſi nec iidem in Svecia repudiati ſint. Si Canaſilius queſtus fuerit, parum honorifice ſe habitum, oſtendat Kochius; pro re nata ſat honoris ipſi exhibitum, ac ſi quid parcius factum, incumbentia tunc novi Regni negotia in cauſa fuiſſe. Sin iſta Polonis non ſatisfaciant, tandem erumpat: ita iſtum ſe geſſiſſe, ut longe duriora meritus ſit, ac graves de ipſo querendi cauſas ſuppetere. Cæterum declinet multa jactare de Regis Caroli Guſtavi deſiderio inducias continuandi; ſed ubi occaſio ferat, laxis duntaxat verbis de amicitia teſtetur. Præterea ſolicite expiſcetur, quæ apud Polonos inclinatio ſit in pacem cum Moſcis; num tractatus inter illos agitentur: num Poloni impetrare à ſe poſſint, ut Moſco Smolenſcium & provincias, quas hic nupero tractatu amiſerat, viciſſim cedant: num Poloni Svecorum auxilium adverſus Moſcos implorare cupiant: quid de Tartarorum & Ragozii auxilio ſpei ipſis ſit: qua mole bellum in Moſcos Poloni parent, & qua ſucceſſus ſpe: num poſt pacem inter ſe concluſam junctim; vel ſinguli in Sveciam infeſti quid agitent: denique num utique tractatus iterum ſuſcipere cordi iisdem ſit. 1654.

§. 45. Kochius literis, mandatisque Regiis acceptis ſtatim Gedano Warſaviam accelerabat. Eo ipſo die, quo hic eam urbem ingreſſus erat, Rex Joannes Caſimirus inde Nieporentum ſe conferebat, duas amplius ſeptimanas ibi commorans, ut ſenatores à propinquo ad ſe evocare poſſet. Cæterum ſpargi juſſerat, paulum ſe recreationis capere voluiſſe à laboribus proximo conventu exhauſtis. Rumor erat iſtius adventu Regem vehementer excanduiſſe, jactantem, ſi ipſe triginta millium exercitu inſtructus foret, ſe eundem capite truncaturum, Carolo Guſtavo & Svecis inſuper habitis. Ac vulgo credebatur; Kochium aliquid Polonis infeſtum adferre. Hic interim Leſſincium Cancellarium ſalutandi cauſa adierat, qui de ſincero Polonorum animo prolixe teſtabatur. Ad eundem & aliquoties accedebat Hildebrandus in tractatibus quondam Lubecenſibus Secretarius expiſcandi gratia, inter alia Joannem Salvium laudibus ferens, velut qui, ſi vita ſuperfuiſſet, paci tunc Lubecæ ſupremam manum impoſiturus fuerit. Tum de animo ſuorum & tunc, & in præſens paci promto ampliter jactare. Si „Joannes Caſimirus pro ceſſione „actionis ſuæ Livonia potiri ne- „queat,

Abiegati Svecici Warſavia acta.

Leſſinski.

1654. „queat, utrique Regi arma in Moſcum „ſocianda, & provinciam unam „atque alteram huic adimendam, „qua Joanni Caſimiro ſatisfieri queat. „Addebat, *hujus fratrem* Carolum Fer„dinandum exuta infula matrimo„nium inire cupere, ne Jagellonica „& Guſtaviana ſtirps extinguatur, mo„do haberet, unde pro dignitate ſu„ſtentare ſe poſſit. Warſaviæ rumor erat, Canaſilium injuſſu Joannis Caſimiri in Svecia adverſus ſucceſſionem Caroli Guſtavi proteſtationem interpoſuiſſe; id quod ab inimicis Canaſilii confictum Kochius poſt intelligebat. Cum Rex diutius Nieporenti moraretur, Kochius è Cancellario ſciſcitabatur: num ipſe ad Regem eodem proficiſci debeat: id quod iſte medio relinquebat. Demum ſub finem menſis Auguſti reverſo in urbem Regi quæ in mandatis habebat Kochius, expoſuit. Cui à Rege reſponſum: *ſe cognati ſui* (eo vocabulo utebatur,) *ſalutationem, amicamque ſignificationem, & oblata boni vicini officia libenter percepiſſe, quibus cum & ipſe paria facturus ſit. Lecta epiſtola pluribus mentem ſuam declaraturum.* Dum iſta diceret, non poterat eminens quædam animi commotio in ipſo obſervari, ſed potius anxia quædam ſolicitudo ſubeſſe videbatur, ne iſthæc miſſio infenſi quid ſtrueret; ſparſa quoque tunc Warſaviæ fama, Carolum Guſtavum denuntiare, ni Joannes Caſimirus Sveciæ titulo abſtineat, ipſum Moſco ſociatum arma Poloniæ illaturum. Super literis Caroli Guſtavi Cancellarius Leſſincius ſcrupuli nonnihil movebat, quod iſte titulum ſuum Regis Poloniæ titulo præpoſuiſſet; cum omnes alii Reges, Hiſpanus, Gallus, Anglus, Danus omis, ſo ſuo nomine ac titulo à compellatione Regis Poloniæ literas ſuas ordiantur: tum quod titulus *Potentiſſimi* omiſſus eſſet. In contextu quoque litterarum *Majeſtatis* non *Sereniatis* vocabulum adhibitam maluerat. Nam *Majeſtatis* titulum Hiſpanum, Gallum & Polonum ſibi invicem tribuere; quo fine & Poloniæ Rex ad iſtos ſcribens majore ſigillo utatur cum expreſſione & ſculptura habitus Majeſtatem repræſentantis. Quin & Anglum, Danumque Polono *Majeſtatis* titulum dare, hunc

31. *Aug.*

viciſſim illis non niſi *Serenitatis* repo- 1654.
nere. Cum tamen Kochius reſponderet; inſcriptionem literarum & reliqua ad formam pactorum ac receptum uſum quadrare; ſuper iſtis nil amplius à Cancellario movebatur. Sed quia in literis hæc verba extabant: *Laterem iſta uberius explicaturum*, ſuſpicabatur iſte Kochio injunctum plura proponere de tractatibus, aut bello Moſcico. Quibus eliciendis differebat Cancellarius: *circa tractatus omnia adhuc eſſe integra. In bellum Moſcicum Polonos nulla ſua culpa incidiſſe, cui non parum ponderis à conjunctione Coſaccorum accedat, valida & expedita natione, qua & cupidine ardeat mari rem gerendi; eoque Moſcum iſtam allexiſſe oſtentato Mari Baltico. Viciſſim Turcam Tartararorum Principi injunxiſſe, ut Moſcos in gratiam Poloniæ invadat. Nam quo minus ipſe Turca id faciat, legibus ſuis prohiberi, qua duo ſimul bella ſuſcipi nolint, flagrante tunc cum Veneto bello.* Quæ facile conficta eſſe adparebat. Cupiebat porro Polonus ad literas Caroli Guſtavi lingua Gallica reſponſum reponere, uti Reginæ Chriſtinæ factum. Sed aſſeverabat Kochius, literas niſi latine ſcriptas acceptatum non iri. Nam quicquid Chriſtina fecerit, Latinam linguam olim inter Reges & Senatores utriusque Regni uſu receptam, & pactis congruam; tum negotium utique eſſe publicum. Contra Poloni cum ad titulos pactis expreſſos Carolo Guſtavo tribuendos „ægre deſcenderent, jactabant; pa„ctis non præcipi, ut latine utique „ſcribatur; ſed ubi Latinam linguam „adhibere placeat, titulis ibi expres„ſis utendum. Novum id eſſe po„ſtulatum, & pactis tantum non re„pugnans. Nec literas à Camera Re„gia datas ita preſſe ad pacta poſſe ad„ſtringi, velut quæ privatarum ma„gis, quam publicarum indolem ha„beant. Sed contendebat Kochius; *pacta dum titulos mutuo adhibendos Latine exprimunt; ad hanc linguam aſurpandam utique adſtringere; & conditionem*, ſi Latine ſcribatur, *pactis conformem eſſe. Uladislaum Chriſtinæ aliquoties Latine ſcripſiſſe. Si pacta ſervare Polonis cordi ſit, ipſos genuinam iſtorum*

1654. *iſtorum ſenſum ſecuturos. Ubi hac in re à pactis diſcedatur, non levem Svecis ſuſpicandi cauſam præberi. Nec diſcrimen inter* Cameram & Cancellariam *heic poſſe admitti, cum reſponſum quod nunc petatur, indolem privati negotii longe ſuperet.* Ita inſtante Kochio Rex poſt conſultationem cum quibusdam ſenatoribus habitam Latine reſpondere conſtituit.

Diſceptatio ſuper reſponſo Caſimiri.

§. 46. Ejus reſponſi exemplum cum ægre obtinuiſſet Kochius, hæc verba offendebat. *Quod nos eo gratiore animo accipimus, quod nullus hinc de manifeſto jure noſtro eſſe poteſt dubitandi locus, nec alicujus in cauſa noſtra præjudicii periculum, cum tenori pactorum & induciarum innitimur.* Adverſus quæ ſtatim iſte teſtabatur; *ejuſmodi literas à ſe accipi non poſſe, velut quæ verba contineant, pactis ac Caroli Guſtavi juri & poſſeſſioni repugnantia.* Tandem Kochio valedicente Rex Teutonica lingua declarabat: *ſe viciſſim ſervare decreviſſe, quæ ipſius herus offerat. Ob inſtans in Lithuaniam iter plura nunc ſcribere non poſſe: quæ reſtent miſſo Legato ſe expoſiturum.* Inſcriptio literarum, quæ Kochio tradebantur, non exprimebat verba pactis conſtitura, *Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Duci Finlandiæ &c. &c. &c.* ſed tantum poſitum erat *Svecia Regi &c. &c. &c.* De quo Kochius ſtatim apud Cancellarium querebatur, negans talem epiſtolam à ſe acceptari poſſe, præſertim cujus argumentum ignoret. Cancellarius „reponebat; Regem feciſſe, quod „fieri potuerit. Formam ſcribendi „pactis haut expreſſam, per quæ cum„primis jus & actio Domus Regiæ ſit „reſervata. Sigismundum eum titu„lum nunquam dediſſe, Uladislaum „Chriſtinam *moderna Regina* voca„bulo nuncupaſſe, Joannem Caſimi„rum hactenus Gallicum idioma ad„hibuiſſe. Svecis in proclivi eſſe circa „titulos liberalitatem exercere, qui „poſſeſſione Regni gaudeant: id quod „tener affectus, quo Joannes Caſi„mirus jus ſuum amplectatur, haut „admittat. Cæterum Polonos indu„ciarum pacta ſervaturos, & à Sve„cis gemina expectare. Idem Kochio dehinc literarum exemplum præ„legebat, in quo ſuperius notata ſententia mollius expreſſa erat: *Proinde hac fortuna acceſſione ſerenitatis veſtræ* 1654.
nihil fraterno juri noſtro derogatum iri ſperamus, quin potius ſerenitatem veſtram æquam ſanguini, æquam cauſæ noſtræ futuram. Ad quæ Kochius: „iſthæc à pactis abeuntia Regi ſuo „probari non poſſe. In re manifeſta „ambagibus opus haut eſſe. Articu„lo primo pactorum ſcribendi mo„dum utique definitum. Cum Sigis„mundus nunquam ſcripſerit, eun„dem in neutram partem circa titu„lum quid ſtatuiſſe. Ab Uladislao „*moderna* Reginæ vocabulum inter„poſita proteſtatione Chriſtinam ad„miſiſſe, & latorem iſtarum litera„rum parum præmii reportaſſe. Non „plus ſcrupuli circa titulos in Polo„nia, quam in Svecia movendum eſſe, „ſi pacta cordi ſint. Teneritatem „affectus, quo Joannes Caſimirus „actionem ſuam proſequatur, præ„valere non poſſe vinculo conventio„num, è quibus petenda ſit norma „omnium actuum cauſam publicam „tangentium. Poſteriore formula „jus iſtud qualecunque Joannis Caſi„miri mollius inſinuari; ſed jam haut „eo magis à ſe admitti poſſe. Nam „quamlibet ſive apertam ſive obli„quam prætenſionem habere vim „proteſtationis adverſus Caroli Gu„ſtavi imperium. Eoque titulum corrigi, & iſthæc verba expungi poſtulabat. Id quod Cancellarius ad Regem ſe relaturum promittebat. Ea ſuper re apud Vicecancellarium quoque Kochius querebatur; qui inſcitiam & errorem ſcribarum excuſa„bat. Nam Regem utique è conſilio „ſenatus in tituli inſcriptionem ad „normam pactorum conſenſiſſe. Cæ„terum proteſtationis vim non ha„bere, ſi quis prætenſionis ſuæ men„tionem injiciat: nec univerſum or„bem prohibere poſſe, quo minus „Joannes Caſimirus in Sveciæ Re„gnum jus obtendat, utpote natus „patre, qui diademate Regni Sveciæ „redimitus fuit. Aſt Kochius immotus negabat, per mandata ſua fas ſibi eſſe, talia continentes literas domum adferre. Pari modo repellebatur Hildebrandus Secretarius, qui *verbis iſtis amitam duntaxat commemorationem juris Regii continere jactabat. Caterum Regem paratum ſuper cedendo ſuo jure tranſigere,* 1654.

Hildebrand.

1654. *modo idonea ſatisfactione potiatur; cujus locum ſubire poſſit Livonia tota, aut ejus pars, Carolo Ferdinando Regis Fratri in feudum à Svecia dependens danda. Aut ut in præſens arma in Moſcum ſocientur, bisque erepta terra Domui Regiæ in ſatisfactionem dentur, Polonis quoque ad easdem occupandas operam collocaturis.* Idque ut in Sveciam referat, Kochius rogabatur. Hic contra; de ſatisfactione cogitare inane eſſe, cum Svecia nullum Joannis Caſimiri jus agnoſcat. Adferebantur poſt eidem aliæ literæ mutata inſcriptione, quas ea lege acceptabat, ſi verba de actione in Sveciam omiſſa forent. Id quod lator earum Secretarius, & poſt ipſe Cancellarius aſſeverabat; etſi exemplum literarum non traderetur. Uterque tamen falſa dixiſſe compertus eſt, cum in autographo earum literarum hæc verba extent: *Cognati nexus memoria reconciliat in Nobis ipſa juris diſcrimina, ut & hanc Serenitatis Veſtræ fortunæ acceſſionem fraterno juri non derogaturam ſperemus, & Serenitatem Veſtram æquam ſe ſanguini, æquam cauſæ præſtituram non ambigamus.* Obſignabantur eæ literæ privato Regis ſigillo, cujus medius umbo inſignia Sveciæ exprimebat. Alias humaniter Kochium Poloni habebant, lautiis quoque præbitis. Iſta tunc à Polonis moveri eo importunius videbantur, quod non minus Joannes Caſimirus, quam Uladislaus, cum ab ordinibus Poloniæ eligerentur, ſcripto caviſſent de non urgenda in Sveciam prætenſione, ac propter illam Regnum Poloniæ bello haut involvendum.

Poloni cum Belgis de fœdere agitant.

§. 47. Iſthanc porro offenſam augebant, quæ tunc Warſaviæ ſuper fœdere cum Belgis per Byæum agitabantur; quod tamen ab hiſce prius motum credebatur. Inter cujus capita præcipuum erat, quod à Belgis viginti naves bellicæ in Mari Beltico iſtendæ eſſent præſtandæ commerciorum ſecuritati. Rex ſenatusque Poloniæ id negotium magnopere ſibi eſſe cordi oſtenderant, & ob operam circa iſtud navatam Byæi ſalarium quingentis uncialibus augebant. Qui ejus perficiendi cauſa in Belgium remittebatur, in itinere ſuper eodem cum Gedanenſibus, Electore Brandenburgico, & Daniæ Rege acturus. Contra Rex per Haraldum Appelbomium iſti fœderi, quo minus coaleſceret, renitebatur, velut cujus conditiones à Polonis impleri non poſſint, & quod nulli uſui futurum iisdem ſit. Daniæ Senatoribus Magnus Durellius velut privato nomine demonſtrare jubebatur; ipſi Daniæ ſummo præjudicio fore, ſi exteris claſſibus armatis Mare Balticum ingredi integrum ſit. Denique Gedanenſibus Joannes Kochius ingerebat; caverent tanto ſuſpectius, quo abſurdior nationi mediterraneæ ratio obtendatur, navigationis libertas. 1654. *Durell.*

Alia in Poloniam exploranda cauſa miſſio.

§. 48. Advertebant iſta animum Regis, ut penitius explorandum curaret ſtatum vicinorum, tam alte penetrantia agitantium. Igitur præter Kochium in Boruſſiam mittebatur Joannes Mejerus Lillienthalius obtentu privatorum negotiorum, inde in Poloniam progreſſurus ad inveſtigandum, quæ vires ibi, quæ conſilia, quæ fiducia aut diffidentia inter Regem ſubditosque: num quæ Regi cum Cæſare conſilia miſceantur. Quid copiarum tam indigenæ militis, quam Teutonici in promtu ſit; qui Duces, quæ opes alendo militi, quæ ſubſidia, ſi cladis quid acceptum fuerit: quid à Tartaris expectent, quid à Tranſſylvano, Moldavo, Walacho, Turca, & num huic mens ſit ſiſtendis Moſcorum progreſſibus aliquid in Poloniæ gratiam moliri. Num Poloni labentibus ſuis rebus Auſtriacorum, aut Sveciæ auxilium imploraturi ſint? aut num quæ Poloniæ partes Cæſaris, Ragozii, aut Brandenburgici tutelam reſpiciant: num quæ tractatuum inter Polonos, Moſcosque ſpes, aut mutua miſſio: an Polonus quibuscunque conditionibus pacem à Moſco redemturus ſit ceſſis provinciis, quæ anno 1634. huic ab iſtis ereptæ fuerant: num Moſcus hiſce contentus eſſe velit, an vero toti Poloniæ ſubjugandæ immineat, occupatis quoque portubus quibusdam ad Mare Balticum: ac num forte Polonis Moſcisque bello interſe poſito animus ſit in Sveciam quid tentare. Præter hæc inquirere jubebatur, quid copiarum Moſco jam in Polonia ſit: quæ peregrinæ legiones, qui duces: quæ loca is ceperit, quibus immineat; num ad Dunam fluvium pedem figere idem inſtituat: quæ belli cum Coſaccis conditio, quis armorum adparatus in *Lillenthal.*

utra-

1654. utraque Boruſſia, quid militum Brandenburgico conſcribatur, & num quæ oppida Boruſſiæ munitionibus firmentur: quæ Brandenburgico hiſce in Poloniæ motibus deſtinata, ac num is opportunorum ſibi locorum protectionem ſuſcipere agitet. Quid Gedanenſibus, atque Elbingenſibus animi ſit, ſi forte Moſcus totam Poloniam opprimat; Num in Curlandia arma defenſioni ſuſcipiendæ adornentur. Num Poloni ſerio in tractatus cum Sveeis inclinent, ac Regis, an ordinum pronior in pacem ſit animus, an utriusque par; num Legatos miſſuri, & quas conditiones oblaturi ſint. Quid Canaſilius retulerit, & quid eo nomine decretum ſit: quo denique miniſtro præcipua Regni negotia expediantur.

Status Poloniæ tunc temporis.

§. 49. Lillienthalius iſte, non minus atque Kochius, conſenſu retulerunt, res Poloniæ valde eſſe turbulentas ob motus internos, bellumque Moſcicum magna mole incumbens, & quia Coſaccorum rebellio adhuc perſiſtebat; cujus ſedandæ eo minor ſpes erat, quod Moſci firmum in ea provincia pedem fixerant, quo ægre dimovendi videbantur. Saltem Regem tantiſper præſtantiſſima ſuarum provinciarum, ac multos Nobilium reditibus ſuis carituros, non ſine damno commerciorum, interceptis mercibus utiliſſimis ea regione provenientibus, quæ & non minima cauſa ſit, quare Polonia tanta rei nummariæ inopia nunc prematur. Equidem non tam viros Poloniæ deeſſe, quam opes illis ſuſtentandis ob iniquitatem temporum, bellique diurnitatem, ac propter ſingulorum privatos reſpectus. Polonos bona conſilia adſpernari, quemlibet ibi ſuo arbitrio, neminique obnoxium velle agere, ac inſolenter admodum ſe jactare jure circa electionem Regis ſuffragium ferendi, cujus juſſis non ulterius pareant, quam quantum placeat. Joannem quoque Caſimirum initio Regni multos à ſe alienaſſe; hanc offenſam atque diffidentiam perſiſtere, haut facile eradicandam; eamque perſuaſionem apud Ordines penitus inolitam Regem non optimo in ipſos animo eſſe. Imprimis eosdem magnopere exacerbari, quod Rex bellum cum Coſaccis extrahat, cum utique remedia in promtu fuerint iſtud malum prævertendi, aut corrigendi. Equidem à multis creditum fuiſſe, diffidentiam inter Regem civesque minuendam, poſtquam iſte inſigne ſummi imperii bellici in alium transtulerit, *Bulava.* quod hactenus ſibi ipſe ſervaverat bello moderando: magis tamen ægreſcere animos, quod Rex jam magnam partem militaris adminiſtrationis abdicatam in duces devolvat, modica reipublicæ cura. Quanquam enim Ordines petierint, & nuperis Comitiis decretum fuerit, ut Rex ſtatim in Lithuaniam ſe conferret, ubi maximum ab hoſte periculum imminebat: id tamen ſubinde ab iſthoc vario obtentu dilatum, modo itinere religionis cauſa Czenſtochovam, Calvariam, & alia loca ſuſcepto, modo *Czenſtochovia.* juridicis conventibus indictis. Quin nuper Grodnam acceſſiſſe, judicialibus cauſis ad menſem Novembrem eodem evocatis. Defendendo Regno & repellendis hoſtibus nullas eſſe vires præter manipulum externi militis, & paucas legiones animis ægras, quarum ſupplementa defectu pecuniæ lente proceſſerint. Unde & militem in tranſitu atque hoſpitiis petulanter graſſari ac provincias violenter exedere. In Comitiis inſignia tributa decerni; ſed eorum exſolutionem languide expediri; reliqua ab uno anno in alterum differri. Conductitias copias fere in Volinia & circum conſiſtere: prætorianum militem in Lithuaniam conceſſiſſe, ut Moſco reſiſtatur. Nobiles tota Lithuania ad arma vocatos; promiſiſſe quoque totam Reni nobilitatem, ſe in expeditionem ituram, ubi periculum ingruat. Radzivilio in Lithuania modicam manum eſſe, vix quinque bellatorum millia implentem quem Moſci plane profligarint, ut in aperto amplius ſe oſtendere non audeat. Eum utcunque ſparſam manum recolligere adſcito & volonum numero, ſed qui ad molem Moſcici exercitus nihil proficiat. Accedere æmulationem inter Radzivilium ſupremum militiæ Lithuanicæ ducem, & ipſius collegam Goſiévium, rebus gerendis non exiguam remoram, quorum diſcordia militem quoque in factiones diſtraxerit, ſic ut harum una in hoſtem tendente, altera ceſſim eat, certo reip. exitio. *Radzivill.* *Goſiewſki.*

1654. Cum enim Radzivilius summo imperio militari parto magnos spiritus gereret, Romanæ sectæ additos validum ipsi æmulum adposuisse Gosievium, Thesaurarii munere simul fungentem, cujus dissidii causa Regi citius quam destinaverat Grodnam eundum fuisse. Post Radzivilium pulsum Moscos obsidium Smolenscii suscepisse, cui ut subveniatur nullam rationem supereresse. Potocium cum sua manu vix stationem suam adversus Cosaccos & Moscos tueri. Nobilium universitatem ad arma vocatam inconditam esse turbam sua mole gravem, quæ ipso agmine vastitatem regionibus, qua transit, inferat; cui solitum sex fere septimanas in expeditione consistere, inde hosti terga obvertere, singulis domum dilabentibus. Paucos in Turcarum auxilio fiduciæ quid collocare, velut qui ægerrime ferant frequentes Cosaccorum incursiones? quos & nunc internecione delere, si possint, decreverint, postquam in Mosci partes concesserunt; id quod Turcæ rebus suis periculosum judicent. Tartarorum morem esse prolixe polliceri, parum præstare. Fortasse ubi argentum numeratum sit in expeditionem ruere, sed mox defetisci, quod metuant, ne ipsis Moscoviam invadentibus, Nagaici ac Tanais fluvii accolæ populi in Crimeam irrumpant. Transsylvanum, & Moldavum à Turcæ nutu pendere. Cosaccos à resumendo obsequio multum adhuc abhorrere, tenero jam libertatis sensu imbutos, quos & conjunctio cum Moscis multo quam antea terribiliores reddat. Cæsarei auxilii exiguam apud regem fiduciam, nondum exolita custodiæ Gallicæ memoria, in qua tantopere ab Austriacis neglectus fuerat; quo & aliæ minutæ offensæ post accesserint. Nec multum ibi consilia Hispanica valere. Cum Dano aliquod literarum commercium Joanni Casimiro; sed quod in Sveciam aliquid cudatur, nondum deprehendi potuisse. In Sveciam solicite oculos conjecisse Polonos ob copias in Bremensem provinciam emissas, & quia Caroli Gustavi spectatam bello virtutem, magni æstiment; eoque ne quid infesti in ipsos hic agitet optare. Spem pacis cum Mosco haut adparere, qui ex voto fluentibus armorum successibus multa egregia loca occuparit, ac amissum Anno 1632. Smolenscium, Severiam, Czernichoviam, & Plotziam cum subjectis territoriis recuperare ardeat, haut sufficientibus quoque Polonis Ucrainæ recuperundæ. Contra nec Polonos pacis cupidos, ac malle omnia aleæ exponere, ingenio gentis extremis insistere pervicacis, nec temporibus obsecundare callidas. Conjunctionem cum Svecia eosdem optare, si aliqua hujus auxilium impetrandi spes foret: sed cum parum se de eadem meritos norint, sat habere, si Sveci hostilia non induant, nec cum Mosco adversus Poloniam conspirent. Contra metuendum non esse ne Poloni Moscis in Sveciam socientur. Seculares Ordines magis in pacem cum Svecia ferri, quam Ecclesiasticos, qui Livoniæ recuperandæ spem mutatis temporibus nondum deposuerint, & cum Turcis atque Paganis transigere malint, quam cum Evangelicis; cum secularibus Livonia dudum pro tacite derelicta habeatur. Equidem neque Ecclesiasticos hoc rerum statu ad extrema rem cum Svecis deduci cupere; sed credere, in proclivi esse aliquid comminisci eisdem differendis. Denique Turcæ jussu Transsylvanum, Walachum, & Moldavum Polonis favere, ac nuperis Comitiis Ragozii filio jus indigenatus in Polonia donatum ea tamen lege, ut si ipse parti in Principatu succedat, in electione Regis suffragium ne ferat; sed in istorum amicitia parum fiduciæ collocari.

Petuki.

Perpetua Russiæ.

1654.

§. 50. Ita Polonici status confusio, quam Regina Ludovica Maria peculiaribus sibi destinatis non parum augebat, simul indies latius graſſantia Moscorum arma Carolum Gustavum curæ exsortem esse non patiebantur, ne forte imparatum vicinæ flammæ impetus corriperet; ac ut mature disponeret, queis opus foret exequendis, quæ rationibus Sveciæ pro captu temporum expedirent. Igitur per Ericum Oxenstiernam Cancellarium Senatu exponi jussit præsentium temporum faciem & quam late vicinum Svecicis provinciis tractum belli incendium involverit; quod otiosis oculis adspicere providentiæ lex non patiatur. Ea deliberatio dum peragitur, Regi in Senatum venire haut placebat, ut eo liberius sententiæ dicerentur, neu animadversa ipsius inclinatione obsequii necessitatem sibi impositam

Consultatio de parandis armis in Svecia.

1654. *Rationes pro pace.*

positam Senatores quererentur. Ea res in utramque partem disceptabatur. Erant qui *Regno utilius* differe„rent omnem belli occasionem decli„nare, ac pacis commodis frui quam„diu liceat, quæ cum ancipiti & mo„lesta armorum Conditione citra ne„cessitatem permutare durum sit. „Eoque præstare cum vicinis amici„tiam colere, Regnique defensioni „unice invigilare, ac limitaneas muni„tiones milite, ac justo paratu firmare. „Sveciam è gravissimo bello Dei be„neficio eluctatam, paceque gloriosa „potitam; cujus felicitatem ut æqua „mente pati posse videatur providen„dum esse. Igitur temere in arma ne „ruendum, pacive renunciandum, cu„jus solius causa bellum gerere pru„dentes deceat. Equidem Sveciam & „antehac felicia bella gessisse, ac vi„ctricibus Gustavi Adolfi armis è con„temtu vindicatam, atque ita firma„tam, ut facile vicinorum arma elude„re liceat. Sed alia tunc fuisse tempo„ra patriæque nostræ velut debiliori „aliorum auxilia & favorem præsto „fuisse, ac neminem non successibus „ejusdem applausisse. Quin hostes „ipsos velut januam fortunæ Svecicæ „aperuisse, dum eam contemnunt; & „Moscis erepta fere intestino eorum „dissidio in acceptis referri; bellum „Germanicum magnam partem Ger„manorum sanguine & opibus ge„stum. Sed nunc tantis incrementis „potitæ Sveciæ gravem invidiam in„cumbere, cujus specimen nuper tur„bæ Bremenses præbuerint, quæ mul„torum infestos eidem animos nuda„verint. Isthanc metu & suspicione „immensum exasperandam, si adpa„reat, ipsam nullo urgente periculo „valida arma parare. Sane Mosci mo„tum haut insuper habendum; se re„vera ab hoc haut ita grave periculum „imminere, quale jactatur. Nam eo „latere urbes esse & arces egregie mu„nitas, facile vim ipsius elusuras, ut sat „spatii futurum sit parandis armis, si „utique ad manus cum eodem sit ve„niendum. Ac Polonico bello impli„citum haut verosimile esse divisis vi„ribus in Sveciam quoque ruiturum; „cui & semper ab invasionibus Tarta„rorum metuendum, & hactenus ami„citia sat fida cum Svecia culta sit. Nam „ut Poloniam licet satis jam debilita„tam plane pessundet, Moldavum, „Transsylvanum, Tartaros, Turcasque „haut passuros. Danis ut Sveciam „quiescentem ultro invadant, nec ani„morum satis nec virium esse. Ger„maniæ Principes peculiaribus studiis „in diversa trahi; Cæsarem longe re„motum, nec aliunde quid periculi „adparere. Igitur haut temere para„tis præter solitum armis alios irri„tandos, nec, dum incerto periculo, „& in longum prominenti prospici„tur, præsens ac certum attrahendum. „Porro Sveciæ Regnum à natura posi„tu ita opportuno munitum, ut nemini „in proclivi sit istud invadere, ubi quie„tem cordi esse eidem pateat, nec per„petuum bellandi studium ostenda„tur, quo gentem hanc laborare fama „differat. Equidem armatos inter vici„nos supinam negligentiam apricari „exitiosum; sed quæ avertendæ alio„rum invasioni sufficiant modico pa„ratu constare; ac consiliorum dexte„ritate facile pacem servari. Ast in bel„la citra necessitatem ruere placito Di„vini Numinis, legique dilectionis „Christianæ, & communis humani„tatis repugnare. Cogitandos quoque „casus humanos ex improviso incur„rentes, ac incerta fortunæ, nulli se „mortalium mancipio addicere soli„tæ. Quin quo felicius adspiraverit „fortuna, eo acrius vicinorum invi„diam exarsuram, qui junctis consiliis „progressibus se Sveciæ objecturi sint, „ne huic unum vicinum post alterum „evertere vacet.

1654.

§. 51. Enimvero reliqui talia specio- *Rationes pro parandis armis.*
se jactari agnoscebant, si pacis bona se„dendo & quiescendo defendi possent. „Sed nunc eam mortalium conditio„nem esse, ut istis frui secure non de„tur, ni armis formidinem vicinis in„cutere queas. Sveciam bellorum sve„tam, pristina obscuritate dispulsa, per „hæc, inter alios populos autoritatem „sibi circumposuisse: Hanc iisdem re„mediis, quibus parta fuit, conservan„dam. Sane in aprico esse, quantum fa„ma Sveciæ imminuta sit, dum post „tractatus Westphalicos exutis plane „armis in langvidam se quietem com„posuit, & quam multa indigna hoc „spatio devoranda fuerint; & quan„tum ista jam iterum glisscere incipiat, „exiguo bello Bremensi alacriter gesto. „Igitur dulce quantumvis vocabulum „pacis authoritate, securitate, atque „incrementis Regni prodactis caro ni„mis

1654. „mis emi. Copias autem augere, & ſta-
„tis legionibus peregrinos quoque
„delectus addere, easque otio deſides
„pati, id vero eſſe bellum cum ſeipſo
„gerere, ac ſumtibus incaſſum factis
„vires ſuas atterere. Nec noxiam ma-
„gis impenſam, quam quæ in militem
„numero ſuperfluum, eumque otio-
„ſum profunditur, quem annonam
„gratis comedere non oporteat. Quin
„diuturna pace militem molleſcere,
„bellique laboribus tolerandis ina-
„ptum reddi, langueſcente paulatim
„nationis Martio ſpiritu, quem diu-
„turna bella immenſum aluerint. Præ-
„terea falli qui credant, impune nō-
„bis licere de ſola pace cogitare, bel-
„lo tam atroci per vicina circumſtre-
„pente. Et quid turpius ac minus tu-
„tum Regi, quam à vicinorum libidi-
„ne pendere, ac injuriis eorundem ſe-
„ſe opportunum præbere? Sane cum
„Polonis pacem Sveciæ non eſſe, ſed
„inducias duntaxat. Iſti quid nobis
„malorum intentaverint, nemini ob-
„ſcurum eſſe. Et incendium ex ea par-
„te jam fines noſtros adflare. Equi-
„dem Regi animum non eſſe confe-
„ſtim in arma ruere, neque de hiſce in
„præſens ſtatui poſſe, antequam cum
„Ordinibus Regni conſultatum ſit, ſed
„iſtud quæri, num periculoſis hiſce
„temporibus ſecuritas absque armis
„obtineri queat? Tractatus, ſi qui offe-
„rantur, ideo haut rejici; quin ut his
„pondus accedat, arma in promtu ha-
„bere, quam maxime expedire. Quid
„ſi vero Poloni Moſcique poſito inter
„ſe bello junctim Sveciam invadant,
„aut ſi Polonia Moſcorum armis pla-
„ne ſuccumbat? Quæ tunc Sveciæ
„conditio futura ſit, ſi agendi tempora
„otioſo alieni laboris ſpectaculo pro-
degerimus? Ita omnium conſenſu de-
cernitur, arma ſummo eſſe opere pa-
randa, & exercitus, claſſemque quan-
tum poſſint, firmandos.

Armorum paratus quem potiſſimum reſpicere debeat?

§. 52. Aſt decreto quantumvis ar-
morum paratu Rex teſtabatur, non-
dum ſibi conſtitutum bello aliquem
invadere; ſed ob præſentium tempo-
rum conditionem ſuper inſtruendis
armis ad Senatum retuliſſe, conſilio
ipſius exquirendo, ne paratum iſtum
è ſuperflua bellandi prurigine profe-
ctum judicet. Nunc expedire, ut ma-
ture diſcutiatur, in quem potiſſimum
è vicinis oculi vertendi ſint, eo me-
lius occaſioni, ſi qua ſe offerat, obſer-
vandæ, ac ut iſta prius rite digeſta Or-
dinibus proxime conventu eo com-
modius proponi queant. Id igitur fa-
cile conveniebat, hoc armorum para-
tu eo potiſſimum reſpiciendum, ubi
incendium propius advolvatur, res-
que noſtræ maximo fulcimento indi-
geant; eoque ex inimicis illi potius
frontem obvertendam, qui gladium
jam ſtrinxerit, quam qui pace adhuc
immerſus agat. Equidem hanc Sve-
ciæ primam ſemper fuiſſe curam, Da-
ni conatibus maturæ obviam ire, cui
incrementa & commercia noſtra ſub-
ruere intenſiſſimum ſtudium fuit. Et
quanquam iſte exarmatus jam ſit, &
infeſti nihil palam agitare videatur:
tamen prætextum bello quærentibus
non defore, ſi à poſtrema pace acta ex-
cutiantur. Sat agere quoque ipſum
circa firmandam claſſem, cui nullus ni-
ſi adverſus Sveciam uſus ſit. Eundem
per innatum in nos odium imperare
ſibi non poſſe, quo minus omnibus
occaſionibus nocendi nobis immi-
neat, quæ facile naſcituræ ſint, ubi
alio bello longinquo cumprimis di-
ſtringamur. Eum eſſe Daniæ ſitum,
ut in ipſa Sveciæ penetralia terrorem
inferre, & plus noxæ, quam quis-
piam alius dare queat. Contra non
adeo difficile videri Daniam oppri-
mere, ingruente hinc è Svecia, in-
de è Germania exercitu, immenſo
Sveciæ emolumento, ſi oſtia Maris
Baltici in poteſtatem redegerit. Qua
parte ſi Sveciæ cautum ſit, eo ſecu-
rius arma adverſus alios verti poſſe.
Nec parum offenſæ Danum præbuiſ-
ſe inito fœdere cum Belgis, & locato
hiſce vectigali Oreſundico. Et quan-
quam poſterius pactum ſublatum ſit;
id tamen non factum amore noſtri, ſed
metu, ne arma cum Anglis adverſus
ipſum conjungeremus. Immenſum
gliſcere Danorum invidiam in nos,
quod magna pars portuum Maris Bal-
tici in noſtra poteſtate ſit, ac multitu-
dine noſtrarum navium vectigalia iſto-
rum in Oreſunda minuantur. Deni-
que valde periculoſam eſſe Sveciæ, ſi,
quam claſſem nunc in Mari Baltico
Belgæ, Poloni, Danique parturiunt,
ea perficiatur. Igitur ſi quod operæ pre-
tium factura ſit Svecia, ante omnia in-
ſidiatores iſtos contundendos, tergo
noſtro ſemper imminentes. Differeba-
tur contra; in longum prominere,
„quæ Poloni circa claſſem in Mari Bal-
„tico

1654.

An Danum?

1654. „tico moliuntur, nec conſtare, an ad „eam inſtruendam Dani operam jun- „cturi ſint, quorum itidem intereſt, ne „alienæ claſſes iſthoc Mare perſultent. „Nec ſtatim indicium belli eſſe naves „reparare. Ac ſi utique movere ſe „incipiat Dania, eas Sveciæ vires eſſe, „ut ejusdem conatus facile opprimi „queat. Nec judicio orbis adprobari „poſſe, ob quamvis offenſam ſtatim in „arma prorumpere, non tentata prius „amica tranſactione; & quas offenſa- „rum cauſas Danico Legato antea ex- „probravimus, jam fere amotas eſſe. „Sane cum aliquando Guſtavo Adolfo „Regi oſtenderetur, in proclivi eſſe „Hafniam occupare; id etiam obvia „occaſione repudiaſſe, ni juſtam Dani „cauſam præbuerint. Eundem tamen, „cum Chriſtianus IV. Ferdinandi ar- „mis premeretur, decreviſſe Scaniam „invadere, ſtatim atque Cæſarei Fio- „nia eſſent potiti; quod ruente Da- „nia ſibi quoque aliquam ejus par- „ticulam ſitu opportunam vindicare „haut abſurdum foret. Cæterum „nunc quidem cum Daniæ ſtatum „non eſſe, ut hujus metu tanti ſumtus „adparandis armis faciendi ſint; nec „infeſta ejusdem conſilia adeo pellu- „cere, ut ſtatim bello illato occupari „debeant. Nec vero unquam Germa- „nos, Belgas, Anglos conceſſuros à „Svecia Daniam opprimi, ac Septen- „trionis Regna in unam Monarchiam „compingi, omnibus vicinis metum „incuſſuram. Interim adverſus pe- „riculum, quod ab illa parte oriri poſ- „ſit, ſufficere, ſi claſſis in promtu ha- „beatur, ac limitanea oppida probe fir- mentur. Haut eo minus tamen Caro- *Wrangel. Chriſtier. Bonde.* lus Guſtavus Wrangelius, Arfvidus Wittenbergius, & Chriſtiernus Bon- dius contendebant: „ſi adverſus Polo- „nos bellum ſuſceptum fuerit, Danum „Belgis junctum à tergo nos invaſu- „rum, urente inter alia invidia vectiga- „lis ad oram Boruſſiæ, quod ſuperiore „bello tantum fremitum apud vicinos „excitaverit. Nec per proprias ratio- „nes Danos tunc quieturos. Tum & „abductis noſtris copiis Germaniæ „Principes Sveciæ infeſtos ſpatium na- „cturos hoſtibus ſe noſtris jungendi. „Quod ſi igitur Poloni per biennium „adhuc differantur, hique Moſcorum „vim tantiſper utcunque propulſare „queant, forte interim bellum Dani- „cum patrari poſſe. Tunc ubi tergo „jam cautum ſit, tutius Polonos inva- 1654. „di poſſe ſed nec claſſem noſtram ſuf- „ficere adverſus junctas Danorum & „Belgarum maritimas vires, & à limi- „taneis oppidis Calmaria, atque Jen- *Calmar. Jonkop.* „copia malignum ad Sveciam tegen- „dam præſidium. Haut quoque de- „fore idoneum bellandi prætextum „adverſus Danos, queis non adeo ſcru- „puloſe momenta juſtitiæ ac fidei li- „brare ſolitum ſit, ubi Sveciæ nocendi „occaſio arrideat. Cenſebat tamen major Senatus pars à Dania periculum haut ita præſens eſſe, uti ab altero la- tere, nec cauſas belli ita graves; ac ut- cunque res cadat, limitem ſic ſatis ad- verſus Danos defendi poſſe. Nec ita paratos eſſe Belgas, Danosque, aut jam inter ſe conveniſſe, ut ſtatim auſuri vi- deantur bello Sveciam laceſſere. Sa- ne Belgas amicitia Sveciæ indigere, nec Mari Baltico carere poſſe, in quod ſi cum armata claſſe accedant, haut multum profecturi videantur portu deſtituti, ac difficili ad litora Svecica acceſſu. Denique ſi utique in arma erupturos Danos liqueat, alia negotia omitti, ac totam belli molem Daniæ infundi poſſe. Interim minus peri- culum non ita reſpiciendum, ut majus negligatur. Priori cum Polonis bel- lo easdem circa Daniam ſe obtuliſſe conſiderationes; quæ tamen Guſta- vum Adolfum à deſtinatis in Polo- niam non averterint, donec Anno 1624. cum Dano tranſigeret. Sed nec ita pronum videri debere Daniam opprimere, ſi ejus ſocii, oppida, ſitus, viresque expendantur. Quæ & ratio- nes Danum cohibeant, ut non facile intra noſtras ſylvas ac rupes nos ultro invaſurus videatur. Belgas fortaſſe re- petita per Boruſſiam vectigalia ægre laturos; ſed & antea iſtis eadem tole- randa fuiſſe, & quam eo nomine con- ceperant indignationem intra verba ſtetiſſe. Ac ſi utique Dano erumpere in arma placeat, favore tunc Germa- niæ, Galliæ, Angliæ cauſam noſtram haut parum ſublevandam. Quicquid denique à Dania nobis immineat, in diem eſſe, ſed inde præſens inſtare pe- riculum, ubi vicini jam armati ſunt, ac belli flamma fines noſtras lambit. Præ- terea easdem cauſas, eandemque occa- ſionem, quæ nunc ſit, adverſus Daniam nobis ſemper in promtu eſſe; ſed quæ ex altero latere ſe in præſens oſtendat, ubi ſemel è manibus amiſſa fuerit,

 nun-

1654. nunquam redituram. Denique maximam nos invidiam apud Germanos, aliasque nationes incurſuros, ſi Daniam quieſcentem ultro jam oppreſſum eamus. Sed verſis in Poloniam armis neminem nobis vitio daturum, ſi & ipſi ſecuritati noſtræ proſpiciamus, vicinis bello implicitis, ac limiti noſtro imminentibus; cum nemo non pari caſu idem ſit facturus. Eductis quoque è Germania copiis noſtris ſtatim ſuſpiciones Principum Germaniæ ceſſaturas, ac Luneburgicis, aliisque, qui delectibus agendis jam incumbunt, mox tædium ſubiturum milites gratis alendi. Cum itaque ſine dubio ex altera parte apertius ſe oſtenderet periculum, placuit Daniam omittere, nec eo ſecius domi res ita diſponere, ut ipſius infeſti conatus facile propulſari poſſent.

An Moſcum? §. 53. Enimvero ex altera parte Moſcus validiſſimo cum exercitu in Lithuania graſſatus non Poloniam ſolum ſed & ipſam Sveciam terrore afflabat. Ab ipſo Boryſtheni jam, Tanaique ac Smolenſcio manus injectas, unde facultas ipſi ſit domeſtico militi immenſa barbarorum agmina ſociare. Haut incognitum eſſe, quanto ſemper deſiderio iſte æſtuarit, ut ad Mare Balticum pedem iterum figere queat, commerciis ſuis excolendis, quibus ipſe Princeps impenſe deditus eſt, iisdemque maximam ſuarum opum partem debet. Eo fine aliquoties de invadenda Narva, aut Revalia agitaſſe. *Revel.* Cui cum res ita proſpere in Lithuania fluant, haut ægre oppreſſa Curlandia illic ad mare perrupturum. Quin jam tacite bellum nobiſcum gerere, turbatis eo tractu commerciis noſtris; cujus rei fructum proximo vere in Duna ſat appariturum interceptis mercibus, qui eo fluvio Rigam devehi ſolent. Qui & alias non ſine magna ſua moleſtia ad *Archangel.* Fanum Archangeli commercia ſua derivarit, ut in portubus Livonicis ſolitudinem faceret. Inſolentiam iſti natioui congenitam tantis ſucceſſibus immenſum gliſcere; nec dubium eſſe, quin Moſcus Polonis oppreſſis in nos ſit ruiturus; à quo & Livonia jam velut indagine cincta ſit. Et quid novam tituli laciniam ſibi velle, cum verſus occaſum præter Svecicas provincias nihil eidem objaceat? Augeri confidentiam, quod ita ab omni parte ditiones ſuas firmarit, ut facile omnes aliorum invaſiones ſpernat. Perſidem verſus egregias munitiones poſitas. Calmuccos Tartaros ſtata Strelizarum militia coërceri. Turcis ad ipſius fines acceſſum non patere. Crimæis Tartaris validas arces oppoſitas eſſe; quorum & incurſiones parum ab ipſo curentur. Coſaccos ſalutis ſuæ ſervandæ cauſa ſubactos, ut ad ipſius ſocietatem ſe contulerint, quod nulla ſinceræ reconciliationis ſpes ipſis ſit cum Polonis, quas ita atrociter læſerunt. Eundem milite jam, & opibus inſtructiſſimum. Quantos ſpiritus idem gerat vel id eſſe indicio, quod tam futili de cauſa Polonis bellum intulerit; ac haut obſcure crepet, à majoribus ſuis poſſeſſa ſe recuperaturum. Qui & adverſus Sveciam ingentem tractum prætendat Kievengardam usque, & unum ab Uta oppido milliare. Cum ergo iſte animo conſiliis, genioque à nobis diſſideat, imprudens eſſe nos inermes ejus libidini exponere, &, ne flagrante quidem jam ad limitem noſtrum incendio copias eidem repellendo haut expedire; præſertim cum rixandi anſam quæſituro non deſit ſolennes ipſi lites de transfugis, limitibus, & commerciis movere.

§. 54. Polonis denique ſi „tantum *An Polonum?* „virium foret & occaſionis, quantum „animi eſt nobis nocendi, dudum de „Svecia actum fuiſſe. Quid conſilio„rum Uladislaus, quid hic Joannes Caſi„mirus agitarit, in aprico eſſe. Quan„topere à pace iſti abhorreant, Lube„cenſibus tractatibus adhibita ludi„bria loqui. Igitur probe expenden„dum, an non præſens Poloniæ debili„tas in uſus noſtros convertenda ſit, & „tam diuturnæ controverſiæ finis im„ponendus, quando tempora nunc „honeſtas nobis conditiones polli„ceantur. Sane cum Legatus è Polonia „propediem expectetur, mature ne„gotium excutiendum, quo reſpon„ſum ipſi dandum rite temperari „queat. Saltem fortius nunc cum Polo„nis agendum, quam hactenus, & eo„rundem ludibria acrius repellenda. „Ac ſatius fuiſſe, compoſito bello Ger„manico in Canterſteinii locum ju- *Canterſtein.* „ſtam legationem in Poloniam mitti, „quæ citra ambages declararet, ni Po„loni circa componendam nobiſcum „litem æquas conditiones admittant, „arma noſtra ſenſuros. Accedere nunc „aliam rationem, quod verendum ſit, „ne Polonia nimium debilitata Moſco

„plano

1654. „plane ſuccumbat; quod ne fiat Sve- „ciæ quam maxime intereſſe. Unde „Polonis inter iſtam neceſſitatem hæ- „rentibus fortius jam poſſe denuntia- „ri, ut aliquando bona fide ad compo- „nendam controverſiam deſcendant, „exprobratis, quæ adverſus induciarum leges deliquerint; ut intelligant, „ni amicam tranſactionem occupent, „æque nobis partem Poloniæ invade- „re in promtu fore, quam Moſco. „Quod ſi tranſactio ſequatur, poſſe „nos Polonis adverſus Moſcos inſignem operam navare: ſin minus, occaſione in rem noſtram utendum eſſe. Unde vel juvandos Polonos, vel „opprimendos, prout ipſi ſe dederint. „Eo fine copias, quæ in Bremenſi provincia hoſpitentur, ſtatim in Pomeraniam traduci poſſe, oſtentando Polonis cominus terrori; aut ſi æquas „leges adſpernentur, facili in Poloniam „irruptione. Equidem quinquennium adhuc induciis reſtare; ſed ut „eas abrumpamus multas nobis gravesque cauſas ſuppetere; & tam commodam occaſionem dictare, ut nunc „potius litem tam moleſtam expedire „debeamus, quam poſt pauculos annos, temporibus mutatis. Nec opus eſſe, ut ſequeſtrium interventionem adhibeamus, ac repetitis toties „ludibriis nos iterum præbeamus; „cum conſtet, Polonos ſemper adhibita verborum modeſtia tempus extraxiſſe, quoad demum occaſio idonea adverſus nos præbeatur. Ac nuper, dum quam maxime apud iſtos „conſilia agitantur de Belgarum claſſe „in Mare Balticum arceſſenda, Canaſlium huc miſſum de pace & amicitia „multis acerbis perſtrepentem. Eidem „confirmationem induciarum petenti, & tractatus offerenti per Cancellarium denunciatum; Regem huc non „deſcenſurum, ni Legati cum plenis „mandatis in Sveciam accedant. Jam „denuo inferioris gradus ablegatum „venire, pariter ſpem juſtæ legationis „facturum. Iſta ludibria cum diutius tolerare indignum ſit, tandem „aliquando maſcule agendum, ac nulla circuitione declarandum; Polonis, „ni confeſtim tranſigant, amici nil expectandum. Nam tractatibus, niſi „ab armis vigor accedat, apud illam „nationem nihil profici: ſed ubi ſerio „rem à nobis agi viderint, ſpem eſſe, „aliquando poſitis tergiverſationibus „bona fide ad rem acceſſuros. Denique longa pace milites Ducesque noſtros ſeneſcere, & vigorem nationis „in arma pronæ otio langueſcere; ac „gloriam nuperis bellis partam ſubinde novis ſpeciminibus renovandam, ne obſoleſcat. Ita placebat, armorum paratu, qui ſuſcipiendus ſit, cumprimis Poloniam reſpiciendam. De bello tamen ſtatim decernere intempeſtivum adhuc videbatur; ac inſtructis armis optime Regem judicaturum, in quem potiſſimum eadem vertenda ſit. 1654.

§. 55. His ita diſcuſſis Rex ulterius Senatui expendendum dabat: ſi Polonia tranſactionem admittere, & prætenſioni in Sveciam & Livoniam renunciare velit, num eo acquieſcendum, ac miles mox iterum exautorandus, an vero longius procedendum ſit, & cautionis in vicem, ac reparandis ſumtibus in militem factis provincia quædam poſtulanda? *Sane malignam eſſe cautionem, quæ ſola charta, & atramento conſtet; ac fortaſſe alios prærepturos, quorum acceſſio Svecia tam decora juxta atque fructuoſa ſit futura. Nec dolorem ceſſa Boruſſia adhuc exoleviſſe, quam niſi data occaſione recuperatum eamus, ignavia, ac ſtuporis infamiam eſſe metuendam. Quin nec à Moſco metum permittere, ut conductus miles mox iterum dimittatur; quem & ſubita exautoratio valde nobis alienatura ſit, & ad æmulos noſtros transeundi neceſſitatem eidem allatura. Nam negotii magnitudinem requirere, ut præter indigenam militem etiam extraneus conducatur. Cui ut ſtipendia & præmia ex alieno peti queunt curandum eſſe. Ac victoriam & arridentem occaſionem haud in uſus ſuos vertere ſtolidum haberi.* *Quousque adverſus Polonos procedendum?*

§. 56. Fit itaque Senatus conſultum in hanc ſententiam; *Rex inſigni armorum paratu ſe inſtrueret, non ſolum ſuppletis Legionibus domeſticis, ſed & conducto milite extraneo, ut idonea vires in promtu ſint propulſandis periculis, quæ patria obvenire queant, usque occaſionibus frui poſſit, è bello cumprimis Moſcos inter & Polonos jam fervente naſcituris. Præcipue autem oculos in Poloniam vertendos, tuſum confuſis ac debilitatis rebus comparandum, ut* *Senatus Conſultum ſit. 11. Dec.*

1654. *diuturnæ cum ipſa controverſia finis imponi queat non ſine Svecia incremento. Et quia Regi ad adparatus belli magna ſint impenſa faciendæ, par eſſe, ut præter abolitionem veteris litis Poloni quoque ad præſtandam cautionem de non offendendo in poſterum, refundendosque ſumtus compellantur. Huc ut Poloni ultro deſcendere velint, optandum eſſe: tergiverſantes armis*

Morſtin. *cogendos: idque Morſtenio Polonorum Ablegato protinus denuntiandum, ut intelligant, citra moram jam tranſactioni manum admovendam, quod tam Svecia quam Polonia regni rationes haut ferant, rem iſtam in ancipiti hærere. Haut quidquam tamen Senatum ſuadere, ut ſtatim bellum ſuſcipiatur, ad quod conſenſu Ordinum opus ſit; ſed ut omnibus periculis mature obviam iri, patriæque commodum rite obſervari queat. De cætero Regis judicio relinqui, qua ratione iſta omnia pro captu temporum atque eventuum executioni ſint danda.*

Status vicinorum. §. 57. Hiſce porro deſtinatis præſens Germaniæ facies, quæ probe conſtituta iisdem maxima obſtacula potuiſſet objicere, mire videbatur favere, diſtractis Ordinum animis, ac multorum in Domum Auſtriacam invidia: quæ & ipſa non parum vacillabat morte Ferdinandi IV. Romanorum Regis, vergente Ferdinandi III. ætate juxta ac valetudine, ad nondum adulto Leopoldo, Catholicis Ordinibus nulla inter ſe conjunctio; & ab Evangelicis Svecia iterum reſpici cœperat, ob exploratam novi Regis virtutem, quæ conſilia, & actiones à nuperis plane diverſas minabatur. Tum & Hungarorum nunquam tanta fuerat contumacia circa aſſumendum Regem Leopoldum, qui Auſtriacis primus eſſe gradus ſuevit ad Cæſareum diadema. Brandenburgicum, ſi quid turbet, compeſcere haut in arduo fore. Saxonem ſenio debilem nuſpiam ſe commoturum. Bavarum è præcipuis fore, qui impediturus ſit, ne Auſtria iterum arma induat. Eandem cum Bavaro Colonienſis mentem eſſe. Cæterum cum paulatim innoteſceret, Poloniam à Svecis peti, Auſtriacis non parum ſolicitudinis injiciebat gliſcens iterum Sveciæ potentia ſub Rege ſpectatæ virtutis, ac prudentiæ; quod ipſorum maximè intereſſet Poloniam ſervari. Et 1654.
dixerat Ferdinandus, *invidendam quidem eſſe Svecia tam egregiam occaſionem: ſatius tamen eſſe iſtam cum Polonis implicari, & tantiſper luctari, quo ſpatium ſibi fiat rebus ſuis interea melius diſponendis.* Moſcus, ſi ſana mens foret, credebatur Sveciæ conatibus cumprimis fauturus, velut qui progreſſibus ejusdem adverſus Polonos magnam felicitatem adferre poterant, horum viribus alio averſis. Dania debilis, ac ſuſpicionibus Equeſtris Ordinis adverſus Regem diſtracta, haut temere videbatur alienam calamitatem in ſe derivatura. Belgæ quoque Fœderati proximo cum Anglis bello ſat infeliciter defuncti, ſimul internis diſſenſionibus, & factionibus diſtracti haut facile novis ſe bellis immerſuri credebantur, imminente cumprimis Angliæ Protectore Olivero Cromvello recens conciliato, quem æmulatio paſſura non eſſet, ipſos ex alienis turbis inſigne emolumentum quæſitum ire; cum præſertim eidem privatæ rationes neceſſitatem adferrent arma terra marique ſemper in promtu habendi. Cujus & publice juxta privatimque intererat, Sveciæ arma vigere, ac per ea Proteſtantium potentiam gliſcere; idemque bello Hiſpanis indicto Auſtriacorum vires non parum diſtrahebat. Sed & Gallorum arma, quibus inteſtinæ turbæ per aliquot annos languorem attulerant, jam iterum effloreſcere, ac Hiſpanis prævalere cæperant. Ipſa porro Svecia tunc ducibus egregiis, atque militibus florentiſſima, qui ſimile Germanico bellum augurantes cupide in novam expeditionem ruebant. Nec in Germania minus Svecicorum armorum favor, ac prædæ ſpes affatim virorum delectibus Regis alliciebat. Ita iſti bello omnia mire videbantur favere, ſolo excepto ærario, quod jam plus ſatis exhauſtum ære alieno premebatur. Unde quæ parando bello, & conducendo militi requirebatur pecunia, à privatis fere mutuo ſumebatur, maligno ad diuturnitatem fonte. Simul è Boruſſicis vectigalibus idem, qui ſuperiore bello proventus ſperabatur, quem ad ſepties centena uncialium millia annua adſcendiſſe conſtabat. Quæ ſpes cum deinde falleret, non minus quam quæ

in

1654. in ſubſidiis Anglicis & Gallicis reponebatur, haut mirum eſt, bellum ea, qua cœptum erat, mole continuari non potuiſſe.

Miſſio ad Brandenburgicum.

§. 58. Porro quia Brandenburgicus Elector, velut quem Poloniæ res ita prope tangebant, otioſus ſpectator haut credebatur futurus, qui & delectibus agendis ſat diligenter hactenus operatus fuerat, & cum Colonienſi Electore Luneburgicis, Belgis, aliisque fœdus agitaverat; Rex Bartholomæum Wolfsbergium Reſidentis dignatione Berolinum mittebat, conſiliis ejusdem explorandis. Inprimis inveſtigare is jubebatur, numquid armorum in Boruſſia Elector paret adverſus propinquans ibi à Moſcis periculum: num quæ ipſi rationes cum Gedanenſibus intercedant: num forte Major Polonia ejusdem protectionem ambiat. Quod ſi Elector ſciſcitetur, an non Regi placeat à ſe circa inſtaurandos cum Polonis tractatus operam navari, reſponderet: Pactis cautum, ut durantibus induciis ſemel atque iterum ſuper pace componenda negotiatio ſuſcipiatur: idque jam factum. Cæterum perſpectum fuiſſe, Polonis pacem haut quidquam cordi eſſe: ac Regi ſtare iſtorum ludibria haut ferre. Eoque Electorem dextre à conſilio inſtaurandorum tractatuum averteret.

Polonorum miſſio in Sveciam.

§. 59. Aſt Polonis, quanquam à Canaſilio relata non exiguam ſolicitudinem injecerant, nonnulla tamen ſpes blandiebatur è turbis Bremenſibus concepta, velut hæ in juſtum bellum evaleſcentes Regis cogitationes à Polonia averſuræ eſſent. Nec minus Rex Joannes Caſimirus majore quam antea ſtudio Coſaaccos ad compoſitionem allicere, oblata ſatisfactione, & novis in Livonia ſedibus, genti maritimis excurſionibus ſuetæ egregiam prædandi occaſionem præbituris. Vix etiam crediderat, Carolum Guſtavum ſtatim in bellum erupturum, diademate nuper in novam familiam illato, luxatis domi rebus, & maturæ ordinationis indigis, ac ſolio nondum per ſobolem firmato. Sed ſubſidente Bremenſi flamma cum indies Svecorum adparatus bellici magis increbeſcerent, prudentiſſimus quisque è Svecia ingentem Poloniæ tempeſtatem animo præcipiebat. Unde & conventu Grodnæ habito Senatores Joanni Caſimiro ſuadebant, ut Svecis utique ſatisfaceret, omiſſo Regni Sveciæ titulo. Idque ut decore & ſalva authoritate fieret, eam ceſſionem Carolo Guſtavo in doni nuptialis vicem offerret. Enimvero id conſilium non abſurdum, & generoſo Regis animo devinciendo, ſimul conciliandæ Polonis moderationis famæ cumprimis idoneum, in irritum cadebat, quod Johannes Caſimirus ad nuptias non eſſet invitatus. Unde mox capto à Moſcis Smolenſcio, ac ingentibus Coſaccorum progreſſibus Andream Morſteinium in Sveciam mittere Poloni properabant, qui gratulatione ſuper novo Regno apud Carolum Guſtavum defungeretur, ac de confirmandis, aut prorogandis induciis, vel conſtituenda plena pace moveret. Quod ſi Svecos in eam pronos inveniret, Goraiſcius tractatibus adornandis eodem ſecuturus erat. Qui & acriter Joanni Caſimiro inſtiterat, ut quovis modo cum Svecis tranſigeret, quod Carolo Guſtavo à nemine vitio verti poſſit, ſi ea controverſia quamprimum defungi velit.

Goraiski.

Diſpoſitio per Livoniam.

§. 60. Prævalentibus Moſcorum in Lithuania armis proxima periculo erat Livonia; cui tuendæ Rex Guſtavo Hornio ejus provinciæ tunc Gubernatori injungebat, ut militem ibi in procinctu haberet; tum Moſci, Polonique actiones accurate obſervaret. Simul Curlando de amicitia Regis confirmaret. Lithuanorum quoque animos exploraret, num ſuper adſciſcenda ſibi protectione Svecica agitent; eisque ad hanc ambiendum ſtimulos ſubderet. Cæterum delectibus agendis incumberet, ac plures legiones è Finnonia evocaret, ut iſti eo præſentius ſibi ſubſidium penes Sveciam paratum ſentiant. Citra ſtrepitum tamen omnia adminiſtraret, & deſtinata ſilentio tegeret, ne intempeſtive erumpant. Moſcum quippe novis ſuis titulis, aliisque poſtulatis non parum ſuſpicionis injicere, ne forte ambitio & cupiditas ad plura tentanda ipſum invitent, præſertim ſi non plus virium, quam hactenus, à Polonis ſibi opponi ſentiat. Et ſecuritatis Sveciæ quam maxime intereſſe, ne Moſcus in Curlandia, & ad Mare Balticum pedem figat, eoque ipſo Livoniam velut indagine cingat. Quod ſi tamen Moſcus in propriam

1654. ditionem copias retrahat, ac eas per interiora Ruſſiæ in hiberna diſtribuat, frigidius rem gereret, ne intempeſtivus motus ſuſpicacem gentem advertat, atque irritet. Ubi propius moveat Moſcus, alliciendos eſſe Lithuanos, & ſub patrocinium recipiendos, modo de ipſorum fide ſatis cautum ſit. Eo caſu Moſco teſtaretur; in ipſius offenſam nil ſuſcipi, ſed tantum in tutelam admitti veteres amicos Sveciæ, qui ſervandæ ſuæ ſaluti ac libertati à Polonia ad Sveciæ protectionem ſe conferant; ac confidere nos ob amicitiam inter Sveciam & Ruſſiam nil hoſtile iſtis illatum iri. Sicuti & Chmielinſcius Regi literis cave-

Chmielinski.

rit, ſe cum Coſaccis haut infeſti quid intentaturum locis, ubi Sveciæ vexilla erecta ſint. Viciſſim nec Moſco iis è locis hoſtile quid inferendum. Sed eo caſu opus eſſe, ut copiæ in promtu ſint, dictis autoritatem addituræ. Cæterum ut præcipua provinciæ oppida probe munita & inſtructa ſint, curaret, & per hiemem fines tueri ſatis haberet. Nam domi omnia juſtæ expeditioni parari, & militem paſſim per Germaniam ſine ſtrepitu conduci, ut ſi quid proximo vere ibi ingruat, tota mole occurri queat. Interim in apricum proditurum, quid à Polonis expectandum ſit. 1654.

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM
A
CAROLO GUSTAVO
GESTARUM
LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPITOME.

1655. MOſteinei legatio in Sveciam. 2. Senatus Sveciæ ad Senatum Poloniæ ſcribit. 3. Polonorum ad eas literas declaratio. 4. Regis ad Ordines Sveciæ propoſitio. 5. De reductione bonorum Coronæ. 6. Conſultatio ſuper bello Polonico. 7. Ordinum ſententia. 8. Decretum comitiale. 9. Decretum ſuper ſacris. 10. Legatio Tartarica. 11. Miles conſcribitur. Germaniæ Principibus ſuſpicio eximitur. 12. Wittenbergii mandata. 13. Polonorum in Sveciam legatio. 14. Wittenbergius in Poloniam movet. 15. Idem in copias Majoris Poloniæ tendit. Super deditione cum Polonis agitur. Duo Palatinatus Majoris Poloniæ ſe dedunt. 16. Wittenbergii progreſſus per Majorem Poloniam. 17. Rex è Svecia diſcedit. 18. Claſſis ad oram Gedanenſem mittitur. 19. Super tractatibus Polonicis mandata. 20. Rex in Poloniam tendit. 21. Joannes Caſimirus ad Regem legatum mittit. Przienſcii oratio. 22. Regis reſponſum. 23. Rex in Joannem Caſimirum tendit. 24. Warſavia occupatur. 25. Regis ad ulteriores progreſſus diſpoſitio. 26. Rex in hoſtem tendit. Conflictus ad Czarnovam. 27. Hoſtis ad Cracoviam pellitur. 28. Prælium ad Donaicam. Joannes Caſimirus à Regno profugit. 29. Cracovia deditur. 30. Quartiani Carolo Guſtavo ſe dedunt. 31. Rex Ordines Poloniæ ad deditionem invitat. 32. Exercitus Polonicus ſe dedit. 33. Plerique Palatinatus Poloniæ ſe Regi ſubmittunt. 34. Multi alii ſe edunt. 35. A Leſſinio Warſaviæ acta. 36. Svecorum exigua damna. 37. Stenbockius bene rem gerit. 38. Ab Henrico Hornio acta. 39. Per Lithuaniam geſta. Dunebúrgum à Svecis expugnatur. 40. Mandata Gardio data. 41. Gardius Moſcos demulcet. 42. Idem Lithuanos ſolicitat. 43. Radzivilii cum Svecis tractant. 44. Conventio cum Radziviliis. 45. Sveci Lithuaniam ingrediuntur. 46. Lithuani Carolo Guſtavo ſe

1655. ſubdunt. 47. Gardius Lithuanos in fidem recipit. 48. Idem in Boruſſiam abit. 49 Cum Curlandiæ Duce actitata. 50. Rex Cracoviæ res ordinat. Idem Cracovia diſcedit. 51. Czarnecii copiæ diſſipantur. 52. Chmielinſcius Regi amicitiam offert. 53. Gedanenſes incaſſum ſolicitantur. 54. Elector Brandenburgicus deſtinata Regis explorat. 55. Idem de fœdere cum Rege movet. 56. Regis mandata circa fœdus cum Brandenburgico. 57. Tractatio cum Brandenburgico ſuſcipitur. 58. Ea tractatio inanis eſt. 59. Elector Boruſſiæ defenſionem ſuſcipit. 60. Rex in Boruſſiam tendit. 61. Boruſſia invaditur. Thorunium ſe dedit. Carolus XI. naſcitur. 62. Elbinga ſe dedit. 63. Stenbockii geſta. 64. Inter Regem & Electorem mutuæ exprobrationes. 65. Elector ad tractatus urgetur. 66. Tractatus agitatur. 67. Fœdus inter Regem & Electorem. 68. Pacta feudalia. 69. Pacta peculiaria ſuper Warmienſi Epiſcopatu. 70. Joannes Caſimirus vires reparat. 71. Rex Cæſari cauſas belli Polonici probare ſtudet. 72. Cæſar à Polonis ſolicitatur. Cæſaris conſiderationes. 73. Rex denuo Cæſari ſcribit. 74. Brandenburgicus Cæſarem in Svecos incitat. 75. Rex Moſci amicitiam conſervare ſtudet. 76. Legatio in Moſcoviam. 77. Moſci averſos ſe Svecis oſtendunt. 78. Legati Svecici in Moſcoviam proficiſcuntur. 79. Alia cum Moſcis controverſia. 80. Rex amicitiam cum Dano conſervare ſtudet. 81. Negotiatio circa fœdus cum Danis. 82. Danorum motus & conſilia circa bellum Polonicum. 83. Rex Belgas delinire nititur. 84. Belgarum in Regem machinationes. 85. Eas Rex elidere conatur. 86. Anglorum amicitia affectatur. 87. Fletwodus in Angliam mittitur. 88. Chriſtierni Bondii in Angliam Legati mandata. 89. Svecicorum Miniſtrorum in Anglia negotiatio. 90. Belgæ Svecorum negotiationi ſe opponunt. 91. Dubitationes circa fœdus cum Cromvello. 92. Negotiatio Bondii languet. 93. Galliæ tunc habitus erga Sveciam. 94. Acta cum Ragozio. 95. Turcicus Legatus ad Regem venit.

Innu-

Mminentem à Svecia Polonis tempeſtatem non obſcure per Canaſilium ſuperiore æſtate denunciatam, quo minus hi mature declinarent, Rex Joannes Caſimirus potiſſimum in cauſa fuerat. Quanquam enim Senatus atque Ordines ejus Regni moleſtam controverſiam cum Svecia componi cuperent, ne duobus jam hoſtibus tertius accederet; ac eo ipſo tempore Princeps Carolus Ferdinandus, non modicum tranſactionis obſtaculum, facto conceſſiſſet; Joannes Caſimirus tamen temporibus obſecundare neſcius, modo hæc modo alia conſilia agitabat exitum non invenientia, ac novis ſubinde vellicationibus Carolum Guſtavum; ut omnem dubitationem abrumperet, ſubigebat. Venerat ſub exitum ſuperioris anni ab iſto miſſus in Sveciam Andreas Morſteinius; ſed qui nulla agendi facultate inſtructus præter veteres inſultationes, novasque morarum ambages nihil adferebat. Sane literæ, quas exhibebat, legationi fidem facientes non uno modo vitioſæ repertæ. Cautum erat pactis induciarum, ut Reges ſibi invicem ſcribentes titulos ſuos ternis abrupti ſermonis ſignis truncarent. Sed hiſce literis Polonico quidem titulo tria ejuſmodi ſigna, Svecico non niſi duo adpoſita erant. Minuta in ſe res, ſed in qua libido inſultandi, & vellicandi Regem æſtimabatur, & quod prærogativæ quid à Polono affectari apparebat. Addĭtus erat in fine literarum numerus *Regnorum Caſimiri*, velut præter Poloniam etiam Sveciæ imperitaret. Cum igitur iſtæ Morſteinio non ſine exprobratione redhibitæ eſſent, hic obſoleto colore imperitiam Scribæ arguebat, errorem iſtum emendatum iri pollicitus. Adferebantur mox novæ literæ, quas Rex Joannes Caſimirus lacrymabundus ſubſcripſiſſe memoratur, non ſine horrore, quod irritam Morſteinii in Svecia negotiationem auguraretur. Sed nec iſtæ acceptari poterant, quod tres Coronæ Regni Sveciæ inſigne Polonici Regni ſigillo inſertæ conſpicerentur, quæ antea inter præcipuas cauſas abrupti tractatus Lubecenſis fuerant. Unde Rex declarabat, ob iſtud literarum vitium audiri iſtum à ſe non poſſe. A Cancellario tamen Regni Erico Oxenſtierna ad colloquium admiſſus „oſtendebat; Joannem Caſimirum „nullo modo à ſe impetrare poſſe, ut „Legatos in Sveciam mittat, ac ſe dunataxat veniſſe expediendis tractatuum „præparamentis, quo loco & tempore, quibusve ſequeſtribus hi ſuſcipiendi forent. Ad hæc paucis interjectis „diebus Oxenſtierna juſſu Regis Morſteinio ſignificat: Regem è colloquio „ipſius ſecum habito, & literarum fidei exemplo ſatis perſpexiſſe, Joanni „Caſimiro Regi parum cordi eſſe controverſias inter hæc Regna componere, præſertim cum ipſe nulla tractandi aut concludendi facultate inſtructus acceſſerit. Quamvis autem „Rex pactis induciarum non amplius „obſtringatur ad inſtaurandos tractatus: id tamen amori pacis tribuere, „ut ſiquidem agendi modus Canaſilio; à ſe propoſitus Regi, Ordinibusque Poloniæ placeat, eum animum „alia-

Morſteinii legatio in Sveciam.

1655.

Regnor. noſtror.

24. Jan.

27. Jan.

1655. „allaturus ſit, qui quantum in ſe ad ſu„premam iſti negotio manum impo„nendam facere queat. Quam tamen „ſententiam mutare integrum ſibi fu„turum ſit, ubi dictum agendi mo„dum à Polonis repudiari intellexerit. „Unde conſultum videri, ut Morſteinius citra ulteriorem temporis ja„cturam in Poloniam remeet, denun„ciaturus, ut ſi Regi Reique publicæ Po„loniæ perpetua cum Svecis pax cor„di ſit, eas rationes ineant, quæ teſta„tionibus, quas de animo Polonorum „Canaſilius fecerit, Regisque Caroli „Guſtavi intentioni congruant. Enimvero Morſteinius moras quærere, emendatas fiduciæ literas, pleniorem-que agendi facultatem polliceri: quæ dum afferretur, Upſaliam interim ſe, & fodinas æris luſtraturum ferebat. Sed vetabat id Cancellarius, quod diuturna ejusdem in Svecia commoratio inutilis judicaretur, utpotè tempori incaſſum extrahendo inſervitura, & Moſcis ſuſpicionem injectura, quaſi quid in ipſorum fraudem cum Polonis agitetur. Compertum mox eſt, hanc miſſionem id quoque ſpectaſſe, ut Polonis animus adderetur, ipſorumque delectus promoverentur, velut Svecis arma adverſus Moſcos ſociaturis; quod citra hanc ſpem nemo eorundem militiæ nomen dare vellet. Aſt Carolus Guſtavus ſerio rem agere, & abruptis morarum & cavillationum ambagibus negotio finem imponere cupiebat: præſertim cum Canaſilius pollicitus fuiſſet, Goraiſcium Holmiam venturum tractatibus concludendis. Ac interpoſita mora, quam deſignatio loci tractatibus ſuſcipiendis, legatorumque eodem miſſio paritura erat, maximi ſumtus, colligendo exercitui impenſi in caſſum peribant, ni vel extemplo controverſia finiretur, vel in expeditionem copiæ educerentur; Polonis interim inani opinione amicitiæ Svecicæ emolumentum ſuum quæſturis. Quod ſi rationi apud Polonos locus non ſit, rem gerendo & hos in Ordinem redigi, & plus autoritatis apud Moſcos obtineri poſſe. Polonis ſi bona fide pacem affectent, haut in arduo fore viam eidem expediendæ invenire. Morſteinium diutius heic hærere indecorum ſibi, vitioſa literarum forma illuſo; ac cito in Poloniam regreſſum majus operæ pretium facturum Regi atque Ordinibus cardinem negotii repræſentando, & quanta ipſis tempeſtas incubitura ſit, ni ſolidam & expeditam tranſigendi rationem occupent. Sed nec veroſimile videbatur, Joannem Caſimirum tanto negotio Morſteinium fuiſſe adhibiturum, ſi de eodem finiendo ſerio cogitaret. Morſteinius reſponſo accepto jactabat: Tale ſe non expe„ctaſſe à Rege, quem paci pronum ju„dicarit. Et ſi eidem inſiſtatur, nil ſu„pereſſe, quod in Svecia agat. Haut „eſſe è dignitate Regis ſui legationem „in Sveciam mittere; ac priores tra„ctatus ſequeſtrium interventu inſti„tutos, qui nunc citra offenſam negotiatione excludi haut poſſint. Velle „tamen alias fiduciarias literas expectare. Quæ & poſt allatæ ſunt, vitiis intus emendatis, ſed mendoſo Sigillo obſignatæ, & non niſi præliminarem conventionem ſpectantes, qua adornanda Carolus Guſtavus tempus terere nolebat. Ita Morſteinius audientia Regis excluſus, cum aliquot menſes Holmiæ hæſiſſet, irritus in Poloniam revertit. Equidem ut iſti ſaltem adire Regem daretur, Legatus Gallicus, & Brandenburgicus operam dabant. Sed placitum Regis, blandiens ſpes, ac opportunitas temporis omnibus, quæ adferebantur rationibus potior erat. Additum tamen, gratum Regi fore, ſi Legatus plena cum poteſtate ad ſe huic vel alibi accedat, qui cum citra ambages, ac nullo ſequeſtre negotium componi queat.

1655.

§. 2. Urgendis eo magis Polonis, ac ut penitius mens eorum explorare-tur. Rege jubente Senatus Sveciæ ad Poloniæ Senatum literas in hunc ſenſum dat: Acceſſiſſe ad Reginam Chri„ſtinam à Poloniæ Rege miſſos, qui „pacis promovendæ ſtudium verbo „præſe tulerint. Veniſſe nuper pari „obtentu Morſteinium, ſed cujus li„teræ, quibus aditum ſibi ad Regem „ſtructurus erat, talia expreſſiſſe, quæ „magis irritandis, quam componen„dis diſſidiis faciant. Dediſſe tamen „id candori animi ſui Regem, ut per „ipſos Senatum Poloniæ moneat; ſta„re ſibi aut ſolidam, duraturamque a„micitiam ſtruere, aut ſuam Regnique „ſecuritatem ab aliorum injuriis, ac „imminente periculo ea via aſſertum „ire, quam & judicio totius orbis, & „ipſorum Polonorum conſcientiis ad-

Senatus Sveciæ ad Senatum Poloniæ ſcribit.

„pro-

1655. „probare queat. A Svecis hactenus „nihil neglectum ineundæ compoſi„tioni idoneum. Enimvero Lubecæ „deprehenſum, Polonicis Legatis de„fuiſſe idonea mandata, nec eosdem „amore pacis permoveri potuiſſe, ut „de eo quid remitterent, quod nec „Sveciam negligere decebat, nec Po„loniæ perviciſſe proderat. Iſthæc è „pertinacia cum ſimilium congreſ„ſuum ſimiles eventus præviderentur, „internuntiis Polonicis denuntiatum „fuiſſe, indecorum eſſe, & intolera„bile, inanibus ludibriis amplius ſe „præbere. Fuiſſe ſemper, & eſſe ad„huc ſibi deſiderium honeſtam cum „Polonia pacem ineundi, modo Re„gum juſte ſibi imperantium, & Re„gni Sveciæ dignitati, & ſecuritati „cautum ſit. Declaratum fuiſſe Ca„naſilio, non congruere utriusque „noſtrum honori, neque ad finien„das noſtras lites prodeſſe, ad prio„rem tractatuum morem rumoribus „duntaxat præbere materiam, Sequeſtribus moleſtiam faceſſere, ſpecioſo adparatu omnium populorum „oculos in nos convertere, inde irri„to diſceſſu iisdem ludibrium debe„re, mutuis inter nos odiis, ac ſuſpi„cionibus non parum exacerbatis. „Hoc pretio nullos ſibi amplius tra„ctatus placere; iisque ſemel atque „iterum incaſſum tentatis ad eosdem „repetendos non amplius teneri. „Unam tantum viam ſupereſſe, ut à „Joanne Caſimiro Rege Legatus ple„na cum agendi facultate in Sveciam „mittatur, componendæ liti prope„modum obſoletæ, & rationes no„ſtras unice ſpectanti. Secus ſi fiat, „indicio fore à Polonis pacifica conſi„lia haut agitari. Iſthæc cum Cana„filius dudum in Poloniam nuntiare „juſſus ſit, veniſſe nuper Morſteinium „literis inſtructum Regi Regnoque „Sveciæ ignominioſis, quibus excu„ſandis haut ſufficere errorem ſcriba„rum obtendere. Unde neque re„cipi literas, nec internuntium audi„ri à Rege potuiſſe, cui & ſignifi„catum ſit, non eſſe; quod alias il„le à Joanne Caſimiro Rege literas „moretur, cum non niſi de loco tra„ctatuum deſignando in mandatis ha„buerit. Nec tamen ideo pacem à „ſe repudiari, modo ejus componen„dæ iſta ratio ineatur, quæ Canaſi„lio indicata fuit. Id ſe ipſis ſignifi- 1655.
„care voluiſſe, ut pro ſua prudentia „cauſas litis hucusque productæ di„ſpiciant, ſimul intelligant, iſthunc „agendi modum conciliandis longo „diſſidio exaſperatis animis haut con„gruere. Ac ſua parte nunquam o„miſſum quid amicitiæ ſtabiliendæ. „Num paria ipſi fecerint, rem ipſam „loqui. Ut alia in præſens fileantur, „jam cum maxime pacis nomen jacta„tur, intolerando modo Regem, „Regnumque Sveciæ inſultari. Num „ita decuerit fieri, penes ipſos „judicium fore. Quocunque res ea„dat literas haſce ſinceri ſui in pacem „ſtudii teſtes fore.

§. 3. Literas iſtas Joannes Kochius Andreæ Leſſinio, Gnesnenſi Archiepiſcopo Lovvicii tradidit. Is privato colloquio fatebatur, Regem Joannem Caſimirum tum antea, tum nupero conventu menſe Martio habito varios ſcrupulos circa prætenſum jus in Sveciam moviſſe. Equidem Uladislao, cum Poloniæ Rex eligeretur, pure fuiſſe cavendum, ſe ob eam controverſiam Regnum Poloniæ bello, aut quavis moleſtia haut involutarum. Sed Joannem Caſimirum conditionem infarſiſſe præſtandæ penſationis, *neſcio quæ conſilii, vel etiam indulgentiæ, aut potius negligentiæ ratione*, ea verba ipſius erant. Enimvero Rempublicam nil eidem penſationis debere, nec quid unquam daturam, cui & nihil privatæ controverſiæ cum Rege & Regno Sveciæ intercedat. Ordines proprio motu prætenſione ſua ceſſuros: id exemplum Regi ſequendum fore. Cum de Morſteinio mentio incidiſſet, Archiepiſcopus errorem Cancellariæ excuſabat. Sed cum Kochius reponeret, Morſteinium confeſſum mandata ſua è decreto Senatus expedita fuiſſe, nil quod reſponderet habebat. Cæterum is multa de ſtudio ſuo in pacem teſtatus, apud Regem omnem ſe operam daturum confirmabat promovendæ transactioni. Exemplum literarum ad abſentes Commiſſarios circummiſſum iri: mox reſponſum à toto Senatu expediendum. Id ſequenti menſe ſcriptum Hieronymus Zavvorius in Sveciam pertulit. Hic menſe Junio Holmiam delatus præter literas ad Senatum nihil habebat, quo fidem ſibi face-

Polonorum ad eas literas declaratio 9. April. Leſſinski, Lovvicz.

Senatus Sveciæ ad Senatum Polonicum.

15. Maji. Zavvorius Holmiæ 15. Junii.

1655. ret publicæ missionis, præter diploma tuti itineris, quod ultro nemine poscente exhibuit, titulum Svecicum Regi Poloniæ adsuens; cum isto plane opus non foret Gedano recta hac maritimo itinere venienti, nec exteri cujuspiam territorium attingenti. Id quod & ipsi exprobratum. Cæterum iis literis Senatus Poloniæ probato Svecorum in pacem studio, agendique candore, à se nihil paci constituendæ omissum testabatur, Legatis Lubecam missis; qui quare infecta re discesserint, sui judicii non esse. Suo Suasu inde missus Canasilius cum retulisset, Carolum Gustavum Holmiæ citra ambages rem velle transigi, intempesta hieme ablegatum Morsteinium, velut prænuncium Legatis mox secuturis, qui non de tollendis duntaxat inter hæc Regna dissidiis, sed & conjunctione armorum in communes hostes agerent. Eorum itineri remoram injectam, cum Morsteinium levem ob causam in conspectum Regis haut admissum intelligerent. Interim legationis Principem Sbigneum Goraiscium fato functum novas moras attulisse. Designatos tamen jam esse Legatos plena cum agendi potestate. Horum negotiationi ut saltem Minister Gallicus, & Brandenburgicus in Sveciæ Aula agentes intervenire possint, petebatur. Cæterum spargebatur, Senatores Poloniæ conventu Warsavienſi decrevisse, Sveciæ titulo ac pendentibus inde prætensionibus, simul Livonia desistere. Sigilla quoque fuisse mutata sublatis tribus Coronis. Et credidisse Polonos, sibi nunc facile cum Svecis conventurum; eoque non amplius ita acriter uti antea transactioni cum Moscis & Cosaccis institisse, quos nullo alio hoste urgente contemnebant. Quin & aliquot jam literas scriptas, in quibus verba *Svecorum, Gothorum, Wandalorum, & Livoniæ* omissa sint. Quod alii fictum credebant, ad fucum orbi faciendum, velut serio pacem quærerent, ut specie tractatuum invidiam in Svecos devolverent.

Regis ad ordines Sveciæ propositio 12. Martii.

§. 4. Interim Rex Carolus Gustavus conventum Ordinum Regni ad mensem Martium indixerat, postquam prius pro veteri more præcipuas Regni provincias circumivisset, *plateam Divi Erici equitare* vocant. Ad frequentes Ordines de domesticis rebus, & qui vicinorum sit habitus re- 1655.
„ferebatur. Cum Dania pacem nul-
„la læsione alteratam persistere. Ob
„turbas Bremenses copias in Germa-
„niam fuisse mittendas, quas per hie-
„mem ibi relinquere, ac novis delecti-
„bus augere consultum fuerit visum
„ob pericula, quæ hinc inde se osten-
„dant. In Moscoviam nuper missum
„internuntium solenni legationi viam
„pro more præparaturum; qui &
„omnibus ibi amicitiæ indiciis ma-
„ctatus Regi stimulos addiderit ad le-
„gationem eodem maturandam. Polo-
„nis etsi per Canasilium via monstrata
„sit promtæ transactioni inveniendæ,
„nil amplius tamen inde secutum,
„quam ut isti Morsteinium miserint;
„cujus literæ non pauca sibi præjudi-
„cio ac ignominiæ cedentia præferen-
„tes, pacem ab istis serio haut quæri
„satis arguant. Unde factum, ut sal-
„vo suo Regnique honore iste audri
„non potuerit, literis etiam quas at-
„tulerit repudiatis. Interim Mosci-
„cum juxta ac Polonicum exercitum
„finibus Livoniæ propinquasse; unde
„sibi necessitas allata sit oppida præsi-
„diis firmandi, ac legiones aliquot in
„finibus disponendi irruptionibus pro-
„hibendis. Ea rerum externarum fa-
„cies si cum interno Regni statu com-
„paretur, pro mole periculorum, quæ
„imminere videantur, non pauca de-
„siderari circa militiam terrestrem,
„quæ delectibus sit supplenda, addito
„militis extranei robore. Tum clas-
„sem navibus, viris, paratu instruen-
„dam, qua cumprimis securitas Sve-
„ciæ innitatur. Expromerent igitur
„Ordines consilium, qua ratione peri-
„culis obviam eundum, simul ut terra
„marique militia augeatur, opem con-
„ferrent.

De reductione bonorum Coronæ.

§. 5. Ista dum deliberationibus agitantur, præcipua cura erat instaurandi ærarii; cujus tenuitatem plerique exinde ortam judicabant, quod maxima pars bonorum Coronæ per Christinam in privatos collata foret. Et Rex cumprimis negotium isthoc ad liquidum deduci cupiebat, ut quid redituum sibi foret certo nosset, temperando inde erogationum modo. Nam vectigalia, & *accisias* inte statos Coronæ reditus non reputari, velut quas in certum tempus pro re nata Ordines annuerint. Heic plerique Senatores censebant; quia hanc rem

accurata

1655. accurata inquisitio præcedere debeat, quam præsentis temporis ratio adspernetur interim in certum tributum consentiendum, quoad inquisitio facta sit. Tum à Rege petendum, apud reliquos ordines autoritatem suam interponere dignetur, ut hoc temperamento tantisper adquiescant. Hi enim quam maxime revocationem bonorum Coronæ ingerebant, soli equestri ordini incubituram, cum novi tributi maxima pars in ipsos esset redundatura. Addebatur, periculosum esse duces in expeditionem trahere, ni domi ipsis de bonis suis, quæ velut præmium virtutis, & navatæ in patriæ incrementa egregiæ operæ acceperint, cautum sit. Enimvero Rex istas rationes tanti non esse censebat, simul demonstrabat, reficiendo ærario utique fundos requiri, cumprimis in usum fodinarum, aulæque Regiæ, ac ut Rex ruris recreationem capere possit, & in usum equilis, & venationis, denique ad statos militum atque sociorum navalium numeros alendos. Ita omissa tergiversatione manus operi admovenda fuit. Cum inde ad singularem fundorum discussionem accederetur, primo occurrebant prædia Regum rustica, quibus opus foret ad œconomiam & delectationem Regis, ac ut præfecti provinciarum sedes ibi sortirentur. Ubi quæstio erat, num sub his comprehendi debeant quævis vetusta Regum prædia, quorum olim in Svecia sat amplus fuerit numerus, quippe quorum proventu Reges fere sustentati sint, ignotis tunc vectigalium emolumentis, & quæ post pro captu temporum onera cives ultro subiere. Heic censebat senatus, ex hisce fundis ærario nihil levamenti proventurum; nec Regis mentem esse antiquissimas privatorum possessiones rescindere. Monebatur quoque, ne limites & subjecti prædiis Regiis fundi rustici justo latius extendantur. Nam si cum prædiis Regiis omnes quoque fundi rustici, qui quondam istis colendis operas præstiterunt, simul revocentur, paucos fundos in privatorum manibus mansuros, cum olim integræ parochiæ operas manuarias prædiis Regum præstiterint. Ac istud menti priorum Regum repugnare, qui bene meritis civibus in præmii vicem ista contulerint. Igitur cavendum, ne medicina morbo deterior curando ærario adhibeatur. Sane veteres Reges parum emolumenti è tanta prædiorum multitudine cepisse, pleroque fructu per præfectorum fraudes intercepto. Unde non nisi illa prædia revocanda, quæ dictis usibus necessaria sint, cætera penes possessores relinquenda. Circa tempus quoque, unde reductionis initium faciendum foret, discrepantes erant ordinum sententiæ. Nam Sacerdotes, Urbani, & agrestes ad annum hujus seculi quartum, quo decretum Norcopense conditum fuit, ascendendum contendebant; præsertim cum tempore Gustavi Adolfi in provinciis recens partis Coronæ tantum redituum haut remanserit, ut statui earundem sumtus inde tolerari possint, quin è Svecia supplendi sint. Pervicit tamen senatus & equester Ordo, ut initium reductionis à morte Gustavi Adolfi Regis caperetur, etsi eo nomine Christinæ administrationi nota non sit inurenda. Nam à tempore conditi decreti Norcopensis ad annum tricesimum tertium haut ita promiscue bona Coronæ alienata fuisse, uti deinceps factum. Quæ Gustavus Adolfus donarit, fere gravissimis rationibus niti. Opus ipsi fuisse hoc modo Regnum consolidare. Multos Nobiles priorum iniquitate temporum bona sua amisisse, quæ in alios per donationes translata fuerint. Ad hos devinciendos Gustavum Adolfum è proprio fere patrimonio eosdem donis mactasse. Ista omnia rescindere quid incommodi habeat, nemini obscurum esse. Eundem insuper multos fundos privatis donasse melioris culturæ causâ per Ingriam cumprimis & Livoniam diuturno bello desolatam, ut privatorum industria & sumtu iterum excolerentur, supina erga publicos fundos præfectorum cura, velut alienos. Ac tanta ejus Regis in patriam esse merita, ut vix ratio sit circa ipsius acta scrupulos movendi. Illis quoque temporibus multos per præmia in Regnum allici opus fuisse, quod diuturnis turbis debilitatum refectione opus habuerit. Quid quod proximi duntaxat Regis donationes rescindendi facultatem lex tribuere videatur? Nec deerant, qui verba legis ad illas magis alienationes pertinere censerent, quæ à Rege proprio ausu in extraneos factæ sint; cum adjecta conditio, *si posse*, circa cives locum habere

Ladegarder.

De reductione bonorum Coronæ.

1655. habere nequeat, quibus talia bona eripere semper Regi facultas sit. Difficillimum quoque fore negotium, si ad plurium Regum tempora retro sit eundum, rescindendis hac occasione tot emtionibus, hæreditatumque divisionibus, subversoque plurimorum patrimonio. Denique prædia quædam cum consensu Ordinum donata, quæ nunc nuda voluntatis mutatione revocari par non sit. Id tamen dubium non habebatur, quin certa prædia, uti hactenus, à Corona in alienabilia declaranda forent, uti sint Strâmsholmia, Ulffunda, Grypshalmia, Escilstuna, Svartsæa cum subjectis districtibus. Tum quæ loca metalli fodinis destinata fuerint, modo ne tractus montanus justo latius extentatur. Nam qui talia dona ambierint, sibi imputarent, si nunc iisdem iterum excidant. Placebat quoque instaurari numerum prædiorum militarium, & quæ nautis assignata erant per provincias Norlandicas, & Alandiam atque Oelandiam insulas. Irritæ quoque declarabantur expectativæ bonorum olim vacaturorum. Tum ut oppida à Nobilibus non extructa, nec antiquitus possessa, simul vectigalia & accisiæ concessæ revocarentur. Nec minus ad conditionem decreti Norcopensis redigebantur, quæ ab anno trigesimo tertio jure allodiali donata fuerant. Denique circa bona emta, quæ emtoribus relinquebantur, placuit diserte addi, ut & ea hoc nomine comprehenderentur, quæ salarii titulo accepta forent.

Consultatio super bello Polonico. 20. Mart.

§. 6. Ast apud selectos Ordinum Rex proponebat, quas ob causas paratus armorum de consilio senatus susceptus sit. Huic occasionem dedisse turbas Bremenses, quas multi clandestinis artibus aluerint, intervertendis Sveciæ juribus, ac ut molestiam ipsi facesserent. Neque enim urbem solam talia audere potuisse, nisi aliis instigantibus, quorum præcipui fuerint Cæsar, ac Belgæ Fœderati. Unde necessum fuisse militem indigenam in Germaniam mittere; simul extraneum scribere ob securitatem Regni, ac parandæ autoritati, utque honestum finem negotio imponere daretur, alienæ libidini haut amplius obnoxio præsertim cum Brema sese commotura haut fuerit, Svecicis armis in promtu existentibus. Quanquam autem Cæsaris consilia mors filii fregerit; 1655. suspectos tamen fuisse delectus tota Germania habitos nullo manifesto hoste; id quod causam cavendi dederit, cum multi ægris oculis incrementa Sveciæ adspiciant. Nec minus ad Moscorum & Polonorum arma fuisse respiciendum. Cum Moscis diuturnam Sveciæ pacem cultam, quam tamen non pauca adversus pacta ab ipsis patrata interpolarint, præsertim circa transfugas; quæ res Christinæ tempore ad liquidum fere deducta sit. Ab iisdem quoque cives nostros in ipsorum ditione commercia exercentes sat duriter habitos; quæ facta tamen interpretando accendere haut visum, ut spes pacis conservandæ aleretur. Quorum & animo in Sveciam explorando diversos internuntios missos. Sed postquam iidem Poloniam invaserint, exercitu quoque prope fines Livoniæ adducto, copias nostras in ea provincia fuisse contrahendas tegendo limiti, & ne hæc istorum libidini exponeretur. Nec minus ad Poloniam oculos fuisse reflectendos, quicum gravis controversia huic Regno intercedat haut componenda, nisi Poloni sua prætensione desistant, velut quæ ipsa fundamenta status nostri petat. Circa eam tollendam à temporibus Caroli IX. fuisse desudatum, nec post tam cruenta certamina pace potiri licuisse, sed hostilia ad certum duntaxat tempus suspensa. Equidem sub finem belli Germanici Polonos non nihil studii in pacem præ se tulisse metu nostrorum armorum, & quia Cosacci viscera ejus Regni lacerabant. Sed conventu Lubecæ instituto Polonos suæ actioni mordicus inhæsisse, nobis utique intolerandæ. Venisse dehinc sub tempus, quo Christina solio abitura erat, Canasilium verbo, ut de pace ageret, re vera successionem nostram turbaturum: quæ tamen consilia abortierint, postquam omnium Ordinum adplausu thronum nobis conscendere contigit. Cæterum cum ex pactis semel atque iterum tractatus susceptus sint, nec ulla amplius obligatio stringat novum conventum ambire; haut eo secius se constituisse controversiam illam amica via finire, sed compendiosa magis, & citra strepitum, ac sequestres. Idque Canasilio seriis verbis declaratum. Enimvero hunc diu adhuc Holmiæ præter ipsius mentem hæsisse.

Kochium

1655. Rochium inde in Poloniam missum literas familiares à Rege Joanne Casimiro retulisse; quibus hic per ambages jus sibi suum reservarit. Postquam diu Legati cum plenis mandatis expectati sint, venisse Morsteinium cum epistola familiari, qui priorum internuntiorum exemplo circa præliminaria satagere instituerit, cum nosset ab istis ambagibus nos abhorrere. Exemplo istius epistolæ inspecto patuisse vitia conventioni quondam in Borussia initæ repugnantia, quæ is falso in scribarum errorem conjicere conatus sit. Eandem meris honoris verbis constitisse circa præparamenta pacis à Morsteinio adornanda, nullo indicio à Polonis rem serio agi. Eundem quoque ab initio inficiatum fuisse, Joanni Casimiro per Canasilium exposita fuisse, quæ ipse super modo finiendæ controversiæ huic significarat: demum tamen adactum, ut istud fateretur. Agitari insuper fœdera Polonos inter & Respublicas mari potentes circa peregrinas classes in Mare Balticum attrahendas; cum nemini jus in hoc Mari competat præter quam Sveciæ & Daniæ, eoque nec armatæ classes ibidem comparere possint, nisi nobis fœderatæ, aut infestæ. Quibus conatibus eludendis se non potuisse non arma expedire, simul Polonis solidam rationem submini-strare, ut pacem aliquando bona fide quærant. Quo fine & suo jussu à Senatu Sveciæ ad Senatum Poloniæ literas datas fuisse. Denique cum alii circum vicini arma parent, haut par esse manibus se in sinu complicatis desidere. Sed & Daniam multa infesta nobis consilia fovisse, cumprimis bello Anglicano Belgis arcto fœdere alligatam; quæ & commerciis nostris non parum molestiæ inferat. Quæ cum ita sint, consilium se ipsos poscere, quid hac rerum facie suscipiendum sit. Se quidem nullam pacis conservandæ occasionem neglecturum, sed cum ea penes nos solos haut posita sit, in omnem eventum arma in promtu habenda; & quo eadem vertenda rationem mature ineundam. 1655.

Ordinum Sententia. §. 7. Selecti hisce expensis censebant; *Moscorum Polonorumque arma equidem haut insuper habenda. Sed id cumprimis considerandum, num quæ necessitas nobis imperet utique in bellum erumpere; ac num idonea bello sumendo causa suppetant; quod pactis cautum sit, ut offensa licet intervenien-* 1655.
te amica prius via tentetur. Neque se vanum sunum dissimulare, ut bellum in præsens declinare, sibique Regem domi retinere detur accurato, ac prudenti regimine reparandis, qua luxata sint. Quibus demonstratum fuit Polonos semper non nisi de extrahendo tempore cogitasse: nunc etiam ab iisdem ipsum Regis diadema solicitari. Ut porro arma pararentur ob præsentem rerum faciem necessum fuisse. Nunc statuendum, cui fini eadem sint adhibenda; ne istorum alendorum onus in solam Sveciam redundet. Quid porro Moscus novis suis titulis quærat, in aprico esse, & quantoperè portum ad Mare Balticum occupare anhelet, summo cum Sveciæ periculo. Id igitur nunc quæri, utrum expediat otiando & connivendo tamdiu expectare, quoad Polonus aut Moscus, ubi opportunum ipsis visum, nos invaserit, an vero non potius securitatis nostræ rationes requirant præsentem occasionem in usus nostros convertere. Sane Regi persvasum esse, sero manus rei admotum iri, ubi vel Polonia plane pessumiverit, vel alii bello isti sese immiscuerint. Polonos tamen adhuc Senatus literis monitos, ut constet, num tandem aliquando rationi locum velint concedere. Cæterum etsi Rex non magis in Moscos affectu inclinet, quam in Polonos; indolem tamen causæ svadere, ut hi primum invadantur, quorum animus in nos è fœdere cum Belgis agitato satis pelluceat; quo quis alius quam Svecia peti possit, cum eidem Daniæ Rex, & Holsatiæ Dux incluſus sit? Et quantæ protervia sit, ea epistola, qua primus paci gratus struendus erat, novas injurias cumulare; cujus vitia nullo modo excusari possint, cum constet super iis in senatu decretum fuisse? Ac privatas injurias facilius condonari posse: isthac ipsa fundamenta Regni nostri convelli. Poloniam porro huc ja redactam, ut ab exitio parum abesse videatur; qua occasione quid nobis agendum sit, paria exempla aliorum Regum docere. Ac ut maxime Polonis fortuna hactenus faveat, ut præsentibus se periculis eripere valeant; eo magis nobis in futurum ab ipsis cavendum. Quid enim tunc facilius fore quam fœdera cum malevolis inire ad recuperandam

1655. Livoniam, cui antehac Cosacos immittere instituerint, hoc autoramento eorum sibi studia pigneraturi? Ni ergo nunc arripiatur occasio controversiæ Polonicæ finem imponendi, hac elapsa expectandum nobis fore, ut isti suo nos tempore invadant, cum constet, Polonis ut Sveciæ nocerent, præter occasionem nihil hactenus defuisse. Nec modica mole istos bellum moturos, cum omnes fere Principes amicitia jam complexi sint, nisi quod fœdus eorundem hucusque Brandenburgicus Elector, & Holsatiæ Dux declinaverint, & Danus adhuc deliberet, quoad successus rerum liquidius consilium suggerat; quem metus sit, ne à Belgis in transversum abripi se patiatur. Tot invidorum gladios ut à nobis arceamus, mature periculis occurrendum, ac ante omnia Polonos primo loco petendos, quibus cum induciæ duntaxat sint, multis modis per istos violatæ; ac controversia intercedat ipsum jus Regni tangens. Sacerdotibus porro ingerentibus, amicam compositionem sumtis armis potiorem, responsum: eam à nobis semper quæsitam, sed per Polonorum insolentiam nunquam obtineri potuisse. Hoc ipso tempore Polonos aliam inire viam, quam quæ à Rege ipsis proposita sit expeditissima. Cum itaque animus eorum in Sveciam hostilis manifeste pelluceat, ac violata sæpius pacta nos haut amplius stringant, iidemque non nisi temporibus immineant nos invadendi; quid superesse, nisi ut occasionem, dum favet, arripiamus? Eam quippe brevissimam viam esse controversiæ finem imponendi, ac ludibriis illorum nos subducendi, qui aperte fat ostenderint, per tractatus nolle se nobis satisfacere. Ita tamen Poloniam præ oculis habendam, ut adversus Moscos quoque, & alios, si res ita cadat, parati simus. Fortasse etiam Cæsarem, Danum, Belgas effundendæ in nos invidiæ ansam arrepturos. Unde omnia ita disponenda, ut periculo, quod maxime urgeat, occurri queat. Ita selecti probatis Regis rationibus, quid ipse præcipue è Republica duxerit, sibi quoque placiturum ostendebant.

Decretum Comitiale.

§. 8. Discussis omnibus decretum Comitiale conditum hoc argumento: *Probari Ordinibus destinata Regis adversus Poloniam, cum satius sit occupare feriantes compositionem aspernantes, & adhuc hostilia machinantes.* Cui fini decernebantur in tres annos delectus, & duplex nautarum numerus. Ut immobilia Coronæ bona in meliorem quam hactenus statum reponerentur, nec tamen privatorum fortunæ ideo subverterentur, placebat moderata reductio, cujus initium foret à die sexta Novembris anni 1632. quo die Rex Gustavus Adolfus ceciderat. Per hanc revocanda erant bona Coronæ per contractus in alios translata, quando contractus ab adquirente impletus non fuerit pretio aut æquivalente bono soluto: tum si falsa quis merita jactaverit, quorum intuitu donatio ipsi facta sit; aut si quæ per obreptionem obtenta sint. Inde prædia rustica, quibus Corona carere nequeat; prata Regio stabulo quondam destinata; veteres Coronæ piscationes; vetera vivaria cum prædiis ad sylvarum inspectores pertinentibus: Tum oppidis, Academiis, Gymnasiis, Scholis, ptochotrophiis, ac templis dicata: prædia judici territoriali in quovis districtu, aliisque justitiæ ministris, tum fabricis armorum, catarrhactisque servandis destinata; veredariorum quoque fundi, & publica diversoria: item quæ prædia militibus attributa ab anno tricesimo secundo alienata fuerint: usui classis destinatæ provinciæ Gestricia, Helsingia, Medelpatia, Angermannia, Bothnia occidentalis, Jemtia, Herredalia, Alandia; tum & certa naucleris prædia. Vindicabantur quoque fodinis, ac præcipue magnæ cupri fodinæ, quæ ex rescripto Christinæ anno 1649. ipsi debentur: tum fabricis orichalci, nitri, ac pulveris pyrii assignata: insuper vetera Coronæ molendina in oppidis, aut intra dimidium milliare ab arcibus & prædiis sita: delectationi Regum inservientia loca, nominatim Svarthæa, Grypsholmia, Escilstuna, Ulfsunda, & Stræmsholmia: item quæ à fodinis ferri, aut pro usu fluminum Regiorum solvi solent; simul vectigalia, accisiæ, tributa oppidorum cum ipsis oppidis per Nobiles primum non extructis. Ista omnia restitui jubentur, & quidem ubi simplicis donationis titulo parta sint absque pensatione, nisi quod impensæ utiles refundendæ sint, arbitrio bonorum virorum taxatæ. Qui bona fide tale quid emerint, aut in solu-

1655. ſolutum acceperint, retineant, quoad pretium reſtitutum fuerit. Quibus pignoris invicem data ſint, tamdiu iis fruantur, quoad ſors ſoluta fuerit. Præter hæc Nobiles in quartam partem bonorum ſibi donatorum ab anno triceſimo ſecundo reſtituendam conſentiebant. Deſignabantur quoque certa loca, quibus intra unum milliare adſita prædia permutatione ſibi adquirere Coronæ utique fas foret: nimirum Upſalia, Nicopia, Alavaſtra, Omberga, Lincopia, Calmaria, Jenecopia, & Orebroa. Circa Aboam & Wiburgum id ſpatium duobus milliaribus circumſcriptum. Denique bona Coronæ ab anno triceſimo ſecundo æterna allodii lege parta ad conditionem feudalem, qualis decreto Norcopenſi Anno 1604. definitur, revocabantur; expectativa abolebantur; hoc modo retracta bona iterum donari vetabantur. Addebatur à Rege decretum; etſi inter annum hujus ſeculi quartum & triceſimum ſecundum aliquot prædia amplioribus conditionibus, quam Norcopenſis receſſus patitur, alienata fuerint: quia tamen Guſtavus Adolfus Rex aliis provinciis adquiſitis ſuppleverit, quæ hoc modo Coronæ reditibus deceſſerunt, eaque bona per diuturnam poſſeſſionem in aliorum fere manus pervenerunt: igitur confirmari à Rege omnia ad annum usque triceſimum ſecundum parta, ut deinceps immota, & citra controverſiam penes poſſeſſores maneant. Sed & alia, quæ Rex poſtulaverat, promte ac liberaliter ab ordinibus annuebantur; qui ſingulari clementia ſubjectorum animos ſibi conciliaverat, gnarus, manſvetudine, ac bonitate efficacius: quam per rigorem imperium in ſubjectorum animos exerceri.

Decretum ſuper ſacris.

§. 9. Eodem quoque Conventu decretum conditum, quo ſacra ad Auguſtanam formulam denuo ſanciebantur. Qui diverſa ſcita profitentur, iis devotioni ſuæ domi vacare permiſſum clauſis januis absque magnis cætibus, & ſcandalo, ac ut neminem in ſectam ſuam alliciant, cogantve. Si qui conventus celebrent clam aut palam, aut alienos doctores huc pertrahant; ritusque domi ſuæ exerceant, ac eadem dogmata in liberos propagent, deprehenſi primo multa pecuniaria, inde carcere, tertia vice relegatione plecterentur. Miniſtris tamen extraneorum Principum aut Rerumpublicarum ſacra ritu ſuo pro ſe & domeſticis exercere permiſſum, ut tamen aliis ad ea ſacra accedere non liceat. Iſta quod ita ſevere ſtatuerentur inter alias ea cauſa erat, quod Regis pater Joannes Caſimirus Palatinus Bipontinus Reformatorum opinionibus addictus fuerat; quarum ſuſpicionem hoc modo Rex à ſe amoliebatur. Etſi poſt ſenatus expedire judicaret, ejus decreti promulgationem pauliſper ſuſpendi, ne Cromvellus offenderetur, qui Waldenſium cauſam tunc in Sabaudia fervide agebat: & quod id ipſum dedititiis per Poloniam ſcrupulum injicere poſſet, velut conceſſa ipſis ſacrorum libertas ſervanda non foret. 1655. 27. Sept.

Legatio Tartarica Majo menſe.

§. 10. Circa id tempus Holmiam adpellebat legatio Tartarica, Chami ſui amicitiam & fraternitatem offerens. Ea in Polonia ad dandos obſides compulſa fuerat, cum in Sveciam ſe proficiſci fateretur. Polonus in diplomate dicti itineris, quod iſti legato datum erat, addiderat vocabulum Regnorum noſtrorum; jam ante improbatum quod & ipſum gliſcentem indies offenſam non parum accendebat. Jactabant iſti Chanum Regi Poloniæ ſvaſiſſe, ut cum Svecia promte tranſigat, ac Legatos huc mittat, vere, an quia oſtentatione benevolentiæ ampliora dona captabant. Quæ & ſolito majora tunc data ſunt, num forte inſtante bello aliquis iſtorum uſus foret. Literas quoque ad Chriſtinam Reginam dederat Bogdanus Chmielinſcius Coſaccorum Zaporovienſium Dux, perferente Patre Daniele Athenienſi Abbate, quibus amicitiam & officia offerebat. Ei Rex Carolus Guſtavus reſpondebat, miſſo ad eundem Hieronymi Radziejovii Secretario, num forte iſtius ſibi operam ad uſum futuri belli adjungere poſſet. Quanquam iſtis barbaris nihil rationum ſuperſtruxerat Rex, in lucro habiturus, ſi quid opis inde proveniret. *Chmielinski.* 19. Jun. *Radziejovvski.*

Miles conſcribitur.

§. 11. Potior cura erat proprium exercitum inſtruere ſuppletis domeſticis legionibus, & conducto paſſim milite per Sveciam, Livoniam, & Germaniam; ubi inſignem cumprimis operam navabat Joannes Chriſtophorus Kœnigsmarckius, gratioſum militi Teutonico nomen, cujus fama ductores juxta atque gregarios mire allici-

1655. ciebat. Confectæ ab hoc complures legiones, certatim ſpe novarum prædarum accurrentibus, qui vel parta bello Germanico jam conſumſerant, vel parem huic ſucceſſum augurabantur. Ejusdem delectibus promovendis Rex ad vicinos Principes literas dabat, quas ipſi transmiſſas caute jubebat diſpenſare, ac ut à conductoribus militum ſigillatim ſi qua opus ſit traderentur, non una vice omnes, ne ea res nimium illorum animos advertat, ac remoram magis quam facilitatem delectibus conciliet. In Germaniam quoque mittebatur Joannes Oxenſtierna Legati dignatione, ut data occaſione Principibus Germaniæ ſuſpicionem eximeret, quam delectus Svecici gignere poterant; ac confirmaret, nihil periculi Germaniæ à Rege imminere. Sane Regem ultro vires ſuas adverſus Bremam inhibuiſſe, quam opprimere non adeo in arduo fuerit; ut eo documento fidem faceret, Germaniæ ſe quietem turbare nolle. Quod idem copias ſuas è Germania non reduxerit, ſed potius per delectus eas augeat, id non ſpectare ad offenſionem Imperii, ſed fieri exemplo aliorum Principum, qui ægre laturi non ſint Regem eodem cum ipſis jure gaudere. Et cum vicini jam arma induerint, aut circa eadem paranda ſatagant, Regi quoque vitio non poſſe dari, ſi & ipſe ſecuritati ſuæ proſpiciat, ne ex improviſo detrimenti quid capiat. Eadem Luneburgicis Ducibus confirmare jubebatur. Et quia fama per Germaniam ferebat, Slippenbachii legationem eo ſpectare, ne Cæſaris filius in Regem Romanorum eligatur, iſti injunctum eam famam, qua occaſio daretur, refellere.

Germaniæ Principibus ſuſpicio eximitur.

Wittenbergii mandata. 21. April.

§. 12. Aſt expeditioni auſpicandæ in Pomeraniam præmiſſus eſt Wittenbergius, gubernatione ejus provinciæ in ipſum collata. Huic in mandatis datum copias per Germaniam conſcriptas in juſti formam exercitus redigere; ſtatum viciniæ, ac cumprimis Poloniæ, & Lithuaniæ diligenter explorare, digerendis inde conſiliis. Ordines Germaniæ, inprimis Electorem Brandenburgicum ſecurum eſſe juberet, hæc arma in ipſum non parari. Ubi Polonorum exercitus bene inſtructos intellexerit, ad Regis usque adventum quieſceret; tantiſper omnia parata teneret. Aſt ubi reſciverit, Guſtavum Hornium è Livonia jam rem gerere, ac verſus Marchiam nihil copiarum exiſtere, quod metuendum ſit, aut Moſcos & Coſaccos prævalere, ac per Lithuaniam Poloniæ ingruere; aut ſi citra ingens diſcrimen Posnania invadi poſſe videatur: abſque mora itineri ſe accingeret, petito per Pomeraniam Brandenburgicam innoxio tranſitu. Ubi Elector tergiverſetur ſerio aut in ſpeciem, id non curaret, ſed iter haut eo ſecius pergeret, coërcito duntaxat intra diſciplinam milite, ne iſti juſta querendi cauſa præbeatur. Primum Posnaniam in poteſtatem redigeret, & opportuna inter Wartam & Notecium fluvium loca. Posnaniæ penum congereret, integrum in annum toti exercitui ſuffecturum, caſtris ibi munitis, ac Sileſia ad conducendum militem, ſubvehendamque annonam uteretur. Ut eo melius terræ hoſtilis commodis frui detur, militem intra modeſtiam contineret, excurſiones ultroneas prohiberet, & quemque aſſignato hoſpitio contentum eſſe juberet, exemplo in petulantes edito. Tum omnes humaniter haberet nullo ſacrorum diſcrimine; templa & cœnobia ſpoliari ne pateretur, neu ſuſpicionem excitaret, velut circa ſacra in poſterum novandum quid ſit. Noſtrates quoque ſacerdotes ſacra in Pontificiorum aut Reformatorum templis celebrare ne permitteret, ſed vel in privatis ædibus, vel in campo apud militem. Præterea copias haut nimium diffunderet, ne hoſtis medium ſe illis ingerere queat. Data occaſione adverſus Gedanenſes omnia amicitiæ ſigna oſtenderet. Quod ſi Rex per adverſos ventos è Svecia in Pomeraniam adpellere prohibeatur, & interim Poloni acriter ipſi incumbant, iisque repellendis par non ſit, ipſe judicaret, num in Pomeraniam iter relegere, an inſeſſa peditatu Poſnania cum equitatu in tuta ſe ſubducere velit. Posnania capta ne copias late diſpergeret, neu prælio decerneret, ſi Poloni juſto cum exercitu adveniant: ſed potius vires ſuas contineret, & curate obſervaret non ſolum quid in Polonia, ſed & in Marchia & Sileſia geratur, ne forte ex improviſo opprimatur: nec aliquid ancipitis aleæ ſuſciperet, antequam Rex advenerit. Quod ſi Poloni Legatos ipſi obviam mittant, in horum gratiam iter ſuum ne ſiſteret; quod verò ſimile

1655.

Poſen.

1655. simile fit id tantum ab iſtis agi, ut Regis deſtinata, eludant, dum interim provinciæ noſtræ conducto milite exhaurirentur, in caſſum conſumta occaſione, qua Rex uti cupit ad Polonos in ordinem redigendos. Denique nec Polonorum de prono in pacem animo conteſtationibus, nec querelis eorundem remoram expeditioni ſuæ injici pateretur, nil ſuper hiſce mandatum ſibi excuſans. Addebatur, ut Radziejovium, qui Hamburgi tunc agebat, ad ſe invitaret, ejusque conſilio circa ſuſcipiendam eam expeditionem uteretur. 1655.

Polonorum in Sveciam legatio.

§. 13. Jam Wittenbergius iter in Poloniam auſpicare cœperat, & ipſe Rex in procinctu ſtabat, impenſis in parandam expeditionem decies centenis uncialium millibus; cum demum legati è Polonia Joannes Leſſinius Comes, & Daniæ Naruſcevicius Holmia adpellunt. Poſt exhibitas fiduciarias literas, quæ pactis congruæ inventæ, ad Regem admiſſi multa de ſtudio ſuo in pacem teſtabantur. Cujus Regem non minus cupidum Ericus Oxenſtierna reſponſo ſuo ferebat. Sequente die ut quid ſolidi ab iſtis adferretur pateret, ad eosdem acceſſere Oxenſtierna Cancellarius, Magnus Gardius, Guſtavus Bielkius, & Laurentius Canterſteinius. Ubi Poloni poſt repetita heri dicta non obſcure quidem innuebant, *Regem Joannem Caſimirum non tractaſſe id negotium ea circumſpectione, prout Respublica optaverit. Sed nunc ſerio à ſe pacem expeti; multis inde invecti in Moſcorum perfidiam, qua & Svecis metuenda ſit, quibus compeſcendis ſociata Svecia ac Polonia arma plurimum profectura ſint.* His repoſitum: *Pacem prius ad liquidum deducendam, id quod Regi dudum optatum fuerit. Sed quia is de adventu ipſorum deſperaverit, & jam expeditioni ſe accinxerit, huc in præſens rem rediiſſe, ut arma Polonia inferenda ſint ob cauſas iſtis Legatis notiſſimas.* Recenſebatur inde Boothii in Livoniam, Cracovii in Pomeraniam irruptio, quorum & huic Poloni machinas commodarint, quas iſte in receptu fluvio demerſerit: tentata Oeſalia, jam à Danis per pacem in Sveciæ jus translata, cujus Nobiles per Uladislaum Regem publice ſolicitati ſint. Addebantur quæ cum Comite Waldemaro, cum Arnimbio, cum Dano agitata ſint, & cum Coſaccis, quos in Livoniam pertrahere Poloni conati ſint, Riga quoque per proditionem captata. Nuper denique actum cum Belgis ſuper claſſe Mari Baltico immittenda: ac plenas contumelia fuiſſe literas à Morſteinio allatas. Unde neceſſitas Regi nata ſit rebus ſuis proſpiciendi, ac tantarum acerbitate injuriarum ſe liberandi. Nec ideo tamen deſiderium pacis plane exuiſſe. Sed quia id negotii heic commode ſuſcipi nequeat, ob ſumtus in exercitum faciendos, alium locum Legatis tractatui ſuſcipiendo eligendum, aut Regem in Pomeraniam ſequendum. Reſponſum à Polonis: Cracovii irruptionem à ſe non potuiſſe impediri, quod arma tunc in promtu non eſſent: nec ullo ſe pacto obſtringi ad innoxium Cæſareis tranſitum prohibendum, quem & Bancrio Torga ſe recipienti indulturi fuerint, ni alio ſe vertere placuiſſet. Turbas à Boothio inſcia Republica datas cum Uladislai Regis morte exoleviſſe. De Oeſalia ignorare ſe, ac ſi quid fuerit, nihil aliud tunc ſpectaſſe Uladislaum, quam ut jus ſuum, Regnique Poloniæ in ipſo tradendæ poſſeſſionis actu proteſtando conſervaret. In negotiationem cum Belgis Rempublicam nondum conſenſiſſe. Offenſam Morſteinii literis præbitam tanti non eſſe, & mox emendatam; & Anglum Franciæ, Danum Vandalorum Gothorumque titulum uſurpare. Enimvero his ſepoſitis optimum fore ſuper via componendi litem, & quæ animis placandis faciant, diſpicere. Et quia Sequeſtres heic adhibendi non ſint, ſaltem interpretem admitti par eſſe, qui utriusque partis ſententiam hinc inde referat. Quibus Oxenſtierna ſubridens: à Polonis leges pacis absque interprete proponendas. Ita tunc diſceſſum, Poloni inde per Avaugorium Legatum Gallicum Regem conabantur permovere, ut teſtando in pacem ſtudio profectionem in Pomeraniam pauculos adhuc dies differret. Iidem po- 10. Jul.
ſtridie Cancellarium adiere, quem rebus ſuis ad iter disponendis occupatum inveniebant: cui dicebant *Feſtinatum tantopere iter magis exaſperanda animis, quam promovenda pacis facere. Res Poloniæ non usque adeo deploratas eſſe, ut per deſperationem omnia à ſe concedenda ſint; ac favente Numine illas iterum reſtitui poſſe.* Interea Canter-

De la Gardie. Bielke.

Naruſcevitii.

27. Jun.

Arnimb.

1655. ſteinius nomine Senatus poſtulabat, ut procuratoria ſua exhiberent, addito; tractatus commode heic incipi poſſe, etſi in Pomerania abſolvendi ſint. Cui Poloni reponebant: *ubi cœpti ſint, perfici eos par eſſe. Nam etſi circa eosdem multi anni conſumti ſint, tamen paucas inter horas perfici poſſe, ſi utrinque ſerio res agatur.* Eodem die Rex Leſſinio ad Colloquium admiſſo declarabat: *tractatus in Pomerania ſuſcipiendos, quod iter non amplius differri queat. Se quidem irruptionem in Poloniam fieri juſſiſſe, armis ad Chriſtianam lenitatem temperatis, in votis haut eo minus eſſe, ut pax coire poſſit. Ad quæ Polonus, eam dilationem utrinque parum convenire, cum utraque pars paci ſe proclivem teſtetur, ac tanto facilius negotio exitus inveniri queat. Ac licet inter primordia belli moderatio Chriſtianis ſcitis conveniens adhibeatur; non poſſe tamen animos ſervide ſua defendentium non*

11. Jul. *exacerbari.* Acceſſere dehinc Svecici Commiſſarii ad Polonos, ubi poſtquam diu diſceptatum foret, utri priore loco propoſitio facienda foret, demum Oxenſtierna interrogabat, pacem an inducias vellent? Cum pacem ſe malle Poloni reſpondiſſent, Cancellarius oſtendebat; ut pax coaleſcere poſſit, radicem diſcordiæ uſurpatum à Joanne Caſimiro titulum utique amovendum eſſe. Ea diſceptatio per hunc & ſequentem diem extracta fuit, donec tandem Poloni, velut magnifici quid concederent, declararent, à Joanne Caſimiro titulum Regni Sveclæ abdicari amore pacis, ea tamen lege, ſi

12. Jun. pax in reliquis articulis plene concludatur. Inde ſuper ceſſione Livoniæ multa disputabantur, cujus partem demum, nempe Eſtoniam cum Revalia Poloni offerebant. Sed Sveci negotio Livonico dilato, ut aliæ quoque pacis leges expromantur, urgebant, quod Rex craſtino die in viam ſe daturus ſit; qui & optionem illis relinquat, utrum tractatus Stetini, an in portu

Dalera. Daleræenſi, aut ad littus Gedanenſe abſolvere malint. Hi reponebant: *Holmiæ ſuper Livonia æque facile, ac ſuper aliis rebus tranſigi poſſe. Ut Regem Stetinum ſequantur, ſibi mandatum non eſſe: ac ſi utique huc deſcendendum ſit, ſuper armorum ceſſatione prius cavendum eſſe. Ni enim Rex bellum inhibeat, & in continuationem induciarum conſentiat, ſua mandata expiraſſe tam circa re-*

nunciationem, quam ad aliud quid tractandum. Negabat Cancellarius Regem id facturum, qui in Germania dicerit, de pace optime inter arma, & velut ſub clypeo agi. Proponebant inde Poloni, ut ſi Regi differre iter non placeat, in Livoniam potius, quam Pomeraniam cum exercitu vertat. Quod non minus, quam ceſſationem armorum adſpernabantur Sveci. Nam uti per hanc inanibus tractatibus agendi tempora in caſſum prodigere Poloni ſtudebant: ita itinere Livonico Moſcus gravi ſuſpicione perſtringendus erat. Svecis digreſſis Poloni quid ſibi agendum foret deliberabant. Nam id ſibi parum honorificum velut ſupplicabundis Daleræam, aut Stetinum ſequi. Ad littus Gedanenſe tractare honoris ſpeciem præ ſe ferre, ſed revera ſuſpectum, ac ſumtuoſum. Nec placebat Francofurtum ad Oderam, aut Colbergam proponere, velut neu- Colberg.
tri partium addicta loca, quod ibi non Legatorum, ſed Commiſſariorum dignatione comparituri ſint, ubi itidem ſuper honoratiore loco certandum, ac Sequeſtribus utendum ſit, qui forte negotium ſufflaminaturi magis quam promoturi ſint, præſertim ſi mutuo dicta non fideliter referant, aut ſiniſtra interpretatione detorqueant. Concludebant igitur tractatus Stetini continuandos, ut tamen prius Gedanum proficiſcerentur, de actis ad Regem Joannem Caſimirum relaturi. Quam in rem ſcriptum exhibebant hoc ſenſu: *quia cœpti de pace tractatus ob gravitatem negotii, ac diſceſſum Regis in Germaniam Holmiæ non potuerint abſolvi, eosdem ad quartum diem Auguſti Stetini inſtaurandos, & perficiendos eſſe.* Ita Legati re infecta diſceſſerunt, in- 14. Jul.
ſignibus donis, quæ ſedecies mille uncialibus taxabantur, mactati, quæ poſt multam tergiverſationem demum acceptarunt. Intellectum fuit, Leſſinio in mandatis fuiſſe datum, prætenſionibus Polonorum cedere: ſed ſi à Svecis de cautione ſuper non amplius turbando injiciatur, id ad ſuos referre. Quo fine conventus Ordinum Poloniæ ad menſem Novembrem indictus erat, ad quem provocare decreverat Joannes Caſimirus eludendæ hujus anni expeditioni; velut non antea ſat temporis fuiſſet negotio huic diſcutiendo, ſi mature evanidæ actionis ceſſione imminentem tempeſtatem

1655.

Colberg.

14. M.

MARIS BALTICI
PARS
POMERANIA
BRANDENBURGENSIS
REGIONES
SILESIÆ
POLONIÆ
Auctor et Corrector Tabulæ Chorographicæ
REGNI POLONIÆ,
Vicinarumque Regionum, ubi itinera, quæ Seren.
Rex Sueciæ
CAROLUS GUSTAVUS
una cum Exercitibus suis ab initio usque ad finem belli fecit—
nummeris denotantur, per supr. Castr. Metat. Loc. Et Dahlberg.

1655. declinare placuiſſet. Ab aliis creditum fuit, eos Legatos in mandatis habuiſſe ſatisfactionis loco Regi eam partem Livoniæ offerre, quæ adhuc ſub Poloniæ Regno manſerat, & Curlandiam ſalvo jure Ducis, ut hic deinceps feudum ſuum à Regno Sveciæ recognoſceret, adjecta ingenti ſumma pecuniæ. Sed non niſi extrahendo tempori iſtos veniſſe cum alia indicio ſunt, tum & illud præcipue quod, eo ipſo tempore, quo iidem Holmiam ivere, à Cæſare duo Legati ad Czarem Moſcorum miſſi fuerint, qui hunc in Svecos incitarent, & inter eundem atque Polonos rem ad compoſitionem deducerent, oſtentata Poloniæ Corona in Czaris filium transferenda. Et uti Auſtriaci ſemper impedierint, quo minus res inter Sveciam & Poloniam componeretur; ita & Joannem Caſimirum, Auſtriacis conſiliis obnoxium horum inſtinctu tractatus eluſiſſe, ut hiſce in turbido piſcandi occaſio foret.

Wittenbergius in Poloniam movet.

§. 14. Interim Wittenbergius paratis omnibus, quæ expeditioni requirebantur, legiones Svecicas quæ occaſione motus Bremenſis eductæ in ea provincia & Pomerania hibernaverant, tum Teutonicas Kœnigsmarckii opera conſcriptas apud Stetinum contraxit, quæ præmiſſis machinis Oderam ſuperato in caſtris ad Dammum oppidum conſederunt. Ipſe ſequenti die Stetino eodem ſubſecutus exercitum luſtrat, qui ſeptendecim bellatorum millia explebat; quos duodecim machinæ majores, ſexaginta minores comitabantur. Annonæ ſimul vehebatur, quantum in octo dies ſufficeret, ne Brandenburgicis ſubditis moleſtia fieret. Quanquam hi Electoris juſſu panis ac cereviſiæ affatim ſuppeditarent, Wittenbergio viciſſim militem acri diſciplina coërcente. Dammo hic tubicinem cum literis Radziejovii præmiſerat ad Palatinos Majoris Poloniæ, qui circa Uſciam cum copiis conſederant, ac deditionem ipſos ſolicitantibus. Cui ab his reſponſum: legatos plenis cum mandatis in Sveciam miſſos, de quorum ſucceſſu optime ſperetur. Interim confidere nihil hoſtile adverſus ſe ſuſceptum iri. Dammo movens exercitus Fridrichsvvaldam, inde per Uchtenhagam Freivvaldam attingit. Heic dum per unum diem quieſcit Wittenbergius, convocatis ductoribus deſtinata Regis pandit, hortatus ut militem magna parte tironem diligenter inſtruant, quid in omnem caſum ipſi agendum. Inprimis ne Polonorum clamoribus, quibus ingruere ſolent, moveantur, ſed denſatis ordinibus illos excipiant. Nam ſparſos & laxatos certiſſimum exitium manere: nec ulli in fuga ſalutem quærendam ob velociſſimos Polonorum equos. Tum provinciales leniter habeant, ut intra lares ſuos manentes militi neceſſaria ſuppeditent, cum vaſtitate facta ſibi ipſis famem conciliaturi ſint. Hinc per Bemdorfum, Janſchoviam, Wangerinum, Tranburgum facto itinere, Falkenburgum attingitur, non procul Poloniæ limite, quem Wittenbergius primus tranſit, exercitu inter alacres tympanorum tubarumque ſonitus ſequente. Perventum eo die Tempelburgum; quod oppidum inſciis & invitis ducibus à milite direptum, qui hoſtili præda manus imbuere ardebat. Draheimum ſitu valde opportuno arx quam quadringenti Poloni pridie ultro deſeruerant, à Wittenbergio ſexaginta peditum præſidio firmatur; quod & eam arcem obtinuit, donec Rex biennio poſt è Polonia in Daniam proficiſceretur.

1655.

9. Jul. *Janſchovia. Wangerin. Tranburg.*

11. Jul. *Tempelburg.*

Draheim.

3. Jul. *Dammum.* 4. Jul.

Oppida.

5. Jul. 7. Jul. *Fridrichs-Walde.* 8. Jul. *Uchten-hagen.*

§. 15. Hoechſtedium inde & Coronam cum Wittenbergius perveniſſet, intellexit copias majoris Poloniæ, quæ quindecim millia explere dicebantur, apud Uſciam conſiſtere, ut Svecos tranſitu Notecii fluminis arcerent. In quos recta tendens Wittenbergius ipſe cum aliquot equitum legionibus præceſſit, hoſtium ſtatui explorando. Primum agmen ducebat Wuſſovius præfectus vigilum, qui præcurrens catervas aliquot Polonorum cis anguſtias viæ deprehenſas fudit, non ſine multorum cæde, proſperum belli auſpicium. Reliqui in munitionem medio viæ aggere raptim extructam ſe conjecerunt, è qua, ſimul aliis ſuggeſtibus trans flumen excitatis in ſubeuntes Svecos fulminabant, his non ſegniter reſpondentibus. Quo minus vi tranſitum fluminis aperiret Wittenbergius, nox ingruens impediebat. Quanquam id ſat arduum videretur, lata & profunda ad utramque Notecii ripam uligine, quæ anguſto viæ aggere ſuperanda erat, hoſtili exercitu in adverſa ripa conſiſtente. Tormenta tamen idoneis locis

Idem in copias majoris Poloniæ tendit.

Hoechſted. 12. 13 Jul. *Crono. Notez.* 14. Jul. *Wuſſov.*

dispo-

1655. disponuntur, ut ſequenti die Poloni aggere viæ dimoverentur. Simul Conradus Marderfeldius cum tribus legionibus Schneidemulam mittitur, ut tranſitum ibi cuſtodientes Polonos trans flumen rejiceret. Qui diffugientes velut tranſitu jam potitis Svecis non parum terroris cæteris attulerunt. Aſt poſtero die ſummo mane à Polonorum caſtris tubicen adeſt, literas afferrens ab Opalinio Posnanienſi, & Grudſinio Caliſienſi Palatino ſubſcriptas, queis ab armis ceſſatio petebatur, & colloquium discipiendis remediis, ut citra ſanguinem res componeretur. Id quod cupide amplexus Wittenbergius Radziejovium Procancellarium, & Paulum Wirtzium cum aliquot ductoribus eo deſtinat, quibus Polonorum deputati deni utrinque medio inter extremas ſtationes ſpatio occurrerunt. Poſt humaniſſimam invicem ſalutationem Sveci ſvadebant, ut Poloni ultro Caroli Guſtavi Regis patrocinum amplecti velint, polliciti, cuilibet ſua ſacra ac libertatem ſalvam fore. A Radziejovio multa jactabantur de oneribus atque contumelia, queis Nobilitatem Polonicam Joannes Caſimirus affeciſſet, libertate ipſius multis modis male habita. Ea ſuper re Poloni ſpatium ſibi deliberandi ad pomeridianas usque horas depoſcebant: Stata hora eodem loco conventum; ubi cum paululum dubitarent Poloni, annitente Radziejovio in certas leges convenitur; quæ & illo adhuc die ſubſciptione à Wittenbergio, ac duobus Palatinis firmantur ratihabitione Regi reſervata. In cautionem Svecis ſtatim traditur caſtellum in aggere viæ cum ſex machinis: ac uterque Palatinus cum multis Polonorum proceribus lauta cœna à Wittenbergio excipitur. Capita conventorum hæc erant: Subjiciebant ſeſe „Palatinatus Posnanienſis, & Caſi„lienſis protectioni Regis Caroli Gu„ſtavi, cui fidem, & obſequium, qua„le Regibus Poloniæ hactenus præſti„terunt, pollicebantur. Penes Re„gem Sveciæ fore omnia Regalia, li„beram nempe dispoſitionem bono„rum Reipublicæ, & Eccleſiaſtico„rum, teloniorum, & omnium pro„ventuum hucusque receptorum. „Tradebatur ſimul poſſeſſio Posna„niæ, Caliſiæ, Lesniæ, Miedzivi„ciæ, aliorumque opportunorum & „munitorum locorum in bonis Re„galibus ſitorum, quibus is uti poſ„ſit, prout commoditati & ſecurita„ti ſuæ convenire videatur. Depe„ditatu utriusque Palatinatus Rex „pro lubitu disponeret. Viciſſim Wittenbergius nomine Regis Sveciæ hiſce Palatinatibus ſpondebat; „Cuilibet ſacrorum ſuorum exerci„tium in ſuis templis liberum fore, „nec minus cuique veterem libertatem per juramenta Regum ac leges „probatam ſalvam perſtituram. Præ„dia bonaque Nobilium à ſtativis & „hybernis militum, ac multo magis „à direptione immunia fore, & ſi quid „à milite in iſtos patretur, ſeverè „animadvertendum. Omnia judicia „& jurisdictiones reddendo juri de„ſtinatas ſub nomine Regis Sveciæ „exercitum iri: tum dignitates Se„natorias, & officia à Regibus Po„loniæ conferri ſolita, à Rege Sveciæ „incolis Poloniæ conferenda. Si „quis ex incolis horum Palatinatuum „transactioni huic contradixerit, at „partibus Joannis Caſimiri Regis „adhæſerit, ejus bona dispoſitioni ac „fiſco Regis Caroli Guſtavi ceſſura. Ita quidem iſti Palatinatus cum quindecim militum millibus citra pugnam ſeſe dediderunt. Excuſabant id factum aliqui, quod valido quantumvis equitatui pedes idoneus defuerit, rebus neceſſariis rite inſtructus: & quod ſpes pacis per Legatos in Svecia protrahendæ plerosque ſecuros reddiderit; perſvaſos armorum oſtentatione à Svecis nil niſi pacem quæri. Tum & ſimultates procerum inter ſe conſilia, adparatumque belli, & progreſſus turbaſſe, interveniente quoque multorum Procerum offenſa in aulam. Unde & oblatas à Brandenburgico ad tuendam Notecii ripam cohortes alios ſvaſiſſe recipiendas, alios ut ſuſpectas rejeciſſe. Denique cum omnia ubique in Regno laborare viderentur, deſperationem demum ſubiiſſe, ac ſatius viſum, Regem Sveciæ mature protectorem amplecti quam victoris poſtea leges iniquiores ſubire. Nec dubium eſt, quin Radziejovii perſvaſiones multum huc contulerint; id quod & in frontispicio conventionis

Marderfeld Schneidmuhl.

15. Jul.

Super deditione cum Polonis agitur. Opalinski Grudſinski.

Duo Palatinatus Majoris Poloniæ dedunt.

1655.

Castra
Polonica
Paludes
Terra Uliginosa
Statio primaria Suecorum

APOLI

Digitized by Google

1655. nis exprimebatur. Cui & Rex ob navatam operam gratias egit, ac ut ita pergeret hortatus est. Qui haut segniter initio id negotium suscipiebat, passim per internuncios ac literas ingerens, ut Poloni abdicato Joanne Casimiro Sveciæ Regi accedant. Non deerant tamen multi Nobiles in istis Palatinatibus, qui eam conventionem improbarent, ac Palatinos perjurii arguerent, ad extremum libertatem suam se tuituros jactantes.

Wittenbergii Progressus per majorem Poloniam.

§. 16. Post hanc deditionem factam equitatus Polonicus in diversa dilabebatur. Svecico exercitui biduum insumtum, quoad angustias istas, & Notecium flumen superaret. Inde uno die ad quietem sumto recta Posnaniam tenditur, quo Radziejovius & Marderfeldius præmissi sunt ad deditionem urbi persuadendam; quæ & parum tegiversata arbitrio se Regis permisit. Quo & mox Wittenbergius itinere per Rogeznam & Golzinam sumto perveniebat; à Magistratu magnifice exceptus. Missus dehinc Radziejovius cum bis mille equitibus sub tribuno Bœttigero, quod Thesaurarius Poloniæ cum manu aliqua accedere diceretur, protegendæ Posnaniæ. Huic injunctum, accurata disciplina militem continere, quo Poloni ad Imperium Regis Sveciæ allicerentur. Is aliquantum progressus referebat, Joannem Casimirum Regem à copiis male instructum decrevisse Warsaviam deserere: eoque svadebat, ut Wittenbergius raptim cum parte exercitus eodem tenderet. Sed huic consultum non videbatur, tam alte se regioni hostili immergere, Joannis Casimiri viribus ac destinatis, & Polonorum fide nondum satis explorata. Cum triduo ad Posnaniam substitisset exercitus, Scrodam inde accessit, ubi à Rege Wittenbergius mandata accepit, ne longius in Poloniam penetret, quousque ipse cum primario exercitu adesset. Igitur iste opportuno loco castris munitis consedit. Interim præsidium immittebatur Posnaniæ, Calisiæ, Miedziviciæ, quæ loca quantum posset munitionibus firmari jubebantur. Cæterum pedites ad Usciam dedititii, provinciis hisce orti, per tenebras passim ad suos quisque lares dilabebantur. Ad Cernicoviam quoque trecenti id genus pedites sub signa Svecica recepti, qui itidem exceptis octoginta deferebant. Ad Flenam aliquot centuriæ interceptæ, quas inter viginti Germani Sacramento adacti, Polonis diffluentibus. Unde cum Polonico militi parum fideret Wittenbergius, præsertim nondum virtutis specimine capto, & adversus populares suos pugnaturo, satius habebat conductitio Teutonico milite exercitum augere. Quo fine ad legiones aliquot conducendas diplomata inter ductores distribuuntur, pecunia isti usui è Polonicis hospitiis corradenda. Et quia manus illa, quæ cum Radziejovio reliquum exercitum præcesserat, dissolute agebat, eadem à Wittenbergio in castra revocata est. Petierat iste antea, ut quatuor equitum millia sibi traderentur, quibuscum seorsim rem gesturus sit. Id quod Wittenbergio consultum non videbatur, ne præcipua hospitia ab ipso delibarentur; & quia parum tutum erat homini ancipitis fidei tantum virium circumponere. Ut tamen in duo equitum Polonorum millia imperium haberet concessum. Cum per complures dies ad Scrodam metatus esset Wittenbergius, jussu Regis Pisdriam, inde Stuptam se confert. Et quia Radziejovius rettulerat, Siradiensem Palatinatum nondum ad suscipiendos tractatus comparuisse, uti promiserat, quod longius absente Wittenbergio à Joannis Casimiri milite diripi metueret; hic tractatibus istis promovendis Coninum ad Wartam progreditur, simul ut medium se Borussicis & Polonicis copiis interponeret inhibendæ horum conjunctioni, ac viam in Borussiam pandaret. Nam Joannes Casimirus Nobiles ad arma evocaverat, spe auxilii à Tartaris & Cosaccis submittendi animos ipsis addens: qui etsi jussa ejus aversarentur, aperte tamen ista abnuere non audebant, ne hostili modo ab eodem haberentur. Conino Wittenbergius Israëlem Riddethielmium tribunum cum equitum manu Lanciciam versus ire jussit, qui ad Colam quadringentos Polonos sub Schoenbergio tribuno offendit, explorandi causa, & ut ejus tractus Nobiles ad Joannis Casimiri signa permoverent, emissos. Quos ipse impetu facto fudit, ereptis duobus signis, quadraginta cæsis, aliquot captis: reliqui fere in paludes compulsi. Referebant captivi, Joannem Casimirum

1655. *Elen.*

7. 8. *Aug.*

Conin. 9. *Aug.*

10. *Aug. Ridderbielm.*

Lancic. Colu Schoenberg.

Rogozno Gelzina. — 20. *Jul.*

Battiger.

Warsav.

Scroda. — 25. *Jul.*

Kaliz. Miedziviz.

Posen. — 16. 17. *Jul.*

1655. Lovvicium perveniſſe cum quinque fere millibus, & expectare diſtrictus Sendomirienſis militiam. Palatinatum Lancicienſem, & Siradienſem ad arma vocatos obſequium abnuiſſe.

Rex è Svetia diſcedit.

§. 17. Rex Carolus Guſtavus interim magna cum diligentia expeditionem accelerans res domi diſpoſuerat; quarum curam Senatui certis mandatis inſtructo commiſerat, rei militaris directione in Guſtavum Hornium collata, quem ideo è Livonia in Sveciam evocaverat. Ne exterorum principum miniſtri ipſum ſequerentur, quos conſilia ſua cominus rimari nolebat, ſpargebatur, ipſum intra trimeſtre in Sveciam reverſurum. Legatus Danicus multa cum teſtatione amicitiæ dimittitur. Inde Rex Daleræam vehitur, ubi claſſis quadraginta navium bellicarum cum multis onerariis ſtabat exercitu & paratu bellico onuſta. Pedes indigena novem legionibus conſtabat, ſelectus ac veteranus miles. Paucos poſt dies, poſtquam Reginæ, & proceribus, qui eum huc proſecuti fuerant, valedixiſſet, ſecundo vento oram ſolvens tota cum claſſe ſexto die felici navigatione ſub inſulam Grypsvvaldenſem adpulit. Inde aliquot dies Wolgaſti moratus, per Anclamum Stetinum ſe contulit, quo & univerſus exercitus convenerat. Brevius equidem videbatur per Pillaviam ſtatim Boruſſiam invadere. Sed potius viſum Regi per Pomeraniam in Poloniam irrumpere, ut Boruſſiam à Polonia ſepararet.

6. Jul.
9. Jul.
Wolgaſt. Anclam.
29. Jul.
Pillau.

Claſſis ad oram Gedanenſem dimittitur.

§. 18. Claſſis, expoſito in terram exercitu, duce Carolo Guſtavo Wrangelio in ſinu Pauzenſi ſub Hela ſtationem capere jubetur diſtrahendis hoſtium viribus, ne univerſa moles Regi incumberet, ac ut Gedanum in partes traheretur. Ei in mandatis datum, à navibus portum Gedanenſem intrantibus, aut inde egreſſis vectigal exigere æquo modo taxatum. Circa quod etſi Rex initio Anglicis navibus prærogativæ quid indulgere præ Belgis conſtituerat; mox tamen re melius perpenſa omnes æqualiter haberi jubebat molliendæ Belgarum invidiæ ac ne abjecte nimis Anglos captare, tum ut jure magis ſuo, quam reſpectu in certam nationem agere videretur. Eo ubi adpuliſſet, Gedanenſes ſalutaret, iisque ſignificaret; mandatum ſibi vectigal exigere, & merces bellicas detinere, quousque bellum cum Polonis duret, de cætero commercia ipſorum haut turbaturum. Quæ humanitas danda erat non tam Magiſtratui urbis, qui pro Polono obdurauerat, quam plebi, num qua forte diviſio in urbe excitari poſſit. Si caſtella ab Uladislai, & Caſimiri nomine dicta Polonico præſidio obtineantur, illa occupare conaretur. Sed ſi Gedanenſis miles inſideat, eadem ne oppugnaret, niſi forte aquationem impedire velint. Si Danica claſſis adveniat, & prope ipſum ancoras jaciat, ipſe inde digreſſus in aliquem ſe Sveciæ portum conferret, declinandæ cum Danis colliſſioni. Nam cum iſtis negotii nil Rex ſibi tunc eſſe volebat, ne ſi prævalere quidem iisdem poſſet. Sed ubi Belgæ veniant, & ipſe parem ſe illis, aut ſuperiorem judicet, eos vi inde conaretur repellere. Si Gedanenſes aut alii ſuper vectigali apud ipſum querantur, eos ad Regem rejiceret. De cætero hoſtilibus abſtineret, ac oſtenderet; juſſum ſe à Rege vectigalia exigere, quoad Gedanenſibus cum hoc convenerit. Enimvero vectigal iſtud Regi plurimum invidiæ, emolumenti parum attulit, quod Gedanenſes telonium ſuum clauderent; & Belgæ in fretum Oreſundicum adpellentes, cum de iſto vectigali audirent, omiſſo Gedano ad alios portus navigarent. Ita Regem ſpes ſua fefellit, è vectigalibus Boruſſicis idem ſibi emolumentum pollicentis alendo bello, quod Guſtavus Adolfus quondam perceperat.

Hiſt. Dantzig.

Super tractatibus Polonicis mandata. Lilliestrœm.

§. 19. Porro Stetinum Rex evocaverat Joannem Oxenſtiernam, cui una cum Joanne Lillieſtræmio in mandatis dederat abruptos Holmiæ tractatus cum Polonis inſtaurare, ſi quæ ab ipſis Legatio prout convenerat adeſſet. Sed quia interim facies rerum inſigniter mutata erat, allato jam nuntio ſuper deditione duorum Palatinatuum, interrogare jubebantur, num procuratorio inſtructi forent nomine Reipublicæ etiam excluſo rege Joanne Caſimiro tractandi, & quid ſatisfactionis offerant: & num amicos Regis Moſcum, Brandenburgicum, duosque


Tabula Geographica
m inter Weichselmundam et promon-
ó est, vna cum delineatione littorum vicinorum
e Suedicæ, qua sub ductu Excellentiss. Dn.
oli Gustaui Wrangelij portus Dantiscanus,
tus, vna cum oppido eiusdem nominis tunc habitus Ao 1655.
e Germanicum commune, siue 1800 pertica.
Reed
Reed Fl
Schlatau
Pal lu des
Pelchau
Ossikau
Wevirt Kopf
Blankau
Velwerk
Pelain
Bautzig
ZENSIS
Paludes
Gaudau
Schwansau
Jungfrauen
wald
Grabendorf
sburg
NAPOLI

Digitized by Google

1655. que Palatinatus dedititicos includere velint. Quod ſi intelligant, ſerio rem ab ipſis agi, ad Regem referrent, ac preſſiora mandata expectarent, interim tractatus probabili obtentu extraherent. Mox tamen cum Rex Leſſinium per Majorem Poloniam Stetinum tendere intelligeret, ipſi ſcribebat; cum res interea valde mutata ſit, omiſſo Stetinum itinere in Polonia ſibi occurreret. Quod ſi tamen is utique Stetinum pertenderet, Commiſſarii Svecici jubebantur ipſi perſvadere, ut ſecum Thorunium proficiſceretur; quod Rex credat, plus fortaſſe tractationis fore de ſubjectione Poloniæ, quam aliis rebus, quæ commodius intra ejus Regni limites, quam alibi ſuſcipi queat.

Rex in Poloniam tendit.

§. 20. A Brandenburgico Electore Rex per literas innoxium tranſitum petierat; à quo ipſe per Legatum ſalutatus fuit, gratulatione ſuper felici adventu addita. Inde luſtrato apud Stetinum exercitu, qui bellatorum quindecim millia explebat, eo diligentius iter urgere inſtituit, quo ampliorem ſucceſſus ſpem primordia belli à Wittenbergio edita faciebant, qui & vehementer ipſius adventum optabat. Itaque biduo poſt cum exercitu Dammo movens Arensvvaldum, inde Furſtenaviam tendit, ubi dies una exercitui ad quietem indulta. Poſtera die Poloniæ fines ingreſſus ad Teupiciam oppidum uno die ſubſtitit, ſevero edicto promulgato, ut petulantia & injuriis in inermes miles abſtineat, exemplis quoque paſſim in noxios editis; etſi modico fructu, cum conductitium militem ſola prædæ libido in bellum pertraxiſſet. Hinc apud Czarnicoviam Notecius lata utrinque uligine tranſitu difficilis nemine obſiſtente ſuperatur; ubi Guſtavus Otto Stenbockius cum peditatu, ac parte equitatus, machinisque quarum ſexaginta majoris formæ, centum octodecim minores erant; recta via Nackelam tendere jubetur. Ad occupandam Bombergam exadverſum Thorunio ſitam Andreas Plantingius cum valida equitum manu mittitur. Ipſe Rex per Jembitzam, Rogoznam, & Clezcoviam magnis itineribus Gnieſiam contendit. Cum Ragoznæ propinquaret, Palatinus Caliſienſis Gniesnæ Posnanienſis eidem magna equitum caterva ſtipati occurrerunt, ampliſſime de fide ſua teſtati, quos omnibus clementiæ ſignis delinire Regi curæ fuit. Petebant iſti ſponſionem cum Wittenbergio initam à Rege confirmari, quod ſibi fixum ſit protectioni ipſius ſubjectis fidem & obſequium conſtanter exhibere, prout antea Regibus Poloniæ obligati fuerint. Quibus Rex demonſtrabat: Se quidem in ipſo„rum deſideria explenda pronum; „ſed ſibi nondum conſtare de omni„bus, quæ circa conventionem iſtam „acciderint; ſimul intellexiſſe, non „ſolum Archiepiſcopum Gnieſnen„ſem, & Posnanienſem præſulem, „aliosque Clericos in iſtis Palatina„tibus, ſed & Caſtellanos, ac multos „Nobiles protectionem ſuam abnue„re. Cum tamen ſibi utique viciſſim „cautum eſſe oporteat de fide & ob„ſequio omnium, qui hoſce diſtri„ctus incolunt. Tum ipſos non poſ„ſe pro cæteris cautionem interpo„nere; nec ſibi conſultum videri „adverſus refractarios eo, quem pa„cta permittunt, rigore uti. Igi„tur Coninum ſequi agmen jube„bantur, ubi ipſe cum Wittenber„gio locuturus ſit. Eo loco mox conventa à Rege citra exceptionem firmantur, ac cæteri edicto ivitantur, ut & ipſi protectionem Svecicam amplectantur. Acceſſerunt toto hoc itinere ad Regem plurimi Caſtellani, præfectique Regii, ac Nobiles, qui ejus ſeſe tutelæ ſubmittebant, quibus ut à licentia militari cautum eſſet, diplomata Regia, milesque tutelaris promte indulgebantur. Iſti cum Regis humanitatem, agendique vigorem perſpicerent, maxima ſe admiratione atque adfectu in eundem perfundi teſtabantur, ac Uladislao IV. ipſum adſimilabant, Polonis inſigniter æſtimato atque dilecto; vel quod ſerio tanti Principis virtus animos ipſorum in ſui venerationem traheret, vel quod ſimulato in tempus obſequio primum victoris impetum eludere præſentibus rebus unicum remedium ducerent, quoad mutata belli facies alia conſilia ſuppeditaret. Sane non obſcure iſti „fremebant; Joannis Caſimiri Regis „pervicacia hanc Poloniæ calamita„tem attractam, qui ſua cum factione „patriæ amantium civium conſilia „eluſe-

29. *Jul.*

31. *Jul.*

Furſtenav. 3. *Aug.*

5. *Aug. Teupic.*

Czarnicov.

Nackel. Bomberg. Plarting. 11. *Aug. Jembiz. Kletzov. Gnieſn.*

1655. „eluſerit, ſubinde pacem cum Svecia „maturandam ingerentium. Augebat inclinationem animorum quod circa id ipſum tempus Vilna primaria Lithuaniæ urbs, à Moſcis occupata nuntiaretur, ſic ut ſervitio imminente Carolo Guſtavo ſe ſubdere, quam à Moſcis excidium, aut duriſſimum jugum ſubire tolerabilius videretur. Gniesnæ porro Capitulum Regis ſe protectioni ſubmittebat. Sed ipſe Archiepiſcopus Joannem Caſimirum comitabatur. Dimittuntur inde, qui *Kruſeviz.* arcem Cruſevitzam lacu fere circum fluam, ex quo Notecius fluvius originem trahit, occuparent: ſimul alia *Meſeriz. Koſten.* circum oppida, Flena, Nackela, Meſericia, Posnania, Caliſia, Coſtena præſidiis obtinentur, queis injunctum ea loca quantum poſſint novis munitionibus firmare. Gniesna movens Rex apud Coninum Wittenbergii cum exercitu, qui in aciem explicatus adventantem feſtivis explosionibus excepit, conjunctus eſt. Quo & Steinbockius, qui cum graviore agmine recta viâ adproperaverat, accedebat. Ita univerſus exercitus, tringinta quatuor bellatorum millia explens, Colam tendit, Wartam ibi fluvium ſuperaturus.

Joannes Caſimirus ad Carolum Guſtavum legatum mittit. §. 21. Aſt Joannes Caſimirus, qui hactenus ſucceſſum legationis Cæſareæ in Moſcoviam captans tractationem Stetinenſem neglexerat, cum tanta mole Carolum Guſtavum viſceribus Poloniæ ſe infundere conſpiceret, *26. Aug.* nullis quæ hunc ſiſterent in promtu viribus, ſubdolæ pacis negotiatione tempus extrahere inſtituebat, ut ruentibus rebus reparandis ſpatium foret, ſimul aliorum ſe in Sveciam conatus explicare poſſent. Igitur dum ad Colam *Colo.* aliquot per dies hæret Rex, à feſtinato itinere exercitum refecturus, rerumque faciem in Polonia penitius inſpecturus, à Joanne Caſimiro miſſus *Przieмski.* adeſt Chriſtophorus Przieмſcius Cubicularius, gratioſum apud Svecos nomen, quod & ipſe belli Germanici initio ſub Guſtavo Adolfo Rege militaverat, ipſiusque frater Sigismundus ſub ejusdem belli finem egregiam operam navarat. Adferebat hic à Joanne Caſimiro literas fiduciarias, aliamque epiſtolam, quâ hic hoſtilia ſe meruiſſe negabat, pacique ſe pronum declarabat. Habebat etiam à Senatoribus literas legationi fidem facientes, quæ hanc duntaxat inſcriptionem præ ſe ferebant: *Sacra Regia Majeſtati Svecia, Domino noſtro colendiſſimo*; ſed quæ non acceptabantur, quod Regis nomen ac titulus expreſſus non eſſet, & quia vocabulum *colendiſſimi* faſtigio Regis inferius videbatur. Præſertim cum pauci tunc Senatores apud Joannem Caſimirum agerent, ac ſuſpicio eſſet, eas literas non ab ipſis ſcriptas, ſed eorum nomine à Rege concipi juſſas. Is igitur Przieмſcius ad Carolum Guſtavum admiſſus in hunc ſenſum „verba fecit. Regem Joannem Caſi- „mirum ſatis mirari non potuiſſe ac- „cepto nuntio de Wittenbergii intra „fines Poloniæ irruptione; multoque „magis inopina rei novitate confu- „ſum, cum ipſum Regem valido exer- „citu ſtipatum ſubſequi intellexerit. „Unde ſe veniſſe ſciſcitatum, quo ani- „mo atque impulſu, ſcopoque id fa- „ctum ſit. Sane acres fuiſſe cauſas „oportere, quæ hactenus neque tra- „ctatibus pacis, neque miſſis in Sve- „ciam Legatis, neque per ſacroſancta „induciarum pacta reprimi potuerint. „Sibi quidem à conſcientis ſuis nihil „exprobrari, quod tantis irarum flu- „ctibus originem præbuerit, & quod „tam aſpera vindicta Rex ſibi plecten- „dum ipſe ſumſerit. A ſe induciarum „leges ſanctiſſime obſervatas. Dum „Sveci bello Germanico implicantur, „Polonos florentiſſimis ſuis rebus fæ- „piſſime in ſocietatem belli ab iſto- „rum hoſtibus & æmulis ſolicitatos, „ac proclivem fuiſſe nocendi occaſio- „nem; ſed fidei apud hos ſanctimo- „niam, quæ oſtentabatur utilitati ſem- „per præponderaſſe. Si privati quidam „in Cæſaris partes proni arguantur, „multos viciſſim apud Svecos ſtipen- „dia meruiſſe, Boruſſos, Curlandos, „Polonos ipſos, quos inter fratrem „Sigismundum Regi notum nupero „bello à barbaris cæſum. Se quoque „non ſolum ſub Guſtavo Magno Regis „avunculo tirocinium poſuiſſe, ſed & „non ita pridem Regi Galliæ Svecо- „rum fœderato haut invalidam Polo- „norum manum adduxiſſe, ac per „triennium operam non ſpernendam „navaſſe. Si qui in Cancellaria erro- „res ſint admiſſi, tanti non eſſe, ut „bello vindicari debeant. Num igitur „forte divitiarum & prædæ cupido „tantum exercitum in Poloniam per- „traxerit? Enimvero conſtare ſibi, eam

1655. *Przieмſcii oratio.*


Acies Suecorum
Warta fluvius
Oppid

Digitized by Google

1655. „tam labem ab animo Regis longe „abeſſe; & quid opum è tam miſere „lacerato ac vaſtato Regno extorqueri „poſſe? jam octo annos elapſos ex quo „atrociſſimis vexetur bellis Polonia, „cladium numero annos æquante, „fuſis totidem exercitibus, reparatis„que. Quodnam Regnum tantis „damnis tolerandis ſuffecerit? qui the„ſauri non exhauriantur? Veniſſe Re„gem jam in pinguiſſimam Poloniæ „partem, & à belli calamitatibus re„motiorem. Sed ſi miſerorum heic „provincialium paupertatem cogitet, „& ex his de aliis partibus judicet bel„lo ſedem præbentibus, clare adpari„turum, quam longe infra opinionem „divitiæ Polonorum ſint. Nullas heic „opulentas urbes, nullos divites mer„catores, nullas auro argentique fo„dinas. Omnes Polonorum opes an„nuo agrorum proventu & pecoribus „conſtare; his per hoſtilem propriumque militem abſumtis ceſſare agri cul„turam juxta ac tributa, ac utrisque „famem imminere. Cum itaque nec „injuriæ noſtræ, nec opes bello cau„ſam præbuerint, ſuſpicandum nobis „reſtare, aliis calcaribus Regem urge„ri, nimirum gloriæ ac famæ cupidi„ne, inaniſſimis animi humani deli„ciis. Sed quam heic Gloriam, cum „immaniſſimis hoſtibus de vita ac ſa„lute certantes invadere? Solidam „gloriam in eo quærendam, ne aliena „concupiſcantur, & ſuum cuique tri„buatur. Famam apud nos ſpargi, „veniſſe ipſum tuendæ Poloniæ. Id „ſi verum eſt, tutetur nos adverſus „atrociſſimos hoſtes, ac libero populo „libertatem ipſa vita cariorem ne adi„mat: ſervet Regnum Regi legitime „electo, & conſanguineo. Tunc ſe „ipſum non protectorem ſolum, ſed „& benefactorem agnituros, ac velut „Servatori tropæum erecturos. Hac „via ſolidiorem gloriam quæri, quam „ſi plura Regna jugo ſubdantur. Aſt „ſi Rex id propoſitum ſibi habeat, ut „Poloniam armis ſubigat, falli eum, ſi „credat, etiam ubi fortuna belli ſeſe „ipſi mancipio addixerit, imperium „id unquam ſtabile fore, aut Polonos „cum Svecis bona fide uniri poſſe. „Immane quantum ſeparata eſſe ea „Regna, per ipſam naturam mari in„terfuſo diremta; quorum populi in„dole, ſacris legibus, moribus, lin„gua, veſtium formis diſcrepent. Nil „commune duobus populis eſſe præ- 1655.
„ter indomitos ſpiritus, alieni ſervitii „intolerantes, & qui nunquam eous„que frangi poſſunt, ut unus alterius „imperium laturus ſit. Nec crederet „Rex Poloniam armis ſubactam mo„derato imperio regi poſſe: gladiis & „crucibus opus fore. Quid autem „gloriæ eſſe, clementem & benignum „Principem ultro ſibi neceſſitatem im„ponere, ut non poſſit non in crude„lem & infenſum dominum degene„rare. Iniret ergo Rex aliam gloriæ „viam, ac placatum in Polonos ani„mum ſumeret. Petere jam ſe pacem, „bellum deprecari, ac ſubmiſſe rogare, „quid Rex ab ipſis exigat, ad ſatisfa„ciendum paratis. Modo tantiſper „ſubſiſtat, nec infenſum exercitum ul„terius pergere ſinat, ſed ſæpius abru„ptos pacis tractatus inſtaurare digne„tur.

§. 22. Huic juſſu Regis à Matthia „Biœmclovio reſponſum: De cauſis „belli Joannem Caſimirum Regem „dictante propria conſcientia ſatis ju„dicare poſſe, ſi antehac acta memo„ria remetiri velit. Statim atque „ipſe Sceptrum Sveciæ capeſſierit „monitum iſtum ferri non poſſe am„plius literas ſibi præjudicio ceden„tes, ac inanes miſſiones, ac periculo„ſos hinc inde machinationes. Ea ad„monitione non modo nihil profe„ctum, ſed & acrius ab iſto in perni„ciem Sveciæ agitata conſilia, quæ ni „præverterentur, ſummam rerum „apud nos periculum incurſuram „fuiſſe. Iſta cum orbis notitiæ ſint „expoſita, ſigillatim exponi in præ„ſens ſupervacaneum eſſe. Nunc ſe „confiſum auxilio Numinis, & juſtitiæ „cauſæ ſequi conſtituiſſe, quod ratio „belli dictitat. Si quid ipſi proponere „placeat paci inſerviturum, Commiſ„ſarios deſtinandos ad ipſum audien„dum, & rem diſceptandam. Indu„cias annui non poſſe. Inde lingua Teutonica ſuo nomine alloquebatur Regem Prziemſcius; cui Rex humaniter reſpondit, de ſtudio ſuo in pacem multa teſtatus. Tractatus pacis Holmiæ cœptos Stetinum remiſſos. Nuper quoque ſuo juſſu Canterſteinium Leſſnio ſignificaſſe, ut dum è Polonia Stetinum tendit, ipſum accedere, ac de pacis legibus proponere velit. Quod ſi Joannes Caſimirus judicet, tractatus in Polonia commodius poſſe obiri, *Regis reſponſum Biœmclo.*

1655. curaturum ſe, ut ſolida via negotium procedat, ocum in propinquo eligendi optionem cognato ſe ſuo relinquere. Regerebat Polonus: commodiſſimum fore medium inter duo caſtra locum eligere, ab utriusque duodecim milliaribus diſtantem. Addebat, num pace Regis fieri poſſit, ut Joannes Caſimirus ipſe eum accedat. Cui Rex ſubridens; cum tam prope invicem abſint, ſe cognatum ſuum huc proficiſcendi onere levaturum; ac ſperare, ſe honore colloquii ipſius mox fruiturum. Congreſſi mox ſunt cum iſto Canterſteinius, & Bicernclovius; ſed cum nulla tractandi facultate eundem inſtructum pateret, nihil aliud actum, quam ut cauſæ belli, & quid indignitatum Sveciæ illatum foret, latius deducerentur. Abeunti literæ ad Joannem Caſimirum referendæ à Rege traditæ ſunt, quibus denuo de cauſis armorum exponebatur, ac honeſtæ tutæque paci acceptandæ ſe paratum, cui conciliandæ ut Legati cum plenis mandatis ad ſe mittantur, invitabat. Creditum à multis fuit Prziemſcium iſtum Boruſſiam Regiam Carolo Guſtavo obtuliſſe, eumque in finem jam *chartam* quam vocant *blancam* ſecum habuiſſe; quam & acceptare debuiſſe Regem rationis fuerit. Enimvero tale quid à Joanne Caſimiro oblatum nunquam fuit, cui nihil aliud quæſitum, quam ut per inanem de pace negotiationem agendi in campo tempora eluderet, quoad auxilia, ſociosque belli aliunde excitaſſet. Sicuti & qui dein
25. Aug. Broncoſii. ad Regem Cracoviæ aſſidentem mittebatur Broncovius, Sockazovienſis Caſtellanus non minore verborum pompa perorans nil aliud quam progreſſibus Regis moram injicere inſtituit petitis *literis tuti itineris pro* Leſſinio & Georgio Lubomirio, ad tractatus pacis obeundos deſtinatis. Quas & Rex citra moram tradidit, in arbitrium Joannis Caſimiri collato, quem locum, quodve tempus pro præſenti rerum facie commodiſſimum judicet tractatibus ſuſpiciendis. Cæterum quanquam Prziemſcius ultro fateretur, Joannem Caſimirum & alios mirari, quomodo tam accurate diſciplina apud Svecicum exercitum ſervari queat: haut eo ſecius agreſtes per Pa-
20. Aug. latinatus dedititios in palantes milites ſævire cœperant. Quo intellecto Rex edicto, talibus ut abſtineant, provinciales monet, graviſſimas pœnas interminatus. Si quis ab aliquo milite læſus ſit, eum arreptum proximo præſidio ſteret, haut dubie pœnas daturum. 1655.

Rex in Joannem Caſimirum tendit.

§. 23. Satis jam perſpiciebat Rex Joannem Caſimirum ab ingenio nondum diſcedere, & quicquid de ſtudio pacis jactaret, id unice ſpectare, ut tempus extrahendo primum ipſius impetum eluderet, ac interim totius Poloniæ vires, ac Tartarorum auxilia à tergo excitaret, Moſco inde, atque Auſtriacis, aliisque in arma adverſus Svecos pertrahendis. Igitur cum id quidem minime omnium placeret iſtius ſe ludibriis præbere, aut invitantem fortunam deſtituere, ſuper eo duntaxat paululum addubitatum fuit, an non omiſſis in præſens ſpatioſis Poloniæ provinciis, ſtatim Boruſſia foret petenda, quæ præcipuum hujus belli præmium ſperabatur. Ita quippe in Conventu Ordinum Sveciæ, cum ſuper modo bellum gerendi conſultaretur, placuerat, ut Rex quidem hinc Wittenbergium Majori Poloniæ, inde Magnum Gardium Lithuaniæ immitteret, diſtrahendis Polonorum viribus. Statim tamen robur exercitus ſui in Boruſſiam verteret, eaque occupata ac firmata hoſtem arcuiſſe inde ſatis haberet Guſtavi Adolfi ad exemplum. Si enim ad totum Regnum occupandum animus adjiciatur, vires Svecicas per tam laxa terrarum ſpatia diffuſas ultro collapſuras, ac non poſſe non univerſam Catholicorum molem in ipſos ruere, artibus ac vi deſtinatis hiſce frangendis. Contra minorem fore invidiam, ſi præter Boruſſiam nihil affectari videatur; & modicum intra ſpacium vires melius ſervari, ac ingruentes hoſtes facilius propelli. Fortaſſis & Gedanenſes permoveri poſſe, ut in partes tranſeant, ſi citra moram vacillantibus adhuc animis cominus vis admoveatur, antequam adverſa Sveciæ factio prævalere ibi poſſit. Hoc rerum Svecicarum fundamento poſito, facilius Polonos permoveri poſſe, ut jactura iſtius provinciæ pacem redimant, quam ſi ad deſperationem adactis neceſſitas imponatur extrema tentandi. Quia tamen hoc modo Polonis tempus concedebatur ad univerſas vires à tergo exercitandas è provinciis bello adhuc intactis; ſatius viſum territis inſtare, nec ſpa-

tium

Digitized by Google

1485.



25. Aug
Broncofs-
ki,

20. Aug.

Digitized by Google

Digitized by Google

NAPOLI

Digitized by Google

1655. tium ad reparandas vires, animosque resumendos indulgere. Ac ignavum habebatur, quo fortuna invitare videbatur sequi non audere. Nec deerant, qui ipsam Poloniæ coronam velut ex facili ostendebant, ac uno & altero prælio totum bellum patrari posse. Simul quæ consilii inopia, & consternatio devotionis incitamenta apud deditios Polonos exprimebat, velut sinceræ fidei & affectus in Carolum Gustavum documenta interpretabantur. Quorum & multi immensa fortunis suis incrementa animo præceperant, si id consilium successisset. Ita hæc sententia prævaluit, ut Rex dilata Borussia ipsum caput rerum in Polonia petere institueret, velut cæteras partes ultro tractaturum. Igitur citra moram placuit castra Joannis Casimiri, circa exciendos toto Regno Nobiles satagentis, & Warsaviam petere. Quo fine iste Cola movens toto
Clodava. cum exercitu Clodavam, inde Sobo-
Sobota. tam tendit, si Joannem Casimirum
Piontec. duobus ultra Piontecam milliaribus consistentem comprehendere posset. In itinere Svecorum præcursores aliquot Polonorum catervas acriter multabant, plurimis cæsis, & magna impedimentorum parte capta. Ast Polonus Carolo Gustavo ingruente consistere non ausus, magna cum trepi-
Cracou. datione Cracoviam versus se recipiebat; ad quem insequendum Rex Wittenbergium valida cum manu Ravam
Rava. properare jubet, datis ipsi atque Alexandro Erskeino mandatis, ut si qui
Erskein. Palatinatus deditioni se offerant, eos in fidem recipiant his fere legibus; ut sua cuique sacra salva sint, Nobiles ob omnibus oneribus exemti agant, nisi quod sustentando exercitui annonam, quantum necessitas exegerit, haut gravatim suppeditaturi sint. Tum ut Joannis Casimiri imperio renuntient, & Regni Regnoque Sveciæ fidem atque obsequium promittant.

§. 24. Reliquus exercitus recta Warsaviam tendebat. Obiter Lovvicia arx occupatur, ac præsidio firmatur, urbi multos Moscos, qui captivi detinebantur, Rex libertate donatos, & equis instructos, in Lithuaniam ad suos abire permisit. Inde Rex cum tribus equitum legionibus, duodecim peditum centuriis prægressus, Stenbockio cum mole exercitus subsequente, tubicinem Warsaviam præmisit, qui urbi deditionem imperaret. Quæ 1655.
quidem defensionem non ausa, quos- 30. *Aug.*
dam è decurionum numero Regi ob- *Warsavia occupatur.*
viam ire jussit, qui urbem ipsius arbitrio dederent. Inventæ heic centum viginti quatuor machinæ æneæ, cum non exigua paratus bellici, & annonæ copia. Eorum qui urbe profugerant, domus direptæ: qui remanserant, bona salva retinuerunt. Rex Wia- *Wiastovvæ.*
stovvæ in prætorio Regio prope urbem diversatus est.

§. 25. Rebus ita prospere fluenti- *Regis ad ulteriores progressus dispositio.*
bus præcipua Regis cura erat, ut novis delectibus exercitum augeret, quia tot oppidis tuendis præsidia magnum peditatus numerum absumebant. Et in Germania quidem affatim militum cogi poterat, plurimis in eam expeditionem cupide ruentibus, ni rerum gerendarum nervus attinuisset, argento, quod hinc inde mutuo sumebatur, tantis erogationibus haut sufficiente. Nec parum remoræ injiciebant Nobiles in Posnanienſi & Calisienſi Palatinatu, qui Svecicos ductores ad Silesiæ fines militi colligendo vacantes, passim opprimebant, aut dissipabant; vetere in Svecicum nomen odio imbuti, ut qui bello Germanico multos Svecicos palantes insidiis excipere sveverant. Eos Rex comprehendi, aut si latitarent prædia ipsorum incendi jussit, non alio effectu, quam ut animi magis utrinque irritarentur. Warsaviæ quoque Rex edictum promulgat, quo Masovios, & vicinos isti urbi populos ad deditionem invitat. Struendæ in Borussiam viæ Stenbockio injunctum, assumta parte exercitus Novodvvoræ *Novodvvor.*
ad confluentes Bugi & Vistulæ castra *Bug. Weixel.*
munire, ac Vistulam ponte insternere.

§. 26. Warsaviæ, vicinisque cir- *Rex in hostem tendit.*
cum Palatinatibus Rex Gubernatorem Benedictum Oxenstiernam imponebat; cui adjungebatur Claudius Ra- *Ralamb. Banér.*
lambius, & Gustavus Banerius Caroli F. ut cum illis tractatus susciperent, qui in fidem Regis tradituri se essent. Quo fine & paulo post Biœrnclovius & Canterstеinius mittebantur. Quibus aliquo post tempore Ericus Oxenstierna Cancellarius accedebat. Rebus Warsaviæ dispositis, Rex Ravam se ad Wittenbergium conferre instituit, adversa valetudine tentatum, & qui hosti utut cessim semper cunti impar erat. Joannes Casimirus

quippe,

1655. *Wolvvors.* quippe, qui hactenus numeroso cum equitatu ad Wolvvorsam constiterat, cum Wittenbergium se prætexito recta Cracoviam tendere animadverteret, & ipse per Inovvlocam eodem prævertere contendit. Accidit heic, cum Wittenbergius jam Opoznam perveniisset, ut centum viginti equites, qui postremum agmen claudebant, dum impedimenta tardius incedentia expectant, à decem Polonorum vexillis circumfusi, numeroque obruti cæderentur, aut caperentur, *Forgel.* Subtribuno Forgello, qui eos ducebat, & præfecto vigilum ægre elapso. Qui exiguus licet successus Joanni Casimiro id animi addidit, ut Wittenbergii castra ad Opoznam oppugnare institueret. Sed mox Carolus Gustavus cum aliquot equitum legionibus Warsavia accelerans, ac ibidem Wittenbergio junctus hos conatus dispulit. *4. Sept.* Interim isto vix Warsavia digresso *Dunhof.* Gerhardus Dœnhofius à Joanne Casimiro missus adest, apud Benedictum Oxenstiernam super pace propositurus. Sed quem Rex ad se mitti, & si qui alii eo nomine venerint, jussit. Injiciebat iste de induciis, expediendæ eo celerius paci; Simul innuebat, circa cessionem Livoniæ difficultatis nihil fore. Cæterum de Borussia tradenda spei nihil ostendebat. Cui Rex reponebat: si quid se velit Joannes Casimirus, Legatos plenis cum mandatis mitteret: & si in præsens vix temporis satis supersit tractatibus agitandis, cum facile animadvertat id unice à Polonis agi, ut mora interjecta ipsius successus eludant. Cæterum cum ad Opoznam biduum Rex substitisset, *6. Sept. Czarnova* mox Czarnovam uno inde milliari moturus, Joannem Casimirum cum decem amplius equitum millibus, sed nullo peditatu, in aciem dispositis ante id oppidum consistentem reperit. Rex velut decertandi occasione oblata lætus statim & ipse suos in aciem explicat, catervasque equitum cum hostibus velitatum emittit, qui medio *Conflictus ad Czarnovam.* inter duas acies spatio non segniter invicem concurrerunt. Mox & machinis in hostem fulminari cœptum. Cum res ad justum jam prælium spectare videretur, subito densissimus imber gradum sistere subegit. Fuere tunc inter Polonos, qui durante imbre Svecos strictis acinacibus invadi svadebant, quod igniaria arma madore inutilia forent reddita. Sed aliis arma, funesque incensos sub vestibus tegi monentibus, satius visum mature de recepta cogitare. Itaque cum mox imber remitteret, effuso cursu Poloni se in vicinam sylvam subduxerunt. Regi istos pari celeritate persequi non visum, ne solutis suorum ordinibus Polonis forte animus subiret confusos & à peditatu separatos invadendi. Ita satis habuit tunc ad mille Polonorum cecidisse, omniaque horum impedimenta, quatuor plaustrorum millia erant, intercepisse. Nec ultra duo milliaria fugientibus insistere placuit. Joannes Casimirus dilapsis plerisque Nobilium equitibus, cum reliquis Cracoviam versus se recepit. 1655.

§. 27. Rex fortunæ instandum, nec hosti spatium se recolligendi concedendum ratus, è vestigio Polonos magnis itineribus insequi, mediumque se istorum copiis inserere instituit. Nec conatibus successus defuit, dum ad *15. Sept.* unum à Cracovia milliare ita improvisus hosti ingruit, ut nuntios tam subiti adventus præverteret. Ast Poloni conspectis Svecorum præcursoribus deserta raptim castra, quæ trinis ante urbem locis posuerant, incendunt, & magna cum trepidatione trans Vistulam confusis ordinibus se propipiunt, ne unico quidem ad velitandum prodire ausо. Suburbio quoque Clepræ ignis à Polonis injectus fuit. Primum Svecorum agmen octingentis equitibus constans ducebat Bretlachius tribunus, qui per conflagrantes suburbii ædes ad portam usque urbis nemine obsistente ruebat, quam & ipsam apertam inveniebat, ut nullo negotio in eandem penetrari potuisset, quod omnes præsidiarii in arcem sese contulissent. Sed ipse insidias veritus, occasione tam egregia uti non ausus retro cessit. Rex trepido Polonorum receptu conspecto, cum hos in altera Vistulæ ripa pedem fixuros arbitraretur, eodem die dimidium infra Cracoviam milliare ad fluvium accessit, vado transiturus, simul castellum invasurus Palatini Cracovienſis manu firmatum. Sed quia Poloni statim per aliquot milliaria retrocedebant, haut consultum Regi visum, equitatum continuato itinere fatigatum protinus in hostem rapere. Missus tamen tribunus Israël Ridderhielmius *Hostis ad Cracoviam pellitur.* *Bretlach.*

cum


DELINEATIO
Camporum et Silvarum prope oppidum Czarnova, inter Opoxno et Przedbors ubi duo REGES eorumq. exercitus sibi obviam facti, primùm prælio decertaturi videbantur. SUECIS in id aciem instruentibus; sed post leves aliquas Velitationes Polони subito terga verterunt relictus in Suecorum prædam 4000. impedimentorum plaustris
6 Septemb. Aº 1656
Pagus a Polonis incensus
Vechin sculpsit

Digitized by Google

Digitized by Google

Tarracina
Pagus
Pagus
Castra Cæsaris passibus

Digitized by Google


PARS
OPPIDI
MVSEVM
STA
Templum
Horti
Vivarium

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google


Paludes
Taurus

Digitized by Google


V S
Ichnographia Castri
SCHWETZ
in Pomerellia ab Exercitu R.M. Sueciæ d. 4
Octob. 1655. occupati
A Area Arcis interior B Pomerium et murus ab ea parte
arcem cingens C Turris altissima D Taberna vel casa
militum E Area exterior F Molæ tormentis usibusque
G Sinuosus tormentarius H Campi aquis crescentibus
inundati I Muri Arcem cingentes suas altas K Pars op-
pidi Schwetz
F L.
F L.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

1655. cum ſexcentis equitibus, veſtigia abeuntium lecturus; à quo non pauci moratores cæſi. Poſtera die Philippus *Sulzbach.* Palatinus Sulzbacenſis cum ſua legione, & aliquot dimacharum turmis Caſimiriam ſuburbium irrumpere juſſus eſt, quem Rex una cum legione inſequitur. Iſte pulſis qui obſtiterant pariter cum Polonis fugientibus ad ipſam urbis portam pervenerat; quam apertam irrumpere in proclivi erat, ſi qui firmare ipſius tergum poſſent, ſtatim præſto fuiſſent, nam cum paucis in urbem jam milite plenam ſe penetrare rationis non erat. Ita ſuburbium iſtud ac pons Viſtulæ nullo milite deſiderato occupatur, nec minus ſuburbium Stradonia, quadringentis Heidonibus, (pedites Hungarici ſunt,) inſeſſum, qui partim cæſi, partim una cum quatuor vexillis capti ſunt. Ad tuendam Cracoviam Joannes Caſimirus Ste- *Czarnes-ki.* phanum Czarnecium, & Fromondum Wolfium prætoriæ legionis tri- *Wolf.* bunum reliquerat cum ſeptem amplius militum millibus, quam Rex, capto in Caſimiri ſuburbio hoſpitio, ſtatim operibus machinisque oppugnare cœpit, Polonis ex urbe atque arce quantum dabatur ſtrenue reſiſtentibus.

Prælium ad Donaicam. §. 28. Dum Cracoviæ oppugnatio procedit, Rex Robertum Duglaſſium cum idonea manu ad Landscronam, *Duglas Landscro-na.* validam arcem monti impoſitam quinto à Cracovia milliari, mittit, qua & is 19. *Sept.* nullo negotio potitur. Mox cum nuntiaretur, Joannem Caſimirum cum plerisque copiis, quæ ipſi adhuc reſtabant, ad Donaicam flumen metari octavo à Cracovia milliari, ipſe Rex aſſumta valida manu eodem tendit. In 21. *Sept.* itinere Wiſchnicenſis arx munitiſſima *Wiſch-nitz.* imperantis Regis arbitrio citra exceptionem ſe permiſit; ubi triginta quinque machinæ majoris & minoris formæ, nec ſpernenda copia adparatus *Tinſchin.* bellici inventa. Nec minus Tinſchinenſis arx in poteſtatem redacta. Duglaſſius dum Landscrona revertit, aliquot agreſtium millia obſiſtere conantium male multat, maxima parte cæſa, reliquis in montana refugis. Heic poſtquam Regi junctus fuiſſet, recta in ho- 23. *Sept.* ſtem tenditur. Cum ſelecta manu præmittitur Bretlachius exploraturus, utra in ripa fluminis Poloni conſiſterent, ut Rex ſummo mane incautos invadere poſſet. Hic fallacibus nuntiis deceptus, qui hoſtem in altera ripa conſiſtere retulerant, ex improviſo ſtationi hoſtium ante caſtra poſitæ impingitur, quam & nullo evadente intercepit. Ubi ſi tacitus conſiſtere voluiſſet, quoad Rex cum omnibus copiis acceſſiſſet, quicquid erat Polonorum intra caſtra opprimere in proclivi fuerat. Sed is inconſulto impetu in ipſa Polonorum caſtra ruit, ubi ſtrenue licet pugnam ciens, dum numero obruitur, nec ad reliquorum usque adventum ſuſtinere valet, quibus per viarum anguſtias tardius eluctandum erat, fuſus amiſſis ſuorum non paucis rejicitur, Rege improvidum impetum acriter increpante. Rex inde progreſſus univerſas hoſtium copias in aciem explicatas ante ſe reperit. Conſtabant illæ turmis Quartianorum, quatuor Huſſarorum cohortibus, quinque turmis equitum Nobilium, una legione dimacharum, & aliquot Walachorum cohortibus; quæ omnes octo bellatorum millia explere judicabantur. Juvit numerum etiam loci opportunitas, quod retro cavam viam fronti prætenſam conſtitiſſent. Rex haut eo minus aſſumta Smalandica & Wittenbergii equeſtri legione, ſuperataque objectæ viæ difficultate recta in Huſſaros ruit: tribunum Bœtigerum à dextro latere hoſtes invadere jubet. Walachos, qui & ipſi dextrum Svecorum latus impetere parabant, Sulzbacenſis & Ridderhielmius excipiunt. Poſt acrem concurſum Poloni ſolutis ordinibus trans flumen ſe proripiunt. Ceciderunt eo conflictu aliquot Polonorum centuriæ, captus Henricus Dœnhofius tribunus cum multis aliis ductoribus; acceſſere viginti tympana equeſtria, multa vexilla cum Joannis Caſimiri Labaro, omniaque impedimenta; fugientibus Sveci per quinque milliaria inſtiterunt. Læta cumprimis ea victoria Regi fuit, quod ſuos modo pugnandi Polonis ſolito adſueſcere perſpiceret, ac Huſſaris terribili quantumvis facie ingruentibus prævalere. Ei pugnæ Joannes Caſimirus non interfuerat, ſeorſim ab exercitu Sondſchoviæ agens, infenſos ſuorum animos veteres ob offenſas, & continuam infelicitatem veritus. Et quia valida cum manu *Joannes Caſimirus è Regno profugit. Sondſcov.*

1655. imminebat Duglaſſius eum intercepturus, cum aliquot Germanorum equitum turmis ad fines Hungariæ, *Oppeln.* inde Oppelenſem in Sileſia Ducatum extra limites Poloniæ ſe proripit, quo & Regina præceſſerat, quod infelicibus nihil tutum exiſtimaret, an ut victoris impetum declinaret, quoad excitis aliunde auxiliis res ſuas repa- *29. Sept.* rare poſſet. Etſi neque tunc de pace movere omitteret, miſſo iterum Adamo Bronchovio, qui de loco tractatuum ageret, & ut hiſce eo commodius ſuſcipiendis tantiſper ab armis ceſſaretur. Cui à Rege reſponſum: difficile eſſe inter hos armorum progreſſus certum locum deſignare; eoque ſi Joanni Caſimiro pax cordi ſit, præſtare, ut Leſſinius idoneis mandatis inſtructus exercitum ſequatur, quo ſibi ex voto ſatisfieri poſſit.

Cracovia deditur. § 29. Joanne Caſimiro in Sileſiam pulſo, res Poloniæ prono lapſu in exitium præcipitare videbantur. Re- *26. Sept.* ge enim in caſtra ad Cracoviam reverſo, cum violenta urbis expugnatio longioris operæ videretur, juſſu Regis Wittenbergius præfectis Polonicis Czarnecio & Wolfio demonſtrat; omnem auxilii ſpem ipſis periiſſe, Joanne Caſimiro extra Regnum profugo, ejusque copiis diſſipatis, ſimul *Potoki.* Potocio exercitus Polonici duce à Coſaccis pulſo. Ut dictis fides fieret, tribunus Doenhofius nuper captus in urbem dimittitur hortaturus, ut ad urbem exitio ſubtrahendam victorem haut amplius incaſſum irritent, obſeſſi quanquam nulli operæ circa defendendam urbem peperciſſent, cum tamen Joannis Caſimiri res in præſens plane proſtratas conſpicerent, inani pertinacia omiſſa Wolfium tribunum cum duobus aliis præfectis in caſtra Svecica mittunt, qui ad Wittenbergium, inde ad Regem deducti certa capita offerunt, in quæ urbem cum arce Regi dedituri ſint. His benigne auditis à Rege in urbem mittitur Slippenbachius Comes, & Joannes Fridericus *Schvvalk.* Schvvalckius Secretarius qui cum Czarnecio plene ſuper deditione tranſigerent. Conventio abſoluta à Wittenbergio, & Czarnecio utrinque ſubſcripta fuit. Ejus capita hæc erant. Liber-
„tas Sacrorum Romanorum, publicus-
„que cultus in urbe ſalvus maneat:
„ædes bonaque ſacra inviolata ſint, &
„ab hoſpitiis militum immunia, niſi in- 1655.
„evitabilis urbem tuendi neceſſitas
„requirat; hominibus Eccleſiaſtici
„ordinis tuto ibi ſubſiſtere, & redi-
„tibus ſuis libere frui liceat; ut ta-
„men pacifice, & cum fide atque ob-
„ſequio adverſus Regem Sveciæ vi-
„vant, nec hoſtile quid adverſus ipſum,
„ejusque præſidium & urbem ten-
„tent, faciant, aut fieri permittant,
„tum communia onera nomine bo-
„norum & redituum ſuorum non
„minus quam cæteri provinciales pro
„rata exſolvant. Officiales arcis Cra-
„covienſis, & Nobiles in urbe agen-
„tes dignitate, bonisque ſuis fruan-
„tur, ut tamen pacifice, ac debita
„fide obſequioque erga Regem Ca-
„rolum Guſtavum intra Poloniæ Re-
„gnum maneant. Migrare volenti-
„bus id liberum ſit, ſalvis omnibus
„mobilibus. De abſentium Nobi-
„lium bonis in urbe inventis Regi
„pro arbitrio ſtatuere integrum ſit.
„Urbs Cracovia, omnesque cives, &
„incolæ privilegiis per priores Polo-
„niæ Reges conceſſis fruantur. Aca-
„demia quoque Cracovienſis præro-
„gativas Regni legibus firmatas, ac
„ſtatos reditus retineat. Præſidio
„militari excedere liceat, abductis
„duodecim machinis minoris formæ;
„quod interim ad fines Sileſiæ in men-
„ſem usque Octobrem hoſpitiis frua-
„tur, ut tamen intra id tempus nihil
„hoſtile in Regem Sveciæ, ejusque
„exercitum tentet, & quiete absque
„oppreſſione provincialium, & via-
„torum degat, inque eam Rem Regi
„caveat. Eo tempore elapſo quo ire
„velit liberum ipſi ſit, ut tamen mi-
„niſteria ſua præ aliis Regi Sveciæ of-
„ferant, ſi Joanni Caſimiro opera
„iſtius ut jam amplius non placeat. Pro-
„vincialis miles ad ſuam quisque pro-
„vinciam redeat, ibique tranquille
„agat, nec in Svecicos hoſtile quid
„tentet. Miniſtri Regis Joannis Ca-
„ſimiri ad ipſum dimittantur. Militi-
„bus res & impedimenta ſua avehere
„liceat. Omnes captivi Svecici in ur-
„be & arce detenti liberi dimittantur,
„ut tamen Rex Sveciæ pari numero ca-
„ptivos Polonicos libertati reſtituat.
„Captivi Moſci in urbe remaneant. Ar-
„chivum Regium, acta que publica, tum
„machinæ, paratusque bellicus, & ab
„aliis depoſita in arce & urbe bona

ibi


Nomina Legionum Suecorum
Equitatus
a. Legio Pretoriana.
b. Legio Regina.
c. Legio Upplandica.
d. Legio Smolandica.
e. Leg. Gen. Forbi Delagardia.
f. Leg. Landsknecht Hassica.
g. Leg. Marschalki Wittenbergij.
h. Leg. Marsch. Konigsmarck.
i. Leg. Trib. Uhael.
K. Leg. Trib. Engell.
l. Leg. Prof. vigil. Boddker.
m. Leg. Trib. Brettlach.
n. Leg. Trib. Uhrbilt.
o. Leg. Trib. Taube.
suburbium Casimiria.
Bastard. Strado
F L U V I U S
V I S T U L A
NAPOLI

Digitized by Google

CRACOVIA
Sedes Regia obsessa et a
Serenissimo Sveo: Gothorum Rege
CAROLO GVSTAVO
ditionique capta d: 8 Octob: Anno 1655.



53. S. Anna ... 19. S. J. Primitiæ
54. Collegij Jesuitarum ... 20. Beatæ Virginis ...
55. Curia ... 21. Stephani ...
56. S. Francisci ... 22. S. Marci ...
57. S. Annæ ... 23. S. Spiritus ...
58. Omnium Sanctorum ... 24. S. Florian ...

NAPOLI

cum aliis
rum con:
A 1655
me: de Dona
Gen. Major
risiam & filius
nowita ki
Trib.
e cum multis aliis
Novemb. 1655 non procul
is Dux Magnopolitanus
Georgius Lubomirski
Trib. Prisinsli

1655. „ibi relinquantur; cautioque præste-
„tur, nil cuniculorum & insidiarum
„occultari. Ea transactione facta sta-
tiones quædam in urbe Svecico militi
insidendæ tradebantur. Digresso Po-
lonico præsidio, quod præter provin-
cialem militem octodecim centurias
conductitiorum peditum continebat,
Paulus Wirtzius arci urbique præpo-
9. Octob. nitur, cum sua, ac Fabiani Fersenii, &
Fersen. quibusdam aliis legionibus eam tuitu-
rus; quam & iste statim novis munitio-
nibus firmare instituit, eo faciliore
opera, quod suburbia ab ipsis Polonis
inflammata forent. Ejusdem imperio
quoque vicinæ arces Landserona,
Wisnicia, & Tenschinum subduntur.

Quartia-ni Carolo Gustavo se dedunt.

§. 30. Tantis successibus Caroli Gu-
stavi ingentem cumulum addebat,
quod sub idem tempus status Poloniæ
miles, cui Quartianorum vocabulum,
ipsi se data fide submitteret. Statim
post pugnam ad Donaicam flumen
Wittenbergius ad istorum duces Co-
niespolsinum, Dominicum Wiesnovi-
cium, Potocium, aliasque literas da-
bat, quibus ut se suosque Regi Carolo
Gustavo subdant hortabatur, quo glo-
ria nationis Polonicæ per infaustum
Joannis Casimiri regimen prolapsa in-
staurari queat, sub Carolo Gustavo
tanta virtute ac felicitate illustri Rege
immensum floritura. Permovit ea res
Polonos, seu quia Joannem Casimirum
conclamatum credebant, seu ut vim
Svecorum tantisper eluderent, fallen-
di hosce occasione post haut ægre in-
venienda. Igitur respondit Vexillifer
Poloniæ Coniespolscius; lubenter ad
Regem se missurum, si Deputatis suis
caveatur. Circa quod quidem nulla
28. Sept. mora fuit. Itaque mox aderant, qui
cum Rege Quartianorum nomine
agerent super ejusdem militia & pro-
tectione amplectenda, Stanislaus Was-
sycius, & Samuel Lovvscius Procura-
torium, quod hi adferebant, subscrip-
serant Joannes Sapieha, Joannes Pia-
sezenscius, Alexander Coniespolscius,
Demetrius Georgius Zbaraviæ &
Wiesneviciæ Dux, Joannes Sobie-
scius, Christophorus Rosinscius. Eo
„scripto memorabant, patriam suam
„insigne jam documentum præbere,
„quam instabili vertigine res huma-
„næ volvantur, velut eo redactam, ut
„novus ipsis Princeps circumspicien-
„dus sit, non quod fides sua quam Re-
„gi debant præter veterem nationis
„Polonicæ morem vacillet, sed quia 1655.
„hic ipsos Regnumque deseruerit.
„Nec dubitare, quin, cum id negotium
„è propenso suo in Carolum Gusta-
„vum animo proveniat, idem pro glo-
„ria nominis toto orbe celebrati ac-
ceptaturus sit. Post aliquot dierum
disceptationem Casimiriæ suburbio
Cracoviæ conventio absoluta fuit;
„cujus ingressu Rex laudare & magni
„æstimare se ferebat curam Quartia-
„norum, quam non pro se solum, sed
„& pro patria gerant. Cum autem ipse
„tam ex innata ad clementiam procli-
„vitate, quam gloria nationis Poloni-
„cæ tot egregiis factis celebratæ mo-
„tus, sibi semper salutem & conserva-
„tionem hujus Regni proposuerit;
„haut omissurum se, statim atque Or-
„dines Poloniæ justo tempore apud
„ipsum convenerint, idonee cavere
„eorum libertati, religioni, bonis fa-
„cris, administrationi justitiæ, juribus,
„privilegiis & immunitatibus Nobi-
„lium, qui patriam suam non desere-
„runt; tum ut provinciæ Regno erep-
„tæ restituantur, munia publica distri-
„buantur, resque publica rite admini-
„stretur: utque communi ordinum
„consensu ejusmodi dispositio fiat, quæ
„in ipsius, Regnique Poloniæ, ac
„omnium Ecclesiasticorum & secula-
„rium emolumentum cedat. Quem
„in finem ipse haut gravatim operam
„collaturus sit, modo ordines condicto
„tempore compareant, & in commu-
„ne cum ipso consulant. Sed quia
„Quartianorum militia mature ad
„ipsius clementiam confugerit, ac per
„Deputatos de fide & obsequio suo ca-
„verit, ipsiusque imperio se subjecerit,
„quorum & virtus continuis adversus
„barbaros excubiis, aliisque præclaris
„facinoribus probata sibi maximi æsti-
„metur, se pro sua in eam militiam
„propensione sequenti modo cavere
„eidem voluisse, certa cum spe hanc
„benignitatem ab ista grato animo
„agnoscendam. Prout & sibi curæ sit
„futurum, ut ea militia majorem
„subinde fructum Regiæ benevolen-
„tiæ capiat. Sequebantur capita con-
ventionis, qua Rex quidem cavebat,
libertatem conscientiarum, & publi-
cum sacrorum cultum cuique ex reli-
gione sua salvum fore, nec minus privi-
legia & jura olim parta, prout à priori-
bus Poloniæ Regibus conservata sint.
Bona eorum hæreditaria penes posses-

Konies-polski Wiesno-vvitz.
26. Sept.

Digitized by Google

1655. ſores manſura, nec ſtativis militum contra morem legesque patriæ onerandа: aut ſi ratio belli & neceſſitas tranſitum per iſta ſumi ſubigat, militem exacta diſciplina continendum. Regem omnes, qui ſe tempeſtive protectioni, imperioque ipſius ſubdiderint, nullo diſcrimine favore complexurum, modo iſti virtute & fortibus factis nomine, & gloria gentis dignos ſe præbeant, ac quemlibet pro ſtudio in Regem patriamque, ac pro meritis æſtimandum. Super adminiſtranda juſtitia proximis Comitiis ſtatuendum; interim judicia campeſtria in vigore fore. Nobiles Quartianos citra ullum impedimentum bona regalia, quæ per indultum Regium teneant, poſſeſſuros. Regem quoque effecturum, ut Quartianis pro reſiduo ſtipendio, & donativo proximis Comitiis ſatisfiat. In præſens Regem iisdem promittere, quamprimum nomina ſua ediderint, vel annui ſtipendii quartam partem, vel loco hujus idonea hoſpitia, de cætero cujusque præfecti pro meritis & dignitate ſua condignam rationem habiturum. Et quia Poloniæ interſit Quartianæ militiæ ſtatum ita in ſolido collocari, ut eidem tuto inniti queat, ne in mala quæ diu ipſam exercuerunt, relabatur, huic rei in Comitiis Regem medicinam facturum; cui ſpes ſit, ſe conſilio & ope Quartianorum, adeoque omnium bonorum civium ſublevatum iri. Regem denique Nobiles militiæ Quartianorum in muneribus, quæ nunc gerunt, ſervaturum, & quemlibet pro meritis ad majora evecturum. Eadem promittebantur omnibus Poloniæ incolis, qui Regi Carolo Guſtavo ſe ſubdituri ſint. Reliqua proximis Comitiis definienda. Viciſſim declarabant. Quartianorum „delegati, eam militiam Regem Joan„nem Caſimirum abdicaturum, omni„que cum eodem vel ipſius adhæren„tibus & ſectatoribus commercio re„nuntiaturam. Omnes & ſingulos „ejus militiæ fidos ſe & obſequentes „Carolo Guſtavo velut vero ſuo Regi „exhibituros in omnibus & adverſus „omnes, ſive is eorum opera conjun„ctim, ſive ſeparatim uti velit. Præ„fectos militiæ Quartianorum, ut de „rerum fide & obſequio Regi cautum „ſit, literis reverſalibus eidem ſe „quamprimum obſtricturos. Omnes „urbes, arces, & munitiones Quar„tiano milite inſeſſas, cum omnibus, „quæ ad illas pertinent, Regi, quando „ei viſum fuerit, ſtatim traditum iri. Hac conventione perfecta Deputati ad ſuos remiſſi ſunt, quibus Rex ipſe literas ad Conieſpolſcium, aliosque eorum duces perferendas dabat, quibus ipſorum virtutem laudibus extollebat, & quæ alia conciliando ſtudio facere judicabantur. Nec minus Potocius, aliique Duces à Rege invitabantur, ut ſua auſpicia ſequi velint, amplis promiſſis additis. Placuerunt iſtæ leges Quartianis, qui & mox una cum ducibus ſuis ad caſtra Regis acceſſere. Luſtratione facta numerati ſunt quinquies mille centum ſeptuaginta quatuor equites, ducenti undecim dimachæ. Inde ſolenni juramento Regi fidem adſtrinxerunt, magnam ipſius admirationem & amorem præ ſe ferentes. Nec minori humanitate ac fiducia Rex cum illis agere, quam cum veteribus, ac dudum ſpectatæ fidei civibus, ut novos illos cum hiſce æterno amicitiæ fœdere ſub Caroli Guſtavi imperio coalituros crederes. 1655. 16. Octob.

Rex ordines Poloniæ ad deditionem invitat.

§. 31. Cum autem præter Quartianos etiam complures paſſim Palatinatus ac diſtrictus ſuper deditione delegatos ad Regem mitterent, hic ea inclinatione animorum utendum ratus ad univerſos Regni ordines literas evulgat hoc ſenſu: „Non ignotum illis, quam gravibus ipſe cauſis „motus ſit ad arma Joanni Caſimiro „inferenda, ac ut malum præverte„ret, quod ab hoc ſuis cervicibus im„minebat. Juſtis armis favorem Nu„minis ita adſtipulatum, ut nullo ob„ſiſtente Warſaviam ſedem Regiam „in deditionem redegerit, peragrata „inſuper victricibus armis majore Po„loniæ parte, non ſine ſpe parium „deinde ſucceſſuum. Quanquam au„tem eodem armorum impetu graſſa„ri poſſit adverſus eos, qui nondum in „partes ſuas tranſierint, cum tamen in„doles ſua ipſum impellat clementiæ „potius, quam iræ documentis incla„reſcere; igitur velle jubere ſe, ut „omnes Regni hujus ordines hiſce lite„ris conſpectis protinus ad ipſius pro„tectionem ſeſe conferant, & abdicato „Joanne Caſimiro ad viceſimum No„vembris diem Warſaviæ compa„reant, ablegatosve mittant. Id ſi fece„rint, ſacra illis ſalva, bonaque adverſus „vim militum tuta fore, & commercia „cum vicinis, quantum præſentis tem„poris ratio fert: tum & circa ea, quæ

„ipſo-

1655. „ipſorum ſtatum, dignitatem, & jura „ſpectent, eorundem deſideriis ſatis„factum iri. Si qui gratiam iſthanc ad„ſpernentur, nec à Joanne Caſimiro ſe „disjungant, ac ad quietem ſe compo„nant, hoſtium loco fore, eorumque „bonis manus injectum iri.

Exercitus Polonicus ſeſe dedit. Landscoronski.

§. 32. Exemplum porro Quartianorum mox & iſte exercitus eſt imitatus, qui hactenus ſub Stanislao Potocio, & Stanislao Landscoronio in Ucraina adverſus Coſaccos rem geſſerat, ſed nunc evocante Joanne Caſimiro ſerum Cracoviæ auxilium adveniebat. Miſit & hic ad Regem Deputatos, ac in easdem cum prioribus leges ſe dedidit, abdicato Joanne Caſimiro. Promittebat inſuper, ſe omnes urbes arcesque ſuo præſidio inſeſſas, & quæ in Palatinatibus Kiovenſi & Ruſſiæ ſitæ ſunt, Carolo Guſtavo quando huic viſum fuerit traditurum, integrumque eidem fore præſidia & præfectos eorum locorum mutare, aliosque imponere, & ſacramento ſibi obſtringere. Tum ut qui ſuperſunt apud ipſos Germani milites protinus ſub ſigna Regis concedant: Polonicus autem miles, quam primum Rex juſſerit Svecico ſeſe exercitui jungere teneatur. Duces & præfecti eadem quæ in exercitu geſſerunt munera deinceps quoque retineant, ut tamen ad nutum Regis ſeſe componant. Viciſſim Rex hiſce eadem quæ Quartianis promittebat. In has igitur leges iſte quoque exercitus, qui luſtratione facta undecim bellatorum millia explere comperiebatur, una cum ducibus Regi Carolo Guſtavo fidem ſuam juramento obſtringebat, tantis ſubito mutuæ fiduciæ indiciis, ut Rex paucis ſuorum ſtipantibus in ipſorum caſtris intrepide ac velut citra ſuſpicionem verſaretur. Quin & non pauci horum á Rege beneficia ac prædia petebant, obtinebantque. Quos inter Andreas Potocius bona menſæ Regiæ in Ruſſiæ Palatinatu ſita in triennium vicenis uncialium millibus conducebat. Qui & idem Caſtellanatibus, aliisque bonis à Rege donabatur, uti & Stanislaus Potocius, Conſtantinus Wiesnovicius, Joannes Carolus Danielovicius, ac alii multi. Non abs re fuerit formulam literarum reverſalium, quas Quartiani Re„gi tradiderunt, heic adponere. Cum „extremum patriæ noſtræ, nobisque „& Quartianorum militiæ à Rege „Joanne Caſimiro deſertæ imminens „periculum neceſſitatem nobis impo- 1655.
„neret communi ſaluti noſtræ invi„gilandi, & Sereniſſimi Regis Sveciæ „Caroli Guſtavi imperio & protectio„ni nos ſubjiciendi, itemque Rex cle„mentiſſimum ſuum, vereque Re„gium in nos animum, paratamque „in avertendis periculis noſtris vo„luntatem data declaratione & aſſe„curatione oſtenderit, nos ſingularem „hanc Regis gratiam & clementiam, „quod nos patriamque noſtram be„nigne complecti, & ſub imperium, „protectionem, & tutelam ſuam Re„giam nos, noſtraque bona & ſub„ditos recipere, præſentique peri„culo & exitio eripere dignata eſt, „grato animo perpendentes ſancte & „ſincere pollicemur, & hiſce rever„ſalibus profitemur, quod nos, poſte„rique noſtri, & ea cui præſumus mi„litia Quartiana ſolam prædictam „ſuam Regiam Majeſtatem Sveciæ „pro legitimo Rege & domino cle„mentiſſimo in poſterum agnoſcemus, „& ex nunc agnoſcimus, eidemque ut „& poſteris & ſucceſſoribus ejus debi„tam fidem, reverentiam & obſequium „inviolabiliter præſtabimus, omnia „vero damna etiam cum periculo vitæ „& fortunarum noſtrarum ſemper ac „ubique præcavebimus & avertemus. „Ita nos Deus bene adjuvet, & ſan„ctum Evangelium. In cujus majorem „fidem hiſce manibus noſtris ſubſcri„ptas ſigillis noſtris muniri juſſimus. „Ad Novam Mieſtam.

Plerique Palatinatus Poloniæ Regi ſe ſubmittunt.

§. 33. Poſtquam exercitus Polonici in fidem Regis conceſſiſſent, moram haut amplius faciebant eo tractu Palatinatus, quo minus & ipſi ejusdem ſeſe imperio ſubjicerent, Cracovienſis, Sedomirienſis, Ruſſiæ, Lublinenſis, Kiovienſis, & Beczehſis. Circa Palatinatum Volhiniæ ea maxima difficultas erat, quod iſte jam Moſcis juraſſet, qui Coſaccis eundem aſſignaverant. His omnibus Rex libertatem conſcientiarum, & ſolitæ ipſis religionis exercitium ſalvum promittebat, eosque in protectionem ſuam recipiebat, tuiturus ipſorum bona, quæ nondum à Moſcis & Coſaccis occupata ſint; eorum autem, quibus bona erepta ſint, condignam rationem habiturus. Tum quod miles Regius nihil injuriæ ipſis illaturus ſit; bonaque Nobilium hæreditaria penes poſſeſſores manſura, nec ſtativis militum contra morem legemq; patriæ oneranda ſint. Si vero

1655. neceſſitas & ratio belli ſubegerit, ut militibus per prædia ipſorum ſit transeundum, diſciplinam exacte obſervaturi. Vicißim Rex ab iſtis ſtipulabatur, ut Joannem Caſimirum abdi„cent, omnique cum eo & ejusdem „adhærentibus commercio abſti„neant, omnesque & ſinguli Carolo „Guſtavo velut vero ſuo Regi fidos & „obſequentes ſe præſtent in omnibus, „& adverſus omnes, fidemque ſuam „reverſalibus literis obſtringant. Regi „liceat loca ad ſecuritatem ſuam Polo„niæque inſervientia, ubicunque vi„ſum fuerit, munire & præſidiis fir„mare, quoad hoc bellum ſedatum ſit. „Urbes arcesque Regiæ in iis Palati„natibus ſitæ Regi tradantur, præfecti„que & præſidiarii, ſi mutare eos no„luerit Rex ipſius ſacramento obligen„tur. Subſidia tam peditatus in ſin„gulis Palatinatibus, quam contribu„tiones in uſum belli proxime præte„ritis Comitiis decreta continuentur, „usque dum hiſce malis, quæ Polo„niam exercent, finis impoſitus fuerit, „& reſidua Regi præſtentur. Nobiles „denique Palatinatuum, qui ſtipendia „non merent, ad ſuos lares intra qua„tuordecim dies ſe conferant, ac ibi „quiete agant, ni bona ſua fiſco Regio „adplicari velint.

Multi alii ſe dedunt.

§. 34. Nec pauciores nomina ſua profitebantur apud Ericum & Benedictum Oxenſtiernas, Claudium Ralambium, & Guſtavum Caroli Banerium, quos Rex Warſaviæ reliquerat cum mandatis, ut quicunque Palatinatus & diſtrictus Poloniæ, tum & ſinguli in fidem ipſius dedituri ſe eſſent, eos reciperent. Ab hiſce igitur in ditionem recepti Palatinatus Maſoviæ, Chelmenſis, Halicienſis, Czarnoſtavienſis, Kavenſis, Lencicienſis, Plocenſis, aliique diſtrictus, qui in Podlachiæ, Siradienſis, Junovladislavienſis, easdem cum ſuperioribus leges fidem ſuam ſcripto obſtrinxerunt. Omnes hi cauſam tantorum malorum, quæ Poloniam inundarint, in Joannem Caſimirum referebant, qui nunc Rempublicam deſerat, eoque ipſo neceſſitatem ipſis imponat quacunque ratione ſaluti ſuæ conſultum eundi. Enimvero ad literas Regis nuper promulgatas nemo Procerum Warſaviam accedebat, inque Regis fidem ſuccedere cupiebat, velut in quos magna pars incommodorum ex hac mutatione redundatura eſſet. Præcipua cauſa, quam 1655. iſtos protelaret, habebatur, quod Rex in reverſalibus deditiorum fidem ſibi & ſucceſſoribus ſuis Regibus Sveciæ ſtipulatus eſſet; id quod iſti cum libertate ſua & jure Regni electitii conſiſtere haut poſſe judicabant. Ac ſi Regi ea mens foret, ut Polonia Sveciæ Regno in perpetuum ſubjiceretur, nulla alia ratio ipſam in obſequio conſervandi erat, quam ut ſublato aut oppreſſo Procerum potentiſſimo quoque reliquos ſervitio opportunos redderet. Unde & Gniesnenſis Archiepiſcopus cum Corona Regia Pragam ſe conferebat.

A Leſſnio Warſovia acta.

§. 35. Inter hæc Warſaviam venerat Naruſcevicius, qui apud Benedictum Oxenſtiernam amplas conditiones Regi offerebat, quo nomine & ad hunc proficiſci cupiebat; id quod eidem conceſſum haut fuit. Acceſſit deinde eodem Joannes Leſſinius, cum Erico, & Benedicto Oxenſtiernis nomine Joannis Caſimiri Regis acturus. Sed cum iſti negarent mandata ſibi in eum finem eſſe, nihil tunc profectum fuit. Privato ſermone Leſſinius querebatur, *apud Joannem Caſimirum bona conſilia & tempeſtiva monita locum non invenisſe; eumdemque dum alios contemnit, propriaque ſententia pervicax inharet, civiumque animos moroſo agendi modo à ſe avertit, effeciſſe, ut bonum publicum negligeretur, ac offenſa inter ipſum civesque gliſceret; quo fonte omnia præſentia mala promanarint.* Eundem cum Oxenſtiernæ oblique in Regis partes allicere ſtuderent, ſtatu Poloniæ ob oculos poſito, quæ Rege Joanne Caſimiro ſervari vix queat, iſte in hæc demum verba erumpebat: dicturum ſe quod ſentiat; *perinde ſibi eſſe Regem habere Carolum Guſtavum, aut Joannem Caſimirum, dummodo ſtatus Reipublicæ maneat ſalvus, ſuisque ſibi liceat frui privilegiis.* Cum demonſtrarent Oxenſtiernæ: non dubium eſſe, quin Carolus Guſtavus amplexurus ſit Poloniam imperio ad genium nationis accommodato, reponebat Leſſinius; *vel Regem Svecia ſe habituros Regem, vel non alium, quam qui ex nutu & beneficio ipſius ſit futurus Rex. Nec ſe permiſſuros, ut plures extera nationes in Poloniam pertrahantur. Si Joannes Caſimirus ipſos defendere nequeat, non adeo immotis radicibus jus iſtius ſubnixum, velut libera duntaxat electione delatum; ac providendum ſibi utique eſſe, ne patria plena exitio*

1655. *exitio involvatur. Denique ſi Joannes Caſimirus extra Regnum profugerit, ipſum civem obligatione exſolviſſe; ſin adhuc intra fines Poloniæ hæreat, ſe ad ipſum profecturum, eundemque permoturum, ut Corona honeſtis conditionibus cedat. Sin id abnuat ſe poſtulaturum, ut cum defenſionem ipſi præſtare nequeat, juramento ſe exſolvat, utque ipſe ſibi conſulere poſſit permittat. Ac noſſe ſe rationes, quibus is ad hoc annuendum permoveri queat. Quam in rem ſe conſilia cum Gniesnienſi Archiepiſcopo Andrea, & Theſaurario Bogislao Leſſiniis gentilibus ſuis collaturum, quibus maturatis utique*

17. Oct. *opus videatur.* Non multo poſt Lublino ad Regem literas dabant Uladislaus Dominicus Dux Oſtrozogiæ Cracovienſis, Joannes Tarto Lublinenſis Palatini, Georgius Lubienſcius ſupremus Regni Mareſcallus, modicam moram petentes, ut cum reliquis Senatoribus conſultare poſſint, qua ratione vel Regi ſatisfieri queat, vel ipſi fide, qua Joanni Caſimiro teneantur, exſolvi poſſint. Iis Rex multa cum humanitate reſpondet, ac ut labanti patriæ ſine mora conſultum eant hortatur, circa quam erigendam ipſe omnem operam collaturus ſit. Enimvero iſtæ, ſi quæ ſeriæ fuerunt cogitationes, effectu caruerunt.

Svecorum exigua damna. §. 36. Iſti porro tam enormes ſucceſſus, quibus vaſtiſſimum Regnum in ditionem jam redactum videbatur, modica hominum jactura Carolo Guſtavo conſtiterant, ac parum detrimenti Svecici copiæ ceperant, niſi obſidio Cracoviæ, quod & hinc inde per Majorem cumprimis Poloniam palantes interciperentur per conglobatos Nobiles, qui fidem vel non dederant, vel datam exuerant. A quibus & Fridericus Haſſiæ Landgravius Regis affinis, dum Posnania comitante Ludovico Naſſoviæ Principe, aliquot ductoribus, & modica equitum manu ad exercitum tendit ad Coſtinium oppidum occiſus

24. Sept. eſt. Inſederant id oppidum ducenti Svecici pedites ſub præfecto vigilum Forbeſio, quos centuriæ aliquot Polonorum Nobilium improviſo oppreſſos ad unum conciderunt. Id cum ignoraret Landgravius, qui eo in oppido morari decreverat, quoad idonea ad exercitum perveniendi occaſio foret, ac portam clauſam conſpexiſſet, equo deſcendens duobus comitantibus propius acceſſit, portam ſibi aperiri poſtulans. Sed pro amico reſponſo globorum grando ingruebat, qua ſtatim Landgravius trajectus procubuit, reliquis ægre ad equos ſe recipientibus. In quos cum Poloni eruptione facta ex oppido tenderent, Sveci in campum progreſſi impetu dato iſtos repulere. Corpus Principis aliquandiu deſideratum, poſt inventum, ac Liſſæ depoſitum fuit. Id facinus ulturus Joannes Weicardus Wreſovicius Comes raptim è vicinis præſidiis contracta manu ſub id oppidum noctu ſuggreſſus, impetu facto per tenebras id vi expugnavit. Heic quicquid in armis repertum cæditur, aliqui laqueo necantur, quibusdam morientibus cruciatus additi; quadraginta Nobiles, qui evadere conabantur, à triginta Svecicis equitibus intercepti. Ita trecentorum cæde Principis vindictæ litatum, oppidumque flammis deletum, invito Rege, qui ſervare id maluerat opportuno poſitu ad viciniam in officio continendam. Paulo poſt quoque octingenti circiter Nobiles Poloni conglobati præfectum turmæ ad tributa exigenda miſſum non procul Fravenſtadio cum quadraginta equitibus interceptum, fuſtibusque contuſum capite truncaverant. His coercendis Rex Burchardum Müllerum Wreſovicio junctum majoris Poloniæ curam agere juſſit, ac conglobatos rebelles diſſipare, quos inveniret cædere, ac latibula illorum deſtruere. Eodem fine in Siradienſem Palatinatum Bœttigerus tribunus valida cum manu mittitur, ſimul ut Petricoviam occuparet; & præſidio firmaret. Ab iſtis paſſim, qui arma ſumere auſi fuerant, plectebantur; etſi Wreſovicius nimia ſævitia irritaſſe magis, quam correxiſſe provincialium animos arguer etur. Occupabant quoque poſt Poloni Laneiciam oppidum ac arcem, in quam Sveci refugerant, obſidebant. Ad quos disjiciendos Carolus Levvenhauptius valida cum manu miſſus ſuos obſidio exemit, rebelles multa cum cæde diſperſit. Aſt Müllerus Czenſtochovam munitum cœnobium in poteſtatem redigere cupidus, cum monachos perſuaſionibus movere non poſſet, ut præſidium reciperent, vim adhibere inſtituit, petitis Cracovia duabus machinis majoribus. Sed vim admovere vetuit Rex, ne hiberno obſidio copiæ atterentur, neu populus ſuperſtitione loci imbutus eo facto offenderetur. Denuo quoq; multatus fuit Georgius Forgellus tribunus. Is, cum

1655. *Wreſovvitz.* 30. Sept. *Levvenhaupt.*

Son-

1655. Sondeci ſtativa haberet, intellexit catervam hoſtilem non procul inde ſe oſtendere. Cui abigendæ cum extra oppidum in campum proceſſiſſet, agreſtes qui in ſuburbio inſidias illi ſtruxerant, ad portam accurrebant, regreſſu eundem excluſuri. Eo conſpecto Forgellus inſidiatores diſſipabat, tum in hoſtes ingruentes tendebat. Sed prævalente numero pulſus cæſis ſuorum non paucis, & amiſſis impedimentis ad tertium cis Wisnoviciam milliare ſe recipere coactus eſt. 1655. *Sondeci.*

Stenbockius bene rem gerit.

§. 37. Aſt in diverſis partibus faventior ducibus Svecicis arridebat fortuna. Jusſerat Rex Stenbockium cum parte copiarum infra Warſaviam ad Novodvvorum caſtris munitis conſidere, tuendo acceſſui in Boruſſiam, & compeſcendis Maſoviis. Is cum apud Warſaviam per pontem navalem copias trajeciſſet, Cunradum Marderfeldium tribunum cum idonea manu præmittit; caſtris parandis. Qui dum cohortem peditum in altera Bugi ripa caſtellum excitare jubet, irruentibus Polonis viginti ſuorum amiſit. Mox tamen par relatum, dum caterva Polonorum, quæ inſidias Svecis ſtructura Bugum tranſierat, à Carolo Levvenhauptio deprehenſa trans flumen rejicitur, viginti cæſis, centum amplius aqua ſubmerſis. Conſederant in altera Bugi ripa ad ſedecim Maſoviorum millia duce Plockio Palatino; quorum propiores ad ripam ſtationes mox machinis dispelluntur. Inde miſſo tubicine Stenbockius iſtis denuntiat; ſi Regis Caroli Guſtavi protectionem ſubire velint, ſe ipſos tantisper tuiturum, quoad Warſaviam mittere queant deditionis leges adornaturos. Reſponderunt iſti; ſe poſtera die obſidem cis flumen miſſuros, alium à Svecis dari ſibi poſtulantes. Venit à Maſoviis Palatinides Krutcovius; viciſſim ad ipſos ivit Benedictus Hornius. Inde declarare iſti, ad amicitiam ſecum Svecis colendam paratos eſſe; cæterum alterius protectionem adſciſcere, Rege ſuo adhuc intra limites Regni hærente, ſibi haut integrum. A qua ſententia ne minis equidem dimovebantur. Infecta negotiatione Benedictum Hornium remiſere, ſuo obſide viciſſim recepto. Eodem die ingens tumultus in caſtris iſtorum obſervabatur, diviſa in contrarias ſententias multitudine. Sed poſtridie poſita diſcordia per interruntium Stenbockio ſignificant; ſibi decretum nullo modo Regis Sveciæ protectionem admittere, ſed extrema expectare malle. Igitur Stenbockius, poſtquam machinis iſtos è caſtello, quod in ripa adverſa extruxerant, expuliſſet, perfecto mox ponte, cujus caput lorica tegebatur, exercitum in alteram ripam traduxit, gravioribus machinis & impedimentis intra caſtra cis flumen relictis. Copiis diſpoſitis, quod recta in hoſtes progredi ob montem difficili adſcenſu non daretur, ad dextram pauliſper flectens in elatiorem locum Maſoviis oppoſitum enititur, fruſtra id prohibere connixis hoſtibus, qui machinarum globis pellebantur. Inde inſtructis Ordinibus in iſtos progreditur; ſed qui ceſſim euntes aſſultum hujus declinabundi altioribus, quæ ceperant, locis deſertis ſub caſtris ſuis conſtiterunt. Eos Stenbockius per delectos equites duce Carolo Levvenhauptio invadi juſſit, machinis quoque acriter in eosdem fulminans. Maſovii cadentibus ſuorum nonnullis ſtatim turbati in fugam ſe dederunt, relictis ſeptem machinis, duobus vexillis, octo equeſtrium tympanorum paribus. Trecenti cædebantur, pauci capiebantur. Fugientibus Sveci per unum milliare inſtitere. Quingenta amplius impedimentorum plauſtra victoribus in prædam ceſſere, qui unicum duntaxat ſuorum deſideraverunt, unico ſauciato. Hæſit iis in caſtris Stenbockius, quod Rex Cracovia Warſaviam rediret, vicinis locis interim perſultatis, ne qua provincialium coitio fieri poſſet. Simul provinciales ad obſequium Regis deducere laborabat, cum Palatinus in contrarium niteretur, Brandenburgici auxilio confiſus. Donec Rege poſt res circa Cracoviam bene geſtas huc propinquante Maſovii quoque ceſſere, & aliarum provinciarum exemplo iſtius ſe imperio ſubmiſere. Ab eodem Caſtellum tunc extructum eſt in inſula Bugi fluminis, qua is Viſtulæ infunditur, quod ſubtribunus Anderſonius toto bello tuitus eſt ad concluſam usque pacem, vicino tractu tributis ſubjecto.

17. *Sept.*

Ab Henrico Hornio acta. Stirum.

§. 38 Henricus Hornius paulo ſerius cum equitibus ſuis è Finnonia in Pomeraniam adpulerat. Is aſſumta Stirumii Comitis legione, aliisque turmis recens conſcriptis, quæ in Poloniam

1655. niam tendebant, ſub initium Octo-
Schwvetz. bris Svetzam Pomerelliæ oppidum iter direxit. In itinere non procul oppido quatuor Nobilium Polonorum turmas aſſultantes ita excepit, ut quinquaginta eorum caderent, reliquis in fugam conjectis. Ad arcem inde Svetzenſem acceditur, cujus præfectus imperatam deditionem abnuebat. Hujus ferociæ frangendæ Hornius aliquot ædificiis in ſuburbio ignem injici juſſit, à quibus vehemens tunc exſurgens
4. Octobr. ventus flammam in ipſam arcem differebat, Svecis interim continuo in arcem jaculantibus, & aſſultui dando ſeſe parantibus. Ita ancipiti malo territi præſidiarii Hornii ſeſe arbitrio ſubmiſere. Quatuor heic peditum cohortes cum ſuis vexillis in poteſtatem pervenerunt. Longius inde
Cmitz. Tauchel. Neuenburg. progreſſus Hornius, Coniciam, Tauchelam, & Neuenburgum Pomerelliæ oppida in ditionem redegit, quoad poſt Regi in Boruſſiam deſcendenti
9. Sept. Weiſſenſtein. jungeretur. Tribunus quoque Alexander Weiſſenſteinius, qui Brombergam inſidebat, ex improviſo Viſtulam tranſiens militem Boruſſiæ provincialem oppreſſerat, ejusque parte cæſa reliquos diſſipaverat; ac late vicina regione percurſa, qui reſiſtere auderent, opprimebat. Ac ut trajectus in Boruſſiam ſemper in expedito foret, ad oppoſitam Viſtulæ ripam caſtellum excitabat.

Per Lithuaniam geſta. §. 39. E diverſa parte in Lithuania non minus ſupra votum res hactenus ſucceſſerant. Præfuerat huc usque Livonia Guſtavus Hornius; in cujus locum ſufficitur Magnus Gabriel Gardius, Theſaurarius tunc Regni, titulo Legati Regii, quo cæteros
Lieutenant Royal. Duces dignatione emineret, cui Guſtavus Adolfus Levvenhauptius ſubeſſe jubetur. Cæterum ante Gardii adventum Levvenhauptius valida cum
Jun. manu ad oppugnandum Duneburgum
Duneburgum à Svecis expugnatur. profectus erat, à cujus oppugnatione Moſci paulo ante per Samuelem Comorovium Palatinum depulſi erant, ne iſti, qui tunc denuo ſe movere incipiebant, locum præriperent, infeſtandæ Svecorum provinciæ valde opportunum. Et Rex juſſerat ad diſtrahendas Polonorum vires eodem tempore in Lithuaniam è Livonia irrumpi, quo
Duneburg. Kommorofski. Wittenbergius in diverſa parte Poloniam invadebat, addito mandato, ut Lithuani humaniter haberentur, quo accedente à Moſcis metu eo facilius Sveciæ tutelam amplecterentur. Porro cum Levvenhauptius limites Livoniæ Sveciæ Duneburgum verſus ſuperaret, Comorovius Literis ad ipſum datis ſciſcitabatur, quam ob cauſam, & quo fine veniat? Cui ab hoc reſponſum: ad occupandum Duneburgum, nec ulterius ſe venire. Unde Polonus cum quatuor militum millibus, quibuscum ad iſtud oppidum conſiſtebat, trans Dunam flumen ſe recepit, machinis tamen & tubis longioribus in Svecos jaculatus. Aſt Levvenhauptius aſſumtis equitibus & deſultoribus raptim ad oppidum ruebat extinguendo incendio, quo Poloni idem delere inſtituerant, ac ducentos Polonos, circa ignem augendum ſatagentes ſub arcis portam rejiciebat. Ita incendium intra paucas domos ſtetit, & Sveci ædibus tecti prope arcem ſtationes capeſſivere. Munimenta inde arcis per diem noctemque machinis quatiuntur, & omnia aſſultui dando parantur. Nam moras nectere heic in exeſa regione inopia non patiebatur. Igitur Poloni territi de-
1. Jul. ditioni ſe paratos ferebant, quæ his conditionibus conceſſa, ut relictis machinis, ſed explicatis more militari vexillis, ſex cohortes Polonici peditatus excederent. Et lautiores initio belli conditiones indulgebantur, ut cæteri ad ultroneam deditionem allicerentur. Per triduum ibi ſubſtitit Levvenhauptius ſolo æquandis ædibus arci noxiis, novisque munitionibus adornandis, tum ſubtribunus Joannes Willichmannus valido cum
Willichmann. præſidio imponitur. Commorovius, qui hactenus ex altera ripa capi arcem adſpexerat, à Levvenhauptio petebat, ut ſibi cum ſuis illæſo abire liceret; id quod iſte facile annuit. Scribebatur mox ad Moſcicum vicinæ Roſitæ præfectum Naſſokinum: bello in Polonos decreto imminentem finibus ſuis arcem occupandam fuiſſe. Cæterum adverſus Moſcos amicitiam continuare ſibi injunctum.
Roſitem. Naſſokin. Duneburgo capto ſtatim Poloni Nobiles eo diſtrictu habitantes imperio Svecorum ſuſcipiendo nomina ſua profitebantur. Sed Nicolao Kortio
Korf. Palatino, qui Guſtavum Hornium pro prædiis ſuis in parte Livoniæ Polonica ſitis militem tutelarem præ-

1655. bat, abnegatum fuit, ne Moſcis querelæ anſa præberetur. Levvenhauptius nulla re amplius ſuſcepta juſſu Hornii copias ad Kakenhuſam reducebat; qui haut conſultum judicabat, longius in Lithuaniam penetrare, antequam ſeges matureſceret, quod omnis eo diſtrictu annona conſumta foret. Et quia Poloni plerasque in Lithuania copias non procul Svecorum finibus contraxerant, ſatius eſſe tantiſper intra Livoniam ſubſiſtere, quoad ingruente è diverſa parte Moſco Polonorum vires diſtraherentur. Regi tamen iſta acta parum arridebant, quod & Moſcis ſuſpicio fuiſſet injecta ſolo Duneburgo ipſis vicino expugnato, ac impreſſione in Lithuaniam dilata, quam ideo neceſſariam judicabat, ne univerſa Polonorum moles Wittenbergio incumberet. Excuſabat tamen factum Guſtavus Hornius, quod Gardii ſucceſſoris ſui adventum expectandum judicaſſet, qui ſine dubio plenioribus mandatis ſit inſtructus: & quia veritus ſit, ne inter Polonos & Moſcos tranſactio iniretur, ad quam illos deſperatio, hos moleſtia belli & peſtis, quæ tunc eorum terras populabatur, impellere poterat. His autem junctis à ſe reſiſti non potuiſſe. Nec perſpicere ſe, quomodo pactionibus aut vi Lithuania ſubigi poſſit abſque colliſione cum Moſcis; quod utroque caſu Regi neceſſitas ſit naſcitura, Lithuaniam adverſus Moſcos defendendi. Non poſſe quoque non Lithuanos hoſtili irruptione protelari, quorum ultronea deditio ſperari queat, ubi res paulo plenius maturuerit.

Kaikenhuſen.

Mandata Gardio data.

§. 40. Aſt Magno Gardio à Rege injunctum erat, cum Moſcis quantum in ſe amicitiam colere, & locis, quæ ab ipſis obſideantur aut teneantur, abſtinere; ac potius data occaſione teſtari, arma Regis unice communem hoſtem Polonum ſpectare. Cæterum exercitum quantum poſſet augeret, præſertim quod ſuſpicio eſſet, Moſcos Curlandiam, ac forte ipſum Regium Montem petituros, ubi parum erat virium tantæ moli par. Igitur tegendæ Curlandiæ, & oræ maritimæ in Lithuaniam protinus exercitum duceret, prævertendis Moſcis, ac Birſas, & quæ alia loca opportuna videantur, occuparet. Interim Curlandiæ Ducem, & Lithuaniæ Ordines demulceret, confirmato, deſtinata noſtra ipſorum defenſionem ſpectare. Quod ſi Lithuaniæ proceres Svecorum protectionem ſuſcipere abnuant, eorum ſubditos & colonos ſolicitare conaretur, ut ab heris ſuis ſeceſſionem faciant, pollicitus, Regi propoſitum eſſe, iſtos præſenti ſervitio ereptos ad liberi populi conditionem provehere. Conferebatur quoque ipſi ac Benedicto Sckyttio, Eſtoniæ tunc Gubernatori, plena facultas cum Ordinibus Lithuaniæ tractandi. Jubebatur; porro is primo ſuo adventu omnia amicitiæ indicia erga Curlandiæ Ducem expromere, quem & antea ipſe Rex in caſum belli cum Polonis ſuſcipiendi de amicitia ſua ſecurum eſſe juſſerat. Aſt poſt aliquot à ſuo adventu dies, obtentu ſumto ab appropinquante Moſci exercitu, ipſi demonſtraret; quantopere interſit Regis Curlandiam protegi, ne Moſcus ad mare penetret; Ducemque urgeret ad protectionem Regis ſaltem ad tempus ſuſcipiendam, quod medius ſtatus præſenti conditioni, & ingruente tam valido hoſte haut expediat. Caveret tamen, ne occaſione iſtius Ducis Brandenburgicus Elector, cujus ſororem iſte in matrimonio habebat, offenderetur, quoad pateat, quid Regi ab Elector expectandum ſit, & quem ſucceſſum arma, quæ è Pomerania Poloniæ inferebantur, ſortitura ſint. Quod ſi Moſci hoſpitia ipſius in hoſtico ſumta invadere audeant, vim propulſaret, ſimul injuriam eorum demonſtraret: ſed viciſſim in eorum ſtativa ne irrumperet, neu ad hoſtilia progrederetur. Tum & Lithuaniam ingreſſus Moſcorum ſtativis ne nimium propinquaret, aut intempeſtivum metum noſtrorum armorum iisdem incuteret. Propoſitum quippe ſibi eſſe ſimplici plane via agere, & Moſcum amicum, Polonos hoſtes habere, & hiſce quantum poſſit noxam inferre, ſimul exercitum ſuum ex hoſtico alere, Livonia non ulterius à proprio milite comedenda; eoque ut protinus in Lithuaniam erumperet, & hoſpitia ſua dilataret, volebat.

Kenigsberg.

Birſen.

Gardius Moſcos demulcet. 15. Jul.

§. 41. Gardius in Livoniam delatus perſpecta præſentium rerum difficultate judicabat, primo omnium amicitiam cum Moſcis firmandam, nec Polonos plane ad deſperationem adigendos: cæterum ita præſenti occa-

1655. occasione utendum, ut hi ad consilia scopo Regis inservientia induci possint. Primo igitur adventu vicinis Moscorum præfectis de amicitia Regis confirmabat: de Duneburgo silentio involvebat, quia nec isti super eo querelarum quid moverant. Quanquam istos non mediocri suspicione Legatorum Svecicorum mora perstrinxerat, quorum adventus dudum istis promissus fuerat; & quod exercitus Svecicus nondum sese adhuc moveret, cum tam multa de ejus expeditione sparsa forent. Simul multi Poloni cum bonis suis intra Svecicam ditionem receptu potiti, ac legatio Polonorum in Sveciam fidem propemodum fecerat, coalita inter Svecos Polonosque amicitia fabam in Moscis cudendam. Igitur Gardius Plescoviæ Gubernatori denuntiat; adesse jam Legatos Svecicos, ac ut more solito recipiantur postulat. Tum se quamprimum adversus communem hostem in expeditionem iturum. Levvenhauptius quoque captivos aliquot Moscos, quos Duneburgi repererat, libertate donatos ad suos remiserat.

Idem Lithuanos solicitat.

§. 42. Ast alliciendis Lithuanis per emissarios, aliosque, queis cum istis literarum commercia intercedebant, Gardius spargi curabat; quomodo injustæ Joannis Casimiri actiones pacificas Regis Sveciæ cogitationes ita immutarint, ut cum huic firmiter propositum fuisset amica ratione diuturnæ liti aliquando finem imponere, id nunc demum sumtis armis fuerit aggrediendum. Cui consilio & hæc causa accesserit, ut ipsos imminenti à Moscis exitio eriperet. Nec posse ipsis non perspicuum esse, quantopere Regis intersit, ne iidem alteri cuipiam Principi in prædam cedant. Igitur armis, quæ nunc inferantur, non ruinam ipsorum quæri, sed salutem. Ita caute tamen ista dicebantur, ut nihil publico nomine, nec in Mosci offensam factum argui posset.

Sapiehæ.

Porro Radziviliorum, Sapiehæ, Archiepiscopi Vilnensis, & aliorum procerum mentem per certos homines expiscabatur, iisque insinuabat, esse sibi tractandi facultatem cum singulis atque universis, prout ipsi consilia capessere queant; usus hoc in negotio opera potissimum mercatorum, nullis fiduciariis literis instructorum, ne forte intempestive in disceptationem literariam pertraheretur. Atque isti hoc instituto tam præclare succedebat, ut 1655.
plerique Sveciæ protectionem amplectendam judicarent. Sed quæ via huic negotio commode ad finem deducendo ineunda esset, invenire in arduo erat. Nam in fidem non recepti Lithuani in desperationem ruebant. Sed ubi reciperentur, collisionis ansa cum Moscis nascitura inde erat, haut passuris tantam Sveciæ accessionem fieri, ac tam opimam prædam sibi è faucibus eripi. Quia tamen Rex ita jusserat, occasio cum istis paciscendi è manibus amitti non poterat; sed num hoc casu Legatis Svecicis in Moscoviam pergendum esset, anceps quæstio erat. Equidem speciosis verbis Mosco demonstrari poterat; Lithuanos justo metu armorum Regiorum eidem se submisisse, id quod ipsi velut Sveciæ amico non possit non gratum esse. Cum autem hoc facto Lithuani Mosco hostes esse desierint, par esse, ut hostilibus adversus eosdem inhibitis arma sua ipse alio convertat. Vicissim ex hisce locis omnia amica expectanda. Ast si Mosco dictis ejusmodi satisfieri nequeat, velut qui revera Svecorum interventu spe sua Lithuaniam absorbendi frustratus sit, salva existimatione Regem deditiorum suorum tutelam deserere haut posse, eoque bellum cum Mosco inevitabile fore. Enimvero sepositis hisce difficultatibus id utique agendum erat, ut cum exercitu quam primum Lithuaniam ingrederetur, id quod & ipsi Lithuani anxie cupiebant. Lustratione apud Kakenhusam facta legiones equestres numeris non satis expletæ reperiebantur, pedes paucus & male instructus, præsidia debilia, ut non modicum Livoniæ periculum immineret, si Mosco arma movendi libido subiret. Præsertim cum nil pecuniæ in promtu foret, vectigalibus fere quiescentibus quæ & collapsura plane metuebantur, si quæ eorundem intensio parabatur, executioni danda foret. 4. Aug.

Radzivilii cum Svecis tractant.

§. 43. Inter hæc Janusius Radzivilius Lithuaniæ militiæ supremus Dux perspecta præsentium temporum difficultate, quod Lithuania brevi unius aut alterius præda futura esset, oblatam Sveciæ protectionem amplecti decrevit. Quo fine Præsuli Vilnensi viro patriæ amantissimo inevitabile hujus periculum ob oculos ponebat, magnaque præsidii spe à Sveciæ Rege

1655. oſtenſa ipſi perſuadebat, ut ſe cum pariter ac Bogislao Radzivilio literas ad Magnum Gardium ſcriberet, adjuncto prolixo libello ſuper conditionibus futuræ tractationis. Quo id præcipue agebant Radzivilii, ut Præſulem velut præcipuum Catholicorum in Lithuania tractatibus cum Svecia implicarent. Enimvero hi cum libellum iſtum prolixum nimis cernerent, ac longæ diſceptationi anſam præbiturum, periculum autem has moras ferre non videretur, iſti epiſtolæ peculiare procuratorium per familiarem ſibi & cognatum Gabrielem Lubienſcium transmiſere. Hic Rigam delatus utrasque literas reddidit, & aliquoties ſuper illis cum Gardio ſermones contulit. Sed cum demonſtratum ipſi eſſet, tempus jam non ferre ut ſuper Præſulis ſcripto diu diſceptetur, una & altera formula ad præſens tempus adaptata illi traditur, quæ aliquoties diſcuſſa atque refecta demum utrinque probata ſubſcribitur.

Lubienski.

26. Jul.

31. Jul.

Conventio cum Radzivilio.

§. 44. Ejus conventionis hæc capita erant: „Principes Radzivilii cum „ſuis poſteris in fide & obſequio erga „Regem Sveciæ, ejusque poſteros at„que Succeſſores velut Magnos Li„thuaniæ Duces firmiter perſiſtent: „iidemque omnes ſuas copias milita„resRegis SveciæSacramento obliga„bunt, & quoties opus fuerit, exercitui „Regio conjungent. Tum & ratio„nem quamprimum cum aliis Magni „Ducatus Lithuaniæ Ordinibus ini„bunt, qua exercitui Svecico Lithua„niam jam ingredienti de commeatu „& ſtipendio proſpiciatur. Pro cujus „receptu Birſæ, & quæ alia loca ido„nea viſa fuerint præſidiis Svecicis in„fidenda Gardio ſine mora & ulteriore „compoſitione tradentur, præſidio „quoque Niesvienſi Sacramento Sve„ciæ Regis adſtringendo; quæ loca „Ducibus velut proprietariis ſubmoto „periculo, rebusque pactis ſtatim re„ſtituentur. Viciſſim Regis Sveciæ „nomine Magnus Gardius eos Princi„pes cum omnibus ſuis miniſtris, mi„litibus atque ſubditis in gratiam & „protectionem Regiam recipiet, eo„rumque bona intra Lithuaniæ ter„minos ſita à Moſcis & Coſaccis non„dum occupata proteget ac defendet: „occupata autem, ubi in priſtinum ſta„tum reſtituta fuerint, Rex Principi„bus, eorumve ſucceſſoribus reddet. „Libertas religionis per totam Li- 1655.
„thuaniam circa mutationem conſer„vabitur. Inhibebit Gardius milites „ſuos, ne oppidis, arcibus ac ſubdi„tis Principum incurſione, prædis „agendis, aut direptione damnum in„ferant; ſimul itinera & commercia, „quantum per injuriam temporum li„cuerit, tuta præſtabit. Tum & nomi„ne Regis ſpondebit, Principibus in„violatum permanſurum uſum titu„lorum, & prærogativarum, ipſo„rum perſonis & Ducatui ab antiquo „competentium; cætera quoque eo„rundem negotia atque deſideria Regi „quam diligentiſſime commendatu„rus. Quin ſi & inter Regem Sveciæ, ac „Poloniæ regnum ad tractatus res de„ducta fuerit, rebus ac rationibus Prin„cipum in hoc regno ex æquo præten„ſis providebitur, nec minus familiari„bus adhærentibus & clientibus eo„rundem, qui in præſens fidem ſimul „Regi obſtrinxerunt. His legibus Rad„zivilii Regis Sveciæ protectionem „ſubeuntes ſancte pollicebantur, ſe, „poſterosque & ſucceſſores ſolum „Sveciæ Regem, ejusque poſteros at„que Succeſſores pro ſuo Rege & „Magno Lithuaniæ Duce agnituros; „eidem debitam à Vaſallis fidem, reve„rentiam, & obſequium præſtituros, „omnia vero damna vel cum periculo „vitæ ac fortunarum ſemper & ubique averſuros. His peractis Lubienſcius, exhibitis Reverſalium Principalium autographis, donis mactatus dimittitur, cui binæ reſponſoriæ literæ, tum formula ſimilis conventionis ad Ordines Lithuaniæ traditur. Is porro tractatus quia pluſculum temporis abſumſerat, Moſcus interim Vilna occupata per Lithuaniam pro lubitu graſſabatur; cum negotio maturius confecto vel modicis Svecorum copiis Radziviliano militi adjunctis Moſci progreſſus ſiſti potuiſſe viderentur.

Sveci Lithuaniam ingrediuntur. Thaler. Bausk. Polonga.

§. 45. Tractatu cum Radzivilliis concluſo Gardius ſexcentos pedites, ducentos equites ſub Thælero tribuno præmittit, Birſas, ſimul Bauſcam, & Polongam inſeſſuros. Levvenhauptius cum toto exercitu, qui ſeptem bellatorum millia explebat, in Lithuaniam penetrare, ibique militem adſtricta diſciplina coërcere, ac ſtudia provincialium, quantum poſſet, ſibi conciliare jubetur. Svecos Birſas delatos præfectus oppidi, antequam admitteret, ali-

1655. aliquot dierum dilationem petebat. Sed Thælerus apud proximum templum sub ipsis mœnibus statione capta acriter cessioni instabat, in quam & is demum consensit, tradita statim Svecis semilunari munitione. Mox Levvenhauptius accedens præsidium loci quingentis militibus constans in verba Regis Caroli Gustavi adegit. Sed quia hi sub Svecicas cohortes distribui nolebant, Levvenhauptius oppido eductos exercitui suo adjunxit. Birsis præsidio firmatis hic aliquot milliaria Radziviliam petro cedebat, quod non consultum duceret, longius eidem provinciæ sese immergere, antequam Lithuani Carolo Gustavo jurassent; præsertim cum non constaret, quam in partem Mosci accepturi essent, quod Sveci rebus sese Lithuaniæ immiscerent. Nam utcunque res caderet, de receptu Rigam versus cautum esse oportebat, ne ista urbe exercitus secluderetur. Interim Ulenbrockius centurio Braslaviam, & Drujam mittitur, propinqua Duneburgo oppida, ut ista cum vicino tractu in Sveciæ Regis verba adigeret. Jacobus Casimirus Gardius quoque valida cum manu Piltenam accessit, eumque Præsulatum Sveciæ Sacramento adegit.

Radziwilki.

Ulenbrock Braslavv. Druja.

Pilten.

Lithuani Carolo Gustavo sese subdunt.

§. 46. Interea cum universis Lithuanis super deditione sat agebatur, pronis in eam rem præcipue Radziviliis, quorum Janusius literis Gardium hortabatur, ut cum exercitu adproperaret, Caunoque præsidium imponeret sistendis Moscorum progressibus: nec Lithuaniam nunc aliter ipsi respiciendam, quam Sveciæ provinciam. De quo & Gardius ipse certis legibus spem faciebat. Rediit inde Lubinienscius cum literis à Janusio Radzivilio, Vincentio Corvino Gosievio, & magna Nobilitatis Lithuaniæ parte subscriptis, queis Regis Caroli Gustavi protectionem se subire profitebantur. Quibus vicissim Gardius super omnibus ipsorum privilegiis tam circa sacra quam civilia cavebat; quod haut consultum duceret prius propositis legibus nimis pertinaciter insistendo ipsos protelare, ac necessitatem adferre, Mosci jugum subeundi. Ac sane jam magna pars Lithuanici exercitus ac non pauci Nobiles vacillare cœperant, sic ut plerique Gosievii turmæ 1655. facta successione Memelam flumen transirent, & sex vexilla Radziviliani militis exuto obsequio Caunum diriperent. Quorum exemplum plures imitaturi metuebantur; Sacerdotibus cumprimis Pontificiis varias suspiciones adversus Svecos suggerentibus, ac in Moscum inclinantibus; propiore situ, & qui plerasque ipsorum terras jam occupaverat. Ac sub idem tempus præfectus Moscicus ad Lithuanicum exercitum accesserat, qui pollicitis juxta, minisque Lithuanos dedititios sub Czaris ditionem pertrahere laborabat, jactitans; Sveciæ haut virium sat esse ipsis adversus heri sui potentiam defendendis. Qui tamen re infecta abiit: Igitur Gardio placuit Benedictum Skyttium protinus ad Lithuanicum exercitum proficisci, ut eum in obsequio Regis firmaret, & querelis ejusdem super deditionis legibus mederetur, discordesque inter se Lithuanos ad obsequium uniret. Consilium quoque erat pertracto ad se conductitio milite provinciales equites domum dimittere, ac præstantissimum quemque ejus provinciæ in Svecicam militiam pertrahere: tum reliqua Lithuaniæ oppida, Radziviliano milite infesta, in Regis potestatem redigere; ac Lithuanos ad quietem componere, ne Mosco ansam abrumpendæ cum Svecis amicitiæ præberent.

15. Aug. Kovvno.

Gardius Lithuanos in fidem recipit.

Posvvola.

Velona.

Keidan.

§. 47. Dum Skyttius circa ista sagit, Magnus Gardius Riga movens Radziviliam in castra se conferebat; unde longius progressus Posvvolam metabatur, ut Lithuanos, qui inter se discordes tractatus in longum extrahebant, admoto metu ad absolvendum negotium compelleret. Levvenhauptius recta Velonam, qua Memela fluvius superandus erat, cum bis mille equitibus præmittitur. Ipse modico cum comitatu Keidanum excurrit, quo Radzivilius Ordines Lithuaniæ convocaverat, ut tandem aliquando presse declararent, propositæ à Rege Sveciæ leges arriderent, an minus. Qui & auditis ejusdem in Polonia progressibus demum protectioni se ipsius submittere decreverunt. Ab his adventans, Gardius honorifice admodum exceptus est. Ubi absolvendo tractatui

1655. ſtatui, quem Skyttius ſolus hactenus agitaverat, una cum iſto incubuit, non modico labore exhauſto, antequam iſti ad propoſitas conditiones
30. Oct. acceptandas permoveri poſſent. Poſt complurium dierum diſceptationem conventio à Junisio Radzivilio velut Vilnenſi Palatino, Petro Barctendo Samogitiæ Epiſcopo, plurimisque aliis proceribus ac Nobilibus ſubſcribitur, ac inſtrumenta hinc inde traduntur in conclavi Principis Radzivilii præſentibus provinciæ Ordinibus. Principi verba facienti reſpondebat Skyttius, quæ præſenti negotio congruerent. Scævi ominis loco habitum fuit, quod dum Korſius nomine Ordinum perorat, pavimentum, corruptis vetuſtate trabibus tantam hominum multitudinem non ferentibus, ad tres ulnas ſuſideret, etſi paucis haut ita graviter eo lapſu ſauciatis. Iſtius inſtrumenti exordio memorabant, „majorem patriæ ſuæ „partem à Moſcis occupatam & oppreſſam; tum non minus grave „periculum imminuiſſe bello à Svecis indicto, nec opis quid conſilii„que à Rege Joanne Caſimiro acceſſiſſe, deficientibus quoque aliis expediendæ ſalutis remediis. Igitur „neceſſitatem ſibi impoſitam rebus „ſuis in tuto collocandis gratiam, & „protectionem Regis Sveciæ expetendi; qui & propenſam ſuam in „ipſorum conſervationem voluntatem per Magnum Gabrielem Gardium, & Benedictum Skyttium, pleanis in eam rem mandatis inſtructos, „benigne obtulerit. Quam amplexos ſe ſuosque poſteros ipſi ſubjeciſſe. Et quia neque incolumitatis, „vitæque ſuæ ac patriæ oppreſſæ, „ipſa naturali lege dictante, rationem „inſuper habere, neque duobus dominis, inter ſe hoſtiliter decertantibus ſubeſſe poſſint, divinum decretum tam inevitabili neceſſitate „declaratum venerabundos agnoſcere, fatorumque diſpoſitioni ſe ſubjicere, ac oblatam Regis Sveciæ „clementiam, qua exilio ipſos eripere „dignetur, grato animo perpendere: „eoque fine ſuo, ſuorumque poſterorum nomine, ſcienter & volenter, proprio motu, & deliberato „conſilio Regis Joannis Caſimiri obſequio, & ſubjectioni penitus renuntiare, omneque ejusdem jus in Lithuaniam abolere: tum interpoſita „fide, honore, & conſcientia ſua juramenti loco ſancte promittere & „ſpondere, ſe poſterosque ſuos Regiam Majeſtatem Sveciæ omnesque „futuros Sveciæ Reges pro legitimis „ſuis Regibus, Magnisque Lithuaniæ „Ducibus agnoſcere, ac in poſterum „perpetuo agnituros, omnia iſtorum „damna etiam cum vitæ & fortunarum ſuarum periculo averſuros, „nulla fœdera pactave amicitiæ cum „ullo Principe, aut republica initu„ros, quibus etiam, ſi quæ ante inita „ſint, ſe renuntiare, eosdem ſocios „amicosque & hoſtes cum Sveciæ Rege ac Regno deinceps habituros; ſti„pulatos viciſſim ſibi quæ cum Plenipotentiariis Svecicis convenere. „His conventis nullam Papalem, Epiſcopalem, Eccleſiaſticam, aut quamvis aliam diſpenſationem, proteſta„tionem, & abſolutionem, nec Comitiorum, conventuum, aut alia „decreta derogatura. Juramentum ideo omiſſum, quod ipſi Regibus Poloniæ non alio modo quam ſcripto fidem ſuam obſtringere ſueviſſent. Ita ſub Sveciæ Regis ditionem concedebat tota Samogitia, cum diſtrictu Wilcomirienſi, Upitienſi, & Braslavienſi, ac parte Caunenſis; ſimul actio naſcebatur ad majorem partem Lithuaniæ tunc à Moſco occupatam. Et quia Gardius atque Skyttius conditiones citra peculiare Regis mandatum aptaverant, huic liberam ratificandi facultatem reſervabant; id quod aliis Magnis Ducibus indultum non fuerat. Antequam Ordines digrederentur, è quolibet diſtrictu duo deſignabantur plenis cum mandatis, quorum vices tantiſper repræſentarent, ac à Skyttio convocati convenirent, & concluderent, quæ ad emolumentum Regis & conſervationem patriæ facerent. Januſius Radzivilius peculiares ſibi conditiones paciſcebatur, ad ſuum familiæque ſuæ ſtabilimentum; quæ abnui non poterant pignerando ejusdem ſtudio. Reliqua ad arbitrium Regis rejiciebantur. Enimvero iſtius deditionis vim elevabat Haruſcevicius nuper in Svecia ejus Ducatus nomine Legatus, qui Warſaviæ tunc agens jactabat; hac deditione non multo plures comprehendi, quam Radzivilios, ipſorumque domeſticos, & Nobiles

1655. Nobiles quosdam iisdem obnoxios. Maximam partem Procerum, quorum interfit Lithuaniam salvam esse, & qui patriæ amantissimi, ac dignitate eminentissimi habeantur, remotioribus locis agere, quorum caput sit Leo Sapieha Lithuaniæ Procancellarius, cujus factioni & ipse sit addictus, ac adversas invicem consiliis studiisque Radzivilii & Sapiehæ factiones agere. Cum autem Radzivilius gratiam Svecorum occuparit, Sapiehan hisce diffidere, & eam ob causam reliquos Lithuanos circa deditionem tergiversari, ne ab istis dependere videantur. Ac primum caput cædi destinatum fore Sapiehan, alterum Naruscevicium, tertium Gosievium. Eam ob differentiam Sapiehan cum quinque equitum millibus vigesimo quarto à Warsavia milliari consistere, ac eventum belli speculari, cum ipso potius Rege tractaturus, si satis cautum sibi sit. Cæterum promittebat iste Naruscevicius, se ad Sapiehan profecturum, ipsique deditionem persuasurum. Quod tamen negotium isto mox extincto irritum fuit. Ast Joannes Casimirus in Sapiehan summum in Lithuanicas copias imperium conferebat, Radzivilium proditorem declarans; qui sub finem anni fato concedens parum stabilitatis Svecorum rebus in Lithuania pollicebatur.

Gardius in Borussiam abit.

§. 48. Jusserat porro Rex Gardium cum magna parte copiarum in Borussiam tendere, sub Levvenhauptio non amplius copiarum relicto, sive amicus Moscus sit, seu minus, quam quo opus sit tuendis Livoniæ oppidis, ac continendis in officio Lithuanis. Nam circa Borussiam summa ipsi rerum Poloniæ vertebatur, quam tota belli mole obruere ardebat, antequam proximo vere alii bello se immiscentes ipsius destinata turbarent. Igitur Lithuaniæ cura Benedicto Skytnio committitur. *Turr.* Turrius Comes cum valida manu inter Curlandiam & Borussiam relinquitur conservandæ communicationi inter utramque provinciam, ac ut Moschi, Curlandi, & Brandenburgici motus observaret, simul novis delectibus & adscito provinciali equite se firmaturus. Præsidia imponuntur Helisnaviæ, Polongæ, Schodæ, Biessæ, Braslaviæ, Drusæ, Icasnæ, Onistæ, Jurgenburgo, & aliis idoneis locis: Velonæ validum castellum excitatur tuendo Memelæ transitui. Et quia nulla Moscorum manus Memelam transierat, Regi vindicabatur, quicquid terrarum inter id flumen & Borussiam situm est, citra strepitum tamen, ne Moscus irritaretur. Gosevius, qui alias Joanni Casimiro addictissimus habebatur, ingens desiderium ostentabat Regi Carolo Gustavo eximia quædam officia exhibendi, pollicitus se ad Sapiehan profecturum. Id quod tamen Gardius abnuit, de animo ipsius dubitans, & caute observatum, ne qua elabi posset, in Borussiam ad Regem secum abduxit: cui cum is juratam fidem dedisset, abeundi quo vellet facultas data est. Levvenhauptius retro in Livoniam discessit, ei provinciæ moderandæ, in qua adhuc octo militum millia supererant. Keidano digressus Gardius ad exercitum rediit, quem Velonæ trans Memellam duxit, ubi Bogislaus Radzivilius cum bis mille equitibus ipsi jungitur. Iter versus Borussiam ita constituebatur, ut octo intra milliaria Moscis non propinquaretur, magnis quoque sylvis interjectis; sic ut nullæ istorum catervæ conspicerentur. Augustovæ exercitus aliquot per dies substitit frumentandi causa: inde cum septem millibus selectorum militum in Borussiam penetrans Gardius Regi apud Elbingam conjungitur.

1655. 12. 08. 20. 08. 6. Nov.

Cum Curlandiæ Duce altercata.

§. 49. Cum Jacobo Curlandiæ Duce multa eo anno agitata sunt; quem uti in partes pertraxisse Carolus Gustavus destinatis suis proficuum judicabat: ita hic eventum belli speculabundus, ut omnia sibi integra retineret, summa industria laborabat. Is jam regnante Christina in eventum belli Polonici stipulatus sibi fuerat, ut neutrarum partium esse liceret. Idem dum bellum Polonicum adparatur, eam ipsam ob causam Melchiorem Folckersamum Holmiam miserat; cui Rex in eum casum amica omnia pollicitus erat. Et cum Wittenbergio in Poloniam irrumpente Rex bona Polonorum Rigæ deprehensa in fiscum redigi jussisset, Curlandorum bona, quæ metu belli Moscici in eam urbem permissu Gustavi Hornii congesta erant, tangi haut voluerat; quin Dux ipse obtinuerat, ut si periculum à Mosco subigeret, ibidem cum sua familia

1655. milia refugium ſibi pateret. Aſt Gardius primo in Livoniam adventu laxis verbis amica omnia Duci pollicebatur. Sed paucos poſt dies Mitaviam ablegabat Paulum Helmeſium, qui demonſtraret; cum per medium ſtatum præſenti rerum facie neque Regis neque Ducis ſecuritati conſulatur, ſatius videri ipſum arctiore quodammodo Regi conjungi; eoque poſtulabat, ut Dux ipſiusque ſubjecti neceſſaria conſervando exercitui Svecico conferant; nec adverſæ partis aliquos in tutelam recipiant, niſi de ipſorum bonis Regi cautum ſit: Ut in Ducis provincia militem conſcribere, recens conſcriptis ſtativa, ubi colligantur, & hoſpitia ad tempus capeſſere liceat; Ut Bauſca Svecico præſidio inſideatur, quo in Lithuaniam penetrantibus tergum tutum ſit, ac tuendæ cum Livonia communicationi: Denique ut annona exercitui, & pecuniarii ſubſidii aliquid præbeatur. Duci viciſſim Rex protectionem pollicebatur, ac militem accurata diſciplina coërcitum iri. Addebatur, ut durante bello Dux duodecim navibus bellicis in Mari Baltico pro re nata Regi militet, onerariis pro lubitu uteretur. Contra Dux multis rationibus demonſtrare nitebatur; protectionem Regiam neque Sveciæ, neque ſibi proficuam ob ſitum Curlandiæ, quæ longo eoque tenui tractu hinc mari inde Lithuania cingatur, nullis naturalibus munimentis, ac paucis manu factis. Unde & è Lithuania univerſam facile infeſtari poſſe. Neque de Lithuanorum amicitia ſatis cautum ſibi eſſe; tum Belgas mari potentes portubus juxta ac navibus ipſius imminere. Unde & poſt mortem Ducis Magni eam facile oppreſſam fuiſſe. Qua de cauſa & Guſtavum Adolfum maluiſſe medii ſtatus legibus eandem amplecti. Ac revera Curlandiam parum copiarum aut pecuniæ poſſeſſori conferre poſſe; quin numeroſis præſidiis alendis oneri inſuper fore. Præterea ſuſcepta Svecica protectione obtentam apud Moſcos rege commendante *neutralitatem* commiſſum, hisque anſam præbitum iri, Curlandiam invadendi nullis ad reſiſtendum viribus. Denique hoc tempore protectionem alienam ſuſcipere crimen defectionis à Regno Poloniæ habere. Aſt neutralitatem longe potiorem, quæ & prius uſu recepta ſit, & hoc rerum ſtatu ſaltem ad exitum usque belli, aut quoad de Lithuanorum amicitia cautum ſit, commode obſervari queat: præſertim cum eam Regina Chriſtina ſalvo præſente Ducis ſtatu indulſerit, & ipſe Rex de eadem ſervanda ſpem fecerit. Nec eo minus Svecos hac regione ad ſecuritatem, & receptum tuto frui poſſe, ut ſuperiore bello magno cum fructu fecerint. Poſſe etiam Ducem è prioribus inter Sveciam & Poloniam pactis, dum neutrarum ſe partium fert, officium ſequeſtris forte non inutile exercere. Cæterum Ducem in ſua provincia Svecis receptum velle concedere, ſi opus ſit, ac muneris aliquid pecuniarii: ſtativa militum, & quæ alia ſpeciem ſubjectionis habeant deprecari. Cupiebat quoque Dux diſtrictum Piltenſem medii ſtatus beneficio amplecti; ſed Sveci abnuebant; qui & bona è Piltenſi agro in arcem Goldingenſem congeſta ſibi depoſcebant, Duce haut repugnante. Etſi alias judicabat locis neutras partes ſequentibus licitam eſſe depoſita ejuſmodi cuſtodienda ſumere, id quod & bello Germanico in uſu fuerit; ac poſſe Moſcum hoc exemplo idem poſtulare. Se tamen ad materiam litis declinandam ſuis vetuiſſe tales res recipere. De cætero contendebat exercitum protinus Lithuaniæ immitti, id quod & ipſi Lithuani anxie deſiderent, quibus & primus autor fuiſſe videri volebat tractatuum cum Svecis ſuſcipiendorum. Ea Ducis declaratione haut contentus Gardius ipſi ſcribebat alium ſe propediem miſſurum, qui poſtulati ſui neceſſitatem latius demonſtraret. Venit inde Rigam à Duce Mislingius Baro, qui acriter inſtabat, ut ipſi neutrarum partium eſſe liceret. Cui eadem quæ prius repoſita, ſpe facta, Skyttium propediem ad Ducem profecturum tractatibus continuandis. Cujus itineri intervertendo Reckius provincialis præfectus Rigam venit; ſed qui parum, quod ad rem faceret, afferebat. Unde placuit Gardio Skyttium abſque mora ad Ducem proficiſci, ut modeſta ac molli via hunc ad deſtinata Regis amplectenda adduceret. Ubi hoc modo nihil proficeretur, Gardius conſtituerat Mitaviam & Bauſcam præcipuas Ducis mu-

1655.

25. Jul. Helmet.

2. Aug.

Mislingi

29. Aug. Reck.

1655. cis munitiones in poteſtatem redigere, ejusque provincia in conſervationem exercitus Regii uti: tum Ducem ejusque ſubjectos in verba Regis adigere, ac ut Polono renuntient compellere; præſertim cum plurimi eorum in Poloni partes proclives dicerentur, ac metus foret, ne à Polono aut Brandenburgico copias reciperent, quæ in vicinia multum moleſtiæ Svecis daturæ erant. Lithuanorum quoque animis per eas avertendis. Skyttius poſt in Lithuaniam abiturus cum ex itinere apud Ducem Mitaviæ diverteret, ſat frigide ab hoc excipiebatur; qui & parum ſtudii in partes Svecicas, ac multum potius diffidentiæ oſtendebat, ac poſtulata Regis declinabat, culpa in Nobiles ſuos rejecta, qui Poloniæ juramento ſint adſtricti. Ad extremum tamen Dux quinquaginta uncialium millia in uſum exercitus Svecici annuebat; ac ſe ad Regem miſſurum, qui ſuper omnibus tranſigeret. Venit inde ad Regem Ducis nomine
Nov. Folckerſamus Cancellarius, de iis acturus, quæ cum Skyttio convenire non poterant. Eorum ſumma huc redibat, ſi Rex indulgere nolit, ut Dux deinceps omni ſuperioris reſpectu, & vaſallagii nexu ſolutus agat, ſaltem neutro ſtatu frui concederet. Cui à Rege reſponſum: in præſens ut neutrarum ſit par-
14. *Nov.* tium, Duci indulgeri non poſſe; ac ſperare Ducem eo adquieturum, quod ipſe utriusque ſecuritati expedire judicet. Interea ſe obſervaturum, quæ Duci cum Gardio, & Skyttio convenerint, quoad de omnibus circa Ducis ſtatum & Domum plene conſtitui queat. Uteretur quoque Dux pro lubitu navibus ſuis bellicis citra fraudem Sveciæ. Pollicebatur quoque Rex, Svecicum militem ſuis ſumtibus, & citra noxam Curlandiam tranſiturum; ſimul prædia ad uxorem Ducis ſpectantia ab omnibus exactionibus immunia fore. Venit paulo poſt iterum ad Ducem Skyttius ulterius ſuper eo negotio acturus, cum mandato tamen, ne Ducem nimis urgeat, declinandæ Brandenburgici offenſæ. Illi „Skyttius demonſtrabat inductam à „Chriſtina neutralitatem ea lege, ſi à „Rege & Republica Poloniæ eandem „obtinere queat; id quod factum fu„iſſe, à Duce demonſtrari non poſ„ſe. Equidem proferri e[illegible]olam à „Joanne Caſimiro ſcriptam; qua præ„fectis ſuis præcipit, ut iſtum medii 1655.
„ſtatus beneficio frui permittant. Sed „hanc in Comitiis haut decretam aut „ſubſcriptam, citra quod in Polonia „nihil validum habeatur: nec in ea „epiſtola Sveciæ mentionem fieri; nec „perpetuam neutralitatem exprimi, „ſed omnia ambigue poſita eſſe. Sta„tum quoque Poloniæ jam mutatum, „& Duci iis conditionibus adquieſcen„dum, quas Rex indulgere velit. Iſtis motus Dux, & quia Regi hactenus omnia ſupra votum ſucceſſerant, circa ſubmiſſionem eidem, Regnoque Sveciæ faciendam declarabat ita ſe acturum, prout Rex ipſe præſcripturus ſit. Inde ad petendam Regis declarationem Folckerſamum in Boruſſiam ad huncce mittit; qui acta à Gardio & Skyttio cum Duce probabat, easdemque conditiones ſubjectionis adornare jubebat. Quo fine & Skyttius denuo ad Ducem profectus eo rem deduxit, ut tam Princeps quam ipſius Conſiliarii ſolenniter declararent, ſe vaſallagio Polonico renuntiaturos, feudumque deinceps à Rege & Regno Sveciæ recognituros. Simul aliquot petita exhibebant, quæ Skyttius correcta ad præſentem ſtatum adaptabat. Inprimis cum peterent pari lege ſub Sveciæ Regno agere, qua ſub Polonia fuerant, reſervare ſibi cupiebant jus in præcipuas Livoniæ partes, in inſulam Oeſaliam, in præſulatum Piltenſem, ac in medietatem Dunæ fluminis cum iis, quæ in citeriore ripa ſunt ſita. Quæ ut iniqua & antea à Curlando ceſſa rejiciebantur. Regi quoque Portoria, & naves bellicæ addicebantur. Iſta omnia jam cum Skyttio tranſacta & ſcripto concepta fuerant, cum hic ſubito a Rege in Boruſſiam evocatus negotium Gardio abſolvendum reliquit: qui & ſequenti anno è Boruſſia redux menſe Martio Mitaviam ideo revertit. Sed cum conventa jam à Duce ſubſcribenda eſſent, repentinus nuntius Lithuanorum rebellione remoram tractatui injecit, isque ad ulteriorem Regis diſpoſitionem rejectus fuit: præſert im cum Dux ſemper ſtipulatus eſſet, u t tractatus ille ſecretus maneret, qu oad Regis exercitus in eo eſſet ſtatu, ut adverſus potentiſſimos vicinos, Moſcum & Polonum, tueri ipſum valeret: interim palam non niſi de neutro ſtatu ſpargeretur. Ita quidem ludificando, & tempus ex-

1655. trahendo Curlandus ſucceſſum belli aneupabatur.

Rex Cracoviæ res ordinat.

§. 50. Cæterum Rex poſt captam Cracoviam aliquot per dies ibi ſubſiſtebat, ut exercitum ſuum, Quartianosque deditos per hoſpitia ita diſtribueret, ne his nocendi facultas eſſet, ac ſi quid fidei datæ adverſum moliri vellent, ab iſto coërceri poſſent, tum ut quid Tartari ſuſcepturi eſſent, ſpecularetur, de quorum motu nuntii ferebant. Caſtellanum Cracovienſem, & Maſoviæ Palatinum, qui ſe dediderant, amicis literis ad ſe invitabat, multa teſtatus de ſtudio ſuo circa erigendas Poloniæ res. Ad Palatinum quoque Lublinenſem, Cracovienſem, & ſupremum Regni Mareſcallum Lubomirſcium literæ dantur exquiſita verborum humanitate adornatæ, ut facta deditione ſalutem patriæ iterum ſtabilitum ire velint. Ad refractarios circa Sendomiriam Nobiles caſtigandos Joannes Engelius tribunus mittitur. Et quia Joannes Caſimirus validam manum Siradinenſi Palatinatui immiſerat, Svecorum dclectus diſſipaturam, Rex aliam iſtis catervam opponebat, cui ſex Quartianorum cohortes adjungebantur capiendo ſpecimini fidei. Simul acria edicta promulgat, ut milites ſui deditios Polonos nulla moleſtia aut injuria afficiant. Et quia Joannes Caſimirus modicas copias circa Czenſtochovam colligere dicebatur, Svecorum delectibus per majorem Poloniam disjiciendis, & ut Quartianos iterum ad ſe pelliceret; iſtis reprimendis idoneam manum objiciebat. Alexander quoque Erskeinus velut Conſilii bellici præſes ad Melchiorem Hatzfeldium Cæſareum ducem ſcribere jubetur, ne is Joanni Caſimiro permittat è provinciis Cæſareis Svecorum res in Polonia turbare. Quo minus autem iſte ibi quiete agat, ſe non intercedere. Rebus ita diſpoſitis Rex cum exercitu Cracovia Warſaviam verſus movebat. Coniespolſcium cum omnibus ſuis copiis ſecum ducens. Novemiaſti ſupremus militiæ Polonicæ Dux Potocius, & ſignifer Coronæ Landscoronſcius cum exercitu ſuo, prout cum deputatis ipſorum ad Cracoviam convenerat in Caroli Guſtavi fidem ſe dedunt, ac huic juramento ſe obſtringunt. Eos Rex una cum Duglaſſio, & parte ſui exercitus Sendomiriam verſus dimittit. Duglaſſio in mandatis datum Svecicas legiones circa Sendomiriam in hiberna diſponere, haut nimium tamen à ſe invicem ſparſas, ut ſi res exigat, ſtatim iterum contrahi queant. Potocii autem, & Landscoronſcii copias ſepararet, quorum conſtantiæ quantum fidendum eſſet, nondum ſpecimen ceperat; quas Podlachiam verſus in hoſpitia diſponere decreverat, ut eo remotiores forent à commerciis cum Joanne Caſimiro apud Sileſios agente, Duglaſſius Potocio tanquam veterano duci ſupremi imperii honorem deferre jubebatur, quamdiu ſimul agerent, ut tamen Regis ſcopo utilia & congrua moneret. Tum & luſtrari Polonicas legiones, & quantum pecuniarum corradi poſſet, in ſtipendium ipſos dari jubebat, ut & hoc vinculo fidem earum adſtringeret. Et quia nuntius adferebatur, Moſcos Bugum flumen verſus tendere, Duglaſſio injunctum militem tutelarem Lublino immittere; quod non credat, ſe à Moſco ultro laceſſendum. Luſtratione Polonicarum copiarum apud Sendomiriam facta Duglaſſius altera vice easdem in Regis Sveciæ verba juramento adegit. Qui & arcem Chrziſtoporam elegantiſſimam, & probe munitam per inſidias occupatam præſidio firmavit.

Czarnecki copiæ diſſipantur.

§. 51. Stephanum Czarnecium ſpectatum militia virum, partibus ſuis adjungere mire cupiebat Rex. Itaque & propriis & Wittenbergii literis eum invitat, ut Sveciæ ſe militiæ addicat, multis deprædicans virtutem, & peritiam rei militaris tum alibi, tum in obſidio Cracoviæ oſtenſam. Et is quidem ſpei non nihil Wittenbergio oſtendebat. Revera tamen Joanni Caſimiro firmiter adhærere ſtatuerat, ad quem & plerique Senatores in Sileſiam ſe contulerant. Cum ergo tempus, quod pacto deditionis ſibi ad deliberandum ſtipulatus erat, cederet, ac Wittenbergius, qui ob in commodam valetudinem Regi digreſſo Cracoviæ ſubſtiterat, ſentiret iſtum fraudulenter agere, Burchardo Mullero in mandatis dedit, ut elapſo convento tempore iſti ac Wolfio in Sileſiam elabi agitantibus intra Poloniæ fines inſidias

Engel. 8. Octob.

12. Octob.

Hatzfeld.

Idem Cracovia diſcedit. 20. Octob.

25. Octob.

1655.

3. Nov.

20. Oct.



Digitized by Google

Digitized by Google

1655. dias tenderet. Cum igitur Czarnecio animus eſſet cum dimachis ſuis in Sileſiam evadere, & machinas Cracovia eductas, quæ Bendzinæ hactenus ſubſtiterant, ſecum avehere; dimachæ iſti ſeditionem movere cœperunt compulſo Czarnecio, ut exoluto ſtipendio miſſionem ipſis daret. E quibus duo centuriones & multi gregarii ſtatim militiæ Sveciæ acceſſerunt. Plerique in Polonia remanſerunt; pauci Czarnecium in Sileſiam ſecuti ſunt.

18. *Nov.* Wolfio autem tribuno cum ſeptem ſuis cohortibus Sievvieria, ubi hactenus hoſpitatus fuerat, eodem fine Bendzinam tendenti, in ipſo motus initio Sadovius tribunus à Mullero emiſſus ſupervenit; qui quanquam carragine raptim circumdatus defenſionem adornaret, tamen collapſis ſuorum animis ſalutem petebat. Reliquæ duæ cohortes legionis Wolfianæ, quæ Baudziæ metabantur, ultro Svecis ſe dedebant; è quibus Wittenbergius prætoriam ſibi cohortem legebat.

Sadovvski.

Chmielinſcius Regi amicitiam offert.

2. *Nov.*

§. 52. Circa idem tempus à Bogdano Chmielinſcio Coſaccorum duce ad Regem miſſus venerat Daniel Athenienſis Abbas, qui iſtius nomine exponebat: *ſe ſtatim atque è Radziejovii literis de armis Svecicis Polonia illatis perceperit, protinus exercitum ſui partem miſiſſe ad invadendum Porocium & Polonorum provincias, quo ſtudium ſuum Regi Svecia adprobaret; ſimul Caminiecium, & Leopolim, aliaque loca obſidio cinxiſſe, quo propius ab exercitu Svecico abeſſet, ac ne Moſci ſua præſidia in iſta loca inducerent. Coſaccos quippe ab iſto tractu Moſcos excludere velle, quo patens ſemper via ſit communicationi cum Rege Svecia; ſub cujus protectione ad omnia ipſius ſervitia parati vevere deſiderent.* Quo fine & copiam ſibi fieri petebat cum Radziejovio conſilia conferendi, quem Coſaccorum nomine impenſe Regis gratiæ commendabat. Pollicebantur quoque Coſacci, ſi Moſcus aliter ſe adverſus Regem gerat, quam prout ratio requirit, ac ſine idonea cauſa eidem arma inferre audeat, ſe à partibus Regis ſtaturos. Rogabant tamen, ne iſtum Rex ſine cauſa laceſſat, quod utili ejusdem auxilio adverſus hoſtes ſuos uſ ſint, & quod illis ſecum & cum Svecia junctis jugum multis gentibus imponi queat. Promittebant quoque Regi auxilia quantacunque velit adverſus quoslibet, Moſcis exceptis, modo ſpolia ſibi & præda relinquantur, Regis protectionem viciſſim ſibi ſtipulati, ſi invadantur; Tum ut pace concluſa ſui ratio habeatur. Et quia ipſi absque bello vivere nequeant, ut Rex poſt finitum Polonicum bellum Turcis arma inferat; Tunc enim ſe mari hoſce invaſuros, quod Venetis ſolicitantibus per bellum Polonicum facere impediti ſint. Cui fini cum Caminiecia Podoliæ neceſſaria ſit ſervandæ communicationi, Radziejovium ei oppido præfici petebant, à cujus conſiliis pendere poſſint. Et quia Rex Senatui atque ordinibus Sveciæ, dum Corona redimitur, promiſerit, ſe Sveciam non deſerturum, ut Proregem in Polonia conſtituat Coſaccis plane addictum, & qui pacta cum ipſis ineunda obſervet, quibus conficiendis Legatum à Rege expectent, plenis mandatis inſtructum. Nam ſibi conſtitutum eosdem amicos & hoſtes cum Rege habere, ne Moſcis quidem exceptis, ſi absque juſta cauſa ipſum læſerint. Iſthunc internuntium Rex pari cum conteſtatione amicitiæ ad Chmielinſcium remittebat, pollicitus Legationem ſe ad ipſum miſſurum de ſumma rerum expedienda. Interim poſtulabat, obſidium Leopoleos ſolvi, quod Palatinatus Ruſſiæ Regi ſe dediderit, ac terras, quæ ipſius protectioni ſe ſubjecerint, ne populetur. Enimvero dum iſte Abbas apud Regem hæret, Coſacci interim Tartaris ſe conjunxerant, obtentu ſumto, quod legatio à Rege Sveciæ tam diu emaneret; qua ex mora ipſi conjecerint, Regem, ſi ſcopo ſuo circa Boruſſiam potiatur, ipſos parum curaturum, ac forte in ordinem redigere conaturum. Et ferebantur Regis Joannis Caſimiri Legati ad Chmielinſcii genua procubuiſſe, veniam & reconciliationem ipſum poſcentes; qua ſubmiſſione ad miſericordiam Coſacci permoti ſint.

Caminiec. Lemberg.

Gedanenſes inaſſum ſolicitantur.

6. *Nov.*

§. 53. Rex porro cum aliquot per dies Warſaviæ ſubſtitiſſet rebus ordinandis, in Boruſſiam vertit, quæ præcipue hoc bello petebatur, & in qua ſumma rerum per Poloniam vertebatur. Ea ne iſte ita facile potiri poſſet, obſtabant potiſſimum Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus, & urbs Gedanenſis. Et iſte quidem, poſtquam è Svecia certior fuiſſet redditus,

1655. ditus, Poloniam utique Caroli Guſtavi armis peti, ſtatim ea de re Joannem Caſimirum monuerat: qui mox miſſo Zavvadſcio hoſce hortabatur; diligenter ſibi proſpicerent, & urbem atque caſtellum ad os Viſtulæ probe munirent, alias hocce caſtellum ſuo milite inſidendum. Mox & Coſſus præpoſitus Warſavienſis eodem mittebatur, fidem, & conſtantiam adverſus Poloniæ Regnum ipſis ingeſturus. Eadem ſuggerebant Brandenburgicus, cujus conſilium iſta rerum facie exquiſiverant. Unde & iidem munimenta urbis ſumma vi firmare, ſuburbia demoliri, omnia ad vim repellendam parare. Eam contra urbem ut in partes ſuas pertraheret Carolus Guſtavus, omnem lapidem movebat. Joanni Kochio in mandatis datum Gedanenſibus demonſtrare, quid cauſarum Regem permoverit ad ejusmodi conſilia in Poloniam capeſſenda: & quia iſta urbs nunquam Regis Poloniæ plenum in ſe imperium agnoſcere voluerit, ſed fere ſuas res ſeparatim ſibi habuerit, propriis viribus nixa, eidem perſuadere, ne bello huic ſeſe immiſceat, ampliſſima quæque de ſtudio Regis in ipſam teſtatus. Iſta per Kochium Elerto Conſuli inſinuabantur, addito; à Rege injunctum Wittenbergio, ut vehiculis, & mercibus ipſorum tutum terra iter præſtaret, nec Regem in Mari Baltico ullas exactiones aut deprædationes toleraturum. Audiebantur iſta à Conſule velut grata: ut tamen blande dictis parum fidei tribuere videretur. Summa reſponſi huc redibat: *defenſionem quam pararent Moſcum ſpectare, qui per Lithuaniam pro lubidine graſſetur. Cum Svecia ſpem pacis eſſe: & Regem Poloniæ Leſſinio plenam concludendi facultatem contuliſſe. Tum aliquot adhuc annos induciarum ſupereſſe, per quos multum ad pacem proſici queat. Utcunque tamen res cadat, ſe à fide, qua Regno Poloniæ obſtringantur, haud diſceſſuros.* In Senatu porro pauci duntaxat in Svecos proni, plerique ſtudiis averſi; eminente etiam apud quosdam animi acerbitate. Plebs tamen facilius in partes pertrahenda videbatur, Senatui non admodum concors: quæ & non obſcure fremebat, priore bello Gedanum non plus gratiæ iniviſſe, quam Elbingum & Joannem Caſimirum ſibi ipſi tuendo non ſufficere. Enimvero ſenatus palam jactare; fidem datam quamdiu vires ferant ſervandam, ac ſin utique in bellum res eruperit, nullo modo cum Svecis amicitiam ſibi conſtare poſſe. Nam plebs, ubi ab hiſce nullum periculum imminere ſenſerit, laborem circa extruendas munitiones gravatura metuebatur; quæ tamen ſenatus perficere hac occaſione cupiebat, gaviſus quoque prætextum ſibi dari exoſa ſuburbia ad Culmenſem Epiſcopum ſpectantia ſubruendi. Nec inſtituto dimovebantur, utut jam tum Polonicus miles per Boruſſiæ agros ſat licenter graſſaretur, jactitans; iſta alias Svecis in prædam ceſſura; & ſe effecturum, ut iſti parum, ubi venerint, reperiant; velut jam eam provinciam pro derelicta haberet. Haut eo ſecius Kochius ingeminare jubebatur poſtulata ſuper ſubeunda Sveciæ protectione, adhibitis hiſce rationibus; *quod is Svecia poſitus ſit, ut ex ea Gedanum commodiſſime defendi queat: qua & plurimum conferre poſſit ad commercia ejus urbis ampliſicanda. Firmius caveri ſacris ipſorum, ac ob horum paritatem ipſis ad honores & munia in Regno Svecia viam patere. Regem quoque urbi quadam bona Eccleſiaſtica commodo ipſis ſitu tributurum. Nunc acceptis qua offerantur conditionibus potituros, qua deinceps fruſtra deſideraturi ſint. Ac ſi oblata reſpuerint, non defore facultatem ipſis nocendi etiam citra obſidium. Jubebatur tamen minas cuſte miſcere, ne tractatio abrumperetur, quod Rex hanc in integro retineri vellet, quoad videret, quem ſucceſſum arma ſua habitura forent. Tum ut ſubinde iſtos ſtimularet, quo Legatos ad Regem mitterent.* Enimvero iſta omnia incaſſum ſumebantur, etiam poſt ubi Polonis ubique profligatis ipſe Joannes Caſimirus Regno profugiſſet. Et mox cum claſſis Svecica ante portum Gedanenſem vectigal exigere cœpiſſet, id quod à Kochio ſenatui denuntiatum fuerat, indies magis infenſi, quo Sveci ſperato emolumento excciderent, telonium claudere inſtituerunt, nullam quoque navem in urbem admiſſuri, quæ Svecis vectigal exſolviſſet. Et cum Wrangelius Pautzcam oppidum invadere decreviſſet, ac ob adverſum ventum tardius militem in terram exponere potuiſſet, centum pedites oppido firmando mittebant, fruſtra expoſtulante Wrangelio, ab

Zavvadſcius.

Ruſſ.

29. *Maji.*

9. *Jun. Elert.*

1655.

1655. ab iſtis hoſtilium initium fieri, cum à ſe nihil infenſi illatum ſit. Præcipuum autem inſtrumentum plebi in officio continendæ adhibebantur concionatores, qui pro ſuggeſtu fidem adverſus Poloniam ingerebant, Svecisque invidiam faciebant. Qui & facile, ſi quid affectus in Svecos ſupererat, abolebant, vulgi fere animis ab eorum ore pendentibus. Inde ſenatus cives novo ſacramento ad defenſionem urbis adegit, quo metueret ne Svecis prævalentibus ſua autoritas non parum detrimenti caperet. Simul Elbingam mittebant, qui eam civitatem ad conſtantiam in partibus Polonorum hortarentur. Ita irritatis utrinque animis mox ad infeſta proceſſum.

Elector Brandenburgicus deſtinata Regis explorat.

§. 54. Aſt Elector Brandenburgicus toto hoc bello perſonam ſuam primariarum ſane partium multa cum dexteritate, ſed non ſine gravi Regis moleſtia egit. Hic cum arma à Rege magna vi parari animadverteret, ut quo iſta ſpectarent penitius exploraret,

21. Febr. Dobrzenski.

per Reſidentem ſuum Joannem Ulricum Dobrzenium Regi expoſuit: è Slippenbachii ſermonibus ſe haut levi ſuſpicione perſtrictum, velut ipſe in Ducalem Boruſſiam quid meditetur. Cui ſuſpicioni eximendæ Rex Bartholomeo Wolfsbergio miniſtro ſuo in Electoris aula injungebat teſtari: tales ſermones cædere Slippenbachio in mandatis haut datum; ſed ultro laceſſentibus excidiſſe, quæ in ſiniſtram partem detorqueri poſſent. Ne tamen ſolicite iſtud ageret, quod anxia nimis excuſatio ſuſpicionem fere augere ſoleat.

4. April.

Sed & Slippenbachius per literas, dicta ſua interpretabatur. Mox idem Dobrzenius expiſcandis Regis conſiliis jactabat, Electorem cupere Regi fœdere jungi. Sed cum interrogaretur, quem finem id fœdus ſpectare debeat, nihil diſtincte expromere norat, ſed brevi ſe preſſiora mandata acceptum. Unde Wolfsbergio mandatum, Electori confirmare; Regi haut quaquam in animo eſſe aliquid præjudicii, aut detrimenti Electori adferre, ac viciſſim ſpem eſſe, eum Regis commodis haut obſtiturum. Et quia Elector tacito quopiam metu eo nomine videatur agitari, penes ipſum eſſe conditiones proponere, quibus ambo arctiore vinculo innecti queant, quo de ſua amicitia cautum eidem eſſe queat. Et ſi adpareat ipſius deſtinata rationibus Regiis quadrare, apertius ſententiam ſuam ſe declaraturum. Angebatur tamen apud Electorem ſuſpicio, quod rumor eſſet, Joannem Oxenſtiernam venturum, & gravibus de negotiis propoſiturum; qui hactenus fruſtra expectatus fuerat. 1655.

Elector de fœdere cum Rege movet.

§. 55. Cum autem liquidius Electori conſtare inciperet Poloniam bello peti, is primo per Georgium Fridericum Waldeccæ comitem mox ipſi Wolfsbergio teſtabatur: *velle ſe arctiore cum Rege vinculo ſtringi, armisque junctis ejus partes amplecti, ac pretenſionem ejusdem in Poloniam fulcire. Id duntaxat noſſe cupere, quo iſta pretenſio ſpectet. Caterum optare fœdus quamprimum concludi, quod etiam ad Germaniæ res, ac tuendam Proteſtantium cauſam ſit extendendum, ne inter utramque partem medius deſtituatur, à neutra ſat cautionis obtento. Eo fine cum ipſo Rege colloqui velle.* Rex in fœdus cum Electore pronus erat, modo ut ſecreto id tractaretur. Sed ſuper Germaniæ rebus malebat utriusque miniſtros ſi opus ſit junctim urgere, quæ paci & legibus Imperii congruant, quam ſolenne fœdus ferire, forte haut in ſecreto habendum, cujus invidia in ſe relapſura ſit, qui nullo modo Cæſarem & Auſtriacam Domum laceſſere rebus ſuis proficuum judicabat; præſertim cum id parum ponderis habiturum videretur. Sed circa negotium Polonicum, ubi uterque conjunctas habeat rationes, ipſam prope neceſſitatem inter ipſos fœdus imperare. Ac ſedere ſibi, jura ac bona Electoris non modo non imminuere, ſed & data occaſione augere. Viciſſim ſpem ſibi eſſe, ab Electore ſua deſtinata non modo non impeditum, ſed & promotum iri. Ad quæ Waldeccius velut obiter & privatim jacere, Electori non ſine moleſtia eſſe, quod Boruſſia velut feudum à Polonia recognoſcendum ſit. Et quia ipſius provinciæ eo ſint poſitæ, ut vix aliter à Rege in Polonia bellum geri queat, quam ut illas tangere, portubusque uti neceſſum habeat; fœdere caveri cupere, ac id fraudi ſibi non fore, in omnem eventum auxilium Sveciæ in promtu facturum. Ad quæ Wolfsbergius paulo curatius ſcrutari jubebatur, quid Elector liberatione à feudi vinculo ſpectet, & quos portus uſibus Regis relinquere velit: ut

1655. tamen iſtud ageret velut proprio motu, non velut ex mandato. Quid autem Rex eo nomine prætenſionis in Poloniam moveret, quod Joannes Caſimirus conſiliis ſuis ſecuritatem Sveciæ turbarit, bellumque in finibus excitarit, ac ſibi cauſam præbuerit arma parandi, ſumtusque ingentes faciendi, in præſens exprimere nolebat; eoque nec Wolfsbergio ea de re in aula Electorali mentio facienda erat. De cætero Electori confirmare jubebatur, Regem intuitu Poloniæ arctum fidamque conjunctionem cum ipſo initurum: ad quam & huic atque miniſtris calcar adderet. Ad quæ Elector Wolfsbergio pandebat; *ſuos anteceſſores velut Boruſſiæ Duces, ſed ipſum à Rege & Republica Poloniæ variis modis ita oneratos, ut cauſa ſibi affatim ſit liberationem ab iſto jugo affectandi. Igitur ſi Rex conjunctionem ſuam admittere, ac ſatisfactionis loco ipſi concedere velit Epiſcopatum VVarmienſem, ac partes quasdam Samogitiæ & Lithuaniæ, una cum Boruſſia ſua ſupremi imperii jure poſſidenda; ſe ſuper eo negotio certum fœdus cum Rege icturum; ac ni Polonus æquas conditiones Regi offerat, ſe ſumtis in iſtum armis communem cum Rege cauſam acturum.* Rex è prius actis, & præſentis temporis conditione judicabat, quanquam è re Electoris videatur conſilia ſua ipſius rationibus attemperare; hunc tamen eas haut æqua mente ſecuturum: ac potius aliud animo agitare, quam verbis præ ſe ferat. Quanquam itaque cauſa non deeſſet, quare iſta propoſita adſpernarentur, haut eo ſecius placebat tractatus ab ipſo oblatos amplecti, explorandis ejusdem deſtinatis, quid paratu armorum ſibi velit. Eoque fine Benedictus Oxenſtierna, & Joannes Lillieſtræmius mandata accipiebant ad id negotium Stetini ſuſcipiendum, ſi Elector id ſibi cordi eſſe deinceps oſtendat. Si unum Legatum Elector mitteret, ſolus Oxenſtierna tractaret; ſi plures venirent, collegam Lillieſtræmium adſumeret, ut tamen etiam priore caſu negotium cum hoc communicaret. Scopum fœderis ſtatuerint res Poloniæ. Brandenburgicos paterentur primam formulam deſignare, quod Dobrzenius Holmiæ primus de fœdere moverit, & iſtis optime de Electoris conſiliis conſtet. Ubi ingrata iſti, aut indecora Regi proponant, ipſi diſſimulata diſplicentia tempus conarentur extrahere, quo ſibi ſpatium fiat re expenſa mentem ſuam declarandi; interim bona ſpe Electorales demulcerent. Fœdus circa res Germaniæ declinarent. Si Brandenburgici in Cæſarem invehantur; id quidem ipſi audirent, ſed paribus invectivis abſtinerent, quoad perſpiciatur, quæ Electoris mens ſit, ac potius tantiſper ſimulent, Regi optime cum Cæſare convenire. Enimvero quanquam mox Elector literis manu propria Regi ſcriptis de ſingulari cupidine fœdus cum ipſo feriendi teſtaretur: intelligebatur tamen, eundem fœdus cum Belgis urgere iſtius deſtinatis impediendis. Unde cum nondum conſtaret, quo negotium hoc evaſurum eſſet; ac Elector haut liquido ſatis declaraſſet, arma cum Rege jungere, an neutras partes ſequi vellet; certa Commiſſariis mandata dari non poterant. Sed ſi quis Electoralium Stetinum veniret, diſſimulare jubebantur quidquam ſibi de fœdere Belgico cognitum; interim oſtenderent plenis ſe mandatis ad tractandum & concludendum inſtructos, ac iſtum ſpe optatæ concluſionis lactarent, tempori duntaxat extrahendo. Wolfsbergio tamen injunctum velut privato nomine de fœdere Belgico tangere, & quam parum idem Electoris teſtationibus conveniat, quamque facile ipſi moleſtia inde provenire queat. Aſt Haraldo Appelbomio præceptum, iſtud fœdus quantum poſſet impedire, inter alia hac ratione adducta, quod Elector Arauſionenſem Domum, cui tam arcte illigetur, deſerturus non ſit, quam tunc Hollandi noviſſima cum Anglis pace majorum muneribus excluſerant: & vix in ejus facultate fore præſtare, quæ promiſerit. Ita quid de fœdere cum Electore Rex ſibi polliceretur vix perſpiciebat, etſi ut idem arma ſecum conjungeret, optabat, ſat habiturus quoque, ſi idem extra conſortia belli removere ſe vellet.

Regis mandata circa fœdus cum Brandenburgico.

§. 56. Elector contra uti rationibus ſuis congruere judicabat tempus extrahere, & omnia ſibi integra ſervare; ita haut eo ſecius ſerium in fœdus ſtudium oſtendere expediebat, ne forte arma Regis alio deſtinata in ſe averteret. Scripſerat quippe Dobrzenius, Wittenbergium adventu ſuo in Pomeraniam ad Electorem Berolinum acceſſu-

1655. acceſſurum. Sed is Pomeraniam ingreſſus miſſo Paulo Wirtzio excuſabat: res Pomeraniæ ita confuſas ſe reperiſſe, ut iter iſtud ſtatim ſuſcipere non potuerit, & eam profectionem hoc tempore multis ſuſpicionem injecturam. Quæ tamen excuſatio Electori haut ſatisfecit; cui & dilatio illa non parum ſcrupuli injecit: eoque non citra impatientiam queſtus eſt: dum Svecicos tractatus expectat, lautas ſe conditiones à Cæſare, Belgis, aliisque oblatas recuſaſſe. Belgas ipſum monuiſſe, caveret, ne à Svecis in fraudem inducereur; eosdemque naves bellicas promiſſe ad defenſionem Pillaviæ. Ac ſi invadatur, undecunque auxilia ſe exciturum. Addebat Otto Sverinus: *ſi Regi tantummodo de titulo, & Livonia agatur, ſe ſtatim effecturum, ut à Rege & Republica Polonia ipſi ſatisfiat.* Igitur cum Rex ſerio rem ab Electore agi crederet, iſthæc mandata Commiſſariis ſuis transmiſit. Demonſtrarent initio, quam indigne „Chriſtina Regina, & ipſe à Polonis „habitus ſit; quod non potuerit non „ad animum revocare. Et quia Polo„nia in eum ſtatum redacta ſit, ut ab „aliis ſub jugum mittenda, aut lace„randa videatur, ſe urgentibus inſuper „aliis gravibus cauſis non potuiſſe non „ſecuritati ſuæ invigilare, aliorumque „noxia ſibi deſtinata prævertere. „Quod ſi igitur Electori placeat arma „ſecum ſociare, id libenter admiſſu„rum hac lege, ut Marchia, & Pomera„nia ab omnibus belli oneribus ſit ex„emta, excepto innoxio tranſitu: in Bo„ruſſia ſibi liber tranſitus terra, & aquis, „uſusque portuum ad ſtationes na„vium pateat: Elector ſuis ſumtibus ad „pacem usque alat tria equitum, quin„que peditum millia cum idoneis ma„chinis; penes ſe ſit directio bellica„rum actionum, & diſpoſitio hoſpi„tiorum in expeditione, ut tamen Ele„ctoris copiæ pari cum ſuis ratione „habeantur. Satisfactionis loco Ele„ctori ſe curaturum Epiſcopatum „Warmienſem una cum Boruſſia in„dependentis imperii jure poſſidenda, „& ſi quid aliud absque ſuo præjudicio „in ipſum transferri queat; ut tamen „ſi quis locus ſit in eo præſulatu, aut „Boruſſia Ducali Boruſſiæ Regali val„de opportunus, Elector poſt ante„greſſos tractatus eundem ſibi relin„quat: cum ipſo circa navigationem „& commercia certa pacta ineat: ob „communicationem cum Livonia „per Ducalem Borufſiam liberum „tranſitum concedat; ſibi quoque & „Coronæ Svecicæ expectativam in „Boruſſiam Ducalem poſt extinctam „familiam Electoralem conſtituat. „Circa prætenſionem Juliacenſem „non aliter à Rege procedendum, „quam prout pace Weſtphalica eſt di„ſpoſitum. Sed in ſuæ ſatisfactionis lo„cum Rex ſibi depoſcebat renunciatio„nem Joannis Caſimiri in Sveciam, ac „Livoniam intra veteres terminos, & „cum pertinentibus, ſimul Samogi„tiam; & quicquid terrarum inter ul„teriorem Pomeraniam & Rigam ja„cet, ſumta latitudine à mari ad War„tam & Notecium fluvios, inde recta „linea Thorunium usque; ut tamen „hoc tractatu ita ſe conſtringere nolit, „quo minus, ubi res ferat, plura po„ſtulare queat. Quod ſi autem Ele„ctor eventum belli ſpeculari, ac neu„tras partes ſequi cupiat, ſe id hac lege „conceſſurum, ut ſibi faveat, nec Po„lonis auxilii quid ferat, tum aliquot „militum millia ſibi concedat, de par„tis terris præmium habiturus, prout „conventum fuerit. Quod ſi nullo „interpoſito pacto extra conſortia bel„li removere ſe velit Elector, id quo„que ſe admiſſurum, dummodo in„tuitu quoque Boruſſiæ neutri par„tium ſtudeat, ſibique innoxium uſum „terrarum & fluminum præbeat; vi„ciſſim pollicitus, ipſius emolumen„ta ſibi curæ fore. Cæterum Rex quanquam par judicaret ab Electore de conditionibus pacti primum proponi legatis ad ſe miſſis, præſertim cum Slippenbachius eundem prius adiiſſet; tamen ne qua occaſio firmandæ cum ipſo amicitiæ negligeretur, placuit Benedictum Oxenſtiernam Stetinum ire: ſimul Dobrzenio teſtabatur, ſi Elector ſerio rem agat, brevi cum ipſo ſibi conventurum. Addebat quoque mandatis Commiſſariorum ſuorum Rex, efficerent, ut Brandenburgici primo loco formulam fœderis conciperent, cum ipſi hoc primi affectarint. Quod ſi iidem judicent, ſola armorum oſtentatione Polonos poſſe terreri ad pacem amplectendam, demonſtrarent; huc proceſſiſſe rem, ut arma utique ſint arripienda, & huc quoque Electori eſſe deſcendendum. Si Elector de fœdere ad-

1655.

verſus

1655. verſus Moſcos proponat, id declinaret, nec minus ſi idem ſequeſtrem ſe ferat. Circa ſatisfactionem Regi Braunsbergam reſervarent, tum totam Nerungam Dantiſcanam, & uſum portus Pillavienſis absque tamen præjudicio Electoris, ac ut Curlandiæ Dux deinceps eodem modo Sveciam, quæ hactenus Poloniam recognoſcat. Si de rebus Germaniæ utique aliquid fœderi inſeri velit Elector, id demum admitteretur laxioribus duntaxat verbis, ut junctis conſiliis in conventibus publicis pro executione, & conſervatione pacis Weſtphalicæ contendatur. Si idem nomine Halberſtadienſis, & Mindenſis Principatus in fœdus Hildeſienſe recipi velit, id ad reliquos quorum intereſt rejiceretur. Quod ſi de ſolo medio ſtatu agere velit Elector, eum hac lege concederent, ut is fœderi cum Belgis renuntiet, aut nulla ratione per id Regi præjudicet. Quo caſu & caput de ſupremo in Boruſſiam imperio ita erat concipiendum, ut ne fraudi foret tractatibus, quos Rex deinceps cum Polonis ſit initurus. Denique quia Rex animadvertebat in aula Brandenburgica ob ſuſpiciones, inanesque metus conſilia fluctuare, ut vix ſolidi quid ſperare inde liceret, caute ſuos circa eum tractatum agere juſſit, ne forte Elector titulo protectionis Boruſſiam Regalem invaderet, quam ſibi ipſe in præcipuum belli præmium deſtinaverat.

Tractatio cum Brandenburgicis ſuſcipitur.

§. 57. His cum mandatis Benedictus Oxenſtierna Stetinum profectus eſt; ubi & protinus ſignificatione de ipſius adventu facta ab Electore miſſi aderant Waldeccæ Comes, & Sverinus Baro. Ejus tractationis intuitu Rex in Boruſſiam curſum dirigere omiſerat, ne quid ea occaſione incideret, quod fœderi præjudicio foret. Porro tractatione Stetini ſuſcepta, in plerisque ſat facile inter ſe videbantur conventuri. Sed in eo præcipue res hærebat, quod & Regii ſtatim citra exceptionem ſummum Boruſſiæ imperium annuere dubitarent, & Brandenburgici cautionem, qualem iſti cupiebant, præſtare detrectarent. Inter eam diſceptationem Rex in Pomeraniam adpellens cum de tractatuum ſucceſſu audiiſſet, ſuos ulterius procedere vetabat. Qui & protinus tractatus ſuſpendebant obtentu ſumto, Regem ſibi adeundum, ſpe tamen 1655. promti reditus facta. Qui & ſi forte Elector Regis colloquium expetat, id declinare jubebantur ob multa negotia, quæ huic in præſens incumbant. Excurrentes Wolgaſtum ad Regem Commiſſarii mox Stetinum revertunt 21. Jul. ad continuandos tractatus hiſce cum „mandatis, ut conjunctio armorum „extendatur adverſus quosvis, qui Polonico ſe bello terra, marive directe „lato auxilio, aut rerum ſubrectione „immiſcere aggrediantur. Defenſionem præſtaret Rex Electori, ſi hujus „belli nomine, quod velut Dux Boruſſiæ gerit, etiam in ditionibus Electoralibus invadatur. Contra abſtineret Elector fœderibus, & commerciis, quæ directe aut oblique in „ipſius fraudem tendant. Exercitui „Regis primario conjungeret quatuor „militum millia pro Regis arbitrio „adhibenda: inſuper in promtu haberet minimum ſex millia ſuis auſpiciis rem geſtura junctim cum Regiis aut ſeparatim in Boruſſia. Ne „Elector circa tuendam Boruſſiam „cum quovis alio ſuper auxilio mili„tari tractet absque Regis conſenſu. „Si conjunctio utriusque exercitus „fiat, penes Regem ſit directio, ut „tamen Electori jus ſit duces ſuos „conſtituere, remunerare, punire, „removere. Ubi ipſe Elector cum „aliquo duce Regio ſe junxerit, penes Electorem ſit directio. Si duces utrinque copias ſociaverint, penes Regium regimen ſit. Ubi longius abfuerint, auxilia ſibi mutuo „mittant. Rex Electori volenti certum diſtrictum in hoſpitiorum uſum „concedat. Elector Regi milites „conducendi copiam in ſuis ditionibus faciat. Regi liberum ſit in Pillavia, & Memelæ vectigalia inſti„tuere tolerandis belli ſumtibus Elector in dimidiam proventus partem admiſſo. Quia autem Elector „hinc inde tractatus agitare ferebatur, ut Regi conſtare non poſſet, „quo iſtius deſtinata ſpectarent, cautionis in vicem Rex depoſcebat Pillaviam & Memelam ea conditione, „ut Elector Pillaviæ præfectum conſtituat, quem Rex ſacramento ſuo „obſtringat ad obſervationem fœderis: Rex contra præfectum Memelæ imponat, quem Elector hinc accepta ſibi devinciat. Duraret hoc

fœdus

1655. „fœdus ad finem usque belli, nec Elec- „tori interim de pace, induciis, aut „neutralitate tractare fas sit absque „consensu Regis. Contra Regi curæ „sit, sive per arma, sive per tractatus fi- „niatur bellum, ut destinata ipsi satis- „factio salva sit; etsi aliam quamvis „provinciam, quam Warmiensem con- „cedere maluerat, velut Regali Borus- „siæ tam opportuno situ. Post conclu- „sum fœdus Elector statim rem gerere „inciperet; idemque omnibus fœde- „ribus renuntiaret, quatenus huic bel- „lo Polonico: & juri Sveciæ in Mari „Baltico fraudi esse queant; nec duran- „te hoc fœdere cum aliis tractet aut „agitet, quæ utrique isti negotio adver- „sentur. His cum mandatis regressi Ste- tinum Oxenstierna, Lilliestræmius cum Brandenburgicis negotiationem agitare pergunt. Ubi circa reliqua quidem sat faciles sese præbebant Brandenburgici. Sed circa Pillaviam, & Memelam cautionis loco tradendam, & renunciationem fœderis Belgici hærebant, defectum mandati excusantes, & de istis ad Principem sibi referendum. Non dubitare tamen, quin ab Electore Arnsvvaldum obviam Regi sint mittendi fœderi absolvendo. Terrendo Regi sparserant, Angliæ Protectorem Electori id requirenti auxilia adversus Svecos promisisse. Ast Rex etsi ad extremum postulato super Pillavia & Memela desistere constituisset, quod aliam rationem non defore speraret stringendo Electori, ut conventis staret; tamen cum hunc magno studio copiis augendis incumbere videret, simul cum Belgis fœdus, cum Polonis frequentia literarum commercia agitare, caute cum eodem juxta, ac masculè agendum sibi constituit.

Extraditio inanis est. 4. Aug.

§. 58. Reverterunt post Furstenaviæ ad Regem Sverinus, & Debrzenius, allato ab Electore procuratorio, & facultate resumendi tractatus super fœdere, & conjunctione armorum adversus Poloniam. Quibus Rex statim Benedictum Oxenstiernam, & Matthiam Biærnclovium adjungebat, in itinere cum istis tractaturos. Ubi proponebant Electorales; Electorem intuitu Borussiæ Ducalis sub Regis & Regni Sveciæ protectione fore, de cætero liberum & supremum jus in eam provinciam obtenturum. Contra Rex pertendere, ut idem ejus Ducatus nomine vasallus Sveciæ foret, beneficio tamen de non appellando gavisurus: de præsidio Pil- laviæ ac Memelæ imponendo remitte- re, ut tamen fœdus, quod cum Belgis ab Electore jam conclusum erat, qua juri Sveciæ in Mari Baltico, & præsenti bello videatur præjudicare, cesset; ac Rex in partem vectigalium Pillaviæ ac Memelæ veniat. Sed Brandenburgici conclusionem declinare, jactantes, sibi quidem persvasum, Electorem postulato circa fœdus Belgicum, & participationem vectigalis facile consensurum, ubi supersummo Borussiæ imperio convenerit. Quia tamen mandatis huic negotio accommodis instructi non sint, Berolinum se abituros, ac brevi redituros. Rex qui non tam præsentem Electoris potentiam respiciebat, quam quot isto alienato omnes adversa ipsi consilia agitantes ansam arreptu- ri erant ejus opera destinata sua infestandi; quo negotium utique ad finem perduceretur, duas istis formulas tradebat, quarum una fœdus, altera mutuam inter ipsum & Electorem obligationem continebat. Quibus acceptis isti Berolinum discedebant. Ast iidem post Opoznæ ad Regem reversi non modo abolitionem fœderis Belgici, & participationem vectigalium adspernari, sed & alia capita, super quibus antea jam convenerat, retractare, aut exceptionibus circumscribere. Unde Regi non amplius obscurum erat, Electorem alia consilia agitare, ac Legatos misisse non concludendi gratia, sed ut actiones ipsius, & eventus armorum specularentur. Nam eo ipso tempore iste cum Rege Poloniæ secreta commercia in ipsius fraudem agitare dicebatur, ac per Weimannum Hagæ, apud Ordines Fœderatos ratihabitionem fœderis sui urgebat, acriter quoque instans, ut hi classem Mari Baltico immittere properarent, eamque ibi hibernare sinerent, quo ista rem proximo anno eo maturius in Svecos gerere posset. Simul ope Cæsaris, Dani & Belgarum autoritatem sibi, viresque circumponere instituebat. Ferebatur quoque occulta commercia cum Moscо agitasse, qui promisso suo auxilio ipsum, ut destinatis constanter insistat, hortatus sit. Inprimis idem circa cudendum fœdus satagebat inter Borussiæ Ordines, & alios vicinos Palatinatus ad Regem Borussia excludendum. Unde Rex quo ista spectarent satgnatus, & lubdibriorum pertæsus solida vi grassari, & se ipso è Polonia, Gardio, è Lithuania ingruente, ad partes suas amplectan-

1655. 11. Aug. 4. Sept.

1655 dan Electorem compellere inſtituit.

Elector Boruſſia defenſionem ſuſcipit.

§. 59. Elector interim octo militum millibus ſtipatus in Boruſſiam è Marchia ſe contulerat, quem præter urbem ſuam iter capientem Gedanenſes inſigni quidem cultu exceperant, ut tamen arctiorem cum ipſo conjunctionem refugerent. Ab eo mox ad conventum Ordinum Boruſſiæ Mariæburgum delegati mittuntur, qui ſuper defenſione ejus provinciæ proponebant, cujus protectioni ſuſcipiendæ ſe Elector offerebat. Hiſce deſtinatis refragabantur Gedanenſes, Thorunienſes, atque Elbingenſes, ſuo è judicio prout res ſe darent conſulturi. Cæterum color dicebatur: nondum conſtare, quomodo Joannis Caſimiri ſeſe res habeant, ac num iſte talia probaturus ſit. Nec arma adhuc in Svecos ſtringi poſſe, qui nondum hoſtile quid Boruſſiæ intentarint. Nec eas Electoris eſſe vires, ut provinciam adverſus Svecorum invaſionem tueri queat, ingruente hinc è Lithuania Gardio, inde è Polonia ipſo Rege Carolo Guſtavo, quem metus ſit hoc armorum paratu irritatum totam belli molem huc devoluturum. Denique qui Poloniam & Viſtulam in poteſtatem redegerit, ſibi quoque Dominum fore. Cum reliquis tamen Boruſſiæ Ordinibus in has leges fœdus concluſum: *ut ea conjunctio fiat citra præjudicium Regis Poloniæ, & ſalvis ejusque juribus, bonisque Catholicorum Eccleſiaſticis. Ne eadem cujusque offenſionem ſpectet; nec ab eadem alterutrius invitâ altera parte deſcedere, aut absque alterius partis conſenſu pacem, inducias, neutralitatem, aut aliud fœdus inire liceat. In communem militiam Electori ſummum ſit imperium; & qui milites Electorales oppidis, arcibusque Boruſſiæ præſidio immittendi, ges provinciales alant. Ordinum provinciales quatuor militum millia Electorali exercitui conjungant. Conjunctione hac facta ſtatim ad Joannem Caſimirum mittatur, ejusque conſilium exquiratur. Nec minus Svecia Regi eadem denuntietur, pacto, ut militem finibus Boruſſiæ deducat, & loca occupata reſtituat. Hoc poſtulato ſi Svecus locum non relinquat, junctis viribus vim propulſandam.* Simul decretum, ut ab Electore præſidium in ora Mariæburgum, Dirſchaviam, Slochoviam, Lauenburgum, Braunsbergam, & Graudentum recipiatur.

Graudentz. Rex in Boruſſiam tendit.

§. 60. Aſt Rex poſt ſubactam fere Poloniam, ac diſſipatos hoſtes, ut Brandenburgici deſtinata, antequam invaleſcerent, præverteret, præter proprium militem aſſumtis quoque ſeptem Quartianorum millibus ſub Coniecſpolſcio duce in Boruſſiam properabat. Et quia judicabat cum Electore ad manus utique deveniendum, Duglaſſio injungebat legiones, quas in Polonia relinquebat, non late diſpergere, ut ſtatim ubi opus ſit, præſto eſſe poſſint. Erico quoque Stenbockio, qui Pomeraniam curabat, injunctum, ut recens conſcriptum militem non turmatim uti hactenus; ſed legionatim in Poloniam per Electoris provinciam mittat, ac probe ſibi caveat, præcipua Stetini cura, ne forte Brandenburgicus ex improviſo quid tentet. Warſavia jam moventem acceſſit ab Electore cum literis miſſus Dobrzenius, quibus hic tractatibus abſolvendis ſe paratum eſſe teſtabatur. Ad eas à Rege in eum ſenſum eſt reſponſum: Poſtquam neceſſitas ſibi allata ſit in Polonos arma ſtringendi, Electorem ultro ac nemine invitante oſtendiſſe, jamdudum Poloniæ imperium circa Boruſſiæ Ducatum ipſi intolerandum juſtas gravesque cauſas præbere jugum id excutiendi; eoque nomine ſocietatem armorum ſibi obtuliſſe. Ei fœderi ſe libenter aurem præbuiſſe, ac poſt iteratas propoſitiones & teſtationes Commiſſarios conſtituiſſe perficiendo negotio, ac quantum potuerit ipſius ſe deſideriis attemperaſſe. Aſt quod Electorales Legati jam tertia vice infecta re diſceſſerint, id non ſibi, ſed inimicis ipſius, & ſuam quam maxime ſecuritatem; belliq; gerendi rationem impugnantibus poſtulatis eſſe imputandum. Cum iſtius Legati Regnæ diſceſſiſſent, ſe credidiſſe, ideo tantum eos regredi, ut ipſi ſuas rationes circa emergentes quasdam circumſtantias explicarent, ſuper quibus in mandatis nihil habeant. Reverſos in caſtra ad Opozham non modo conventis non inhæſiſſe, ſed & novis exceptionibus ſibi noxiis rem intricaſſe, ut non ad fœdus concludendum, ſed aliam ob cauſam veniſſe adpareret. Ne tamen plus ſuſpicionibus, quam literis ac totiès repetitis amicitiæ teſtationibus confidere videretur, tertium diſcedentibus Legatis de ſincera ſua intentione denuo confirmaſſe. Re ipſa tamen adparuiſſe, ſuſpicionem ſuam non fuiſſe inanem, periculoſis ſibi conſiliis ab iſto agitatis, ac nonnullis Boruſſiæ Regalis locis occupatis. Cum

1655 9. Nov.

„ti-


Oppidum
et Arx
GOLLUP
ad fluvium Drebnitz in Borussia a Sueco occupati
25 Novemb. Ao
1655.
Via Turonensis
Arx
BORUSSIÆ
PARS.
Suburbium
Via Strasburgensis
Prata
Sylua
PARS

Digitized by Google

Digitized by Google

VISTULA

Digitized by Google


Via via Prench Holland ins
Alte Hummel fl
Annenberg
Hummel fl
Porta Molana
Wehrmine
Wunderberah

1655. „tamen ſibi nunquam propoſitum „fuerit ipſum etiam citra reſpectum „ad fœdus lædere, quin in Poloniam „trajecturum ſtudio Boruſſiam decli„naſſe, quo anſam ſurgentibus ſuſpi„cionibus præſcinderet. Quas vero „ſibi cogitationes ipſius cœpta inje„cerint, ſi præſertim iisdem inſiſta„tur, in proclivi eſſe conjicere. Ne „igitur diutius in incerto hæreat, de „ſeriis ipſius deſtinatis utique edoceri „cupere. Sibi equidem in animo eſſe „per fœdus amicitiam cum ipſo firma„re. Sed niſi quæ in fraudem ſuam cœ„pta ſint amoveantur, ſe haut vereri „judicio Orbis Chriſtiani facti hujus „indolem, ſuorumque conſiliorum „& actionum bellicarum nexum expo„nere. Ad haſce literas Wolfsbergius promtum & liquidum reſponſum ab Electore flagitare jubebatur. Regem quippe non ſolum ex interceptis literis aliisque indiciis, ſed & occupatis jam in Boruſſia locis perſpicere, conſilia ipſum agitare factis teſtationibus, ſuisque commodis adverſa, quæ ipſe tolerare nec velit nec poſſit. Eoque jam recta in Boruſſiam tendere. Si Elector alia conſilia capeſſere, & certi quid decernere velit miſſis Legatis, ſe facile laturum ut veniant, & mandata exequantur. Sed quia hactenus per inania detentus fuerit, nec ſuæ res ejusmodi moras ferant, ſperare ſe, ſi rem ſerio agat Elector, Legatos ejusmodi mandatis inſtructos venturos, ut negotium absque diſpendio temporis concludi queat. Tum & Electori demonſtraret, quia Rex ferre non poſſit, ipſius copias per Boruſſiam Regiam vagari, ac ſtativa invadere, ut vitandæ colliſioni intra provinciæ ſuæ limites iſtas coërceat, ne quid forte contingat amicitiæ inter ipſos adverſum. Quod ſi intelligat, Electori rem cordi eſſe, in aula ipſius maneret: ſin minus, ſtatim valedictione facta inde diſcederet.

Boruſſia invaditur.

§. 61. Interea Guſtavus Otto Stenbockius Novodvvoro movens, ubi hactenus metatus fuerat, aſſumto cum quibusdam legionibus Henrico Hornio Sacrozinum, inde Boruſſiam verſus iter intenderat, cui mox Warſavia adproperans Rex jungitur. Bielskæ Niemericius & Piaſinius Quartianorum manum Regi adducebant. Per Scepſiam facto itinere exercitus Strasburgo admovetur, munito & opportuno oppido ad Drebnitzam flumen ſito; quod defenſionem non auſum ultro

Sacrozin. 14. Nov. Bielski Niemer. 19. Nov. Piaſinski Scheps. Strasburg. Drebnitz. 20. Nov. 23. Nov.

portas Regi aperuit. Nec Neumarcum, & Golupamoram fecerunt, quo minus ſtatim præſidium Svecicum admitterent. Thorunium verſus præmittitur tribunus Iſraël Ridderhielmius, non tamen longe nimis in provinciam penetrare juſſus, ut occurrente forte validiore Brandenburgicorum manu receptus ipſi ad exercitum pateret. Eodem quoque præcurrit Radziejovius cum ter mille equitibus, Thorunienſibus deditionem perſuaſurus; quem & poſt triduum cum peditatu inſecutus Stenbockius in ipſo ſuburbio ſtationem cepit. Poſt nonnullam dubitationem, cum nuſpiam auxilii ſpes adpareret, miſſis in caſtra deputatis citra vim adhibitam Thorunienſis in ditionem Regis conceſſere, ſua ſibi privilegia ſalva ſtipulati. Eam urbem Rex ſolenni pompa ingreſſus eſt die viceſima quinta Novembris, quam inſignem quoque reddidit nativitas filii Caroli, qui paulo ante mediam noctem Holmiæ in lucem editus eſt. Eum nuntium poſt Rex ad Elbingam accepit, quem apud exercitum & omnia Poloniæ præſidia feſtivis diſploſionibus celebrari juſſit. Simul de ejusdem nativitate omnibus per Europam Principibus per literas ſignificabat, præter Belgas, queis verbis per Appelbomium indicium fiebat. Urbi à Rege omnia privilegia confirmabantur, clavesque portarum Conſulibus relinquebantur. Præſidio duæ legiones ſub ſupremo vigiliarum præfecto Cunrado Marderfeldio imponuntur.

1655. *Golup. Thorn.*

24. Nov. Thorunium ſe dedit.

25. Nov. Carolus XI. naſcitur.

§. 62. Thorunio Rex cum exercitu Mariæ Werderam verſus tendit, ubi pars copiarum Brandenburgicarum, queis Boruſſiam Regiam tueri ante animus fuerat, ſubſtiterat. Sed quæ audito Regis adventu retroceſſere; quarum modicæ aliquot catervæ à Quartianis omnia late perſultantibus male multatæ ſunt. Ad Elbingam dehinc acceditur, quæ vetere in Svecos affectu, & conclamatis fere Joannis Caſimiti rebus, nec ulla cominus auxilii ſpe haut invita in oblatam deditionem conſenſit. Ejus leges hæ fuere: Renuntiaret urbs Joanni Caſimiro, & Carolum Guſtavum „cum omnibus legitimis ejusdem hæ„redibus naturalem & legitimum „Principem agnoſceret; in eamque „rem fidem daret, quandocunque Rex „poſtulaverit; cui tamen eum actum „differre placeat, quoad tota provin„cia pacata ſit. Omnia privilegia urbi „ſalva forent, & pro re nata augeren-

Elbinga ſe dedit. Marienwerder.

Elbing.

10. Dec.

1655. „tur. In ſubſidium belli aliquid pecuniæ „ab urbe conferretur, de quo conve- „niendum ſit, ſed in poſterum nullo „tributo onerarетur, niſi in quod uni- „verſi Ordines conſenſerint. Contra „promittebat Rex, ſe curaturum, ut „urbis commercia cum exteris auge- „antur, ejusque gravamina quantum „dabitur emendentur. Quæ ſecuri- „tatis cauſa in urbem bona adducta „ſint cum ipſis hominibus, & merca- „torum obligationibus ſalva eſſent, „nec in fiſcum redigerentur. Vallum „& mœnia urbs ſuis ſumtibus conſer- „varet. Machinæ ad urbis defenſio- 11. *Dec.* „nem manerent. Ita poſtera die ur- bem Rex magna cum pompa ingreſ- ſus eſt, cui præſidium mille militum impoſuit. Gubernator urbi ac totius ſimul Boruſſiæ, & Pomerelliæ Laurentius Lindanus conſtituitur.

Von der Liude. *Stenbockii geſta. Dirſchau.* §. 63. Elbinga in ditionem redacta Rex partem exercitus Stenbockio attribuit, ut Dirſchaviam & minora circum oppida Boruſſiæ, ac Pomerelliæ occuparet. Eidem injunctum cum Gedanenſibus amicitiam colere, eosdemque invitare, ut ad Regem Legatos mittant. Sed ſi Svecis noxam inferre iidem aggrediantur, ipſis demonſtraret; præter opinionem Regi accidere, quod ab iſtis hoſtilium initium fiat; & inde territorium ipſorum tributis ſubjiceret: non tamen temere ad manus rem deduceret, ſed pedetentim intra urbem eos redigere conaretur, & facultate privaret è ſuis prædiis emolumentum capiendi; teſtatus tamen ideo duntaxat fine fieri, ut ipſi ad tractatus cum Rege ſuſcipiendos promoveantur. Urbe erumpentes repelleret quidem, ſed mercede non conductos iterum dimitteret, hortatus, ſuis perſvaderent, ut ad paciſcendum cum Rege deſcendant. Tantiſper quoque commercia eorum cum Stetinenſibus libera fineret. Inſuper probe Cæſareos obſervaret, num è Sileſia Polonis aut Brandenburgico auxilio accedere velint. Tum angulum *Montauer ſpitze.* Montavienſem occuparet, caſtellumque ibi quondam poſitum inſtauraret. Quod ſi Brandenburgici Pomeraniam invadant, eodem ſe conferret, ubi & jam præſidia augeri Rex juſſerat. His cum mandatis iſte Elbinga digreſſus Mariæburgum tendit miſſo tubicine; qui urbi deditionem imperaret. Eam *Weier.* inſidebat Palatinus Jacobus Weierus cum magno numero Nobilium Polonorum, & Heidonum, & Schafgotſchius tribunus cum aliquot Germanicis cohortibus. Sed cum iſte in præſens Brandenburgici adhuc auxilio, & inclementia Cœli obſidium haut admittentis confiſus deditionem ferociter adſpernaretur, Stenbockius obſidio ejus urbis in aliud tempus dilato ſatius ducebat, vicinis circum locis in poteſtatem radactis exercitui hoſpitia laxare. Dum Mevam vertitur, intelligit validam catervam à Weiero Ge- *Meve.* danum præſidii cauſa emiſſam Mariæburgum reverti, quæ num ea veſpera intra urbem admittenda foret dubitabat. Igitur Woldemaro Comiti, qui cum ſua legione tunc ad Regem tendebat, ut eam interciperet, injungit. Qui & raptim profectus dimidio à Mariæburgo milliari noctu in vico iſtos offendit, & vigiles ac paratos, acriterque reſiſtentes numero demum obruit, multisque cæſis ducentos dimachas ſalutem petentes ſub legione ſua diſtribuit. Ex hiſce intellectum, aliam Polonorum catervam circumvagari, paſſimque prædas agere, quæ ferebat ſe obtenta à Polonis miſſione ad Svecicum exercitum abire. In hanc immiſſus Fridericus Landgravius Haſſo-Homburgicus tertio à Meva miliari deprehenſam oppreſſit, cæſisque plurimis ſeptuaginta Nobiles plerosque cepit. Interim Stenbockius Mevæ deditionem imperarat, quam quatuor cohortes dimacharum, & ſelecta manus peditum Brandenburgicorum inſidebant. Sed præfectus ea repudiata ſuburbio ignem injecit, quam miſſa à Stenbockio manus iterum extinxit, ac in eo ſtationem cepit; tum ſuggeſſu extructo portam machinis quatere inſtituit. Unde oppidani ſtatim animis collapſi implorata gratia portas aperiunt, præſidio in arcem ſe recipiente; quod & mox arbitrio ſe Stenbockii tradidit, armis ſig- 24. *Dec.* nisque depoſitis. Polonicus miles quà vellet dimiſſus; Germani, & quod Brandenburgicum erat, Svecicis legionibus admixti. Inde Dirſchaviam *Berendt.* præmittitur tribunus Fabianus Berendius cum dimacharum manu in ſuburbio ſtationem capturus, qui & præſidium Polonicum aliquoties erumpere, flammasque eidem injicere auſum rejecit. Stenbockius cum exercitu accedens, cum præfectus impera-

1655. *Schafgotſch.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Der Kalte hoff
Der Kupferteich
Sorc
Neue Teich
F. B. ap ovata fecit.

1655. peratam à tubicine deditionem abnueret, ſtatim omnia aſſultui faciendo parari jubet. Unde oppidani metu perculſi præfectum compellunt, ut tympanotriba emiſſo dilationem peteret. Quam cum repudiaret Stenbockius, iſte ſtatim centurionem cum formula pacti emittebat. Quam & ipſe cum rejiceret Svecicus dux, præfectus ipſe prodiens cum hocce colloqui cupiebat. Sed acriter increpitus faceſſere jubetur, ni protinus portas pandat graviora experturus. Et jam palos ante portam Sveci occuparent. Præfecto in oppidum reverſuro Wuſſovius ſubtribunus clavem portæ è ſacculo prominentem extraxit, ac recluſa porta Svecicum militem oppido immiſit. Unde raptim è ſtationibus in forum deducti præſidiarii arma cum tribus vexillis deponere coguntur. Germanus & Brandenburgicus miles ſub Svecica ſigna redigitur, Polonica turba dimittitur. Oppidanis, utut citra pactum in ditionem perveniſſent, vim militum arcuit Stenbockius. Is cum intellexiſſet, quasdam Weieri turmas in inſula Mariæburgica hinc inde per hoſpitia diſtributas agere, miſſa cater-
Vogelſang va noctu in vico Vogelſanga deprehenſas ad unum concidit. Aſt Star-
Stargard. gardiæ præfectus audito quid Dirſchaviæ accidiſſet, paria metuens noctu oppido deſerto cum præſidiariis Gedanum evadere inſtituit. Eo cognito Stenbockius Homburgenſem Landgravium abeuntibus immiſit, qui in via deprehenſos multos occidit, ſexaginta cepit, reliquos ſub Gedanum usque perſecutus eſt. Eam urbem prætergreſſus Stenbockius, quam miſſo tubicine ad tranſigendum cum Rege
Olivæ. incaſſum vocabat, Olivæ cœnobio dimacharum manum impoſuit. Inde Pautzcam ſubito aſſultu invadere inſtituit. Quæ deſtinata tamen fruſtra fuerunt, quod Polonicum & Gedanenſe præſidium inſidiis mature agnitis ad vim excipiendam omnia paraſſet: in catervam hoſtium oppido progreſſam Fabianus Berendius, & Plantingius mittuntur viam iſtis intercluſuri. Qui & eosdem ante oppidum deprehenſos acriter multant; ſed dum ſub iſta oppidi munimenta prope nimis ruunt, ſuorum quoque nonnullos amittunt. Ea in expeditione, qua duodecim hoſtium centurias nullo ſuo damno deſtruxerat, Stenbockius morbo correptus Thorunium ſe contulit, copiis per Pomereliam & Caſſubiam in hiberna diſpoſitis. Simul Mariæburgo obſidium eminus circumpoſuit, quid ſequenti anno in Svecicam ditionem conceſſit. 1655.

§. 64. Inter hæc Sveciæ catervæ Brandenburgicos ubicunque inventos per Boruſſiam Regalem proturbabant, ac male multabant. Qua ſuper re miſſi ab Electore ad Regem Laurentius Chriſtophorus Somnitius & Dobrzenius Thorunii graviter querebantur. His denuo Rex denuntiabat, ut Elector copias ſuas intra propriam provinciam contineat, & loca Regiæ Boruſſiæ omittat, ſi anſam amicitiæ continuandæ præbere, ac pacem ſibi ſerio cordi eſſe oſtendere velit. Tum literis datis hactenus acta exprobrat, 3. *Dec.* à pollicitis plane abeuntia, initio quoque cum Joanne Caſimiro fœdere ſuper utraque Boruſſia defendenda. Unde mirum videri, querelas jam moveri, quod milites ipſius per Boruſſiam Regalem deprehenſi à ſuis male ſint habiti. Eoque citra ambages panderet, quid ab ipſo ſibi expectandum ſit, & amicus an hoſtis eſſe velit. Sed cum Rex ſatis animadverteret, à Brandenburgico id agi, ut extracto per inania tractatuum tempore Joannes Caſimirus interim vires repararet, ac è Belgio quoque accedentibus auxiliis progreſſus ſui ſiſterentur; tota ipſum mole obruere, rectaque Regium montem contendere inſtituit, ubi Elector cum Equitatu hærebat, ni imminentem vim transactione prævertere mallet. Eo fine Wrangelium ad ſe evocat, qui ingruente hieme claſſem in Sveciam remiſerat. Tum Wittenbergium, qui ob adverſam valetudinem Cracoviæ permanſerat, Poſnaniam ſe conferre jubet obſervandæ Pomeraniæ, ne in eam è Sileſia per Cæſareos quid tentaretur. Idem & Burchardo Mullero injungitur. Kœnigsmarckius quoque proſpicere jubetur, ne forte à Belgis in Bremenſem provinciam ex improviſo quid tentetur. Tum & tranſitus Viſtulæ probe cuſtodiuntur, ne forte Elector cum equitatu ſuo in Pomeraniam erumpens à tergo negotium faceſſat. Interim Regiorum manus Welaviam Pregelæ adſitum *Welau.* oppidum occupaverat, trecentis deſul- 15. *Dec.* toribus Canicii tribuni ſub Svecica ſi- *Canitz.* gna redactis ſimul late jam Electoris provinciam perſultantes Sveci haut

Inter Regem & Electorem mutua exprobrationes. Somnitz.

1655. 16. Dec. Creutzburg.

parum damni dabant. Jam Creutzburgum proceſſerat Rex, cum literæ ab Electore redduntur nono Decembris jam datæ, quibus hic culpam turbatæ amicitiæ a ſeremotam in Regem rejicere inſtituebat. Cumprimis arguebatur, *quod Miniſtri Regii tractatuum initio Pillaviam & Memelam, partemque ibi vectigalium, & commerciorum directionem per utramque Boruſſiam poſtularint. Et quod VVittenbergius ad Electoris duces ſcripſerit; ſe copias, quas in Boruſſiam ducturi ſint, pro hoſtibus habiturum. Quin ipſe Rex Electoralibus Legatis ſæpe denunciarit, ſecum Electore in Boruſſia non ſecus atque cum aliis Poloniæ Ordinibus acturum.* Contra demonſtrabat Rex, quæ prima „fronte averſi animi ſigna videantur, „iis rationem conſtare, ſi ad ſua tem„pora, & agitata in iis conſilia expen„dantur. Sane à ſe initium haut fa„ctum hoſtilia per Boruſſiam exercen„di; quin contra Electorem ſæpius te„ſtatum, ſe Regi nil damni inferre vo„luiſſe. Electorem ultro ſocietatem „belli in Poloniam ad ejusdem usque „finem obtuliſſe, ſi Warmienſis Epi„ſcopatus, ac pars Samogitiæ, ac Li„thuaniæ dentur, eorumque evictio „præſtetur. Quæ poſtulata cum enor„mia ſibi viderentur, ſuper iis mode„randis Commiſſariis ſuis injunxiſſe. „Eum porro in finem vectigalium, & „commerciorum directionem poſtu„latam, quod intelligeret, Polonis ob „directum dominium multa jura in Bo„ruſſiam competere: ſed quæ & qua„lia illa ſint, in promtu ſibi haut fuiſ„ſe, quoad utrique competentia jura „ad liquidum deducerentur. Tali ca„ſu partem unam alterius rationes in„dagare, non ut ſuis poſtulatis, ſi nul„lo fundamento innitantur, inſiſtat, „ſed ut negotio penitius inſpecto ſecu„re paciſcatur. Partem vectigalium „à ſe juſte petitam. Ea quippe à Gu„ſtavo Adolfo Rege jure belli primum „introducta: poſt cum per induciarum „pacta abolenda fuiſſent, ab Electore „hucusque nullo jure uſurpata. Ita„que fas ſibi fuiſſe, ſive jus Regni Sve„ciæ, ſeu fœdus ineundum ſpectetur, „eam quæſtionem movere, præſer„tim cum merces, quarum nomine „vectigal exigitur, æque in Regia, „quam Ducati Boruſſia proveniant, „eoque Elector iſta emolumenta ſibi „ſoli arrogare nequeat. Pillaviæ & „Memelæ cuſtodiam à ſe poſtulatam „ſecuritatis cauſa, quod Elector fœ„dus cum Belgis in fraudem Sveciæ „agitare non deſiſteret. Ejus poſtula„ti rationes dum haut conſiderant Le„gati Brandenburgici, loco reſponſi „acerbas minas, & neſcio quas è bar„barie, atque ipſo Acheronte adver„ſus ſe evocandas ſuppetias frementes „Stetino ſe propripuiſſe. Ibidem intel„lectum, copias Electoris in unum co„gi. Itaque non ſine cauſa Wittenber„gio mandatum, ut talia loquentibus, „& agentibus Electoralibus Miniſtris, „& frequentibus inter Polonum, & „Electorem commerciis ſibi proſpice„ret, & Brandenburgicos duces mo„neret, ne Boruſſiam intrent fœdere „nondum concluſo & antequam liqui„diora judicia de ſincero in Sveciam „animo ediderint, ni hoſtium loco „haberi velint. Sequenti tempore de „prioribus poſtulatis multum remiſ„ſum. Ipſum Electorem formula fœ„deris Ragoznæ oblata declaraſſe, ſe „Boruſſiam, & Warmiam à Regno Sve„ciæ in feudum recogniturum. Ter„tia vice redeuntes legatos prius pla„cita retractaſſe, aut circumſcripſiſſe; „Electorem interim Boruſſiæ Regiæ „protectionem ſuſcepiſſe, fœdusque „cum Belgis feriiſſe. Quid mirum, ſi „ipſe dixerit: ſe talia agere perſeve„rantem non poſſe non pro hoſte ha„bere? Potuiſſe Electorem intra ſim„plicis amicitiæ limites conſiſtere, & „vel danda à ſe ſcripta cautione, vel „verbo Regio intra ſuam ditionem tu„to manere. Ipſum belli ſocietatem „elegiſſe, ſerio, an ut eo obtentu citra „ſuſpicionem arma parare poſſet, „ipſum optime noſſe. Equidem Boruſ„ſiæ Ordinibus, ut defenſionem ador„narent, vitio dari non potuiſſe. Ele„ctori tamen haut integrum fuiſſe ne„gotio iſti ſe ingerere, quamdiu tra„ctatui non renuntiarit, quo utique „Boruſſia Regia ſibi conceſſa fuerit. „Quo in propoſito ita religioſum vo„luiſſe videri Electorem, ut ſibi adhuc „in Svecia agenti per miniſtrum ſuum „ſignificavit, ſe ob communem uſum „locum aliquem ad Viſtulam occupa„re velle. Quin cum Legati adhuc „Cracoviæ agerent, miſſum inſuper „Putcammerum, ut teſtaretur, ab „ipſo occupata quædam loca Boruſſiæ „Regiæ ditioni ſuæ vicina, ne collu„vies perditorum hominum hinc in„de

1655.

Electore ſi nequeo ſuperos, Acherontа movebo.

9. Aug.

Putcammer.

1655. „de nullo imperio vaga iisdem se in„funderet; qua sibi traditurus sit, ubi „fœderi ultima manus imposita fuerit. „Hunc confectis in sui præjudicium „novis fœderibus eadem loca retine„re velle. Et fœdus cum Borussis con„tra quem alium, quam se dirigi. Ista ta„men omnia oblivioni se daturum, „modo adpareat cordi esse Electori „tractatus secum concludere, nec „tempus studio teri, ut sibi opportu„nitates agendi subtrahantur, male„volis accedant. Id tamen utique se „velle, ut Ducalis Borussia eodem mo„do Sveciæ Regno innectatur, uti an„tea Poloniæ fuerat. Circa cætera, „quæ mitigari Elector cupiat, se faci„le concessurum. Si eas conditiones „respuat Elector, fieri posse ut occasio„ne tractandi irreparabili cum ipsius „damno excidat. Exprobratum quo„que Electori, quod Francofurti in con„ventu Deputatorum & alibi tantas querelas de damnis sibi à Rege in tran„situ per Pomeraniam & Marchiam Nov„am illatis moverit. Nam quas statim post eum transitum Elector literas ad Regem dederat pari questas, eas dicis causa scriptas idem significarat, & ut apud Circulum superiorem Saxonicum excusatior esset.

Elector ad tractatus urgetur.

§. 65. Cum itaque Rex una manu pacem, altera bellum ostentans cum exercitu progredi non desineret, & Electorem cum equitatu Regio monte inclusum, pabuli, lignorum, aliarumque rerum penuria urgeret, ac inde prodeunti urbs civium arbitrio relinquenda foret animis ægrorum; præsentibus malis declinandis haut aliud supererat, quam ad duros quantumvis

18. *Dec.* tractatus accedere. Reverterunt igitur ab isto Legati ad Regem, testati de serio ejusdem circa tractatus concludendos studio; simul circa capita hactenus controversa talia proponebant, è quibus spes optati exitus propius eluceseeret. Ut igitur Rex vicissim amicitiæ indiciis Electorem demulceret,

19. *Dec.* Slippenbachium cum literis Regium montem mittit, quibus istum patrinum recens nato filio adoptabat. Petebant inde Electorales, ut instante jam tractatuum fine hostilibus abstineretur. Sed quia hi nonnullis postulatis insistebant, quæ à Rege commode concedi non poterant, & Electoris turmæ passim circa exercitum Regis vagabantur, ut quid animo agitarent haut constaret: igitur Rex per 1655.
Wolfsbergium Electori significat; cupere se quidem hostilibus absistere, sed non alia lege, quam quia spes sit tractatus absque mora, & sepositis enormibus postulatis absolutum iri, ac Electoris copias intra limites suos coërcitas, propius haut accessuras. Sed si ipsius Legati himia postulare pertendant, ac ejusdem miles protervius insultet, excusatum se velle, si quid parum grati inde sequatur. Reversus Slippenbachius spem adferebat, brevi 23. *Dec.*
omnia ex voto confectum iri, si Rex Ericum Oxenstiernam Cancellarium Regium montem mittere velit, atque interim hostilibus utrinque abstineatur. Quorum utrumque Regi facile probabatur. Sic igitur ejus negotii perficiundi causa Regium montem Oxenstierna profectus est, justus insuper non sine minis demonstrare, hinc inde hostilia ab Electoralibus copiis in Svecos exerceri, cum tamen Elector ipse ut talibus abstineatur, rogaverit. Et circa id ipsum tempus sexcenti equites Brandenburgici ductu subtribuni Brunelli Regio monte prodierant, *Brunell.*
alicubi damni quid Svecis illaturi; sed qui in catervam Svecicam sexcentis equitibus Germanis, & aliquot Quartianorum centuriis constantem impacti ita excipiebantur, ut pauci admodum, iique male saucii in urbem evaderent: ipse Brunellus ad Germanos confugiens salutem impetraret, Polonis immaniter sævientibus. Quæ clades Brandenburgicis excurrendi libidinem non parum imminuit. Et hucusque ab induciis videbantur iidem abhorrere, quod Syeci in ipsorum ditione subsisterent. Sed cum Rex circa initium novi anni Welaviam, inde Groenhagam processisset, viamque si- *Groenhagen.*
bi ad invadendum Regium montem panderet, periculo propius admoto inducias demum petiit Elector, & impetravit. Per quas tamen ne in securitatem se darent, cladisque inopinæ quid acciperent, Rex suis imperabat, quod invitum ad tractatus destendere Electorem nosset. Cui tamen 4. *Jan.*
ne fidem faceret, serio à se rem agi, 1656.
Bartensteinam, inde Schippenpeilam relicta Samlandia se conferebat. *Bartenstein.* *Schippenpeil.*
Magnopere autem cupiebat Rex negotio finem quamprimum imponere, eoque cancellario injungebat quantum posset id urgeret, nec per inania

sibi

1655. ſibi illudi pateretur: ubi moras nectere Brandenburgici haut ceſſent, inde diſcederet, & ductores Svecicos, qui per inducias agminatim Regio monte agebant, moneret, ut ocyus inde faceſſent.

Tractatus agitatur. §. 66. Cæterum tractatus iſti difficulter admodum procedebant, prout ſolet apud eos, qui ad paciſcendum inviti deſcendunt, eoque quam minimo decidere cupiunt. Cumprimis in vaſallagii vinculum ægre conſentiebat Elector, quod vereretur, ne deineeps aliter quam pro Electorali faſtigio cum ipſo ageretur, malebatque intra limites æqualis fœderis, atque amicitiæ manere. Contra Rex feudalem nexum fundamenti loco ponendum contendebat mutuæ conjunctionis. Ac potuiſſe Electorem, ſi ante annum tractatus occupaſſet, quo voluiſſet modo concludere; ſed nunc temporibus mutatis feudi legem declinari non poſſe. Et tamen etiam Reges absque labe ſuæ dignitatis à Cæſare feuda recognoſcere. Cum nexus feudalis abnui amplius non poſſet, Electorales caveri cupiebant, ne ideo libertati ſuffragiorum ſuorum in Comitiis Germaniæ ferendorum quid decedat, neve ſi illa deſtinatis Regis non ſemper quadrent, diſſidii anſa inde arripiatur. Tum ſi quid unquam ab Electore, ejusve ſucceſſoribus in leges feudi commiſſum arguatur, à Rege velut directo domino nullo modo ad privationem feudi eo nomine procedi queat. Ut Electori velut domino utili uſus fructus, ſub infeudationes, jura fiſci & territorialia, & quæ ab illis dependeant, illibata perſiſtant. Ne Elector nomine Boruſſiæ inter Ordines Regni Sveciæ habeatur, nec juribus & ſtatutis ejusdem obnoxius ſit, aut in Conventibus Ordinum Sveciæ comparere neceſſum habeat: prout hactenus in Polonia primus Dux habitus, & ad Comitia Poloniæ admiſſus fuerat. Ut feudalis nexus non prius initium capiat, quam finito bello. Ut ne, ſicuti ſub Polonico ſtatu factum, Commiſſarii in provinciam mittantur variis inquiſitionibus inſtituendis, ac controverſiis Ducem inter & Ordines provinciales componendis; ſed illæ penitus aboleantur. Ut antequam intra conventum tempus inveſtitura facta ſit, penes Electoris poſteros regimen provinciæ maneat; nec intra idem Sveciæ Reges ullam ſibi directionem arrogent, etiam ubi ſucceſſorem minorennem eſſe contigerit, cui ab anteceſſoribus Ducibus Boruſſiæ quos velint tutores conſtitui poſſint, modo ad iſthæc pacta ſervanda ſe obſtringant. Ut Elector ad nihil amplius teneatur, quam his pactis expreſſum ſit. Ut de uſu portuum & participatione vectigalium ſecreto articulo disponatur, neque hæc prius uſu recipiatur, quam cum Belgis ſuper iisdem conventum ſit; tum ut vectigalia in Livonia & Boruſſia æqualia ſint. Ut auxilia de quibus ferendis conveniendum ſit, non prius repræſententur, quam præſtito vaſallagio. Ut directio militiæ, & qua ratione defenſio provinciæ adornanda ſit, in ſua ditione & munitionibus Electoris arbitrio relinquatur. Si provinciam hanc ad Regnum Sveciæ devolvi contingat, Ordinibus provincialibus jura ſua ſalva permaneant. Ut circa monetam, & tabellarios à Rege nihil novetur. Denique uti Elector Lutheranos circa ſua ſacra inturbatos relinquet, ita eidem fas ſit Reformatos tueri. Ex his nonnulla à Rege conceſſa, reliqua rejecta ſunt. Nec minus difficultatem circa Warmiam movebatur. Maluerat quoque Rex poſt factam concluſionem copias ab Electore exautorari, ac ſibi transſcribi. Aſt huic haut prudentis videbatur tam periculoſis temporibus arma exuere, & bellantium ſe libidini exponere; eoque ſatius ducebat armis retentis pro re nata in ſocietatem belli deſcendere. Ita ergo cum ad abrumpendam Electoralium tergiverſationem Oxenſtierna aliquoties diſceſſum minatus eſſet, ac Rex propius Regio monti immineret, demum negotium iſtud ad finem perductum fuit. 1655.

Fœdus inter Regem & Electorem. §. 67. Capita fœderis, quod tunc Regio monte concludebatur, huc redibant. *Amoveantur ea, quæ ſpeciem diffidentiæ hactenus invicem prabuerunt; & omnia utrinque acta adverſus commodum aut in damnum alterius perpetua oblivione ſint ſepulta. Omnis ubique hoſtilitas, & inimica actiones ac conſilia invicem ceſſent, commoda vero mutua ſedulo promoveantur. Rex militem ſuum Boruſſia Ducali & Warmia intra viginti quatuor dies à ratificatione, quæ intra quatri duum fiet, educat, relictis omnibus tam militibus quam ſe moventibus quæ quidem hactenus conſumta non ſunt, conſumto-*

ſumto-

1655. *familiorum damno utrinq; compensato. Nec ab eo tempore istis provinciis à Sveco milite tributa imponantur. Egredienti Svecico militi à Brandenburgicis annona præbeatur. Tribus legionibus assignata à Warmiensi præsulatu duodecim unciales nummi millia nec amplius exigere licitum sit. Elector contra omnem suum militem nulla amplius tributorum exactione sine damno & injuria incolarum Regali Borussia & Pomerellia educat; inprimis Marienburgo, & Slochovia, aliisque locis intra quatuordecim dies, relicto ibi commeatu, apparatuque bellico, & quæ alia ad ista loca pertinent. Qui è Polonia, & Lithuania cum rebus suis in ditiones Electoris refugerint, illis quinque septimanarum spatium sit Regis gratiam implorandi, aut sub Electoris imperium consedendi salva libertate, & facultatibus. Qui publica fide ab hostibus ad Electorem accesserunt, iis tuto abeundi sit libertas, nec minus his, qui Electorali militiæ nomina dederunt. Reliquorum, qui hisce legibus se non attemperarint, bona inter Regem atque Electorem æquis portionibus dividantur. Qui ex Ordinibus Regalis Borussiæ hactenus Electori conjuncti fuerunt, eos Rex Elector commendante in gratiam recipiat. Si cujuspiam è deditis Polonia aut Lithuania bona ab Electore detenta fuerint, protinus restituantur. Bona, jura & actiones Electoralibus subditis in Borussia Regali competentia iisdem salva sint. Omnium ante acta rum sit amnestia, nec ulli duci aut militi fraudisit adversæ partis opera quid navasse. Qui bona mobilia aut immobilia sub alterius partis ditione possederint, in integrum restituantur. Captivi omnes utrinque liberentur. Qui apud alteram partem sacramentum dixerint, illis manere ibi sit integrum.* Subscripserant id pactum à parte Regis Ericus Oxenstierna; à parte Electoris Otto L. B. à Schvverin, Laurentius Christophorus Somnitz, & Joannes Ulricus Dobrzenski.

Slochov.

Pacta feudalia. I. §. 68. Pacta autem feudalia peculiari Instrumento adornabantur in hunc sensum Quia ex parte Poloniæ „conjunctio illius Reip. cum Ducatu „Borussiæ primo est derelicta, Ele„ctor quoque non amplius eidem ob„strictus vigore hujus conventionis „pro se & legitimis suis successoribus „masculis penitus renuntiat omni de„pendentiæ, nexui & vasallagio, qui„bus hactenus intuitu Ducatus Boruss„siæ Regibus Regnoque Poloniæ ob„ligatus fuit. Illo autem vasallagii „vinculo, quo Elector hactenus Regi„bus Regnoque Poloniæ obstrictus „fuit, eodem (Conditionibus dunta„xat iis immutatis, quæ inferius ex„primuntur,) ab hoc die concluſæ „tractationis se suosque posteros Bo„russiæ Duces Regi ejusque successori„bus Regibus Regnoque Sveciæ ob„stringit, atque Ducatum suum Boruss„siæ ceu Regum Regnique Sveciæ „feudum nunc & in perpetuum recog„noscet. Intra annum à die ratihabitæ *III.* „hujus transactionis Elector, aut si ip„sum vivis interim excedere contige„rit, ejusdem ex legitimo matrimonio „descendentes masculi eo Ordine suc„cedendi, qui in Electorali Domo rece„ptus est, investituram à Rege vel suc„cessoribus ejus Regibus Sveciæ juxta „formulam conventam, & ritus, qui „hactenus inter Reges Poloniæ & Du„ces Borussiæ usitati fuerunt, petet & „impetrabit, ea tamen conditione in„novata, quod liberum sit Electori, „ejusque Successoribus vices suas in „actu investituræ legatis suis plenipo„tentiariis sustinendas demandare. „Etiamsi vero homagium corporali *IV.* „juramento fidelitatis per legatos in „animam Electoris præstandum an„nuo spatio differtur: Obligatio tamen „vasallagii à die hujus transactionis in„cipiet, adeo ut nunc statim non minus „quam in posterum Elector & inse„quentes Borussiæ Duces nihil agant, „aut in Ducatu suo constituant, quod „Regi, ejusque successoribus Regibus „Regnoque Sveciæ damno, injuriæ „aut præjudicio futurum sit. Quod ta„men ita intelligendum est, ut quando„cunque Duces Borussiæ jure suo com„petenti in administratione Ducatus „utuntur, nihil tale commisisse vide„antur. Eadem investituræ ratio con- *V.* „stanter servabitur, quotiescunque ca„sus innovati feudi contigerit, scilicet „ut intra annum innovatio feudi po„stuletur, nisi prorogationem ejus ter„minis Reges Regnum ve Sveciæ Boruss„siæ Duci ad singularem ejus requisi„tionem indulserint. In recognitionem *VI.* „tum supra dicti, tum Warmiensis quo„que feudi Elector, ejusque descenden„tes & legitimi successores masculi cir„ca extraditionem literarum investi„turæ solvent quatuor millia ducato„rum aureorum, quotiescunque inve„stitura Ducatus Borussiæ in illos ite„randa

1655. „randa fuerit. Præter iſtam ſummam
„aliis donativis in officiales Regios
„erogandis ob inveſtituræ ritus Ele-
„ctor ejusque poſteri Boruſſiæ Duces
VII. „non adſtringentur. Quoties armis in-
„feſtari, aut bello involvi Reges Re-
„gnumque Sveciæ contigerit ratione
„terrarum, quæ præſenti bello Regi
„Regnoque Sveciæ adquirentur, vel ſi
„hoſtilis aliqua vis, à prædictis terris
„arcenda erit, Duces Boruſſiæ tene-
„buntur mille peditibus & quingentis
„equitibus Regi Regnoque Sveciæ aſſi-
„ſtere, eosque usque ad terminos ter-
„rarum Boruſſiæ, & ſex hebdomadibus,
„poſtquam è finibus Boruſſiæ egredi-
„entur, ſuſtentabunt. Deinde autem
„Rex Regnumque Sveciæ de neceſſa-
„ria ſuſtentatione & ſtipendio militari
VIII. „iis proſpiciet. Quandocunque com-
„modiore ac breviore itinere exerci-
„tum aut copias militares Regum Sve-
„ciæ per Ducatum Boruſſiæ aut ali-
„quam ejus partem duci oportebit, li-
„ber tranſitus hinc inde ſine mora &
„impedimento illis pateat: ita tamen ut
„Ducibus Boruſſiæ, aut eorum vices in
„ejus Ducatus regimine gerentibus de
„illis prius ſignificetur. Quemadmo-
„dum autem absque ſumtu Ducum &
„incolarum Boruſſiæ tranſeundum erit
„prædictis copiis, ita ductoribus eo-
„rum inprimis incumbet curare, ut ab-
„ſtineatur ab omni damno & injuria
„tum incolarum, tum terrarum, quas
IX. „tranſituræ ſunt. Uſus portuum mariti-
„morum Ducatis Boruſſiæ Regibus Re-
„gnoq; Sveciæ, ejusq; ſubditis ſemper
„maneat liberrimus, ſalvis iis, quæ de
„ſolutione teloniorum infra conſtitu-
„untur, ita ut liceat navibus mercatoriis
„cujuscunq; generis eos portus ingre-
„di, & inde enavigare, vel in ſtatione &
„ad anchoras ibidem conſiſtere. Per-
„miſſum quoque ſit naves ibidem refi-
„cere, & commeatum atque alia neceſ-
„ſaria juſto pretio comparare. Eadem
„libertas maneat navibus bellicis, ſed
„his conditionibus, ut quamprimum
„anchoras jecerint, adventum ſuum in-
„dicent gubernatoribus portuum, fi-
„demque faciant per literas tuti itine-
„ris, ſe Svecicas eſſe; tum ut conveni-
„ente diſtantia, unde periculum forta-
„litiis imminere non poſſit, etſi portus
„capacitas admiſerit, extra globi tor-
„mentarii jactum commodo tamen ad
„ſtationem loco ſubſiſtant. Nec nume-
„ro militum aut nautarum, unde peri-
„culum excitari poterit dictis fortali-
„tiis, aut juſtæ ſuſpicioni cauſa præbe-
„ri, in terram ſine ſcitu & conſenſu gu-
„bernatoris Ducalis egrediantur. Ho-
„ſtibus Regum Regnique Sveciæ, ubi
„per ſpecialem ſignificationem Electo-
„ri tales eſſe denuntiati fuerint, neque
„unquam tranſitus, neque aditus ullus
„aut receptus vel perditiones terre-
„ſtres vel portus Ducalis Boruſſiæ, quo-
„ad poterint Duces ibidem id prohibe-
„re, concedatur. Cumprimis duranti-
„bus belli præſentis motibus promit-
„tit Elector, quantum in ſeeſt, per por-
„tus Ducatus Boruſſiæ Regi ejusq; di-
„tionibus nihil hoſtile intentatum aut
„illatum iri. Elector ejusq; ſucceſſores
„legitimi maſculi in nullam Regalis Bo-
„ruſſiæ partem, in cujus poſſeſſione
„vel uſu vi pactorum cum Regno Polo-
„niæ hactenus non fuerunt, jus nullum
„aut actionem ſibi vindicabunt. Navi-
„bus bellicis in Mari Baltico inſciis &
„invitis Regibus Sveciæ Duces Boruſ-
„ſiæ non utentur, ſalvo tamen jure illis
„illorumque ſubditis utendi navibus
„mercatoriis, item piſcandi, colligendi
„ſuccini, aliisque litorum juribus, quæ
„ipſis hactenus competierunt. Conve-
„nit etiam inter Regem & Electorem,
„ut vectigalia in portubus Ducalis Bo-
„ruſſiæ inſtituantur; circa quæ iſte mo-
„dus obſervabitur, ut non graviora
„onera imponantur navibus aut mer-
„cibus per Ducales portus tranſvehen-
„dis, quam in Regalis Boruſſiæ portu-
„bus exigentur, de quibus communi
„conſilio adminiſtrandis peculiari in-
„ſtrumento quamprimum convenie-
„tur. Reditus quoque omnes è teloniis
„iſtis & confiſcatione mercium atque
„navium provenientes Rex Electorque,
„& eorum utrinq; poſteri in duas æqua-
„les partes inter ſe dividant. Hoc one-
„re exemta ſint ea, quæ Regum Sve-
„ciæ & Ducum Boruſſiæ propria ſunt,
„& ad bellicum adparatum confecta
„peculiari eorundem uſui inſervientia,
„non vero ad mercatum aliquem de-
„ſtinata per dictos portus transmitten-
„tur, quorum ſingulæ ſpecies peculiari
„Inſtrumento deſignabuntur. Cætera-
„rum vero mercium, quibuscunq; na-
„vibus per portus ducales transvehen-
„darum eadem ratio in ſolutione telo-
„niorum habenda erit, quæ in cæteris
„Boruſſiæ Regalis portubus obſervabi-
„tur. Si Elector conventiones, pacta &
„correſpondentias cujuscunq; generis
„cum ullis, ad præſentes Poloniæ mo-
„tus pertinentibus perſonis aut ſtatibus
intra

1655. X. XI. XII. XIII.

1655. „intra vel extra Poloniam iniverit, vel „foedera cum aliis gentibus ſancierit, „aut hoc tempore tractanda ſuſcepe- „rit, ea foedera aut conventiones ſub „quocunque nomine aut prætextu „intelligi poſſunt, vim eatenus nul- „lam habeant à momento concluſæ „hujus tranſactionis, quatenus huic „conventioni præjudicant, & vel dire- „cte vel per indirectum Regis Regni- „que Sveciæ ſecuritati & commodis
XIV. „adverſantur. Poſt extinctos Electoris „legitimos deſcendentes maſculos cir- „ca ſucceſſionem in feudum Ducatus „Boruſſiæ, uniuscujusque prætenſio, „cui tunc aliqua in eum Ducatum com- „petere videbitur, eo in ſtatu manere „& relinqui debet, in quo fuit tempore „poſtremæ inveſtituræ à Regibus Po-
XV. „loniæ per Electores ſuſceptæ. Vicif- „ſim Reges Regnumque Sveciæ Ele- „ctorem ejusque legitimos ſucceſſo- „res maſculos in poſſeſſione juſta, ple- „na & perpetua Ducatus Boruſſiæ cum „omnibus juribus, & pertinentibus, „quibus Elector ſecundum pacta cum „Poloniæ Regno hactenus Ducatum „hunc poſſedit, & eo uſus eſt, tueban- „tur, neque illum ulla ratione in eo Du-
XVI „catu vel ejus jurium & pertinentium „uſu & poſſeſſione turbabit. Rex pro „ſe & ſucceſſoribus ſuis Regnoque „Sveciæ Electorem ejusque ſucceſſo- „res legitimos maſculos exſolvit & li- „berat in perpetuum tam annua ordi- „naria, quam extraordinaria penſione „ſeu Canone, quem hactenus Duces „Boruſſiæ Regibus Poloniæ pendere „debuerunt; tum exemptos fore de- „clarat in poſterum Duces Boruſſiæ „onere exhibendarum ad uſum Regis „quatuor navium, quo hactenus ad tu- „tandam oram maritimam Regibus „Regnoque Poloniæ obſtringebantur,
XVII. „Concedit Rex Electori, ut erigat „ſummum in Ducatu ſuo Boruſſiæ tri- „bunal, ubi de appellationibus cogno- „ſcatur, ita ut nullæ plane cauſæ, quæ „hactenus ab inſtantia Electoris ad Re- „gum Poloniæ tribunal per appella- „tionem devolvi conſueverunt, per „quemcunque modum ad Regem Re- „gnumque Sveciæ, & quodvis aliud „judicium devolvi, trahi, aut avocari „poſſint aut debeant. Id judicium Ele- „ctor cum conſilio Ordinum Boruſ- „ſiæ inſtituet, & cum cura id aget, ut „juſtitia rite adminiſtretur, & privi- „legia Ordinum legitime adquiſita, & „longo uſu obtenta, modo huic con- „ventioni non contrarientur, illæſa 1655.
„conſerventur. Elector præterea ex- „ercitium liberum invariatæ Augu- „ſtanæ confeſſionis proteget, & manu „tenebit. Ubi inter Electorem ejusque XVIII.
„ſtatus provinciales lis orta fuerit, ea „vel coram Auſtregis ab Electore & „Statibus pro æquali parte nominan- „dis componatur aut decidatur, vel ut „Elector ex ſuis Conſiliariis quoscun- „que voluerit, & totidem viros Status „nominent, quibus Rex unum jungat, „qui ejus nomine huic judicio præſit. „Omnes hi nominati viri juramento, „quo uni vel alteri parti obſtricti ſunt, „exſolventur, & alio juramento pro- „mittent, ſe inſuper habito omni alio „reſpectu ex conſcientia in cauſis con- „troverſis ſibi commiſſis proceſſuros, „& ſecundum jura deciſuros. Circa res XIX.
„Oeconomicas & quæ ad eas ſpectent, „Elector ſolus liberam habeat diſpo- „ſitionem à nemine impediendam. Li- XX.
„berum ſit Regi Regnoque Sveciæ in „Ducali Boruſſia, & vice verſa Electo- „ri in Regali Boruſſia ſi opus fuerit mi- „lites colligere, absque tamen damno „& ſumtu ejus partis, in cujus ditione „miles ille colligetur. Si miles ex unius „ſtipendio in alterius ditiones trans- „fugerit, nulla ratione admittatur in „protectionem, ſed ſine mora reſtitua- „tur. Si Electori ejusque Succeſſoribus. XXI.
„Boruſſiæ Ducibus ob hanc conven- „tionem periculum aliquod à quocun- „que in feudum Boruſſicum immineat, „Rex Regnumque Sveciæ omni me- „liore modo eum eosve proteget. Pa- „riter Elector ejusque ſucceſſores pro „virili Regi Regnoque Sveciæ aſſiſtent, „ſi occaſione & ex cauſa hujus conven- „tionis feudalis Ducatus Boruſſiæ ar- „mis hoſtilibus infeſtetur. Quod ſi au- „tem Rex in terris per hoc bellum Po- „lonicum tam intra quam extra Boruſ- „ſiam adquiſitis, aut alias ob hanc con- „ventionem in iisdem impugnetur, E- „lector ſupra dictis, quingentis equiti- „bus, mille peditibus Regi adſiſtet. Fa- XXII.
„milia Electorali Ducum Boruſſiæ ex- „tincta, ſi devolvi Ducatum Boruſſiæ „contingat in poſſeſſionem & domi- „nium utile Regis, ſtatus prædicti Du- „catus, quamprimum Regi Sveciæ vi- „ſum fuerit, juramento ſe obligabunt, „quod nulli alii quam Regibus Regno- „que Sveciæ velint adhærere, & ſuam „fidem & devotionem præſtare. Vicif- „ſim Rex nomine ſuo & ſucceſſorum „ſuorum Regum Regnique Sveciæ pro-

1655. „mittet & aſſecurabit, quod eo caſu em-
„ergente iſtorum privilegia ac jura tue-
XXIII. „ri velit. Rex Epiſcopatum Warmien-
„ſem dependentia & nexu omni, quo
„hactenus Regno Poloniæ & Epiſcopis
„ſuis devinctus fuit, liberat & exſolvit,
„jubetque ceſſare omne illud jus, quod
„ei Regno, eisque Epiſcopis in illum
„competierat; eumque Epiſcopatum
„nunc corpori terrarum Boruſſiæ exi-
„mit, ſalvo tamen dominio Regis, Re-
„gnique Sveciæ in illum directo, eum-
„que extinctis Capitulis & qualitate E-
„piſcopali, ut & incorporatis eorum
„reditibus, prædiis, juribus, & adper-
„tinentibus omnibus & ſingulis intra
„limites prædicti Warmienſis Epiſco-
„patus hactenus comprehenſis (iis ex-
„ceptis proventibus, juribus & juris-
„dictionibus, quæ extra Epiſcopatum
„ad illum aut ejus Capitula hactenus
„ſpectarunt, exceptis item locis qui-
„busdam, de quibus peculiari Inſtru-
„mento diſpoſitum eſt,) in ſeculare
„feudum convertit, idque pro corro-
„boranda magis magisque mutua con-
„fidentia inter ſe & Electorem, qua
„uterque per hanc tranſactionem in-
„vicem combinatur, Rex concedit, &
„confert Electori pro ſe & omnibus ſuis
„ex legitimo matrimonio deſcenden-
„tibus maſculis poſſidendum & eo u-
„tendum fruendum, ceu Regum Regni-
„que Sveciæ feudo maſculino. In aliam
„vero quam Electoris ex legitimo ma-
„trimonio deſcendentium maſculo-
„rum lineam ſucceſſio feudi War-
„mienſis non extendatur; ſed ſi illa ali-
„quando expiraverit in dominium uti-
„le Regis, ejusque ſucceſſorum & Regni
„Sveciæ debet revocari. Ob utrum-
„que tamen tam Warmienſe, quam
„Ducatus Boruſſiæ feudum Elector ad
„non amplius ſubſidium militum,
„quam ſupra expreſſum tenebitur, ſed
„iisdem feudi conditionibus iisdem-
„que prærogativis Warmienſem di-
„tionem ac Ducatum ſuum Boruſſiæ
„poſſidebit & reget, ſalvis ſtatuum &
„incolarum ibidem privilegiis, quate-
„nus ſecularisationi huic & conven-
„tionibus cum Rege initis non adver-
„ſantur. Ea conventio intra quatridu-
„um ratificanda & permutanda erat.
„Subſcripſere iidem, qui ſuperiorem.

7. Jan. 1656. *Pactum peculiare ſuper Warmienſi Epiſcopatu.*

§. 69. Super Warmienſi præſulatu peculiare pactum adjiciebatur, quo Rex ſibi reſervabat Capituli Canonicalis ſedem Frauenburgum cum præfectura cognomine, ita ut oppidum iſtud cum præfectura penitus à Warmienſi Principatu ſeparetur, iis quibus nuperrime limitibus comprehenſa. Sed ſi qui reditus extra eam præfecturam ad Capitulum Frauenburgenſe pertinuerunt in aliis Warmienſis præſulatus locis, illi utique ad Electorem pertinere intelligerentur. Braunsberga autem ea lege à Rege Electori conceditur, ut quantocyus munitiones diruantur, præſidio inde educto, nec unquam eædem inſtaurentur. Inſtrumenta ad Warmienſem Præſulatum ſpectantia, quatenus Electori conceſſus fuit, quæ Frauenburgi aſſervantur, Electori tradentur. Regi porro intuitu oppidi & præfecturæ Frauenburgenſis nihil juris competat in ulla loca, reditus, aut jura in reliquo Præſulatu Warmienſi ſita, quæ antea ad Epiſcopum aut Capitulum pertinuerant; nec vice verſa Electori quid in loca, reditusque oppidi & præfecturæ Frauenburgenſis. Quod ſi Epiſcopus & Capitulum Warmienſe jura quædam aut reditus extra limites ejus Præſulatus hactenus habuerunt, illorum nihil Elector ſibi vindicabit, ſed penes Regem eadem deinceps manebunt. Perfectis hiſce pactis Elector mox Regem Bartenſteinæ inviſit, ubi quinque dies inter ipſos per omnia ſinceræ amicitiæ ſigna fuerunt exacti. Ac plurimum ſibi ad ſummam rerum profeciſſe videbatur Rex tam potenti Principe non ſolum circa Poloniæ, ſed & Germaniæ res rationibus ſuis adjuncto, ſimul multas invidorum machinationes deſtruxiſſe, quarum fundamentum Elector iſte adverſas Sveciæ partes ſectatus ſtatuebatur; inter quos tunc peculiaris quædam amicitia, eminentium utrinque virtutum æſtimatione conſtans, coaluerat. Ac ſperabantur iſtius exemplum Poloni quoque proceres mox ſecuturi; ſic ut Carolo Guſtavo ad adquirendum Poloniæ Regnum vix quidquam prætet ritum coronationis deeſſe videretur, ſuper quo etiam adornando jam agitebatur.

1655.

Joannes Caſimirus vires reparat.

§. 70. Enimvero Joannes Caſimirus interim è Sileſia, in quam profugerat, animos Polonorum iterum ſibi conciliare, & auxilia undique excire allaboraverat, cui & ipſa fortunæ adverſantis ſævitia apud plerosque civium contractam antea offenſam in commiſerationem verterat. Simul proceres collapſas ipſius res omni ope erigere ſtudebant, qui recenti ſub imperio veterem

1655. terem ſibi libertatem & autoritatem haut permanſuram metuebant. Et plebem ubi prima è conſternatione ſe recepiſſet, mox Svecici militis tædium ſubire cœperat; qui recens fere in Germania ſcriptus ſola prædæ cupidine ducebatur, & acri quantumvis diſciplina ita coërceri non poterat, quo minus provincialibus moleſtus eſſet. Ac ipſi provinciales hinc inde in militem palantem ſævientes hujus ultionem irritabant. Accedebat pecuniæ tenuis paratus tanto bello haut ſufficiens; unde neceſſum erat per ſtativa, & novos ad delectus aut ſupplementa gravibus exactionibus dedititios onerare, ductoribus aſſignatas ſibi pecu-
20. Nov. nias rigide exigentibus. Joannes Caſimirus quoque Oppela ad univerſos Poloniæ Ordines literas emiſerat, quibus culpam calamitatum Poloniæ hactenus incumbentium à ſe amolitus, præſentis ſtatus miſerias exponit, & ad vindicanda avita ſacra, & libertatem hortatur; anteactorum omnium oblivionem pollicitus, ac perduellis loco habendum minatus, ſi quis hiſce literis non paruerit, aut deinceps Svecorum partibus adhæſerit. Sed & acres ſtimulos plebis animis ſubdebant ſacerdotes Romanis ritibus metuentes qui templa nonnulla, in quæ res ſuas provinciales congeſſerant, direpta magna cum invidia differebant. Quartiani quoque ſub Potocio, & Landſcoronſcio, cum pecunia, quam fido ſuo militi ſubtractam Rex ipſis dederat, avaritiæ eorundem non ſufficeret, fremebant; cum pecuniam non accipiant, non amplius Carolo Guſtavo ſe obſtringi; ac liberos ſe homines, & quibus facere liceat, quod velint, juramenti religione inter inania habito. Et eo latius iſta labes ſerpebat, quod Carolo Guſtavo longe in Boruſſia abſente nemo eſſet, qui motuum initia opprimeret. Igitur iſti Lublino, ubi ſtativa iisdem aſſi-
Tyſſevice gnata erant, longius Tyſſevicum retro Zamoiſciam in Ruſſiam penetrabant, provinciales paſſim in Svecos incitantes. Ipſi novo in verba Joannis Caſimiri juramento concepto prioris juramen-
19. Dec. ti vim eliſum ibant, ſimul literas pub„licabant, quibus Svecicam ſe prote„ctionem ſubiiſſe agnoſcebant, ſervan„dæ vitæ & fortunarum reliquiis; „ea tamen conditione in animo re„ſervata, ut eousque Sveciæ Regi ob„ſequantur, quoad felicior occaſio „ad priorem redeundi Principem „proveniat. Nunc igitur flexis ad 1655.
„obſequium Joannis Caſimiri civium „animis exuto violento imperio ad „vindicanda ſacra, & libertatem ac„cingi. Inde multis invecti in petulantiam militis Svecici omnes ad ſumenda arma hortantur; ſi qui abnuerint, Tartarorum rapacitati, & ſævitiæ exponendos. Hi quippe promiſſis Polonorum, & juſſis Turcarum Imperatoris ad auxilia Polonis ferenda ſeſe accingebant, inſuper habitis literis, quas Rex Carolus Guſtavus ad iſtorum Chamum dederat, quibus de magna Poloniæ parte ſubacta ſignificarat, hortatus ut amicitiam cum Sveciæ juxta ac Poloniæ Regno inſtitutam conſervet, neve Joanni Caſimiro auxilium ferat; ſimul diploma tuti itineris pro legato, quem ad ipſum miſſurus ſit, petens. Ita Potociano milite deficiente, ac provincialibus paſſim inſurgentibus, ſimul rumore de adventu Tartarorum ſparſo confuſa rerum facies per ſuperiorem Poloniam ſurgebat; quæ tamen parum terrebat Regem, quod judicaret, in Tartarorum auxilio haut ingens momentum fore, & Polonos mox iſtorum tædium ſubiturum. Ac ſi præcipuæ urbes obtineantur, in proclivi fore confuſam turbam iterum ejicere. Unde Duglaſſio, qui cum parte exercitus circa Sendomiriam hærebat, impera-
21. Dec. bat, pedites & machinas, ubi Tartaros ingruere ſentiat, ei oppido includat: Ipſe cum equitibus verſus Burchardum Mullerum ſe recipiat, cui mox Guſtavus Otto Stenbockius ſeſe ſit juncturus, ac ſeipſum tempeſtive adfore. Mullerus ad Petricoviam, Poſnaniam, & Coſtenam ſtativa capere jubebatur, ſi Nobiles per Majorem & Minorem Poloniam quibus cum Joanne Caſimiro commercia miſcebantur, movere ſe ſentiat, & conglobatos repente opprimere. Etſi Duglaſſius defectione Potocii & Tartarorum adventu cognito, qui per inſidias ipſum opprimere inſtituerant, mature ſecum ſuis Sendomiria Lovvicium receperat. Sed & quia Georgius Lubormirſcius, aliique Polonorum proceres ad Carpathios montes auxilia contrahebant. Rex Paulo Wirtzio præcipiebat, ut Cracoviæ quantam poſſet annonæ vim congereret ſuſtinendo in longum obſidio. Nam ut vim militis ad oppugnanda munita loca parum idonei ſuſtineret, in proclivi rebatur. Sub finem

anni Joannes Caſimirus Rex Glogovia minore cum centum equitibus in Cepuſienſem Comitatum profectus eſt, ut cum Lubomirſcio, aliisque proceribus ſe conjungeret, inde ad Potocium & Tartaros transgreſſurus. Hunc ſucceſſum iſto anno bellum Polonicum ſortitum eſt.

Rex Cæſari cauſas belli Polonici probare ſtudet.

§. 71. Cæterum iſthoc bellum uti totius Europæ animos adverterat; ita apud plerosque ſuſpicionem, invidiam, metum, apud paucos favorem excitarat, quorum illos delinire ac placare, hos propius ſibi innectere Rex laborabat. Ac Cæſari quidem non poterat non id bellum ſolicitudinem injicere ob contiguam tanto tractu provinciis ſuis Poloniam; ubi plurimi adhuc Svecici nominis favorem nondum exuerant, ſacris ſuis libertatem eorum præſidio ſperantes. Ac metus erat, ne forte Rex magnanimus bellum in Germania, quod invitus poſuiſſe credebatur, ſuſcitare iterum aggrederetur; ſi occaſio arrideret. Igitur Rex uti alios apud Germaniæ Principes literis, & per Legatos teſtatus fuerat de ſtudio ſuo pacis Weſtphalicæ leges ſancte
18. Jul. obſervandi; ita prolixis literis Wolgaſto ſcriptis Cæſari cauſas ſumtorum in Polonos armorum expoſuit, ac pacem ſibi cum ipſo & imperio concluſam perſtituram confirmavit. Paulo poſt &
Biſchof. ꝛc. Steno Bielkius Viennam mittitur, apud Cæſaris filium Leopoldum gratulandi officio functurus de aſſumto Hungariæ diademate, de quo Cæſar literis ſuis Poſonii datis Regi ſignificaverat. Eo in itinere iſte Saxoniæ Elec-
27. Jun. Presburg. 31. Jul. torem ſalutare, ſimul eidem cauſas belli Poloniæ illati, ac ſtudium colendæ cum Germania pacis exponere jubebatur: & quia Brandenburgici Legati Stetino re infecta diſcedentes aſperiora dicta, ac minas jactaverant, cum de Pillavia, & Memela in cautionem tradenda mentio fieret, ſuis verbis iſtum rogare; Brandenburgicum ad pacifica conſilia impelleret, ac cum primis moneret, ne intra imperium quid in Regem tentaret. Ne tamen oſtenderet, jam offenſæ quid Regem inter, & Electorem interveniſſe, ſed illum velut in longum proſpicientem prævenire velle, ne pravi Conſiliarii hunc in transverſum agant. Denique ut Saxo delectibus Regis faveat. Apud Cæſarem eidem mandatum de cauſis belli Polonici, ac de religioſe ſervanda pace Weſtphalica repetere; ſimul rogare, ut ſi qui Ordines Imperii bello iſti ingerere ſe aggrediantur, Cæſar id ſua autoritate prohibeat, quod iſtud bellum à rebus Germaniæ plane ſeparatum ſit. Denique expiſcaretur, quid Aulæ Cæſareæ ſuper armis Regiis videatur, & quæ ibi conſilia agitentur. Cæterum Dresdæ Bielkius Saxonem ſenio gravem, & neptis connubio, quod hic magno ſibi honori ducebat, delinitum, Regisque rebus ſat faventem inveniebat. Unde cum Cæſarei ad conſcribendas copias iſtum impulſum irent, præfracte id abnuebat, hoſtem ſibi eſſe negans. Et cum quidam Conſiliarii Cæſareis partibus addicti inſtarent, ut ſaltem Svecicos delectus inhiberet, ne id quidem annuebat, jactans; cum ipſe milite non utatur, ſe non prohibiturum, quo minus qui velint Svecicam militiam ſequantur. Displicebat id Saxonis in Svecos ſtudium Cæſari, eoque veritus, ne quid forte gravioris negotii ibidem ſtrueretur, Sternber- *Sternberg.* gium Comitem Dresdam allegabat expiſcaturum, quid rerum Bielkius propoſuiſſet. Apud eundem quoque Brandenburgicus de auxiliis inſtiterat, aut ut ſaltem militis conducendi copia ipſi fieret; quorum utrumque abruptere jectum; ac bello non neceſſario potius abſtinenduus. Super delectibus tamen permittendis ſvadente Reinholdo Tau- *Taube.* bio Aulæ præfecto Bielkius apud Electorem aperte haut movebat; ſed ſatius viſum citra ſtrepitum iſtos peragi, Electore connivente, ut ſi Cæſar eo nomine expoſtularet, liquido aſſeverari poſſet; Electorem à nemine ſuper eo negotio compellatum, multo minus id cuipiam indulſiſſe. Etſi multis ſuis vaſallis veniam iſte daret ſub Rege Sveciæ ſtipendia faciendi, cum iſto in Electoratu nulli vaſallo alienam militiam ſequi liceat absque permiſſu Electoris ſub pœna confiſcationis bonorum, ſcripta quoque cautione interpoſita de reditu, ubi ab iſto revocetur. Aſt Vien- 7. Oct. næ Bielkio verba honoris pari menſura reponebantur tam apud Cæſarem, quam Hungariæ Regem. Cæterum nemo fere miniſtrorum Cæſareorum 10. Oct. cum ipſo colloqui audebat, & ex iis, quos ipſe inviſerat, eundem honorem nemo reponebat, præter Legatum Venetum, & Principem Aurſpergium, ac *Bucheim. Aurſperg.* Bucheimius id officii à ſe omitti excuſabat declinandæ ſuſpicioni. Sane manifeſtum erat, ingentem tunc metum à Svecis per Cæſareas provincias fuiſſe, ne

1655. ne forte facta repente cum Polonis pace in has ſeſe effunderent. Viciſſim Cæſareus Miniſter Franciſcus Liſola Stetino literis ad Regem datis petierat, ſibi indicari, ubinam locorum ageret; quod injunctum ſibi à Cæſare ſit ipſum adire. Aſt Rex Joannem Oxenſtiernam juſſerat hujus negotium expiſcari. Si enim nil haberet magni momenti quod proponeret, iſtius iter ad ſe diſuaderet obtentu ſumto, quod Rex nullibi locorum quietus perſiſtat, & forte hac hieme in Sveciam trajecturus ſit rebus ibi ordinandis.

Cæſar à Polonis ſolicitatur. Læben. Sept.

§. 72. Contra Cæſarem cum Rege committere laborabat non ſolum Elector Brandenburgicus, miſſo Viennam Lœbio Barone, ſed & cumprimis Epiſcopus Culmenſis, qui literas Viennam adferebat à Joanne Caſimiro Rege & viginti duobus Senatoribus ſubſcriptas, auxilium adverſus Svecos flagitantes; ſimul Cæſari, ejusque poſteris Coronam Poloniæ jure hæreditario offerentes, modo coronationis ritus differatur, quamdiu Joannes Caſimirus adhuc in vivis ſit: interea temporis directionem belli, negotiorumque pacis penes Cæſarem fore. In eam rem afferebat cautionem ab octodecim Præſulibus ſubſcriptam; ſed qui haut quidquam ſufficientes judicabantur, ut univerſos Ordines repræſentarent. Ac metus erat, ne depulſa neceſſitate Polonis libido decederet præſtandi, quæ rebus anguſtis obtulerant. Eo intellecto Svecicus miniſter Svederus Diterici-

Kleihe.

cus Kleihius apud Cæſarem inſtabat, ne Polonis aurem præberet ad abrumpendam cum Rege ſuo amicitiam. Cui Cæſar: non mirum eſſe miſeros auxilium undique expoſcere. Cæterum ſe nihil amicitiæ cum Svecia adverſum ſuſcepturum. Aſt Cæſarei, etſi tam plauſibilis Polonorum propoſitio ſalivam moveret, tamen cum procuratorium haut perfectum agnoſcerent, ac nonnulli Palatinorum, qui ſubſcripſerant, Svecis ſe jam dedidiſſent, ſimul Caroli Guſtavi progreſſus indies gliſcerent, oblata acceptare detrectabant; præſertim quia & nuperum cum Svecis bellum magnam partem ab auxilio Polonis adverſus eosdem lato promanaſſet. Sed nec Polonos ita prolixe de Auſtriacis meritos; ac nondum memoria excidiſſe; quid quondam Maximiliano Sigismundi competitori factum. Po-

Cæſaris conſiderationes.

lonos quoque olim inducias in Boruſſia feciſſe excluſo Cæſare, ut tantum non ſtudio Guſtavum Adolfum huic immiſiſſe videantur. Quod ſi bellum novi Hungariæ Regis Leopoldi nomine ſuſcipiatur, velut ad Imperium & Cæſarem nihil ſpectans, metuendum eſſe, ne Carolus Guſtavus iſtarum ſubtilitatum ſecurus recta ipſum Cæſarem petat. In ditionibus hæreditariis multos eſſe, qui præſentem conditionem ægre ferant. Si cum Svecis bellum ſuſcipiatur, Hiſpanis auxilium deinceps ferri non poſſe: ita apud hos partam hucusque gratiam conſumi. Igitur potius viſum tantiſper Svecorum teſtationibus adquieſcere: interim defenſionem omni modo adornare, legiones ſupplere, adparatum bellicum in promtu habere; & quoad occaſio matureſceret in arma erumpendi expectare. Ferebatur Cæſar Pontificem conſuluiſſe, num oblatam à Polonis coronam acceptare debeat; idque hunc ſuaſiſſe, inter alias hac ratione uſum, quod Carolus Guſtavus iſtis victoriis haut diu gaviſurus ſit, velut qui exemplo Guſtavi Adolfi caput ſuum ita audacter periculis objiciat.

Rex denuo Cæſari ſcribit. 25. Oct.

§. 73. Poſt captam Cracoviam Rex denuo ad Cæſarem literas dabat, de ſucceſſibus ſuis ſignificantes, ac ſe ipſius reſpectu Joanni Caſimiro in Sileſiam refugo haut inſtitiſſe: Simul petebat, ne quid ſibi hoſtile ex ipſius ditionibus inferatur. Gemina Kleihius ſermone exponebat. Cui à Cæſare reſponſum: *amicitia ſignificationem gratam eſſe, & cupere ſe omnem ſincera benevolentia affectum reponere. Ex legibus amicitia, & communi jure factum, quod Rex Joannem Caſimirum intra ipſius ſe ditiones recipientem perſecutus non ſit. Ac uti ſibi cura ſit futurum, ne ſuis è ditionibus Regi noxa quid inferatur; ita ſperare à Svecis in Polones profugos intra ſuos limites nihil tentatum iri.* Sed quid ad literas Regis reſponderetur, haut in expedito erat. Nam ut Cæſar Regi de partis victoriis gratularetur, affectus proprius, & ſacerdotes, quibus obnoxius agebat, non patiebantur. Nec tamen ſilentio dolorem pandere, & offenſam incurrere placebat. Ac videbantur iſtæ literæ multa quidem verborum humanitate conceptæ tentandi Cæſaris gratia ſcriptæ, ut reſponſum

1655. ſponſum eliceretur, quod poſt in hunc torqueri poſſet. Tandem cum Rex Joannes Caſimirus per Joannem Baptiſtam Viſcontium Reſidentem Cæſaris officium bello componendo expoſceret, hic ita reſponſum temperabat, ut in neutram partem affectus emineret; ac non niſi pacis ſtudium oſtentaretur, cui conciliandæ Franciſcum Euſebium Pœttingium Comitem Bohemiæ Procancellarium ad ipſum miſſurus ſit, ſuper loco ac tempore tractatus acturum.

Viſconti.

Pætting.

Brandenburgicus Cæſarem in Svecos incitat. Bonin.

§. 74. Sed & parum tunc Viennæ profectum à Brandenburgicis Legatis Lævio, & Bonino, qui magno conatu Cæſarem in Svecos incitabant, jactantes, Electorem omnes ſuas fortunas cum Cæſare conjuncturum; & eas eſſe iſtius vires, ut facile Boruſſiam adverſus Svecos tueri poſſit. Ea res propoſita fuit in ſecretiore conſilio, cui & Nuntius Pontificis, Legatus Hiſpanicus, Epiſcopus Viennenſis, & duo Jeſuitæ adſtiterunt. Ubi ſacerdotes quidem, & nonnulli Conſiliarii abrumpi cum Svecis pacem ſuadebant. Sed contradicebat Hiſpanus, cui & ipſe Cæſar adſtipulabatur. Nondum ſe bello paratum; & armis intempeſtive arreptis ſe ſuasque ditiones ancipiti aleæ expoſiturum. Argenti copiam in promtu non eſſe; nec cum Ordinibus imperii ſuper armorum conjunctione conventum. Si Sacerdotes bellum ſuadeant, quartam redituum partem ab ipſis eſſe exſolvendam; tum viam comminiſcendam, quomodo animi Germanorum in tres partes circa ſacra diviſorum conciliari queant. Igitur in præſens tutius videbatur Carolo Guſtavo per alios negotium faceſſere, ut Cæſareas provincias invadendi oblivio ſubiret. Tum conſilia cum Hiſpanis, Pontifice, Gallis, Belgis, Danis, Moſcis miſcere; Turcæ Svecorum potentiam ſuſpectam reddere, ac eundem monere, ne Rogozium cum iſtis arma conjungere permittat, incuſſo quoque metu, ne Svecus univerſorum armorum colluviem in Turcam effundat. Et Rex ipſe judicabat, Cæſarem haut temere rebus tam proſpere fluentibus aperta via ipſum invaſurum, ſed alios potius, ac præcipue Danum, Moſcumque in Sveciam ſtimulaturum. Cum tamen audiret in Cæſareis provinciis delectus fervere, ac apud Wratislaviam ponte navali Oderam inſterni, ſimul Melchiorem Hazfeldium cum aliquot legionibus in Sileſiam miſſum; Duglaſſio & Mullero injungebat diligenter quid in Sileſia agatur obſervare, ac ſi Cæſarei in Poloniam irrumpere aggrediantur, ad Petricoviam contractis copiis reſiſtere; tum præcipua Majoris Poloniæ loca, ac limitem verſus Sileſiam præſidiis probè firmare. 1655. *Breslau.*

Rex Moſci amicitiam conſervare ſtudet.

§. 75. Cum Moſco ut amicitia conſtaret Regi magnopere curæ erat; qui paratis per Livoniam armis non leviter commovebatur, velut in ſe deſtinatis. Sed cum eadem in Polonum verti conſtaret, adquieſcere viſus eſt. Rex quippe literis ad Czarem Alexium Michaëlovicium datis retulerat, „Polonis pacem hactenus cordi non „fuiſſe, eosque potius occaſionem ca„ptaſſe prava ſua conſilia in Sveciam „armis exſequendi, damnis ſubinde „illatis. Nuper quoque Morſteinium „à Joanne Caſimiro literas attuliſſe „ſibi non leve præjudicium adferen„tes. Ita demum neceſſitatem ſibi „allatam proximas Sveciæ provin„cias Polonicas invadendi. Id quod „illi pro amicitia mutua ſignifican„dum duxerit, poſtulare, ducibus „ſuis imperet, ut deinceps quoque „amicitiæ commercia cum Svecicis „colant, id quod & ipſe ſuis præ„ceperit. Eas literas Joannes Roſelindus Moſcoviam perferebat, in quibus Czari novus titulus dabatur, cui Provinciæ nuper Polonis ereptæ inſerebantur, excepta appendice de regionibus ad occaſum ſitis, quæ in fraudem Sveciæ aſſumta videbatur, cum Moſcoviæ ea parte nihil terrarum, præter Livoniam & Ingriam objaceat. De cujus omiſſione ſi Moſci moveant, ipſe defectum mandati excuſaret; cæterum ſolennem Legationem, quæ in Moſcoviam mittenda ſit, iſta expedituram. 29. *Mar.* *Roſelind.*

Legatio in Moſcoviam von Eſſen.

§. 76. Ei legationi obeundæ deſtinatus erat Guſtavus Bielkius Senator, Alexander Eſſenius ſummus excubiarum præfectus, & Philippus Cruſenſtierna. His injunctum poſt ſolennia ſalutationum de pace æterna ſervanda confirmare, prout cautum

eſt,

1655. eſt, ſi alterutro in imperio novus Princeps regimen ſuſcipiat. Quo fine & literæ, queis pacem confirmari inter eas gentes ſolenne eſt, utrinque permutandæ erant. Privata audientia extollerent ſtudium Regis circa colendam cum Czare amicitiam, ſimul memorarent cauſas belli Polonis illati; qui cum nunc communes ſint hoſtes Sveciæ & Moſcoviæ; id vinculi inſtar eſſe debere ad adſtringendam harum inter ſe conjunctionem. Eoque Regem Ducibus ſuis præcepiſſe, ut cum Moſcis omnia amicitiæ officia exerceant, quibus gemina ab hiſce expectet. Volebat porro Rex, ut Legati ſui quantum poſſent iter accelerarent præventuri, ne forte Moſcos inter & Polonos properata tractatio ſuſcipiatur, & ut expiſcarentur, quid Cæſaris negotiatio apud Moſcos parturiat. Ab hoc quippe duo Legati, cum arma Poloniæ à Rege inferri conſtaret, magnis itineribus in Moſcoviam tendebant, Alegrettus ab Alegrettis, Monachus Franciſcanus Raguſa oriundus, Linguæ Slavonicæ peritus, & Dietericus *Lorbach.* Lorbacus Baro Auſtriacus. His, ſi forte maturam pacem Moſcos inter & Polonos conciliatum irent, antequam Rex deſtinatis ſuis potitus eſſet, Legati Svecici obſiſtere jubebantur. Quod ſi Czar de conjunctione armorum adverſus Polonos urgeat, reponerent; ignotam fuiſſe Regi Czaris ſuper hoc negotio ſententiam, eoque nihil certi mandati ſuper eodem dari ſibi potuiſſe. Sed ſi Czar Legatos ad Regem viciſſim mittere velit, ea de re propoſituros, ſine dubio omnia ex voto confectum iri. Poſtularent inſuper, ut Moſcici Duces cum Svecicis conveniant, ne unus in alterius hoſpitia ſe ingerat, neu tutelaris invicem miles turbetur. Denique ut Sociorum Regis, Brandenburgici, Curlandi & deditiorum terris Moſcicus miles abſtineat. Cum interim belli initia Regi ſupra votum ſe darent, Rex eos ſucceſſus velut contra communes hoſtes Czari per literas communicabat. Simul Legatos jubebat omnem iſti ſuſpicionem & invidiam inde conceptam adimere, eundemque impellere, ut is Legatos ad Regem ſuper armorum conjunctione mitteret.

§. 77. Enimvero jam mature apud Moſcos erumpebant indicia animi in Svecos parum æqui; qui & ſucceſſibus adverſus Polonos immane quantum inflati Czarem *Juſti Solis* vocabulo extollebant; ac ſuper recuperanda Ingria, aliisque locis crepabant. Querelas quoque movebant aliquot Polonos Nobiles in Livoniam refugos ex ea provincia Moſcis damnum inferre. Id quod Guſtavus Hornius offenſæ vitandæ illis interdicebat, & ut Livonia excederent, aut in penitiora ejus provinciæ loca ſe abderent, ne Svecis turbarum anſam præbeant. Mordebat quoque Moſcos interceptum à Svecis Duneburgum, quod à ſe fruſtra licet tentatum velut ſuum jam reputaverant. Nam Naſſokinum ad oppidum iſtud occupandum accedentem Comorovius depulerat. Unde cum de eodem capto Levvenhauptius literas ad Naſſokinum dediſſet, miſſo Roſelindo interprete, teſtatus id non ad offenſam Moſcorum, ſed tuendis Livoniæ finibus factum; Ruſſus quidem id ſibi haut diſplicere ferebat, quod hoſpitia ipſorum circa Roſitam interpoſitu Svecorum adverſus Polonorum invaſiones tegantur, & libera jam Dunæ navigatio Rigam verſus ſit. Aſt apud alios acriter eundem hoc ſuper facto queſtum conſtabat, ſuperbis verbis jactitantem, eam ignominiam ſeſe haut inultam laturum. Nam in procinctu fuerat ad oppidum id denuo oppugnandum, ſed cum à Svecis idem præreptum audiret, omiſſa ea expeditione intra ſtativa ſua quieſcebat, interim magna Moſcos cura agitabat, ne Sveci fœdere cum Polonis inito junctim ipſos invaderent. Qua tamen eos adventu ſuo in Livoniam liberabat Magnus Gardius, qui ſtatim de ſtudio Regis amicitiam cum Czare colendi teſtabatur, ac ſolennem Legationem mox adfore. Cui Plescoviæ Guber- *Pleſcov.* nator amice reſpondebat; & juſſu Czaris omnia ad iſtam honorifice recipiendam parata eſſe. Mittebatur quoque Joannes Roſelindus cum literis ad Czarem, quibus de cauſis belli Polonici exponebatur, juſſus ſimul animum Moſci erga Sveciam penitius explorare. Is igitur cum Plescoviam veniſſet, deprehendit, Regis ſucceſſus per Poloniam & Lithuaniam Moſcis valde diſplicere, iisdemque ingentes

1655. *Moſci averſos ſe Svecis oſtendunt.*

Jam.

1655. ſpiritus ob expugnatam Vilnam acceſſiſſe. Ac ſubinde ſciſcitabantur, num Regi animus ſit dedita per Livoniam Polonicam loca tueri? Cui hic reponebat: non dubitare ſe, quin Czar amico Regi eam fortunam favore Numinis obveniſſe gaviſurus ſit. Iſta ſi quis alius invadere audeat, Regem utique parta tuiturum. Ac perſuaſerant ſibi Moſci, quia Rex de colenda amicitia teſtabatur, ipſum occupata Livonia Polonica Ivanogrodam, aut Nœteburgum Moſcis viciſſim obiturum. Idem, cum Moſcis novum titulum obtendentibus ad Legatorum adventum rejiceret, hique parum hoc modo ſibi ſatisfieri oſtenderent, interrogabat; num nullas plane literas absque novo titulo acceptare velint? Ea ſi mens Moſcis ſedeat, Svecos ſcriptionem omiſſuros. Quo dicto Pleſcoviæ Gubernator perſtrictus paulo mitius, ideo literarum commercia haut abrumpenda dicebat. Eidem Smolenſcium delato ſuper Czaris novo titulo itidem controverſia movebatur: quæ hoc temperamento tunc componebatur, ut iſthoc in actu minor Czaris titulus adhiberetur. Cæterum multa eo tempore à Moſcis contra pacta agebantur, quæ ſatis animum paci averſum arguerent. Inter quæ erat, quod Regi Carolo Guſtavo vocabulum *Domini* in titulo bis tribuere abnuerent; ac apud Cæſarem, Brandenburgicum, Venetos, & Belgas titulum Livoniæ uſurparent, quo tamen in perpetuum quondam renunciaverant. Literis quoque ad Turcam Czar ſe Dominum totius Germaniæ vocitabat, quo nomine Sveciam & Finnoniam notabat. Patriarcha Moſcoviæ diœceſi ſuæ Ingriam, & Rexholmiam accenſebat. Literis ad Regem Sveciæ ſcriptis data opera Regis titulum ſub Sigillum ſuum deflectebat, velut eum hoc modo ſibi ſubjecturus. Qui Regios ablegatos & nuncios excipere ſolent, (Preſtavos vocant,) hos, ut ſiniſtrum ipſis latus tegerent, magna cum importunitate compellebant. Inprimis altius penetrabat, quod novo tituli augmento Czar ſibi adſcriberet multas regiones verſus occaſum totumque latus ſeptentrionale; tum hæreditarium ſe Dominum & Succeſſorem ferret regionum & urbium, quæ ad Ruſſiam & anteceſſores ſuos quondam pertinuerant. Quotannis quoque initio jejunii ſui Lutheranos velut hæreticos, canes, & Ethnicos Moſci exſecrabantur. Qui noſtratium in Moſcoviam negotiandi cauſa proficiſcebantur, variis moleſtiis afficiebantur, obſcœno canis convitio ſubinde adſperſi, ac ſi apud Magiſtratus quererentur, inſuper irridebantur. Ubi quis noſtratium Moſcum occidiſſet, in loco ſupplicii pronunciabatur: hunc hæreticum atque infidelem cædem hominis Chriſtiani feciſſe, eoque nomine moriendum ipſi eſſe. Ex hiſce igitur aliisque indiciis judicabat, Gardius, Moſcum nil amici animo volvere, eoque Regem per literas conſulebat, num ſalva ipſius autoritate Legatos iter ingredi expediat, antequam de Moſci animo liquidius conſtet. Quibus literis ſero ad Regem perlatis hic reſpondebat: ſi Guſtavus Bielkius adhuc in Livonia agat, omiſſo in Moſcoviam itinere Warſaviam ad ſe accederet, ubi quid ulterius agendum, ipſe deliberaturus ſit. Nam initio menſis Auguſti Gardius alias literas ad Moſcorum Duces dederat, quibus ſignificarat, Lithuanos Sveciæ Regis imperio ſe ſubmiſiſſe, eoque poſtulabat, ut omnibus dedititiis velut Regis amici ſubditis abſtineant: abs ſe viciſſim amica omnia expectent. Super finibus in Lithuania regundis Legatos acturos. Eas literas Moſci amice, & non ſine lætitiæ ſignis acceptaſſe videbantur: ſuisque imperaverant, ut omni hoſtilitate adverſus Lithuaniam Svecis ſubjectam, ipſosque Svecos abſtineant. Simul literis publicis haut aliud quam continuationem amicitiæ ex legibus æternæ pacis præ ſe ferebant. Nec eo ſecius tunc Legatus à Czare ad Radzivilium venerat in hujus ipſum partes pertracturus, cum iſte jam Svecicam protectionem ſuſcepiſſet.

Ivanogrod. *Nœteburg.*

1655.

12. Oct.

§. 78. Enimvero Legati Svecici, blandis Moſcorum literis inescati, ſimul veriti, ne ſi poſt adventus ſui denuntiationem longiores moras necterent, Moſcis ſuſpicionem injicerent velut revocati forent, allatis quoque jam à Pleſcoviæ Gubernatore literis, omnia ipſis recipiendis parata, iter Riga ingrediuntur, ac Moſcoviæ in urbe ſolito honore excipiuntur. Eo tempore Czar adhuc in Lithuania aberat, qui menſe demum Decembri ad urbem accedebat. Erumpebant ſtatim non panca ſiniſtri ſucceſſus

Legati Svecici in Moſcoviam proficiſcuntur.

7. Sept. 28. Octob.

1655. ceſſus indicia. Nam per totum Czaris imperium decimus quisque militiæ adſcribebatur, & quinta bonorum pars tributi nomine imperabatur: quo adparatu adverſus Poloniam plane peſſundatam opus non erat. Nec diſſimulabant Moſci, ſibi diſplicere, à Svecis Lithuaniæ protectionem ſuſceptam. Siniſtre quoque acceptum, quod Sveci Legati Czaris ingreſſum in urbem ſpectare noluerant, id quod Cæſarei fecerant. Etſi Sveci excuſarent, parum ſe decorum judicaſſe in publicum prodire, antequam à Czare auditi ſint. Tabellarius quoque ipſorum Tverææ detinebatur, ac ea de re querentibus reſpondebatur, ſuis quoque Legatis Holmiæ non permiſſum tabellarios in Ruſſiam mittere. Sane ipſos plena agendi facultate inſtructos, ac citra nova mandata facere & omittere poſſe, quæ velint. Cum etiam Legati querelas moverent, ſuis non permitti in urbem pro lubitu exire, reponebat Cancellarius, qui anno 1649. Legatus Holmiæ fuerat; Axelium Oxenſtiernam tunc ſibi occinuiſſe; *ad loca extera proficiſcentem non adferre mores oportere, ſed ibi ſumere.* Demum poſt Cæſareos ad Czarem deducebantur Legati, apud quem Guſtavus Bielkius memorabat imperium à Rege ſuſceptum, & quam cupidus ille ſit cum Czare pacem æternam & amicitiam colendi, cujus & confirmationem ſecum attulerit. Secreto colloquio idem proponebat; *mutuam amicitiam Svecia juxta ac Moſcovia fuiſſe utilem, quam & Rex omnibus modis conſervare cupiat, præſertim poſtquam uterque Princeps bello adverſus communem hoſtem ſit implicitus; qui perculſus licet non tamen plane ſpernendus ſit, ſed junctim perſequendus.* Ad quæ à Moſcis nil aliud repoſitum, quam eſſe quidem iſtum perſequendum, ſed ita ut ne ipſi inter ſe ideo collidantur. Exhibebat inde Bielkius Moſcis catalogum querelarum de transfugis non redditis, de regundis finibus, de commerciorum libertate impedita, & quod Sveci per Moſcoviam negotiantes contra pacta in jus trahantur, maleque habeantur, poſtulata ſatisfactione pro iis, qui læſi fuerint. Sed circa titulum maxima difficultas ſurrectura videbatur, cui Moſci jam Lithuaniam quoque intexuerant. Etſi Sveci in literis, queis pax æterna firmabatur, circa nova Moſci additamenta huic conceſſerant, quæ citra præjudicium Sveci concedi poterant. Enimvero ne quod operæ pretium à Svecis fieret, Cæſarei Legati in cauſa erant, quos Sveciæ malum machinari non obſcure pellucebat frequentibus cum Moſcis congreſſibus nocturno fere tempore, eo ſecretius, quod Alegrettus cum iſtis citra interpretem loqui poſſet. Qui & Moſcis inculcaverant; vetus id Svecis eſſe, profligatis ab altero bellis ſe immiſcere, & alieni laboris fructus intercipere. Sed & longe majore honore Cæſarei mactabantur, quam Sveci, quos Moſci variis ſubinde moleſtiis vellicabant. Cum itaque hi bellum in proximum annum ſumma vi pararent, quo id ſpectaret, jam non obſcurum amplius erat. 1655.

Tver.

19. Dec.

§. 79. Sed & nova controverſia, cum jam Legati fines Moſcoviæ ingreſſi eſſent, ſurgebat circa Braslavienſes diſtrictus oppida Drujam, Driſſam, & Icaznam; quorum hæc Moſci quidem eminus aſſultaverant, non tamen ceperant; ſed Drujam direptam & incenſam iterum deſeruerant, civibus in Czaris verba non adactis. Poſt cum iterum Moſci viderentur ingruere, oppidani Svecorum auxilium implorabant, à quibus præſidium oppido impoſitum. Mox à Magno Gardio Ulenbrockius miſſus eſt ad Braslavienſem diſtrictum in Caroli Guſtavi ditionem accipiendum. Ad quem Roſitæ præfectus Naſſokinus cum trecentis equitibus amici ſpecie accedebat, petitoque colloquio Drujæ cives Czari juraſſe contendebat. Id quod, præter paucos quosdam captivos, cives ſe feciſſe negabant. Nec eo ſecius Naſſokinus ejus loci reſtitutionem urgere, fremens; Drujam Czar habeat, an minus, parum intereſſe. Sed longe gravius eſſe, quod Sveci pacto Reidani concluſo Czarem perjurum hoſtem vocitarint; quod Rex Sveciæ Lithuanis quæ ad Czarem ſpectant donarit; quod huic Lithuaniam præripuerit, cui ſubigendæ is valetudinem impenderit, propriasque ditiones exhauſerit. Id oppidum niſi intra menſem reſtituatur, vi ſeſe idem recuperaturum. Sed & alibi paſſim indicia erumpebant animi Svecis infenſi. Rex tamen colliſionem cum ea gente omni modo declinare cupiens ducibus ſuis injunxe-

Alia cum Moſcis controverſia.

1655. rat, Moscis significarent: Regem non prohibiturum, si qui è deditiis suis Lithuanis Czari se subjicere velint, modo Mosci non prohibeant, quo minus & ex occupatis per ipsos partibus qui velint ad nos concedant, quoad super finibus partarum utrinque terrarum transactum sit. Qua super re tractatus quamprimum cum ipsis esse instituendos. Quæ tamen omnia haut quidquam infesta istorum destinata infringebant.

Rex amicitiam cum Danis conservare studet.

§. 80. Cum Dano ut amicitiam conservaret, neve hic conatibus ipsius se objiceret, Rex summopere studebat; inprimis ne pateretur Belgas classem in Mare Balticum Polonis sublevandis immittere. Itaque cum animadversum esset, glisente apud Svecos armorum paratu, Danos metuere, ne à Belgis bellica classis in Oresundam veniat obtentu præsidii onerariis navibus præstandi, Magnus Durellius Svecicus in Dania Minister id ausum apud Regem exaggerare jubebatur, illumque obfirmare, ne idem permittat. *Esse id cum periculo ipsius Daniæ conjunctum, & hoc modo fretum magis Belgis quam Danis subjectum fore. Quin facto à Belgis initio plures classes eodem posse pertrahi, quibus in quasvis Daniæ partes facilis excensio sit. Ac non posse non eam rem Svecis secus suspicandi ansam præbere.* Quos Belgarum conatus vehementer sibi improbari Dani initio testabantur. Mox cum Polonicam expeditionem ingrederetur Rex, Durellius de ipsius destinatis, bellique causis Daniæ Regi significare jussus est, simul explorare, an & quousque hic cum Svecia conjungere se velit ad defensionem Maris Baltici; id quibus conditionibus commodissime adornari possit, si declarare eidem placeat, Regem isti facile candorem instituti sui probaturum. Sed si Danus mentem suam priore loco pandere abnuat, confirmaret, Regem non dubitaturum super conditionibus fœderis primo loco proponere. Et quia Dani ægre ferebant, à Svecica classe ad oram Gedanensem vectigal exigi, idem demonstrare jubebatur: quia Gedanenses oblatam sæpius compositionem cum Rege repudiaverint, non alio ipsos modo in ordinem potuisse redigi. Quanquam ista Danorum offensa paulatim subsidere videbatur, quod occluso eo portu Nobiles Dani pinguius lucrum è frumento suo sperarent, cujus hoc anno uber proventus fuerat. Mentione fœderis à Durellio injecta Fridericus Rex eidem se pronum declarabat; ut tamen à Carolo Gustavo prius super ejusdem legibus panderetur. Nec mora, ab hoc ad Durellium capita fœderis mittuntur, quæ huc redibant; *Mutuum utrinque commodum quæratur; damnum avertatur, collato certo auxiliorum numero: uterque Regum ad alterius Regnum defendendum contra quoscunque invasorum teneatur. Ne extrancæ classi bellica permittatur Mare Balticum introire: neu alteri ejusdem maris accolæ præter ipsos liceat classem habere; quem in finem certus numerus militum & navium auxiliarium sit definiendus. Id fœdus non præjudicet alterutrius eminentiæ & juribus quibuscunque, ac à neutro fœdus cum quopiam circa Mare Balticum ineatur in alterius fœderati fraudem; ac si quod jam initum sit, eidem renuntietur.*

Oresund.

1655.

Negotiatio circa fœdus cum Danis. Gerstorf.

§. 81. Durellius ista mandata executurus Joachimo Gerstorfio Proregi significat, Carolum Gustavum pronum esse arctiori fœderi cum Dania concludendo, si ab hac ejus conditiones exponantur. Id gratum sibi Gerstorfius testabatur, ac Fridericum Regem cum Senatu certas leges concepisse, tum designasse, qui cum ipso agerent. Addebat; Danicos in Belgio Ministros acriter contendere, ne classis in Oresundam mittatur, id quod contra Brandenburgici valde urgeant; ne Svecis suspicandi ansa præbeatur, ac Dania forte intempestivo bello implicetur, Durellio istis consiliis valde adplaudente. Cæterum primo congressu Durellius Danorum super fœdere mentem nosse cupiebat. Reponebat Gerstorfius, cum Sveciæ Rex fœdus priore loco obtulerit, par esse ab eodem initium fieri conditiones expromendi. Durellius ad id paratum se ferebat, sed commodius fore conditiones utrinque exponi, ut è facta invicem collatione de exitu judicare liceat. Petebant dehinc Dani dierum aliquot dilationem propter absentiam Regis, & plerorumque Senatorum, quod ea res nondum plene in Senatu disceptata sit. Altero congressu Durellius Danis cum id peterent, & suam sententiam statim quoque se exposituros pollicerentur, capita

30. Octob.

1655. pita fœderis concepta ſigillatim laxis duntaxat verbis recitabat; quæ iſti diligenter annotabant, reſponſum propediem polliciti. Aptabantur inde utrinque fœderis formulæ, ubi circa tria potiſſimum diſcrepabatur. Dani quippe fœdus hoc ad Oceanum Septentrionalem & Occiduum extendi volebant, & ut Angli quoque ac Belgæ ad idem invitarentur; tum prioribus fœderibus nihil præjudicii adferretur, jactantes, ſe ſancte ſervatis aliorum fœderibus oſtendere velle, quid facturi ſint, ſi fœdus cum Svecia perfectum fuerit. Et quia ipſi unice pacem reſpiciant, haut lubenter materiam belli cum Belgis ſtruere velle, quod ſerius ocyus ſurrecturum videatur. Quæ poſtulata ut declinaret, Durellius Rex jubebat, ſimul demonſtraret; ſi Svecia ad defenſionem Oceani Septentrionalis adſtringenda ſit, Daniæ quoque viciſſim incubiturum onus Albim & Viſurgim tuendi. Nec in præſens ullum circa id mare periculum eſſe; ac tali conventione Anglis Belgisque ſuſpicionem injectum iri. Alios porro in fœdus defendendi Maris Baltici trahere neque neceſſarium, neque tutum eſſe, & cum grandi præjudicio utriusque Regni conjunctum. Poſtremum autem Danorum poſtulatum ita moderandum videbatur Regi, ut omnia pacta, quæ iſthanc Maris Baltici defenſionem claſſiumque exterarum excluſionem impediant, irrita ſint. Interea fœderis concluſionem urgere jubebatur, ac ſciſcitari, num forte Legatos ad locum tertium mittere veſint eidem ſolenniter abſolvendo. Aſt Dani poſt factam à Svecis ſuper fœdere propoſitionem ulterius progredi nolebant, quoad perſpicerent, num iſtis ea res cordi ſit; ac ſi animadvertant, à Svecis tantum tempus extrahi, pro re nata conſilium capturi erant, Belgarum interim favorem omni modo ſibi pignerare ſtudentes. Id porro facile obſervabatur, Danos de Durellii negotiatione ſibi perſuaſiſſe, id ab eo agi, ut blandis verbis ipſos demulceat, quoad Svecis occaſio naſcatur Daniam invadendi. Eoque anxie apud ipſum inquirebant, num ſerio res eidem agatur, aut num infeſti quid à Svecis ſibi immineat. Qui cum conſtanter de Regis ſui amicitia confirmaſſet, Dani adquieſcere viſi ſunt; & ipſe Fridericus Rex parum circa id negotium ſolicitus idem plane ad Senatum rejiciebat. Etſi periti rerum judicarent, Danos defenſioni ſuæ invigilaturos, quamdiu Svecorum arma florerent; ſed hiſce languentibus & ipſos erupturos, quod utique ſerius ocyus cum Svecis committendi ſint. Unde & Regis Sveciæ declarationem ſuper propoſitis à ſe capitibus fœderis avide expectabant, pro captu conſilia inituri. Et ſpes erat rumorem claſſis Belgicæ proximo vere adventuræ Svecis ſtimulos ſubditurum ad cariùs ipſorum amicitiam æſtimandam. Interim in ſequentem annum defenſioni neceſſaria ſolicite parabantur, populo magnam vim pecuniæ conferente. 1655.

§. 82. Cæterum Danos inuſitatus per Sveciam armorum adparatus non levi metu perculerat, ne forte in ipſis ea faba cuderetur. Qui tamen exoleſcebat, cum Poloniam peti conſtaret. De cujus ſucceſſu ipſi parum liberaliter ominabantur, quod omnes Sveciæ Ordines magnitudine tributorum & vectigalium exhauſti juxta infenſique agerent, magna quoque Nobilitatis parte animis ægra ob revocationem bonorum olim donatorum; unde Rege abſente, eoque improli facile inteſtinas turbas in Svecia ſurgere, & hanc in eum revolvi ſtatum poſſe, qui ultimis Caroli IX. annis, & primis Guſtavi Adolfi fuerit. Ita Svecos ad turpem pacem adactos Daniæ non amplius fore metuendos. Simul quia Axelius Oxenſtierna fato functus erat, à Rege Imperii recente, ac novis Miniſtris haut ſolita antea Sveciæ maturitas conſiliorum expectabatur. Inde juſſu Regis per Durellium ſuper deſtinatis in Poloniam Dano indicium fiebat, addito petito, ne ipſe Polonis auxilium ferat, ac aliis id volentibus iter terra marique claudat; ſimul ut de ipſius amicitia ſecurus ſit. Cui à Daniæ Rege liberaliter reſponſum. Et quia Durellius rogaverat, ut Rex Daniæ impediat, ne Belgæ claſſem armatam Baltico Mari immittant; hic pollicebatur, ſe iſtis conatibus per Miniſtros ſuos pro virili obſtiturum, demonſtraturumque, pacta conventa inter ſe & Generales Ordines in nullius fraudem inita, eoque concedi non poſſe, naves bellicas juſtæ claſſis numero in Mare

Danorum motus & conſilia circa bellum Polonicum.

12. Junii

1655. Balticum penetrare; ac ſi ejusmodi claſſis veniat, tranſitum eidem haut conceſſum iri. Nec eo ſecius menſe Julio Cornelius Trompius cum ſex navibus bellicis in freto adpellebat, præſidio mercatoriis navibus, uti ferebat, futuras. *Tromp.* De quo querebatur Durellius, demonſtrans; non poſſe non id ſuſpectum eſſe, cum nullum ex Oceani periculum ſit, ac Daniæ ipſius interſit, ne alii Baltico in Mari poteſtatis quid ſibi arrogent. Ad quæ à Danis reſponſum: Regem Miniſtris ſuis Hagæ injunxiſſe, ut miſſionem claſſis impedirent: quibus Ordines Generales repoſuerint; tres duntaxat aut quatuor naves ſe miſſuros, quæ nihil formidinis aut ſuſpicionis injicere poſſint; nec Regi de adventu iſtarum prius conſtitiſſe, quam in freto adpulerint: & optare, ut ubivis potius terrarum iſtæ ſint. Nec easdem in Mare Balticum niſi vi perrupturas, vi utique abs ſe opponenda. Revera tamen Danorum Miniſtri in ſpeciem miſſionem claſſis diſſuaſerant, ſed clam Brandenburgicos inſtigarant, ut eandem tanto acrius urgerent. Cum tamen Durellius inſtaret, ut è freto Trompius faceſſere jubeatur; Dani abnuebant, quod ſibi haut expediat Belgas offendere, aut ab iisdem ſe disjungere, quamdiu de Svecorum amicitia ſibi non ſatis cautum ſit. Etſi Senatus Sveciæ à Durellio rem acriter nimis urgeri judicaret, velut tantillus navium numerus ab ipſis metueretur. Accedebat inde in Daniam Henricus Canafilius à Poloniæ Rege miſſus, qui de lubrico ejus Regni ſtatu exponebat, facile peſſum ituri, ni eidem vicini ſubveniant: quo ex incremento Svecia cum aliis vicinis, tum Daniæ præcipue deinceps prægravis ſit futura. Cui reſponſum: moleſtam ſibi eſſe Poloniæ calamitatem; ſed diſpiciendum ſibi prius, quid alii in ejus gratiam facturi ſint: tunc enim ſe quoque quantum res ferat collaturos. Sed & non parum Danos à Cæſare in Sveciam ſtimulari conſtabat; qui tamen in præſens nec ipſi inter ſe ſatis concordes Svecorum ſucceſſus aliorumque motus ſpeculabantur, pro re nata & ipſi conſilia capturi.

Rex Belgas deliniri nititur.

§. 83. Belgas, ne deſtinatis ſuis obſiſterent, præcipue verebatur Rex; quibus demulcendis mittebatur Guſtavus Sparrius Laurentii F. Is publice de ſtudio Regis circa colendam & augendam cum illis amicitiam teſtabatur, addita gratiarum actione pro officiis circa componendas turbas Bremenſes præſtitis. Secreto congreſſu adimendæ iſtis ſuſpicioni exponebat neceſſitatem parandorum armorum ob bella vicinorum finibus jam Livoniæ advoluta. Nam ſecuritatem & rationes ſtatus haut permiſiſſe, ut dum vicini de ſumma rerum certant, ipſe manibus in ſinum demiſſis deſidens ab illorum libidine dependeat, cum formidandus Sveciæ ſit futurus, utri de altero victoria obtigerit. Moſco quippe prævalenti ſubire deſiderium poſſe provincias quondam amiſſas recuperandi. Polonos, fortuna adverſus Moſcos favente, veteres in Sveciam controverſias perſecuturos. Quanquam autem nondum arma in alterutrum decreta ſint, ſi tamen ad manus perventum fuerit, Regem commercia haut turbaturum, quæ ut floreant, ipſius quoque quam maxime interſit. Huic magna vis verborum ſpecioſorum, re inanium, fuit repoſitum; cum revera parum gratus ipſis eſſet ejusdem adventus, quem eo duntaxat fine miſſum credebant, ut ipſis fucum faceret, ne ad commoda ſua obſervanda mature invigilarent.

1655. *Sparr.*

Belgarum in Regem machinationes.

§. 84. Enimvero Belgæ acri ſuſpicione perſtringebantur, cum Poloniam, & cumprimis Boruſſiam à Carolo Guſtavo peti innoteſceret. Eam ob cauſam amicitia cum Brandenburgico affectabatur, quod expediret iſtis, à Principe minus potente portus Boruſſiæ obtineri; cui & ſtimulos ſubdebant; ut omni vi obſiſteret, ne Sveci Boruſſia potiantur, neve his Pillaviæ uſum concedat. Ac decernebant Ordines provinciæ Hollandiæ, fœdus cum Brandenburgico ad conſervationem portuum Boruſſiæ eſſe adproperandum, & fœdus defenſivum cum Gedanenſi civitate ineundum. Tum ut armatæ naves in Oreſunda conſentiente Dano excubent, quoad de eventu deſtinatorum Svecicorum conſtet. Mandata inde ad Legatos ſuos in Gallia & Anglia dabant, ut explorarent, num Rex Sveciæ ibide ſuis conſiliis ſignificarit; num hiſce ibi faveatur; num quid eidem auxilii inde ſit expectandum; num ſiniſtre ibidem acceptandum

5. Maji.

1655. dum fit, ſi ipſi opera Brandenburgici Svecorum deſtinata ſiſtant, ac an non potius ipſorum conſilia fulcire velint. Neoporto cumprimis in Anglia Legato injunctum Protectori demonſtrare, quantum ipſius interſit Svecorum conatus coërceri; idque facile per commune fœdus inter Angliam, Daniam & Belgas obtineri poſſe. A quo tamen hic abhorrebat; ac Dano id præmaturum videbatur, velut qui periculo proximus primum aſſultum excepturus eſſet. Ita porro magnifice de claſſe ſua Belgæ ſentiebant, ut jactarent, ea adparente Svecicas naves nulla tentata pugna in portus ſuos ſe abdituras. Gedano quoque parum metuebant, quod abunde temporis eidem foret defenſionem adornandi, & quia nondum ipſorum auxilium imploraverat. Eoque ſegnius circa claſſem armandam laborabant, perſuaſi, Sveciæ non ſat opum eſſe tanto exercitui alendo, qui ſub hiemem ultro dilapſurus ſit, modo Poloni munitas urbes tueri queant. Regi porro per Nicolaum Heinſium Reſidentem ſuum denuntiabant; ſicuti ipſi ſperent, arma ejusdem in detrimentum ſuæ Reipublicæ ac civium haut ſpectare; ita nec idem ſiniſtre quid ſuſpicaretur, ſi naves bellicæ præſidio onerariarum in fretum Danicum mittantur. Nullo autem modo vectigalia in Boruſſia tolerare decreverant, ne ſuis impenſis arma Svecorum alerent, extrema potius omnia tentaturi. Canaſilio tamen à Polono ad ipſos miſſo, qui ut mari Svecos diſtraherent petebat, non niſi laxioribus verbis reſponſum. Ac mirabantur, ita ſegniter à Polonis rem agi, eosque primum ictum excipere velle; tum de fœdere antea deſignato haut pro conditione temporum ſatagi. Cum Brandenburgico tamen fœdus demum abſolvebatur, quod data opera exordio carebat, ne verba quædam eidem inſererentur, Sveciæ Regem irritatura. Ei fœderi ut & Danus ſeſe adjungeret, Belgæ acriter inſtabant; hac inter alias ratione uſi, quod Cromvellus caverit, ſe cum Svecis nihil tractaturum in Belgarum fraudem. Judicabant porro cordatiores Belgarum, Carolum Guſtavum in præſens à Polonis honeſtiſſimis conditionibus pacem obtinere poſſe, eamque ut amplectatur, magnopere è re ipſius eſſe. Sed 1655.
ſi de ſubigenda Polonia cogitet, futuro anno gravia obſtacula reperturum à Cæſare, Dano, Anglis, Belgis, ipſoque Turca, cujus interſit, ne Polonia in potentioris Regis manus proveniat. Ipſam quoque Poloniam eſſe corpus vaſtum, nationem licentiæ ſuetam, coërcitu difficilem. Et poſſe Carolo Guſtavo magnos initio progreſſus obtingere, ſed qui ad diuturnitatem valituri non ſint, ob intrinſeca obſtacula, & externos hoſtes. Forte tamen Boruſſiam obtineri poſſe, ſi ea ſola petatur, opportuno Sveciæ poſitu, proventuque uberem, nec arduæ nimis tutelæ. Sed & Conradus Beuningius multa de paupertate, & impotentia Sveciæ declamabat, quæ contemni facile queat, eminente cumprimis Amſtelodamenſium in Svecos odio, quod præter Beuningium Nicolaus quoque Heinſius accenderat, atrocia de offenſa Regis in Hollandos ſcriptitans. Ordines tamen Generales cautius agebant, ne juſto longius progrederentur, ac bellum terreſtre ſibi attraherent, à quo vehementer abhorrebant; & quia Cromvello haut ſatis fidebant. Demittendo tamen in Daniam Beuningio decernebatur, ut hic omni ope impediret, ne Sveci in Mari Baltico potentiores fierent, utque Danus in Sveciam incitaretur, ſive Cromvellus ſimul in partes deſcendat, ſeu minus, quod crederent Dano adjuncto ſe ſufficere ad leges Sveciæ præſcribendas.

§. 85. Contra Haraldus Appelbomius Regis Hagæ Miniſter hujus juſſu Belgas edocebat de cauſis belli; ac diffidentiæ tollendæ oſtendebat; hoc „bellum ipſos non tangere, ac Regi „fœdere exemplo anteceſſorum ſuorum amicitiam cum ipſis colere. Simul monebat, ne huic bello ſeſe immiſceant, cum Rex eorum commercia haut turbaturus ſit; ac uti amicitia cum Svecis multum emolumenti Belgis, ita & hoſtilitatem gravia utrinque incommoda parere poſſe. Fœderi tamen Brandenburgico, & miſſioni claſſis in Oreſundam publicæ ſe opponere haut conſultum ducebat. Nam neque preces, neque minas adhibere decebat; & quo acrius contra luctaretur, eo ſuſpectiora Regis deſtinata redditurus erat, inani verborum effectu, ubi de ipſorum lucro agi adpareret.

1655. pareret. Obliqua tamen via fœdus cum Brandenburgico extrahere conabatur, hunc ſuſpectum reddendo velut ipſos cum Svecis committere agitantem, quo Arauſionenſis iterum ſublevaretur. Simul Ordines Cliviæ inſtigabantur, ut ſupra infractione ſuorum privilegiorum querelas moverent, quæ præſtanda Belgæ receperant. Ad extremum tamen fervor Amſtelodamenſium fœdus iſtud pervicit. Adverſus miſſionem claſſis perfidos ſibi homines inſinuabat; operam ipſos ludere, cum Rex Viſtulam ſupra Gedanum in poteſtate habeat, eoque jam commercia pro lubitu temperare queat. Danos & Anglos in neutram adhuc partem inclinare. Quod ſi ſoli Belgæ hoſtes ſe declarent, terra à Svecis negotium iisdem faceſſi poſſe. Denique Regem literis ad ipſos ſuis
18. Aug. declaraſſe; apud ſe plus amica via, quam per violentiam obtineri poſſe, & quia Belgæ Sequeſtres ſe inter Carolum Guſtavum & Polonos latuti dicebantur, Rex Appelbomium non acriter reniti jubebat, ſed tantum levi brachio monere, tractatus jam citra ſequeſtrium operam ſuſceptos, ac fortaſſe decentius ita abſolvi poſſe. Et quando omnia bello ardeant, tractatus cum pompa in caſſum ſuſcipi.
27. Sept. Idem dehinc per libellum Ordines Generales monebat; *ne in ſiniſtram partem ipſi accipiant, quod Rex claſſem ſuam ad portum Gedanenſem collocarit. Id quippe factum ipſorum Belgarum exemplo, qui bello Hiſpanico navigationem ad portus Flandriæ occluſerint, cum ipſi merces terreſtri itinere eodem importarent; qui & noviſſimo cum Anglis bello navigationem ad tria Regna Britannica prohibuerint. Igitur quid ſibi licere putarent, id in aliis nefas haut ducerent; præſertim cum Rex commercia in Mari Baltico haut quidquam impedire, ſed jure gentium licentiam pro modica recognitione ipſorum exemplo indulgere inſtituat.* Enimvero ſurdis narrabatur fabula, ac aperte fremebant Belgæ, nullo modo ſe iſtud vectigal toleraturos. Qui tamen ipſi Gedanenſes idem vectigal irritum rediderant, ac in hiemem ruerat annus, placuit demum Trompium è Dania demum revocari, & claſſem, quæ parabatur hac hieme ſubduci: tum Legatos ad Sveciæ, & Daniæ Reges mittendos, & proximo vere claſſem in promtu habendam, qua utendum ſit, prout res per hiemem ſucceſſerint. Eodem 1655. anno id quoque infenſi à Belgis Sveciæ illatum, quod hujus colonos Novi Svecia plane ejecerint, cujus Gubernator Riſingius cum triginta ſex hominibus menſe Decembri Pleimuthenſi in portu Angliæ adpellebat. *Riſing.*

§. 86. Adverſus Belgas ut ſe firmaret, eorumque machinationes eluderet, Rex Oliverii Cromvelli Angliæ Protectoris arctiorem conjunctionem affectabat; cujus obtinendæ ſpem æmulatio inter eas nationes, & è recenti bello adhuc fumantia odia faciebant. Ut igitur Anglorum animos venturæ legationi ſolenni præpararet Rex, Petrum Julium Cojettum eo præmiſerat. Prætextum ſumebatur, ut ratificationem fœderis cum Witelocio icti exigeret, & ibidem nondum definita abſolveret. Circa iſtam jubebatur modeſte tentare, num in utroque exemplo Regis nomen præponi poſſet, id quod in fœdere Gallicano factum dicebatur. Saltem ut idem, quod circa Galliæ atque Hiſpaniæ Reges obſervaretur. Tum ut Anglis perſuadere conaretur, ut commercia ſua cum Moſcis à Fano Archangeli Narvam & Nyam transferant. Imprimis adornari curaret catalogum mercium bellicarum, ne ea res bello poſt orto controverſiam pariat. Et quia Roſenvvingius Miniſter Danicus adquieſcere noluerat, pacta inter Danum & Protectorem minore Sigillo obſignari, ſed majus Sigillum utique poposcerat, idem ipſe quoque obſervaret. Deſtinata inſuper Belgarum de claſſe in Oreſundam mittenda Anglis ſuſpecta redderet, quod non poſſit non hiſce fraudi eſſe, ſi Belgæ ampliorem ſibi poteſtatem in Mari Baltico arrogent: ſimul exploraret, num Cromvello lubido ſit huic Belgarum conatui frangendo fœdus cum Rege inire, ex quo Anglis inſigne emolumentum, & prærogativæ quid præ Belgis provenire queat. At ſi iſte huc deſcendere nolit, ſaltem Belgas à noxiis Sveciæ conſiliis averteret. Denique cauſas belli Polonici exponeret, ac plebis in Anglia averſionem à Polonis aleret, ſpe facta melioris conditionis circa commercia Borruſſiæ, ſi Rex ea provincia potiatur. Quo fine quoque in animo Cromvelli refricaret memoriam crudelis perſecutionis Scotorum, quæ ante quadriennium in Polonia contigerat. *Anglorum amicitia affectatur.* *Nyen.* *Contrabande.* *Roſenvving.*

§. 87. Poſt

1655. *Fletvvodus in Angliam mittitur. 15. Maji. Fletvvood.*

§. 87. Post quoque eodem missus est Georgius Fletvvodus supremus vicarius, cujus frater Carolus Cromvelli gener multa ibi autoritate pollebat. Privata ipsius negotia prætendebantur: cæterum explorare jubebatur Cromvelli animum, eidemque stimulos addere ad arctius cum Rege fœdus, utrique nationi proficuum futurum. Quam tamen rem caute tractaret, ne Cromvellus suspicetur id magis ob peculiare Sveciæ, quam commune commodum quæri, aut quod Regi cordi sit molesto ipsum negotio implicare, aut ab ipso enormia consilia agitari. Quod si animadvertat Cromvello fœdus ejusmodi arridere, quæ conditiones ei placeant expiscaretur. Tum si quæ sit suspicio ob parata à Rege arma eximeret; nec commercia Anglorum in Mari Baltico & Borussia detrimenti quid captura, bello licet Polonico exardescente. Denique delectus sexies aut octies mille Scotorum promoveret.

Christiernus Bondii in Angliam legati mandata.

§. 88. Sed solennem Legationem obibat Christiernus Bondius Senator, ut honorem ob missum Witelocium Cromvello reponeret, ac amicitiam inter duos populos arctius adstringeret. In mandatis illi datum, quæ fœderi cum Witelocio concluso deerant supplere: ne inter merces bellicas censeatur cuprum, ferrum, pix, frumentum, ligna, præcipue merces è Svecia exportari solitæ; sed tales duntaxat, quæ peculiariter ad usum belli jam adaptatæ sunt. Tum ut formula diplomatum concipiatur, quibus nautarum tuto itineri caveatur: ut civibus Sveciæ satisfiat de damnis novissimo inter Anglos & Belgas bello datis: item quibus legibus naves bellicæ in alterius portus accedere debeant. Jubebatur quoque agere de permittenda navigatione in Americam, & ut Nova Svecia ibi conservetur; de piscatione halecum sub litoribus Angliæ, & Scotiæ: ut navigatio in Moscoviam à Fano Archangeli in Ingriam & Livoniam pertrahatur; quo fine & Anglis aliqua moderatio vectigalium offerenda sit, præsertim si circa piscaturam halecum, & navigationem Americanam faciles se præbeant. Etsi jus liberæ stapulæ non facile permissurus erat Rex, præsertim cum publico exercitio sacrorum conjunctum; sed summum, quod concedendum videbatur, erat domicilium pro recondendos ipsorum mercibus, quas in Moscoviam importare, vel inde exportare velint, ac ut eodem jure & conditione utantur cum Sveciæ civibus, exemti ab oneribus civilibus, ac ut in majore quantitate civibus ac Moscis vendere queant. Sed præcipuum negotium erat Cromvellum permovere, ut si quis in Mari Baltico adversus Regem quid tentet, ipse auxilium ferat; tum ut bello hocce justo & necessario in Poloniam suscepto Anglicana Respublica neque palam neque oblique hostibus, malevolisque Regis ope consiliove adsistat, sed potius huic faveat; quo fine certus modus auxilii ferendi sit definiendus. Et quia extera classe in Mare Balticum perrumpente non possint non commercia turbari, Cromvellus suis sumtibus quamdiu opus fuerit viginti circiter naves bellicas exhibeat, sociis navalibus instructas, & è placito Regis rem gesturas, quibus Rex militem impositurus sit. Ut Cromvellus fretum Gallicum & Oceanum tutum præstet, ne Svecorum navigatio abs quopiam turbetur, salvo de cætero cujusque dominio Maris. Ut Regi integrum sit in Anglia militem, navesque conducere præscio Protectore. Ut si fieri queat, Cromvellus prærogativam aliquam Svecis in Anglia & subjectis provinciis præ aliis nationibus indulgeat, ut si non plane indigenis Anglis æquentur, saltem in aliquo loco, aut certa portione minus onerentur, quam alii extranei. Ad isthæc obtinenda primo demonstraret justas causas, quæ Regem ad movendum bellum Polonicum impulerint, quod Angliæ nil plane suspicionis excitare queat. Tum quanta utilitas sit commercii ad Mare Balticum, & quantum divitiarum Belgæ tot per annos ex eo ceperint; quam dites regiones eo mari alluantur, quam utilibus ac necessariis mercibus eædem exuberent, in quod ingentes lacus ac fluvii effundantur majore numero, quam in quemvis alium maris sinum. Id commercium Regem in pensationem dictorum postulatorum Anglis indulgere paratum esse præ cæteris nationibus in illis portubus, quos in potestatem redacturus sit, relicta quoque Gedani Anglorum quæ nunc est

1655.

1655. ſtapula, & ut hi Svecis ibi æquiparentur. His acceſſura quoque erat in aliis Sveciæ portubus ea immunitas, qua aliæ Svecorum naves, quas ſemiliberas vocant, gaudeant; quin & eadem cum Svecicis navibus conditio, modo & Angli noſtratibus aliis in locis parem libertatem tribuere, aut alias noſtrorum commerciorum incrementa procurare velint. Si Angli cum aliis bello implicentur, Regem ipſis Mare Balticum, & Oreſundam liberam præſtiturum. Integrum quoque fore Anglis ſtapulam ſuam Gedano Rigam transferre. Quod ſi gratis naves bellicas præbere nolit Cromvellus, certam pecuniam in ſingulos menſes iisdem promitteret. Fœdus id in decem annos concluderet, quod neutrius partis fœderatis & amicis fraudi ſit. Has tamen conditiones non omnes una vice proponeret, ſed quantum poſſet iſtas parce diſpenſaret. Quia etiam Belgæ eo tempore fœdus cum Gallo, Dano, Anglisque agitare dicebantur ad impedienda Regis deſtinata, Bondius id Cromvello ſuſpectum jubebatur reddere, velut quo ipſum ſeducere laborent, quoad ipſi Mare Balticum ſuæ ditionis fecerint, ſimul ut Anglos ab amicitia Sveciæ disjungant, quæ hiſce eximia emolumenta in eo Mari parere apta ſit. Denique vectigal excuſaret, ad oram Gedanenſem capi cœptum, cujus neceſſitas Regi impoſita ſit, quod ea civitas lautas ſibi conditiones oblatas præfracte repudiaverit: quo etiam non tam lucrum captetur, jacentibus jam antea eo loco commerciis, ſed ut hoſti noceatur; mercesque bellicæ intercipiantur; Rege parato viciſſim Anglis prærogativæ quid indulgere. Quod ſi Cromvellus cupiat cum ipſo ſolo, ac non cum Republica ſimul fœdus iniri tuendis ipſius peculiaribus rationibus, ne id quidem abnueret Bondius ſaltem verbis laxioribus, & ne exprimatur, adverſus quem Rex ipſum defenſurus ſit.

Svecorum Miniſtrorum in Anglia negotiatio.

§. 89. Aſt Legati Svecici, cum negotiationem ſuam ſuſciperent, exteriorum honoris & affectus indiciorum affatim, ſolidæ rei parum inveniebant. Et Cojeto quidem de cauſis belli Polonici exponenti Cromvellus teſtabatur, id ſibi valde probari, & ingentem acceſſionem rebus Proteſtantium inde ſperare; tum amica omnia ubertim offerre. Delectuum tamen in Scotia habendorum permiſſionem differebat, idque ne in ſiniſtram partem capiatur petebat, quod ſibi reditus claſſis ſuæ ex America ſit expectandus, pro cujus ſucceſſu conſilia formanda ſint. Id porro agnoſcebat, Angliam quondam Svecorum amicitiam, prout communis Proteſtantium cauſa exigebat, haut ſatis coluiſſe, quod à ſe ſit reſarciendum. Tum impediturum ſe pollicebatur, ne Belgæ miſſa claſſe deſtinata Regis turbent, quæ ut ſuccedant, magnopere optare. Ratificatio fœderis Witelociani per nobilem quendam Roltium miſſa, qui Warſaviæ Regem adiit. Id tamen Angli parum digerebant, quod Cojetus illis ingereret; Boruſſiam quondam Polonis reſtitutam, ut eo fidelius induciæ ab ipſis ſervarentur: quæ cum ab iisdem ſæpius violatæ ſint, recte nunc eandem repeti, velut ceſſante cauſa, ob quam data ſit. Nam Boruſſiam tanquam granarium Europæ haut tuto Svecorum arbitrio concedi inſinuabant. Etſi de cætero Polonis ſat infeſtos ſe oſtenderent, à quibus mercatores ſuos male habitos querebantur. Unde cum circa idem tempus Byæus Polonorum Hagæ Miniſter in Angliam veniret, ut fœdus proponeret ad defenſionem Boruſſiæ, ſi à Svecis invadatur, & commercia ibi turbentur; ne admiſſione quidem potitus eſt, utut Belgarum Legato Neoporto commendante. Nam ne Svecorum arma præjudicium ſibi afferant, alia via cavere ſibi in promtu eſſe. Enim vero in Cromvello parum fiduciæ collocari poſſe ſtatus ipſius arguebat lubricus, & qui ſola armorum violentia ſtaret, plerisque civium à præſenti regimine animis averſis. Præfecti militares obſcuro fere ortu ad eam dignitatem provecti, non poterant non Cromvello adhærere, quod eodem ſubverſo ipſos quoque exitium maneret. Gregarii opimis ſtipendiis divinciebantur, quos ideo ſtricta diſciplina coërcere dabatur, ut populus vix ſentiret exercitum ſibi incumbere. Sed id ipſum regiminis faſtidium pariebat, quod plebs ſibi à ſui ſimilibus imperari dedignaretur, paucosque iſtos contemneret. Cum igitur

Rolt.

1655.

1655. Igitur jam odiam imperii Regii exeleviſſet, & in præſens id duntaxat quæreretur, uter ſceptrum gerere debeat, populo in factionem Stuarticam, & Cromvellicam diviſo, duris modis iſte in officio continendus erat, à Cromvello, quem amore & per mollia non poterat. Et plus quam decem millia è primoribus populi in cuſtodiam data erant, nuper quoque edicto promulgato, ut qui partium Regiarum fuerint, ultra viginti milliaria Anglicana Londino abſcedant. Si qui ergo hanc ob cauſam rus abibant, eo ipſo proditi capiebantur; qui Londini remanſerant, ſi Regiarum partium eſſe convincerentur, in carcerem rapiebantur. Singuli tamen, qui gratiam ipſius implorabant, dimittebantur, haut temere quid deinceps tentaturi vel terrore, vel quaſi beneficio devincti. Ipſe tamen inſigni prudentia pollens eum locum dum viveret facile tuiturus credebatur, accurata corporis ſui cuſtodia, dum Londini fere incluſus agit. Unde & ardua ſurgebat quæſtio; num fœdus concludendum foret cum Protectore, ipſius & Reip. ſimul, an verò ejusdem ſolius nomine. Nam primo caſu conſiſtere fœdus poſſe, quæcunque intus mutatio contingat, velut quæ exteros non ſpectet. Sed ſi cum ſolo Protectore concludatur, tranſiri in ejusdem factionem, & privatum litigium ſumi, neceſſitatemque fieri eidem etiam contra expulſum Regem adſiſtendi; id quod apud Protectorem quidem plauſibile, ſed pariter periculoſum erat. Sane Gallum aliquo modo ſe obſtrinxiſſe ad privatum Cromvelli commodum amplectendum, confecto catalogo eorum, quos utrinque in ſuis ditionibus tolerare non debeant.

Belgæ Sverorum negotiationi ſe opponunt. 28. Jul.

§. 90. Porro adverſus Bondium, qui Londinum comitante Witelocio, & Stricklando ingrediebatur, ampliſſime quidem de ſuo in Regem ſtudio teſtabatur Cromvellus, ut tamen vir operæ pretium circa rem ipſam fieret. Ejusdem negotiationi ſeſe acerrime opponebant Belgæ, quibus non parum coloris præbebat vectigal ad Gedanum, quod ſatius fuerat omitti nullo fructu obæſtatem jam præcipitantem, & raro commercio. Etſi quando id utique exigere certum erat, præſtabat omnes æqualiter haberi, nec Anglis immunitatis quid concedi, antequam cum Rege tranſegerint, ne iidem, dum timeri admodum videntur, inſolentiores fierent. Nam ſemel introducto vectigali melius cum iisdem diſceptari poſſe velut è poſſeſſorio. Cæterum Belgæ non modo Cromvellum amicitia Regis divellere, ſed & in fœdus, quod ipſi cum Dano, Polono, & Brandenburgico agitabant, pertrahere nitebantur. Quo fine fingebant, Regi Sveciæ ſecretum eſſe cum Brandenburgico fœdus, per quod Arauſionenſem primum in Belgio, inde expulſum Regem Carolum in Britannia reſtituere velint. Huic ſuſpicioni convellendæ „oſtendebat Bondius, quantopere ſo„licitationibus Danorum & Belgarum „reſtiterint Sveci, bello adverſus An„gliam ipſos implicare nitentium. Sed „nec apparatum belli à Rege factum „nimium eſſe, quod Belgæ arguerant, „velut plura præter Poloniam pete„rentur. Nam prudentis non eſſe me„diocriter audere, aut imperfectum „opus moliri; ac bello cæpto nondum „conſtare, quinam alii in partes de„ſcenſuri ſint. Claſſe porro ad Geda„nenſem portum collocata Regi animum non eſſe commercia onerare, „Anglorum præſertim. Sed quia fama „ſit, alios claſſem in Mare Balticum „miſſuros, ſine dubio commercia tur„baturam, & vero in fœdere cautum „ſit, ut hoc caſu partes de modo au„xilii ferendi conveniant; igitur noſſe „capere, quid Cromvellus facere de„creverit; cum Belgæ negotiis Maris „Baltici ſeſe ingerere ſatagant, quo„rum conatus ab ipſo comprimi par „ſit. Quorum & odium in Svecos eo „acerbius ſit, quo iniquioribus cauſis „ortum; nempe quod in partem belli „adverſus Angliam abnuerint, &. ab „aliquot retro annis commercia ſua „ipſi excolere cœperint. Et cum Sve„corum, Anglorumque juncta interſit, „ne quod Hollandi agitant monopo„lium radices agat, par eſſe ſibi ab hi„ſce ſubveniri, ubi à Belgis eo nomine invadantur. Denique cum Sve„cia & Anglia firmiſſima ſint religio„nis Evangelicæ fulcra, utramque „prohibere par eſſe, ne alterutra in „favorem Pontificiorum turbe„tur. Ad ea Cromvellus reponebat, „ſe juvenem Regi Guſtavo Adolfo fa„viſſe, & cum omnibus bonis viris „doluiſſe, conſilia tam perverſo mo„do nunc in Anglia fuiſſe temperata,

1655. „ut Svecis nihil opis inde ferretur. „Nunc impense gaudere se amicitia „tam magni & nobilis Regis. Ejus „paratus bellicos omnibus suspicio„nem injeciſſe, qui majores fuerint, „quam pro Polonia; sed nunc ipsius „rationibus sibi plene satisfactum. „Cum Polonia nil sibi vinculi intercedere; sed Sveciæ Regem amicum sibi & fœderatum esse, cujus fortunæ „magnopere faveat. Belgas jam amicos & sacrorum socios, qui magno „animo pari prudentia Pontificium jugum excusserint; qui quod circa commercia soliciti sint, mirandum non „esse, cum eo unico fulcro res illorum stent; etsi à se invidia ipsorum „in alios haut probetur. Contra laudare se generosum Regis animum, qui „parta commoda non sibi soli retinere, sed & cum amicis communicare velit. Pro iis quæ offerantur „gratias agere: ac meditaturum, quomodo Regi pro virili officia præstet, „ac sperare in præsens non plus exactum iri. Cæterum maximi æstimare Regem, & quam arctissime „cum ipso conjungi cupere. Addebat multa de Zelo suo circa puriora sacra, auguratus à Carolo Gustavo perfectum iri, quæ Gustavus Adolfus cæperit. Penitius mentem suam primo colloquio pandere defugiebat.

Dubitationes circa fœdus cum Cromvello.

§. 91. Ex hisce quanquam Cromvellus arctioris cum Rege fœderis cupidus videretur; Bondius tamen satis expedire non poterat, num super isto statim movere consultum foret. Nam ipsius quidem status anceps, & quanquam ita res suas stabilierat, ut eas dum vita superesset haut ægre servaturus videretur, prona etiam ad invadendum regium titulum via; Anglia tamen plena civium præsentia everſorum, quorum insidias declinare haut in proclivi erat; eoque sublato nova turbarum seges surrecturа metuebatur. Partibus autem Regiis resurgentibus ægre harum offensam effugere dabatur tam arcta amicitia cum usurpatore junctis. Ac quia primis successibus Sveciæ res in Polonia satis firmatæ videbantur, Cromvelli amicitia non admodum opus erat. Igitur dubium Bondio habebatur, num strictius fœdus properari expediat, ac an non satius sit integra omnia retinere, & facto jam fœdere adquiescere; quod & ipsum 1655.
ad commercia tuenda obstringat, & Regis statum atque destinata lædere prohibeat. Quin posse ejusmodi fœdus Regis rebus in præsens obstare. Cum enim is dedititiis sacrorum suorum libertatem promiserit, si nunc fœdus feriatur religioni superstructum, id publice cognitum Polonis suspicandi ansam præbiturum, velut Rex Romana sacra opprimere molitur. Ex adverso in præsens ejusmodi fœdus suadebant Belgarum, aliorumque vicinorum invidia & machinationes, successibus Regis acrius irritandæ; quibus elidendis Anglorum amicitia plurimum profutura sit; præsertim cum fieri vix posse videatur, quin tanti in Polonia successus nova Regi bella paritura sint; Quod si igitur cum Moscis bellum surgat, Anglos multum conferre posse derivandis à Fano Archangeli, Narvam aut Revaliam commerciis, portuique ibi destruendo. Si cum Cæsare pax abrumpatur, quod vix videtur evitari posse, bello tam prope ipsius ditionibus advoluto, ac isto circa reformanda sacra acerbius quam antea sæviente; Regi ex Anglia insigne auxilium accedere posse viribus maritimis, & suppeditata pecunia. Præsertim cum sacrorum causa in id bellum valde proclivem se ferat Cromvellus, ac aperte jactet, solam Angliam esse, quæ Protestantiam causam apud Rupellam, & in Germania prodiderit, quod illos solos citra auxilium destituerit. Id erratum se nunc emendatum cupere, „cum Angliæ status ita sit in præsens compositus, prout communis Protestantium res requirat. Cui stabiliendæ hanc occasionem arripiendam; ne singulis momentis à libidine Catholicorum, & immanium sacerdotum pendere necessum sit. „Sed & domesticum Cromvelli statum nunc egregie firmatum, factione Regia haut facile emersura, ac adinopiam fere redacta, cum potentissimus ac locupletissimus quisque à Cromvelli partibus stet. Quibus eo major necessitas incumbat ad servandum præsentem statum connitendi, quod Regi prævalenti haut aliud remedium sit futurum suis benefaciendi, quam bona Cromvellienis erepta ibis donare. Quod si vel maxi-

1655. maxime Regiæ partes exſuperent, id Sveciæ parum obfuturum, velut quæ non tam cum Cromvello quam cum Anglicana natione fœdus iniverit; ac ſi Angliæ Rex commodum ſuum intelligat, Regni ſui actiones haut negleturum, quæ cum perſona imperantis non alterantur. Et Regem injuriæ, quam ſibi à Svecis illatam putet, facile obliturum, ſi hos in partibus ſuis retinere queat. Tum & emolumenta, quæ circa commercia Carolus Guſtavus Anglis indulgere velit, non Cromvellum & ejus familiam, ſed nationem Anglicanam ſpectare. Quæ circa ſacra objecta ſint, tanti non eſſe, & prudenti fœderis adaptatione facile præcaveri poſſe; cujus ſcopus eſſe debeat purioris religionis defenſio, non violenta ejusdem propagatio. Igitur quoad Rex circa hoc dubium mentem ſuam declararet, Bondius iſti omnia integra ſervare ſtudebat.

Negotiatio Bondii longum.

§. 92. Enimvero cum in rem præſentem veniendum eſſet, ac Bondius urgere inciperet, ut Sveciæ, & Angliæ conjunctio fieret prohibendis Belgis, ne, quod tunc minabantur, claſſem in Mare Balticum mittere poſſent; præter ſplendida verba, & motas difficultates nil ſolidi poterat extundi; utut Bondius jam dicta emolumenta late deduceret, & quantum interſit Belgas utrique vicinos in officio contineri. Nam objiciebatur, iſta quæ Sveci oſtentent inania fore, ſi Danus parem prærogativam Belgis in Oreſunda indulgeat, quam Sveci Anglis in Livonia & Boruſſia præſtituri ſint. Poſſe quoque Belgas cum Gallis ſe conjungere. Multi quoque è Conſilio ſtatus Belgis addicti Svecica poſtulata eludebant eo ſecurius, quod Bondio non daretur cum ullo ex eo Conſilio colloqui; & apud Turlovium Secretarium ſtatus tantum non ſupplicabundum circumcurſitare, uti Belgæ faciebant, haut è dignitate videbatur. Atque hi cumprimis Bondio ſeſe opponebant, Regisque actiones traducebant; inter alia edictum Regis in Svecia ſuper ſacris cavillati, velut odium ipſius in Reformatos arguens; nec mendaciis parcebant, Reformatos in Polonia à Rege duriter haberi ſpargentes. Accedebat apud Cromvellum argenti penuria, civibus per tributa exhauſtis, & irrito conatu adverſus Hiſpaniolam, & claſſem Hiſpanicam argento onu-

Turlov.

ſtam. Unde is Belgas offendere metuebat, ne ad deſperationem adacti periculo tam è mari Baltico quam ex Anglia imminente Caroli Stuarti partes ſuſciperent, ipſique negotium domi faceſſerent, multorum animis præſentium tædio ægris. Quin & velut inſigne beneficium Regi imputabat, quod proximo anno claſſis Hiſpanicæ adventum inhibuerit, ne Hiſpani Cæſari pecuniam, hic Polonis auxilium præſtare poſſet. Nec ideo deſiſtebat Bondius periculum Angliæ imminens demonſtrare, ſi Belgæ Danis uniti portum in Mari Baltico inditionem redigant; id quod ipſos agitare, è fœdere cum Brandenburgico conſtare. Id ſi fiat, Anglos Mari Baltico plane excluſum iri; & quævis Belgarum incrementa Anglis damno cedere. Tum & metuendum, ne ſi Rex tam opimas conditiones à ſe oblatas repudiari videat, egregia ipſius deſtinata refrigerentur. Sane Belgas palam jactare, ſe impediviſſe, quo minus delectus Svecici in Scotia ſuccedant; ac id dicterii Cromvello affingere: intra ſeptimum aut octavum annum mentem ſuam ad propoſita à Svecis declaraturum, interim Regis actiones per otium ſpeculaturum. Cromvellus ad hæc de affectu ſuo in Regem ingeminare; pro oblatis gratias agere. Fundamentum ſuorum conſiliorum eſſe libertatem religionis, & commerciorum. De negotio Maris Baltici diligenter ſe conſideraturum. Tantum abeſſe ut progreſſibus Regiis invident, ut optet ipſum fines ad Mare Caſpium proferre. Si Regi placeat, ſe apud Belgas operam ſuam interpoſiturum, ut conatus ipſorum impediantur, & obortæ controverſiæ amice componantur. Aſt Bondius Cromvelli interpoſitionem apud Belgas declinare, Regi ſine dubio diſpliciturum; ne forte ea occaſione Belgæ quasdam conditiones Sveciæ noxias circa commercia Boruſſiæ ſibi ſtipularentur. Quia tamen Regi nihil controverſiarum cum Belgis intercedat, quibus & ipſe nihil injuriæ intulerit, eidem gratum futurum, ſi Cromvellus Belgas à mittenda in Mare Balticum claſſe cohibeat; Conciliatione opus non eſſe, ubi nullum bellum antecеſſerit. Ad quæ vix erat Cromvello quod reponeret. Ac revera eidem aqua hærebat, fallente lucri ſpe Hiſpanico è bello, & domi ſubinde turban-

1655.

1655. turbante factione Regia. Et qui publica negotia tunc tractabant, rerum exterarum sat imperiti erant, insolentia insuper turgidi ob potentiam maritimam, quam novissime cum Belgis bello penitius nosse didicerant. Et quicquid coloris obtenderet Bondius, fœdus à Rege in Belgas quæri pellucebat, quos tunc offendere Angli metuebant. Nec eo minus gloriam Dei, ac desiderium fœdus cum Rege concludendi crepabant; cum ad oblatas conditiones ne respondere quidem dignarentur, ac re ipsa nihil præstarent. Nam venia duo Scotorum millia conducendi jejunum nimis beneficium erat, cum Cromvelli interesset, eam nationem viris debilitari. Et mercatoribus, qui ad Fanum Archangeli commercia exercere sueverant, haut placebat eadem in Livoniam transferri. Ibi enim apertum sibi mare patere; hic vectigali Oresundico, & aliis periculis esse obnoxios; ac metuere se commercia instituere in locis ad Svecos pertinentibus, ubi vectigalia mutationi sint obnoxia, ac sæpe intendi soleant summa cum mercatorum molestia, uti hocipso anno à Rege in Livonia factum. Unde pretia mercium ad naves armandas necessariarum immensum creviſſe, accedente insuper publicanorum importunitate merces diu inter telonia detinentium, & odiose omnia ruspantium. Id velut secretum Turlovius referebat: Romæ aliquoties congregationes habitas super successibus Caroli Gustavi, quos velut Regno sacrorum periculosos metuant: nec Galliæ nimis fidendum, invidia in Regem æstuanti, quæ & forte in pacem cum Hispano inclinet, ad communem rem Catholicam observandam. Inter ista cum Legatus Venetus Londinum solenniter ingrederetur, Bondius paulum rus excurrebat collisioni cum Gallo circa obviam mittendos currus vitandæ.

4. Oct.

Gallus tunc habitus erga Sveciam.

§. 93. Gallos, quantumvis veteres Sveciæ socios, Carolus Gustavus ad isthoc bellum nihil auxilii poposcerat, velut proprio bello districtos, & queis multæ cum Polonis rationes intercedebant. Unde & hi nihil aliud quam per Avaugurium, & Lumbranum identidem viam pacis in cassum tentabant; quin credebantur favore in Polonos magis quam Svecos inclinare. Sane constabat a Pontifice quique

De Lumbres.

quid est Catholicorum Principum stimulari ad auxilium Poloniæ ferendum; & modo Joannes Casimirus hac hieme sustinere valeat, Svecos facile minutatim carpi posse; ac jam tempus esse eosdem Germania expellendi, postquam omnibus facti sint exosi. Inter Belgas multi credidérant, Svecos à Gallis pecunia ad hoc bellum sublevari. Cum igitur aliquando nuntius de clade Svecorum Hagam afferretur, Petrus Chanutus Gallorum ibi Legatus jam tempus esse ferebat eum errorem hominibus eximendi, eoque palam testabatur de suppeditata Svecis pecunia falsum esse, non sine acerbitate quadam animi. Sed paucos post dies cum nuntius iste vanitatis manifestus foret, pudebat istum ita improvide ad animi sui sensa nudanda prorupisse. Cum tamen à Cæsare in Galliam missus esset, qui demonstraret, Svecos totam Poloniam subacturos, nisi obviam iisdem eatur, a Gallo ambigue responsum: se omnia facturum, ad quod leges amicitiæ cum fœderatis suis servandæ ipsum obstringant. Inprimis ea cura Gallos videbatur tangere, ne quid detrimenti ritus Romani caperent. Sane Parisiis ad omnes platearum angulos Schedulæ affixæ fuerant; ni Poloniæ subveniatur, religionem Catholicam ibi pessum ituram. Et ipse Galliæ Rex per Avangurium Carolo Gustavo curam religiosarum personarum & locorum commendabat; id quod parens ipsius itidem bello Germanico à Gustavo Adolfo & Christina stipulatus sit, & quæ plurimum quoque conferat ad combinandos illos, qui diversa sacra sequantur, & ut alii Catholici minus deinceps fugiant ipsis sese jungere. Et cum idem mox audiret, à Carolo Gustavo circa sacra in Polonia nihil novari, id valde sibi placere testabatur.

1655.

Actus cum Ragozio. Ragozi.

§. 94. Nonnihil tamen firmamenti rebus suis sperabat Rex à Georgio Ragozio Transsylvaniæ Principe. Is sub initium hujus anni Secretarium Holmiam miserat, super suscepto regno gratulatione defuncturum. Qui & de afflictis Poloniæ viribus, ac huic in Ragozio nil fiduciæ reponendum confirmabat. Ei verba honoris liberaliter reponebantur, ac spes fiebat propediem legatum in Transsylvaniam mittendum. Igitur isti Principi in partes Sveciæ pertrahendo mitteba-

tur

1655. tur Gotthardus Wellingius. Ei in
8. Maji. mandatis datum publice de ſtudio ve-
Welling. terem amicitiam excolendi teſtari, ac
partem honorem reponendi Principi,
qui miſſo in Sveciam Ablegato Regi
partum diadema gratulatus fuerat.
Privatim doceret, quibus de cauſis
Rex arma in Polonos ſumere ſubactus
ſit. Quod ſi hoc rerum ſtatu Princi-
pi aliquid privatæ aut publicæ ſit rei,
quod Regi communicandum judicet,
hunc quantum detur æquis iſtius po-
ſtulatis aures præbiturum. Tum ob-
ſervaret, in quam partem iſthæc pro-
poſitio acceptetur; quam rationem
Princeps ejusque miniſtri Regis Rei-
que publicæ Poloniæ, in hac ſingu-
lorum habeant; ac num plus Poloni-
cis, quam Moſcorum rebus faveant.
Confirmaret quoque, arma Svecica
Poloniæ illata haut quaquam fraudi,
ſed emolumento potius Principi fore.
Simul exploraret, quem nexum ha-
beat Princeps cum Porta Ottomani-
ca, cum Moſcis, Tartaris, Moldavis, Wa-
lachis, & Regno Hungariæ. Si Prin-
ceps ſuaſerit, ut aliquis ad Turcam
mittatur, reſponderet: Regem qui-
dem à tali miſſione non abhorrere;
ſed quia nondum norit, quomodo ea-
dem acceptanda ſit, malle Principe uti
parario, qui autoritate in ea aula pol-
leat. Et ſi intelligat, Turcas vereri, ne
Rex ſua arma Polonis aut Moſcis jun-
cta ipſis inferat, eam ſuſpicionem per
ſuos Miniſtros iisdem eximat; Regi
cum iſtis negotii nil eſſe confirmans,
nec Sveciæ rationes ferre Turcas inva-
dere tam longe remotos. Cum Coſac-
cis diceret nihil commercii Regi exti-
tiſſe, niſi quod nuper Daniel Abbas in
Svecia cauſas expoſuerit, ob quas Co-
ſacci arma in Polonos ceperint, oblata
quoque ſua amicitia. Ex quo Rex
perſpexerit, non levem eſſe illorum
motuum cauſam, & rationes quas-
dam ſvadere, ut horum ſtatui, queis
ſubſiſtat, faveatur; eoque Regem vi-
ciſſim ſtudium ſuum adverſus iſtos fuiſ-
Augſt. ſe teſtatum. Wellingius Albam Ju-
liam delatus honorifice à Principe ex-
ceptus fuit, quem & hic magno deſi-
derio expectaverat. Etſi paululum
refrigerari videretur Ragozius, quod
iſte nihil ſuper arctiore conjunctione
propoſuiſſet, uti ipſe antea animo
præceperat. Unde Wellingius obten-
debat. Regem armis ſuis nil aliud quæ-
rere, quam firmam pacem, propriam-
que conſervationem, nec in animo 1655.
habere exteros Principes huic negotio
immiſcere; præſertim cum neſcierit,
qua ratione Princeps huc deſcendere
poſſit bello Walachico implicitus. Quo
colore dicto non ſolum adquieſcebat
Ragozius, ſed & magni ſe æſtimare
profitebatur voluntatem Regis, addi-
to; ſibi non ſolum decretum amicitiam
multos per annos cultam propagare,
ſed & aliquem è ſuis ad Regem miſ-
ſurum voluntati ipſius penitius explo-
randæ, ſimul ſuam mentem circa hoc
bellum expoſiturum. Ac fatebatur,
ſe inopinis belli ſucceſſibus, & à Rege
oblatis tantum non obſtupeſcere, ac
quid poſtulare debeat prope ignora-
re. Inde Wellingio in hunc ſenſum 18. Sept.
ſcripto reſponſum: *gratam eſſe ſibi ſalutationem Regis, & victoriarum communicationem, & quod de cauſis belli Polonici edocere, ipſum dignatus ſit, quas graviſſimas ducat, ac Numen juſta cauſa auxilio ſuo affuturum. Gratiſſimum quoque eſſe, quod Rex cupiat amicitiam renovari inter utriusque anteceſſores contractam; circa quam ſtabiliendam ipſe omnia ſit collaturus. Gaudere quoque à Rege arma ſua in emolumentum ipſius offerri, & cupere, ut Rex mentem ſuam uberius explicet, quo ejusdem deſtinatis ſe conformare queat; ſe quoque deinceps cogitata ſua eidem candide communicaturum. Delectus militum in Tranſylvania à ſe permitti commode non poſſe, quod motus Walachici nondum ſint compoſiti, quibus pleraque ſua copia diſtricta teneantur.* Aſt idem mox poſt luculentam à Walachis reportatam victoriam ſerio ad res Poloniæ animum adjecit, ut tamen non ſatis aperte cum Rege ageret, ac peculiares ſibi rationes ſequeretur.

§. 95. Acceſſit quoque hoc anno *Turcicus Legatus ad Regem venit. Novemb.* ad Regem Legatus ab Imperatore Turcarum Muſtapha Aga ad Joannem Caſimirum deſtinatus; qui faciem rerum in Polonia mutatam cernens interrogabat, num Joannes Caſimirus Rex adhuc in Regno ſuo degeret? Id cum negaretur, jactabat; *cum mandata ſua directa ſint ad Regem Poloniæ, ideo Carolum Guſtavum ſeſe aditurum, velut qui Poloniæ Coronam in manu habeat. Nam moris apud ſuos eſſe, ut ſi quis ex aula Ottomanica ad alium Principem mittatur, ac interim morte, aut alio caſu mutatio contingat, Legatus haut eo minus commiſſum ſibi negotium apud ſucce-*

1655. 2. Dec. *ſucceſſorem perſequatur.* Idem Warſaviam delatus dicebat: *ſi Rex heri ſui literas ad Ioannem Caſimirum ſcriptas acceptare nolit, ſe illas reſumturum. Addebat, Imperatorem ſuum Joanni Caſimiro auxilium quidem promiſiſſe, ſed contra neminem praterquam Moſcos, & Coſacos: adverſus Carolum Guſtavum nihil moturum; Cui Ducatum jam Polo-* 1655. *niam ſeſe dedidiſſe ante diſceſſum ſuum Conſtantinopoli nuntiatum ſit.* Auditus fuit hic Legatus ſequente anno Soldaviæ, ubi præter inania nihil *Solder.* tractatum, quod mandatis iſte ad Regem deſtitueretur.

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM

A

CAROLO GUSTAVO

GESTARUM

LIBER TERTIUS.

Digitized by Google



Digitized by Google

EPITOME.

AMpli nimium progreſſus haut ſolidi. 2. Cauſæ rebellantis Poloniæ. 3. Regis diſpoſitio circa res Poloniæ. 4. Mariæburgum expugnatur. 5. Regis in ſuperiorem Poloniam expeditio. Prælium ad Golumbium. 6. Adverſus Lithuanos acta. 7. Rex Jaroslaviam tendit. Zamoiſcia fruſtra tentatur, ut & Primislavia. 8. Rex Jaroslaviam pervenit. Periculoſus exercitus Svecici ſtatus 9. Rex Jaroslavia diſcedit. 10 Sapieha deſerit. 11. Rex Sendomiriam attingit. Arx Sendomiriæ in aërem evibratur. 12. Rex trans Sanum evadit. Lithuanosque profligat. 13 Clades Svecorum ad Warcam. 14. Per alia Poloniæ loca interim geſta. 15. Rex incaſſum Czarnecium perſequitur. 16. Ducis Adolfi Joannis acta. Prælium ad Gniesnam. 17. A Rege in Gedanenſes acta. Edictum Regis. 18 Rex ad exercitum revertit. Czarnecius vapulat. 19 Rex in Boruſſiam excurrit. Cum Brandenburgico tractatur. 20. Fœdus cum Electore concluditur. Pactum ſeparatum. 21. Regis acta per Boruſſiam. 22. Warſavia à Polonis expugnatur. 23 Poloni ad Cracoviam vapulant. 24. Rex cum Electore Warſaviam tendit. 25. Prælium ad Warſaviam. 26. Secundæ diei pugna. 27. Tertiæ diei pugna. 28. Regis diſpoſitio poſt pugnam Warſavienſem. 29. Regis deſtinata turbantur. 30. Poloni iterum ingruunt. Fœderatorum clades. 31. Sveci eam cladem ulciſcuntur. Pugna ad Philippovam. 32. Amicitia cum Brandenburgico nutat. 33. Eam Rex conſervare ſtudet. 34. Cum Brandenburgico tractatur. 35. Tractatus concluditur. 36. Articuli Secreti. 37. Diffidentia ideo non tollitur. 38. Joannes Caſimirus Gedanum accedit. Kœnigsmarckius capitur. 39. Rex in Boruſſia manere conſtituit. 40. Rex in Polonos tendit. Poloni vapulant. 41. A Wirtzio acta. 42. Radziejovius capitur. 43 Rex amicitiam cum Moſco ſervare ſtudet. Ea nutat. 44 Livoniæ ſtatus tenuis. 45. Lithuano-

1656.

Digitized by Google

1656. rum rebellio. 46. Eam castigare Gardius frustra conatur. 47. In Livonia defensio adornatur contra Moscum. 48. Mosci in Careliam & Ingriam irrumpunt. 49. Mosci hinc inde vapulant. 50. Czar in Livoniam irrumpit: Duneburgum expugnat, & Kakenhusam. 51. Moscus exercitum Rigæ admovet. 52. Rigæ obsidium. Id solvitur. 53. Mosci Dorpatum expugnant. 54. Regis mandata circa bellum Moscicum. 55. Regis circa tractatus cum Mosco mandata. 56. Incassum cum Mosco de pace agitur. 57. Circa pacem cum Polonis conciliandam frustra satagunt Galli. 58. Aliqua spes pacis affulget. 59. Regi à Polonis proposita displicent. 60. Cum Gallis super fœdere agitatur. 61. Curlandus Regi sociari tergiversatur. 62. Idem multa suspecta agit. 63. Ragozius de studio in Regem testatur. 64. Regis ad Ragozium missio. 65. Super fœdere cum Ragozio negotiatio. 66. Rex Ragozii desideriis annuit. 67. Tractatus cum Ragozio absolvitur. 68. Ragozius expeditioni accingitur. 69. Cum Cosaccis acta. 70. Cum Tartaris acta. 71. Legatio in Turciam. 72. Cæsaris legatus re infecta discedit. 73. Regis ad Cæsarem literæ. 74. Cæsar in utramque partem solicitatur. 75. Regis circa Angliam intentio. 76. Super fœdere cum Cromvello disceptatur. 77. Ingrata fœderis formula ab Anglis proponitur. 78. Alia fœderis formula à Rege proposita. 79. Joannis circa fœdus disceptatio continuatur. 80. Circa fœdus commerciorum difficultates. 81. Conventionis cum Cromvello initæ capita. 82. Super arctiore fœdere deinde movetur. 83. Tractatus cum Danis hærent. 84. Dani in transversum abeunt. 85. Brandenburgicus reassumendo tractatui operam offert. 86. Caroli Gustavi circa eum tractatum considerationes. 87. Consultatio super negotio Danico. 88. Regis circa Danicos tractatus considerationes. 89. Tractatus cum Danis reassumitur. 90. Dani super procuratorio Durellii scrupulum movent. 91. Regis super hac re declaratio. 92. Idem negotium is ad Senatum refert. 93. Belgarum in Svecos machinationes. 94. Legatio Belgarum ad Regem. Ea sistitur. 95. Tractatio cum Legatis Belgicis suscipitur. 96. Circa Belgarum postulata considerationes. 97. Ejus tractatus difficultates. 98. Belgarum consilia ideo non alternantur. 99. Elbingensis Tractatus contenta. 100. Ejus Conventionis exiguus est fructus.

Supe-

Superiore anno Succeſſus armorum Carolo Guſtavo ſupra votum fluxerant, primariis Poloniæ urbibus occupatis, extra Regni fines pulſo Joanne Caſimiro, dedentibus ſe certatim provinciis, perpetuoque Regni milite, ac Lithuania ultro ditionem Sveciam ſubeunte. Tum imprimis ingens momentum habebatur Brandenburgicus Elector in partes pertractus, qui tunc quam maxime inito fœdere Belgarum ſubſidio ſe firmabat, ſi tempus extrahere daretur graves à tergo moleſtias daturus. Prudentiores tamen judicabant, Regem primo fortunæ torrente longius juſto abreptum plura animo armisque complexum iviſſe, quam tueri idem ſolius Sveciæ ſuccinctus viribus poſſet: & quæ primo impetu impulſa fuerant, facile iterum ſurrectura, ubi vel iſte remittere cæperit, vel oppreſſi alienis viribus ſublevati fuerint. Ac ſatius fuiſſe conſilio à Senatoribus, & Ordinum ſelectis ſuggeſto inhæſiſſe, ac in Boruſſiam omnes vires convertiſſe, Polonosque inde arcere ſatis habuiſſe; quod diſperſæ per lata nimis terrarum ſpatia vires ad inſtar fluminum lato alveo diffuſorum fere langveſcant. Ac ipſe eventus oſtendebat ſapientius ſuaſiſſe illos, qui inter tam proſpere fluentes initio res moderata ingerebant, ac ut vaſtis nimium progreſſibus ultro frænum injiceretur; nec ad plura amplectenda conatus porrigeretur, quam quæ tueri haut ita in arduo foret. Nam ne totam Rex Poloniam obtinere poſſet, omnes, qui Romanos ritus amplectantur, manibus pedibusque reluctaturi erant; & numero hoſtium obrutum non plane ſuccubuiſſe deinceps in lucro habendum. Enimvero à militaribus viris, aliisque uti ſolet, moderata, ac tuta conſilia ſupercilio, & feroci jactantia eludebantur, velut Polonis omnis jam reſiſtendi ſpes deceſſerit, qui & fidei inſuper religione ſeſe obſtrinxerint, ac ignavum eſſe, coronam à fortuna oblatam repudiare; cui ſolenniter capeſſendæ jam veſtimenta, aliusque paratus adornabantur. Cum tamen ea eſſet Poloniæ amplitudo, ut nullo modo in provinciæ formam redacta Sveciæ innecti poſſet: & jam Sigismundi exemplo conſtaret, haut congruere, ut Sveciæ ac Poloniæ ab eodem Rege impeperetur. Sane Leſſnjus, qui nuper legationem in Sveciam otierat, cum poſt apud Carolum Guſtavum ſuper pace fruſtra ſatageret, hunc interrogaverat; num utique Poloniæ Rex fieri cupiat? Quod hic neque annuerat, neque rejecerat, ſed ambiguo quærentem reſponſo ſuſpenderat: Polonis optime conſtare debere, quid ipſis expediat. Cui iſte regeſſerat: Polonos quidem ipſius imperium haut ægre toleraturos; ſed ut alii, qui ab eodem dependeant, ſibi imperent, id nullo modo ab iſtis ferendum. Et circa pacem ſe quidem laboraturum; ſed fruſtulatim ſe concidi malle, quam pati, ut aliquid de Polonica libertate decerpatur. 1656.

Ampli nimium progreſſus haut ſolidi.

§. 2. Sic igitur quæ magnam partem ſub ditionem redacta videbatur Polonia, haut ita firma ſpe ad diuturnam poſſeſſionem tenebatur. Quam enim prima conſternatione fidem dederant Poloni, ejus ſenſus, ubi iterum ſe colligere, & aliqua auxilii ſpe erigi cœpiſſent, facile exoleſcebat adverſus Sveeos cumprimis nativo velut odio inviſos, ſacrisque, & moribus, linguaque diſcrepantes, & quos ipſis

Cauſa rebellantis Poloniæ.

1656. præſe contemnere moris eſt. Sed nec ratio belli ferebat, ut Rex molli regimine, immunitate, ac beneficiis novorum Subjectorum benevolentiam ſibi pigneraret, conductitio Germanorum milite ſtipatus, quem ſola prædæ ſpes in bellum pertraxerat, quemque accurata adeo diſciplina coërcere, cum nulla ſtipendia ſolverentur, haut licebat. Unde cum hiſce & alimenta, &, quæ avaritiam explerent, è dedititiorum contributionibus petenda forent, accedentibus inſuper militum inſultationibus atque injuriis, non poterant non iſti præſentis conditionis duritiem deteſtari. Et cum præfectis certa hoſpitia aſſignarentur, è quorum tributis pecuniæ ſupplendis legionibus, novisque delectibus inſtituendis corradendæ erant, hi fere exigendi finem non faciebant, niſi quem provincialium inopia imperabat. Polonicæ porro militiæ duces, qui non niſi ad oludendum primum Svecorum impetum Regi ſacramentum dixerant, ubi hoc in Boruſſiam cum maxima exercitus parte digreſſo metuere deſiiſſent, nec, quantum aviditati ſuæ ſufficeret, dari viderent, ac ſe præ Sveco Germanoque milite Regi viles fore cenſerent, ubi Joannes Caſimirus iterum ſeſe commovere cœpiſſet, iuſuper habito juramento ad Svecos expellendos ſeſe accingere conſtituerunt, quorum exemplum facile plebs imitata frænum momordit. Utrisque ſtimulum ſubdebat Pontifex, qui opera Sacerdotum & Jeſuitarum ipſis perſuaſerat, hoc bello à Carolo Guſtavo id agi, ut ritus Romanos, & quæ ſtabiliendo ſacrorum regno ſacerdotum aſtutia commenta eſt, aboleret, & quæ ipſe profitebatur ſacra reponeret, diris inſuper devovens, qui partes Svecicas ſequerentur. Ac myſteriis excluſuros ſeſe minabantur ſacerdotes, qui obſequium in Svecos non exuerent, velut hæreſin ipſis obtruſuros. Ne autem jusjurandum Carolo Guſtavo præſtitum ſcrupuli quid daret, in proclivi erat efficere ſacerdotibus, queis imperium in conſcientias ſuæ ſectæ hominum exercetur, ad rationes Regni ſacrorum attemperatum, cui quicquid ullo modo repugnat, quantacunque ſanctimonia conſtet, reſcindere, inter arcana ejus ſtatus habetur. Simul Joannes Caſimirus ingerebat, Svecos Nobilitatis Polonicæ libertatem oppreſſuros, ac promiſſa ipſis facta, & immunitatem à tributis tantiſper indultam mox expiratura, ubi res ſuas in Polonia ſtabilierint. Unde dicto citius univerſam per Poloniam, quæ valida præſidia ſubjectos non utcunque coëcebant, miles juxta ac pagani inſurgere ac palantem & tutelarem Svecorum militem trucidare, omnique inſenſa reponere. Tum miles Nobilesque ad Joannem Caſimirum confluere, qui è Sileſia per montana ſupra Cracoviam loca Leopolim verſus tendebat, excitandis Tartarorum auxiliis. Sic quæ devicta jam credebatur Polonia, novo repente bello cæpit exardeſcere, atrociſſimis utrinque odiis, quod & Svecicus miles Polonos velut rebelles humanitate indignos duceret, & Poloni conſumta veniæ ſpe non inulti perire vellent, Carolo Guſtavo tamen per ipſam difficultatem & pericula increſcere animus, ac ad frangendam Polonorum ferociam vi conniti. Tum conſilio alios ſibi conciliare aut invidorum conatus eludere ſatagebat animi conſtantiam & vigorem tot undique periculis ingruentibus oppoſiturus. 1656.

Regis diſpoſitio circa res Poloniæ.

Bartenſtein.

Lovvitz.

§. 3. Poſtquam igitur cum Electore Brandenburgico transactum ac nova amicitia congreſſu Bartenſteini inter lætitiam, ac omnia ſinceræ benevolentiæ imitamenta, uti inter Principes ſolet, confirmata foret, Rex ad motus Poloniæ tempeſtive ſedandos Duglaſſium, qui præmaturo à Tartaris metu Lublino Lovvicium receſſerat, ibi ſubſiſtere jubebat, tum & alias legiones eodem deſtinabat, in quas imperium fratri Adolfo Joanni ſub Generaliſſimi vocabulo collatum. Quo & ipſe Rex abiturus erat, quod ſpes eſſet, ſuo adventu rebelles Nobiles facile iterum à Joanne Caſimiro diſceſſuros aut in Hungariam expellendos; ſi nihil ingentium virium urgeat, in Boruſſiam iterum deſcenſurus. Magnus Gardius, qui ad invadendum ex utroque latere Electorem in Boruſſiam evocatus fuerat, poſt hunc pacatum, relictis plerisq; veteranis apud Regem copiis, in Livoniam remittitur, collato etiam in ipſum per Samogitiam & Lithuaniam imperio. Ei injunctum, ut copias per eas provincias, quantum res ferret, firmaret, & ad omnem eventū inſtrueret. Simul cum Moſcis amicitiam coleret, offen-

Digitized by Google


Meledunum
Meledunum

1656. offensæ ansam iisdem ne præberet, leves injurias dissimularet, tum super limitibus in Lithuania pro captu præsentis temporis conveniret, Suecanæ ditionis fines, quantum daretur, proferret, ad extremum tamen ita eos designari pateretur, ut linea à fluvio Suita per Caminum, Grodnam, Minsciamque, inde ad Berecinam & Borysthenem fluvios ducta utriusque imperii ditiones discrimineret. Quod si Mosci rationem audire nolint eos dehortaretur protestatione adversus iniqua ausorum opposita, ubi ad vim descendant, quantum possit, resisteret.

Camin. Grodno. Minsk. Berecina. Dniper.

Mariæburgum expugnatur.

§. 4. At in Borussia digresso ad valetudinem curandam Stenbockio, Philippus Palatinus Sultzbacensis Mariæburgum circumpositis eminus stationibus incluserat. Stuma quoque interim in ditionem redacta. Sed quia Brandenburgicus ex pacto cum Rege militem suum machinasque Mariæburgo eduxerat, sic ut qui in oppido restabant, latis munitionibus tuendis haut sufficerent, nec is machinarum numerus supereresset, qui arcendo è fossa & lateribus propugnaculorum hosti requirebatur, visum fuit vim propius admovere. Quem in finem Von der Linde. Sultzbacensis, Laurentius Lindanus & Christophorus Delphicus Comes à Dona exercitum iterum ex hibernis contraxerant, ad quem recuperata valetudine Stenbockius Thorunio sese 2. *Febr.* mox conferebat. Cum illo propius oppidum succedens prima nocte suburbia occupat, ac suggestus statuendis machinis excitat, hortatus tamen prius oppidanos ac præsidiarios, ut ultro Regis Sveciæ ditionem subeant. Sed hi eruptione tentata cum ducentis viginti equitibus, centum quinquaginta peditibus ita aspere excepti sunt, ut plerique equites & è peditibus centum caderent. Istis repulsis animus Svecis erat eodem impetu munitionem, quæ portam regebat, occupare. Sed quia Done, qui assultantes ducebat, globo per sinistrum brachium graviter sauciabatur, cæteri oppugnationem omisere. Quanquam autem Jacobus Weierus monita Stenbockii aspernaretur, oppidani tamen, qui reliqua Borussiæ loca in ditionem Svecicam concessisse norant, extrema expectare non ausi, ac Polonis discordes adStenbockium misere, qui paratos se suscipiendo Regis Sveciæ imperio ostenderent. Inde portam à Maria dictam referant, quam Jacobus Gardius cum sua legione ingreditur, insequentibus mox aliis turmis, à quibus multi Poloni tam subitæ deditionis ignari in oppido deprehensi multique primo impetu cæsi sunt, amissis quoque omnibus sarcinis & quinque vexillis. Reliqui in arcem evaserant, quam tueri acriter Weierus instituebat. Unde eam Stenbockius intra & extra urbem excitatis suggestibus verberare, globos ignivomos & saxa jacere, cuniculos agere tanto enixius, quod tempus extrahere Weierum, & à Gedanensibus auxilium expectare constaret. Tandem vim admotam non amplius ferentes obsessi in has leges deditionem faciunt, *ut quicquid frumenti, paratus bellici, machinarum, aliarumque rerum inesset ad Regem coronamque Poloniæ arcemque spectans, Regis Sveciæ in arbitrio relinqueretur: acta publica & rationes in arce remanerent, senatorum*, dignitatarii, *Nobilesque præter eos, qui Svecicam militiam illicito modo deseruissent, cum sarcinis suis abirent, præsidiarius miles modo honesto discederet, nec ad mutandum sacramentum vi compelleretur, ut tamen iis, qui ultro velint ad Svecica signa transire, integrum sit, reliqui ad loca extra ditionem Regis Sveciæ posita se conferrent.* Cum circa adornandas deditionis leges satageretur, Ludovicus Weierus, qui è gravissimo morbo decumbebat, à Stenbockio rogabat, ut sibi tubicinem liceret Gedanum mittere, arcessendo Medico. Svecicus dux uti istam humanitatem viro nobili indulgere honestum ducebat, ita ne qua fraus subesset, & ne tubicen iste aliud forte quid commercii in urbe agitaret, provisurus, clanculum præmittit, qui tubicinem illum in urbe observaret, ubi intellectum, non tam de Medico evocando curam fuisse, quam ut mille sexcenti milites expedirentur, qui arci Mariæburgensi subvenirent. Quos cum jam iter ingressos Stenbockius intelligeret, ita acriter obsessos urget, ut protinus pontem quo Nogatus fluvius transitur, adsitamque turrim Svecico præsidio insidendam tradere cogerentur. Inde equitatus Gedanensibus obviam mittitur, sed qui cognito Mariæburgi statu repente Vistula superato in tuto evase-

1656.

de la Gardie.

Weier.

1656. 6. Martii. evaſerant, paucis duntaxat deſideratis. Ita arce exceſſerunt una Polonicorum, ſex Teutonicorum equitum turmæ cum quadringentis peditibus Polonicis dimacharum manu. E quibus Germani equites ſtatim Svecica ſigna ſubibant. Idem faciebat Polonicus pedes, ſed qui mox ſpreto ſacramento deſerebat. Gedanum deducebantur Jacobus Weierus, Sigismundus Gyldenſtierna & Schafgotſchius Comes. *Schafgotſch.* Poſt captam Mariæburgenſem arcem Ericus Oxenſtierna, quem Rex ſupremum Boruſſiæ Gubernatorem conſtituerat, edictum promulgat, quo omnibus ſenatoribus, *dignitatariis* ac Nobilibus, qui pro Rege Joanne Caſimiro arma geſſerant, bona omnia ſalva, & receptorum ſacrorum exercitium liberum pollicetur, ſi iſto abdicato Caroli Guſtavi ſe imperio ſubdere velint: Qui id abnuerent, eis conceſſum rebus ſuis convaſatis alio diſcedere, & immobilibus per ſemeſtre frui; donec à Rege Carolo Guſtavo veniam eadem divendendi obtinuerint. 30. Jan. Inter hæc Alexander *Weiſſenſtein. Slochov.* Weiſenſteinius tribunus munitam arcem Slochoviam ad deditionem compulerat, armis & annona inſtructiſſimam, ubi ducenti veterani pedites, qui præſidium ibi agitaverant, ultro Svecico ſacramento acceſſere. Mariæburgo digreſſus Steenbockius *Dirſchau.* ſuperato apud Dirſchaviam Viſtula in Gedanenſium inſulam deſcendit, caſtrisque apud *Stibelt.* Stibeloam munitis eam totam tributis ſubjecit, per quietem exercitu pauliſper refecto. Ubi quanquam ſubinde Gedanenſium ſe catervæ oſtenderent, Svecis tamen ingruentibus ſtatim ſub urbem ſe recipiebant, nunquam conſerendi manum facultate præbita.

Regis in ſuperiorem Poloniam expeditio. §. 5. Poſt Brandenburgicum in partes pertractum multis expedire videbatur, totam belli molem cominus Dantiſcanæ urbi advolvere, forte eodem fortunæ torrente cum reliquis abripiendæ, nullo amplius deditionis pudore, poſtquam tota fere Polonia exemplo præiverat, & quoad cum hac urbe conveniſſet, motus in Polonia ſurgentes inſuper habendos ac conglobatos iterum Polonos facile acceſſu Boruſſiæ arceri poſſe, quos & haut temere tanta veſania ſubitura ſit, ut per totam Poloniam Tartaros in Boruſſiam auxilio adducere velint, longe majorem, quam ipſi hoſtes populationem daturos; ſed Regi potius viſum ſurgentem Poloniæ rebellionem, antequam ſe per moram confirmaſſet, mature opprimere, ac nutantes adhuc ſubito adventu confirmare. Idque præcipue Radziejovius ſuggeſſerat, ut difficili ac longe itinere per hibernam tempeſtatem ſuſcepto, attritus exercitus periculis bellique caſibus ipſo cum Rege objiceretur. Quem ut eo longius Ruſſiam verſus pelliceret, confirmarat, Zamoiſcium velle cognomine oppidum ſuum munitiſſimum in Regis manus conſignare modo exercitus Regius propius accedens colorem deditioni præberet. Igitur Rex aſperri- 24. Jan. mo anni tempore contracto apud Thorunium exercitu Lovvicium contendit, ibique Duglaſſio, qui cum equitatu, numeris ac vigore haut parum imminuto, hactenus eo tractu ſtativa habuerat, conjungitur; Nuntiatum ibi eſt, Joannem Caſimirum Zamoiſciam *Zamoiſcic.* contendere, ac Lubomirſcium ad Tar- *Lubomirski.* tarorum Chamum profectum eſſe, excitandis ejusdem auxiliis. Simul Czarnecium cum valida manu circum- *Czarnecki.* vagari, paſſimque provinciales in Svecos excitare, adjunctisque Nobilibus ſe firmare, Svecis qua poſſet inſidias ſtruentem, cui & animus fuerat Duglaſſium apud Lovvicium invadere. Vir iſte toto bello Svecis longe mole- *Rava.* ſtiſſimus fuit, expedita manu paſſim *Novomiaſto.* ex improviſo aſſultans, & incautos carpens, & ubi acrior vis opponeretur, propere ſe ſubducens fugaque non minus quam pugna hoſtem atterens. His conatibus mature opprimendis Rex longius movere inſtituit, ac Lo- *Lowic.* vvicio diſcedens per Ravam ac Novomiaſtum verſus Caſimiriam ducit. Eo itinere relatum eſt Regi, Czarnecium cum aliqua nobilium ac militum manu cis Viſtulam non longe inde agere. Unde explorandi cauſa Rado- *Radom.* mum verſus cum ducentis quinquaginta equitibus præmittitur Rutgerus Aſchebergius. Hic tenebris op- *Aſchenberg.* preſſus unum à Radomo milliare in prædio Nobilis cujusdam pernoctare coactus à mille quingentis Polonis circumdatus acerrime oppugnatur. Decies hi impetum dederant, toties ſumma cum noſtrorum virtute rejecti fuerant. Inde vi omiſſa oblatis opimis conditionibus Suecos, ut ad ipſos tranſire velint, invitant. Sed acer-

Digitized by Google

C
G R


Vistula Fluvius
Civitas
Graudenz
Xoiſewitz

Digitized by Google


Castra Regia Sueco et Statio primaria
ad passum Stolpam in Campis Gedanen
sibus ab Illusto C. Gustavo Com. Stenbock
posita delineata et depicta Anno 1656
Vistula
Fort Rhed
Vistula

Digitized by Google

Digitized by Google

CONGELATA
Noel Cochin fecit

1656. acerbo reſponſo protelati denuo aſſultant, acriterque repulſi & prædium & circumjectum inflammant, ut jam noſtris non minus ab igne, quam hoſtili gladio periculum immineret. Igitur Aſchebergius deſperatione virtutem accendente denſatis ordinibus ultro in hoſtem irruens manu viam ſibi aperit, obſtantes cædit, ac in fugam pulſos ſub Radomum usque perſequitur. Centum amplius è Polonis eo conflictu oppetierunt, plures ſauciati ſunt. Ea clade territi, qui ſe conglobaverant Nobiles iterum diſſipantur, & Czarnecius metu propinqui hoſtis magna cum trepidatione trans Viſtulam faceſſit. Tanto magis Rex gradum accelerare, ſi qua fugitivum opprimere poſſet. Ex itinere Janovvitza munitiſſima arx præſidio firmatur. Viſtula glacie ſtratus mox apud Caſimiriam ſuperatur. Heic intellectum Czarnecium cum duodecim Polonorum millibus magnam partem Quartianis ad vicum Golumbium ſubſiſtere, haut perſuaſum, regem ita celeriter inſecuturum. Rex quanquam ibi aliquandiu ſubſiſtere decreverat ac legiones jam per vicinos vicos dimiſerat, tamen nunc rei gerendæ occaſionem oblatam gaviſus ſuos celeriter revocat, & ipſe cum dextro cornu, cui Henricus Hornius præerat, antecedit, ſiniſtro ſub Waldemaro Comite ſubſequi juſſo. Et eo celerius procedebat agmen, quod quæ alias remorari poterant iter, paludes glacie tunc conſtrictæ expeditam viam præberent Czarnecius, cum ad manus utique veniendum perſpiceret, ſuos in aciem diſpoſuerat magno ut videbatur animo hoſtem excepturos. Acri utrinque impetu concurritur, Polonis pro more ingentem clamorem tollentibus, qui & aliquandiu obnixi in veſtigio ſtetere. Sed non diu hiſce conſtantia duravit adverſus Svecorum tubos certo ictu cominus directos, ac gladios lateribus adplicitos. Itaque omiſſa pugna in celeritate equorum ſalus quæritur, quorum fugientium terga Sveci ad quintum usque milliare cædunt. Magna ibi hoſtium multitudo trucidata, multi inſignes ductores capti, & undecim vexilla iisdem erepta. Svecorum pauci admodum cecidere, nec nullus alicujus notæ. Duci Adolfo Joanni, dum obviam ruenti Finnoni equiti magno cum impetu impingitur, genu contuſum. Rex cum ea clade proſtratos Quartianorum animos cenſeret, diplomate publicato eos, qui deſciverant, ad ſacramentum ſuum revocare conabatur, impunitatem & honoratam ſub ſe militiam pollicitus. Sed quæ usque adeo nihil valebant, apud Svecicum nomen averſantes, ut jam & illos qui hucusque apud Regem remanſerant, nutare adpareret, quos inter quotidie Rex ſummo cum vitæ periculo verſabatur, obvia ſæpius occaſione ipſum occidendi, ſi in tantum ſceleris ſat conſtantiæ fuiſſet. Et paulo poſt Coniecſpolſcius noctu cum magna manu Quartianorum deſerebat, cui ne multum fideret, Regem jam antea Chmielinſcius monuerat. Eum paulatim alii ſequebantur, donec ad extremum Sapieha cum reliquis ſe ſubduceret, Rege gaudente, ſe tandem infidorum hominum inſidias devitaſſe, adverſus quorum apertam hoſtilitatem virtus ipſum ſua tutum præſtitura erat.

Janovvitz. 7. Febr.

Prælium ad Golumbium. 8. Febr.

Golumbio.

Horn.

1656.

Coniecſpolski.

Chmielinski.

Sapieha.

§. 6. Poſt id prælium à Bogislao Radzivilio literæ allatæ ſunt, queis à Rege tria equitum millia ſubmitti ſibi petebat ad Palatinum Witepſcienſem obſidio Tyrozini depellendum, quod magni momenti oppidum erat, & ex quo circumjecta lata regio coërceri poterat. Id enim ipſe cum ſolis ſuis copiis non audebat adverſus populares, ad quos & ſuorum multi quotidie transfugiebant. Igitur à Rege illuc ire juſſus Duglaſſius magna cum diligentia proficiſcitur, ſi qua obſeſſoribus improviſus ſupervenire poſſet. Ab hoc in itinere turma Coſaccorum oppreſſa & magna pars cæſa fuit. E quibus aliqui clade elapſi de adventu Svecorum Tyrozinum attulere. Unde orto tumultu Poloni, venientes expectare non auſi cum trepidatione ſe inde proripunt. Radzivilius tamen quatuor volonum turmas ſummo mane oppreſſas & paulo poſt apud Janoviam ducentos Coſaccos concidit, idem mox aſſumpto tribuno Fabiano Berendio Polonicum tribunum Luconactum invadere conſtituit, qui circa Caminieciam Lithuaniæ hærebat octo turmis ſuccinctus. Noſtris ingruentibus is primum reſiſtere velle viſus eſt, ſed mox duabus machinis in ipſum fulminantibus tergum dabat, multisque cæſis ipſe cum tribus præfectis aliisque quam plurimis

Adverſus Lithuanos acta.

Witepski. Tyrozin.

Janovia.

Berend. Luconaki.

Caminiec.

1656. mis capiebatur, reliquis in Poleſiæ ſylvas ſeſe abdentibus.

Rex Jaroslaviam tendit. 11. Febr.

§. 7. Aſt Rex poſt Czarnecium profligatum ulterius Lublinum usque procedit, cui oppido ad incendium redimendum ſumma pecuniæ pro captu præſentis conditionis imperatur, nam idem ſuperiore anno à Coſaccis aſpere habitum fuerat. Præmiſſus inde valida cum manu Duglaſſius Zamoiſciam verſus, num forte id oppidum ſubito adventu opprimere poſſet, præſertim cum fama id præſidio vacuum ferret. Sed fruſtra is conatus erat, quod oppidum valido præſidio teneretur. Inde cum reliquo exercitu Rex ipſe accedens terrorem cominus oſtentare inſtituit, quod antea interprete Radziejovio, an fingente, Zamoiſcius oppidi dominus ſpem feciſſet, ſi vis admota honeſtum ſibi prætextum præbeat, ſe oppidum in ipſius manus conſignaturum. Sed ubi iam in rem præſentem veniendum foret Zamoiſcius abnuere, ac medium ſtatum expetere. Quem & ipſum certis conditionibus concedere Rex voluit, eamque ob cauſam in oppidum miſſus eſt Joannes Sapieha Quartianorum præfectus, & Bretlachius tribunus, ſed ab iſto omnis tractatio eluſa fuit, obfirmante Zamoiſcium ipſo Sapieha, qui antea Regi de iſtius deditione confirmarat. Sed nunc idem Zamoiſcio fatebatur fraudes, quas in exitium Regis agitarit, ac uti huic perſuadere laboret cum exercitu longius montes verſus progredi, ubi à reliquis ſuis plane divulſo pereundum foret, ac vivo aut mortuo in Polonorum manus incidendum, quibus interim ſat ſpatii fuerat omnes undique vires excitandi. Cum tamen Sapieha iſte fidem ſuam erga Carolum Guſtavum cumprimis jactaret, jurejurando adſtrictam, à quo & magno viciſſim honore habebatur. Quem cum Rex deferente Potocio interrogaret, quid hicce meritus eſſet, ut palo per medium corpus adacto imponatur, reſpondit, nec eo ſecius idem paulo poſt flagitium imitabatur. Cæterum Rex cum Zamoiſcienſes amici nihil præ ſe ferrent, magnum globorum numerum fere ignitorum in oppidum evibrari juſſit, ſi incendium excitare poſſet. Sed cum præſidiarii neglectis iſtis ſumma vi defenſionem adornarent, nec Regi grandiores machinæ eſſent quatiendis munitionibus, quod expedito itineri non niſi leviores adſumſiſſet, & conſtricta glacie humus obſidentium labores aſpernaretur, ne fruſtra valido oppido adſidens militem prodigeret, eo relicto Jaroslaviam iter intendit, ut pingui circum regione & quam nullus unquam hoſtis attigerat exercitum reficeret, ac ſi per tempeſtatem liceret, Leopolim infeſtaret Tartarisque acceſſum præſcinderet. Cum Thomaſſovium perveniſſet, nunciatum eſt, Czarnecium duobus inde milliaribus conſiſtere. Iſte quippe pulſus licet non longe à Svecico agmine diſcedebat pabulatoribus & palantibus inſidians, & ſi qua poſſet, nocendi occaſionem captans. Unde Rex ſtatim decrevit, cum equitatu ipſum invadere, ſed qui audito hujus adventu per noctem præceps Leopolim verſus ſe proripuerat. Jaroslaviam præmiſſus eſt ſubtribunus Andreanus cum dimacharum manu. Sed cum obſtantes hoſtes tranſitu Sani fluminis eum arcerent, auxilio eidem acceſſit Aſchebergius cum ducentis equitibus ac minoribus machinis, qui repulſo hoſte viam aperuit. Ex eo loco Hammerſchildius, Gorgaſius, & Aſchebergius cum tribus legionibus Premislaviam verſus ire jubentur, circa quod oppidum Nobilium & agreſtium manus coiverat, quorum duas cohortes deprehenſas illi conciderunt, & centum amplius impedimentorum vehiculis potiti ſunt. Sed iidem dum obſcura nocte Sanum fluvium tranſire conantur, fracta glacie non procul oppido quinquaginta equos aquis hauſtos amiſere. Inſidebant iſthoc quadringenti Poloni & aliquot Judæorum centuriæ, valido alias muro cinctum, ac loci ſitu firmum, ut aſſultantes equites facile arcerentur. Igitur eodem miſſus Duglaſſius cum valida peditum manu ac duabus machinis, qui cum adventu ſuo eas diſploſiſſet, oppidani poſt modica inter eruptiones damna accepta dataque ſuper deditione agere cæperunt. Ea in tractatione à Rege nuncius venit, Czarnecium validis cum copiis adeſſe, ac medium ſe Regi atque Duglaſſio inferre conari, eoque ipſe quantum poſſet, inde recedere juſſus eſt. Igitur abrupta tracta-

Jaroslav.

Lemberg.

Thomaſſov.

Zamoiſcia fruſtra tentatur.

Bretlach.

Hammerſchild. Gorgas. Premislav.

1656. 3. Martii. tractatione hic Jaroslaviam versus properat, cui excipiendo Rex toto cum equitatu ad mediam usque viam occurrit, ac sequenti die in castra ad Jaroslaviam deduxit, nullo damno accepto, cum Czarnecius non nisi levi velitatione extremum agmen lacesseret.

Rex Jaroslaviam pervenit.

§. 8. Interim hostis, qui Jaroslaviam insederat, adventu regis territus profugerat, vacuumque oppidum isti reliquerat. Eo antequam Rex perveniret, remittente gelu lutosas vias exercitus summa cum difficultate eluctabat, praecipuo impedimentorum labore, quae ideo longius à reliquo agmine incedebant. Id cum hosti intellectum esset, qui semper modico ex intervallo Svecorum iter legebat, mille amplius Poloni impedimenta ultra Sanum adhuc haerentia invaserunt, quibus tuendis nonnisi Laurentius Krusius cum ducentis quinquaginta equitibus relictus erat, hisque improviso circumfunduntur, quod nostri propter interjectam sylvam longius ipsos prospicere non potuissent. Igitur pugna conserta Krusius acriter licet connixus numero obrutus cessim ire cogitur, non amplius tamen quam sexaginta suorum desideratis, & aliquot impedimentorum vehiculis. Et quia tumultu excitato aliquot Svecorum legiones in auxilium isti adproperabant, hostis statim confusis ordinibus in tuta se subducebat. Jaroslaviam Rex delatus, opulentum oppidum dies aliquot exercitui ad quietem concessit, quem iter isthoc non parum imminuerat & afflixerat. Nam non solum aliquot Quartianorum millia deseruerant, ad populares suos regressi, sed & plurimos Svecorum, dum cibaria aut praedam consectati palantur, efferati agrestes trucidaverant, qui & quos lassitudo aut morbus agmen relinquere coëgerat, quorum magnus numerus ob celeritatem profectionis, & saevitiam coeli erat, nulla miseratione occidebant, sic ut vix ulla res toto hoc bello regiis copiis tantam cladem intulerit, quam iter hoc Jaroslaviense. Caeterum Rex ut eo tutius ad oppidum istud consisteret, munitionibus suburbia amplecti instituit, ut totus exercitus intra illa metari posset, operique manus statim admota est. Sed quia dimidio ab urbe milliari angustus ad oppidum ditus erat, quem castello utique munire placebat prohibendae subitae hostium irruptioni, trecenti milites ad opus ibi faciendum destinantur. In hos Czarnecius subito è vicina sylva assultum dabat, & occurrentem tribunum Braunium, qui cum trecentis equitibus operarios protegebat, post unius horae velitationem pellebat, caesis quadraginta equitibus ac compluribus operariis, etsi magna horum pars interea trans pontem Sani apud Jaroslaviam evaserat, ac nisi vigilantia Regis virtusque praesto fuisset, qui primus equo celeriter conscenso adstantem peditum manum in hostes rapuisset, Czarnecius una cum Braunio per pontem in oppidum, ipsaque castra irrupisset, magnas sine dubio turbas daturus. Sed cum emissi longioribus tubis globi Polonis circa aures sibilarent, Czarnecius converso repente agmine turbatis ordinibus trans angustias in sylvam evasit, centuriis aliquot suorum desideratis. Mox Rex assumtis aliquot equitum legionibus, & Wittenbergio cum reliquo equitatu praeter Quartianos insequi jusso Czarnecio institit, ac multos tardius fugam molientes concidit, ultra sesquimilliare in vesperam usque fugientes urgens, sic ut ea nocte in castra redire non posset. Sed quia Sapieha cum Quartianis apud peditatum in castris substiterat, horum quatuor turmae occasione ex absentia Regis arrepta deserebant. Quas tamen duae legiones equestres, quae primariam stationem in castris obibant, persecutae unam turmam centum capitum in castra retraxerunt. Sapieha, qui ignarum se hujus proditionis simulabat, fidem suam ostentans postero die omnes suos Quartianos extra oppidum ordinibus explicatis disponebat, ac apud Regem cum equitatu reversum multis cum execrationibus testabatur, eam desertionem se inscio & invito factam, eoque noxios, qui omnes inermes, ac in pedes demissi adstabant, offerebat, ut Rex in eos exemplum statueret. Qui tamen precantibus veniam promittebat, armaque restitui jubebat; sed vix paululum progressus erat Rex, cum tumultus repente ortus est, fremente milite Svecico, hos esse proditores, qui omnibus ipsis exitium sint illaturi, quos praestet in vestigio concidi, & eorum equos atque arma inter nostros

1656. 5. Mart. San. Braun. 6. Mart.

Periculosus exercitui Svecici status. 28. Febr.

1656. diſtribui. Nec mora è legionibus, quæ ante oppidum conſtiterant, in iſtos impetus fit, præcipuoBretlachianæ legionis furore, ut illorum magna pars concideretur. Ac tanta erat conſternatio, ut Sapieha cum omnibus Quartianis trucidatus fuiſſet, ni Rex cum Duglaſſio nudato gladio advolans ſævientes compeſcuiſſet, omnibus ductoribus legionis Bretlachianæ in cuſtodiam datis.

Rex Jaroslavia diſcedit.

Chmielinski.

§. 9. Decretum antea fuerat Regi Leopolim invadere, ut è propinquo Coſaccorum auxilium ſibi adjungere poſſet, quorum Dux Chmielinscius haſtenus pronum ſe rebus Svecicis oſtenderat, idoneam modo erumpendi occaſionem præſtolatus. Sed nunc mature in vicinaBoruſſiæ regredi ſatius viſum, ne hoſtis univerſa vi excita medium ſe inſereret, ac intercluſo itinere à reliquis ſuis copiis ipſum arceret, & quia omnia rebellione ardere ac præſidia Svecica paſſim per Poloniam oppugnari audiebat. Nec Brandenburgicus quantumvis rogatus ad diſtrahendum hoſtem uſpiam ſe movebat, ſeu hoſtium ſollicitationibus non ſatis acriter reſiſtens, ſeu quod Rege in anguſtum redacto lautiores ſibi ab eo conditiones ſtipulari poſſet. Nec multum ad ſummam rerum proficiebatur, quod

Wreſowic Wreſovvicius Comes interim agreſtes rebelles per majorem Poloniam acriter depexos dederat. Tum indies circa regem hoſtium numerus gliſcere, tanto cupidius Nobilibus juxta atque agreſtibus concurrentibus, quod fidem adhiberent mendaciis eorum, qui de morte Regis ac internecione Svecici exercitus, quæ optabant, velut vera & jam patrata paſſim vulgaverant, quæ à malevolis in majus ſubinde aucta totam per Europam fama differebat. Et ſane uti Svecicus miles continuis laboribus, inclementia cœli, difficultate viarum morbisque valde attritus erat, ac indies minuebatur, ita contra Polonorum copiæ augebantur, toto è regno turba convolante. Reditu decreto

Stolzenb. Rex Stolzenbergium & Wejerum tribunos præmittebat, ut catervis, quæ ad ipſum tendebant, ſignificarent retro Warſaviam ſe conferre, & ipſius adventum præſtolari. Hi aſſumtis ſedecim ſclopetariis dimidio ſupra

Sendomir. Sendomiriam milliari cymbam ingrediuntur, Sano flumine, inde Viſtula devehendi. Mox infra Sendomiriam ingentem Polonorum multitudinem invenerunt, qui per quatuor milliaria agreſtes inſtigaverant ad eam cymbam invadendam, ſed quos aliquoties ingruere conatos Sclopetarii continuis diſploſionibus depellebant. Ita iſti incolumes Janovvitzam delati, terreſtri inde itinere Warſaviam pervenerunt. Ob profundas luto vias machinæ majores, & pars adparatus bellici octo magnis cymbis imponuntur, Sano flumine per triginta ſex milliaria devehendæ, addito ducentorum peditum præſidio ſub Chriſtierno Carolo Lillienbergio, cui injunctum machinas Sendomiriæ ſub arce in terram exponere, & ſtatim commodo prope id oppidum loco pontem moliri, caſtello ad eum tuendum excitato, quod Rex ibi Viſtulam ſe ſuperaturum crederet. Cum reliquo exercitu Rex Jaroslavia movens primo die non niſi duo milliaria conficere poterat, ad oppidum usque Przevvorſcium, ubi ad meridiem usque altero die ſubſtitit ad Czarnecii deſtinata exploranda. Ab hoc oppido cum Rex diſcederet, aliquot Polonorum ſigna adparebant, qui cum extremo agmine velitati non ſine damno repulſi ſunt. Eo die non niſi unum milliare confici potuit, viis uligine verna, & paludoſa regione ita lutoſis, ut equi ad ventrem, currus ad axes usque ſubſiderent. Unde & magnam partem vehiculorum, ne hoſti prodeſſe poſſent, igne delere neceſſum fuit. Pernoctatum eſt in campo apud vicum Trzincam. Heic Czarnecius, perſpecto Regem Sendomiriam verſus tendere, & ipſe ad ſiniſtram hujus Viſtulam verſus non procul à Svecico agmine incedebat, quod eundem à Viſtulæ acceſſu excluderet. Interim ſingulis horis lateri aut extremo agmini aſſultare, caſtris ita prope poſitis, ut ignes è Svecica ſtatione conſpici poſſent. Eum Rex diſploſis duabus machinis ad pugnam provocabat, cujus ipſe cupidiſſimus erat, ut laxius incedendi ſpacium nanciſceretur, quin & ſequenti die ad meridiem usq; copiis in aciem explicatis expectabat, ſed Polono pugnæ copiam non faciente Rex Guſtavum Oxenſtiernam cum caterva equitum & dimacharum præmiſit ad pontem Wis-

Janovvitz.

Chriſtier Carlſon Lillienberg.

12. *Mart.*

Przevvorſt.

13. *Mart.*

14. *Mart.*

Wiſlac.

loco

1656. loco fluvio injiciendum, quem eo die exercitus transiit. Eo loco Sinclerus tribunus à Duce Adolfo Joanne cum quadringentis equitibus missus ad Regem incolumis pervenit, per medios hostes iter tantilla cum manu emensus. Inde exiguis itineribus per triduum viis molestissimis ad Niscovium oppidum tribus à Sendomiria milliaribus perventum, situ valde opportuno & aquis
Sincler.
18. *Mart.* fere circumfluum. Eo die Czarnecius qui Svecos semper insecutus fuerat, modo heic modo ibi assultans parum aberat, quin magnam confusionem in exercitu Svecico dedisset, nisi vigilantia & dexteritas Regis obstitisset. Quia enim exercitus loco tam commodo metatus tutiorem se adversus irruptiones hostis rebatur, Rex ei tot per dies difficultate viarum & fame ob amissam impedimentorum magnam partem fatigato nonnihil quietis indulgere constituerat, eoque pabulum longius peti, quam prioribus diebus jusserat, quod haut crederet, hostem per difficiles viæ angustias filatim accessurum. Ast iste callidus & promtus sub vesperam, cum magna pars equitum Svecicorum pabulatum discessisset, & reliquæ legiones equis descendissent, cum aliquot millibus fere Nobilibus è sylva haut longe dissita erupit, extremamque stationem quinquaginta equitum, inde primariam sub ipsa castra pepulit. Eum tumultum Rex primus fere omnium sensit, ac ipse propria manu duabus machinis inflammatis signum dedit, ac tympanotribas classicum pulsare jussit, inde conscenso equo peditum stationem, aliasque peditum legiones in hostem duxit. Ea res impetum hostis, qui alias tota castra repente turbaturus
Kurk. erat, stitit. Interea Gustavi Kurkii
Berendt. & Fabiani Berendii legiones Finnicæ equis conscensis adcurrerant, quas conspectas ipse Rex in hostem rapuit, ac hunc terga vertere coëgit, tam promte sibi occursum iri haut sperantem. Interim & Duglassius cum aliis legionibus citato cursu advolabat, ac Wittenbergius cum reliquis ruebat. Rex quantum poterat, hostem impetu persequebatur, quod spes esset insignem cladem eidem inferendi, antequam per angustias viæ iterum evaderet. Ast Czarnecius sylvam bis mille agrestibus insederat, qui in subeuntes cum Duglassio legiones tubas longiores displodebant. Unde hic, 1656.
qui peditatum ibi hostilem subsistere crediderat, impetum in istas vertit, Rege etiam cum suis eodem ruente. Sed cum agrestes duntaxat eos esse innotesceret, Rex Czarnecium persequi institit, Duglassius post modicam pugnam in sylvam penetrans mille ducentos agrestium trucidavit, reliquis hinc inde dilapsis. Inter istam moram Czarnecius raptim cum plerisque angustias evaserat, ut Rege adventante, non nisi aliqua vexilla citra restarent, quæ & impetu in ipsa dato deditionem facere sunt coacta. Is dies neque Svecis à damno immunis fuit, ducentis equitibus à Czarnecio primo assultu cæsis, nonnullis captis, & multis pabulatorum desideratis. Propositum tunc Czarnecio fuerat à fronte Regem invadere, Palubinio inter eum *Palubinski.* tumultum cum tribus equitum millibus à tergo ingruente, sed cujus iter difficiles viæ per duas horas retardarunt, qui & cum è dato signo Svecos pugnæ promtos intelligeret, longius procedere ausus non fuit.

§. 10. Rex cum animadverteret, *Sapieha deserit.* nullo sibi tempore ab irruptionibus hostis cautum, hisce avertendis constituit prævalidam catervam longius agmini præmittere. Sed cum proprium militem tam periculosæ stationi adhibere dubitaret, qui facile ab hoste circumventus perire poterat, satius visum Joannem Sapiehan cum suis Quartianis, qui hucusque Regem secutus fuerat, huic usui admovere, si utique transfugere sederet, minore nunc noxa abiturus, quam si forte in ipso prælio aciem turbaret, igitur in duo milliaria reliquum exercitum præcedere jubetur, vile damnum, si aliqui eidem subjectorum cecidissent, ut tumultu excitato Rex spatium nancisceretur exercitum disponendi. Qui & eo die sesquimilliare à castris 18. *Mart.* Svecicis Sendomiriam versus progressus est, in oppidulo Plava sta- *Plava.* tionem per noctem acturus, donec Rex proximo die eodem sequere- 19. *Mart.* tur. Enimvero quia isti constabat, quantis mox copiis Rex obruendus erat, objectis ingentibus fluviis *Sano.* Sano ac Vistula, quorum ripas hostis infederat, qua Svecos nullo modo perrupturos credebat, tunc molestis viis, continuis vigiliis atque laboribus debilitatos, jam scopum proditionis

1656. tionis ſuæ affectum ferebatur, Rege in eas anguſtias deducto, unde elabendi nulla ratio foret. Eoque cum jam veniæ apud Joannem Caſimirum certus eſſet, quod diu meditatus erat flagitium, noctu ad Polonos cum tribus fere Quartianorum millibus transfugit, jurisjurandi, humanitatis ac inſignium donorum, queis à Rege mactus fuerat, oblitus. Sic ut Polonorum nemo apud Regem perſiſteret præter Niemericium ſummum excubiarum præfectum, & Coritzcium tribunum, quorum hic Regem in Daniam usque proſecutus demum bona cum ejus venia in patriam revertit. Qua deſertione mature animadverſa Rex apud legiones denuntiavit, ut quilibet aſperrimæ pugnæ, quæ imminere videatur, ſe paret, nec aliam quam in manibus ſalutis rationem ſpectet, quod cum per Sapieham exercitus Svecici conditio, & pleraque ipſius deſtinata hoſti prodita ſint, is ſine dubio vi invaſurus prærepta jam commoditate locorum, ac Sendomiria & Viſtula ipſos plane excluſurus ſit. Et ſane non obſcurum erat, quam arduum futurum eſſet, vi Sanum perrumpere, cujus adverſam ripam Sapieha Witepſcius cum octo millibus inſederat, excitatis munitionibus, qui cum ſi Rex manus conſereret, Czarnecius à tergo & lateribus incubiturus erat. Sed quia Sendomiria Svecico præſidio tenebatur, quo & jam Chriſtiernus Caroli pervenerat, pontem navalem ſtruere orſus, judicabat Rex facilius ſe ibi tranſitu Viſtulæ potiturum, aut ſi & is inter cluderetur, retro Cracoviam verſus tendere ſtatuerat, ibique munitis caſtris conſidere, quoad hoſti in vaſtata regione neceſſitas adferretur copias dividendi, ipſique ſpatium præberetur alio ſe recipiendi. Ea deſtinata Rex Sapiehæ aperuerat, qui & Czarnecio plane fidem fecerat, Regem utique Cracoviam petiturum, & adventu Regis pontem apud Sendomiriam brevi abſolvendum, quem ipſe nemine impediente ſuperaturus ſit, Lubomirſcio, qui ea parte ſervabat, haut ſatis valido ad tranſitum prohibendum, & Regem ſuperato flumine facile qua velit perrupturum, cui nihil magis optetur, quam præliandi occaſionem nanciſci, invictis ſtatario pugnæ genere Svecis. Aſt ea via interclusa Svecico exercitui fame extabeſcendum eſſe. Igitur Czarnecius prodito Regis conſilio, ſimul audiens pontem apud Sendomiriam cæptum, & arcem ibi à Lubomirſcio oppugnatam una cum caſtello acriter reſiſtere, haut conſultum judicabat, eis Viſtulam veſtigia Regis amplius legere, qui & jam prope Sendomiriam attigerat, ubi favente arce & caſtello ad caput pontis excitato quandocunque placeret Viſtulam tranſire poſſet. Unde omiſſo exercitu Svecico tribus ſupra Sendomiriam milliaribus Viſtulam partim cymbis, partim natando transmittere ſumma celeritate cæpit.

Niemeritz *Coritzki.* *Sapieha.* *Witepski.* *Lubomirſki.*

1656.

§. 11. Interim Rex Sendomiriam prætergreſſus dimidio infra id oppidum milliari caſtra nullo impediente poſuerat in angulo, qua Sangus Viſtulæ infunditur. Unde ſtatim ſubtribunus Ekebladius & præfectus turmæ Otto Wilhelmus Ferſenius ad Chriſtiernum Caroli mittuntur cum mandato, ut caſtellum & pontem ſumma vi tueatur. Tum media nocte duabus machinis diploſis ſignum adventus datur, quibus Chriſtiernus pari numero reſpondit. Sequenti die Rex aſſumto equitatu unum milliare viam retro legit ad explorandum, num hoſtis ſecutus ſit, ac ut caſtra, in quibus aliquot dies perſiſtendum erat, pabulo inſtrueret. Ea tamen nocte in caſtra rediit, cum nihil plane hoſtium animadvertere poſſet. Et quia conjectando aſſequi non poterat, quo Czarnecius vertiſſet, aliquot catervas in diverſas partes emiſit iſti inveſtigando. Interim Chriſtiernus Caroli quinque dies ante Regem Sendomiriæ adpulerat, ac machinas ſub arce in terram expoſuerat, belli paratu in arcem collato, ſimul pontem infra oppidum extruere cæperat, caſtello ad illum tuendum excitato. Eodem tempore Lubomirſcius quoque Sendomiriam acceſſerat, ac oppidum arcemque aliquoties aſſultans acriter repulſus fuerat. Sed quia munitiones tam propere ingruente hoſte Chriſtiernus perficere non potuerat, Polonus machinis ad Viſtulam, & hominibus qui eas tractabant potitus eſt, iisque arcem quaſſare inſtituit. Et cum qui in aëre erant id parum curarent, ac ventus à Viſtula arcem verſus vehementer flare inciperet, Lubomirſcius granaria ripæ fluminis impoſita inflammari jubebat, ſperans ignem à vento in arcem quo-

Rex Sendomiriam attingit. 20. *Mart.* *Ekebladi Ferſen.* 21. *Mart.*

que

Digitized by Google


A
S. Petri.
Colleg. Soc. Jesu.
VISTULA FLUVIUS.

Notarum Explicatio.
A. Urbs Sandomera B Cœlellum Tumultuarium ad
defendendum Pontem, quod a Lubomirpio magnis viribus
oppugnabatur sed a Suecis sub Capitaneo Christer Carlo magnanimiter
defendebatur C Arx a Czarnezkio validissime impugnata. —
D Suecis sub Praefectura Tornschold qui præsidiarios milites ex
arce eductos Scaphis imponebant eosdemque ad Regem ponte ducebat.
E. Czarnezkio exercitu educentem præsidiarios impedire studens
F Arx subdito pulvere nitrato evecta G Tormenta Suedica
ad defensionem arcis posita
H I D B delin.
Templ. Capucin. Scheidl
B
Tres Scaphæ militibus repletæ, quæ flumine adverso ad
littus B tendunt, præsidiarios ex arce reducit incolumes.
NAPOLI

Digitized by Google

1656. que dilatum obſeſſis deditionis neceſſitatem impoſiturum. Sed quia eo ipſo momento ventus ad latus ab arce oppidum verſus declinabat, protinus id flammam concepit, quæ præter unum templum & paucas domus omnia depopulabatur. Inter iſta Rex curam
Bulov. caſtrorum & peditatus Bulovio, ſummo vigiliarum præfecto commendabat, adjunctis duabus equitum legionibus, ut ſtatim ſtruendo per Sanum
24. Mart. ponti manum admoveret. Ipſe ſummo mane cum equitatu ac ſexcentis dimachis dimidio à caſtris milliari ad ripam Viſtulæ Sendomiriæ adverſam
Sparr. aſcendit, ubi Carolus Sparrius tribunus cum dimachis protinus ponti excitando operari jubetur. Eodem tempore quoque Czarnecius cum plerisque ſuorum Sendomiriam acceſſerat, qui conſpecto Svecorum circa exſtruendum pontem labore, eo acrius ad expugnandam arcem incumbebat, quod ea capta non parum Regis deſtinata turbatura eſſet, paratu bellico, qui in eandem congeſtus erat, pariter intercipiendo. Is igitur adventu regis machinas quidem abduci jubebat, ſed iſto inſpectante arcem & caſtellum ad pontem aliquot locis ex oppido ſumma vi oppugnabat non ſine ſuorum ſtrage, donec Rex è duodecim machinis cis Viſtulam dispoſitis catervas hoſtium impeteret, ac ſuis in arce reſpirandi ſpatium faceret. Cæterum cum Rex reſpiceret arci trans Viſtulam à ſe ſubveniri non poſſe, quæ & diu tantam vim hoſtium ſuſtentura non erat, præſertim quia jam Czarnecius per feneſtras ædium dispoſitis dimachis arcem acceſſu Viſtulæ diſcluſerat, præſidiariis ſervandis Tœrneſchildium ſubtribunum cum centum peditibus tres majores cymbas conſcendere jubet, quas juxta citeriorem ripam adverſo flumine ſubactas, inde ſecundo flumine obliquo curſu delapſas, ſub ipſam arcem ripæ adplicaret, tum præſidiarios ex arce, & quantum paratus bellici poſſet, iſtis imponeret. Juſſa hæc quantumvis ardua Tœrneſchildius promte executus eſt, ac cymbis ſub arcem adplicitis ſtationem hoſtilium equitum inde pepulit. Sed deſultores, quos lapideis ædibus arci ac flumini interjectis Czarnecius impoſuerat, cum Svecicis peditibus acriter certabant, indignantes non ſolum ipſis invitis aditum ad arcem apertum, ſed
Toerneſchild.

& brevi tempore octoginta dolia pul- 1656.
veris pyrii, multumque paratus bellici, & ſcriniorum ſarcinarumque præter ipſorum ora in cymbas comportari. Ex quo Lubomirſcius & Czarnecius judicabant, Svecos mox arcis defenſionem abdicaturos, eoque ex omni parte copias ſuas propius admovebant arci ſimul cymbisque intercipiendis. Eo animadverſo Toerneſchildius præſidiarios centum numero cum præfecto Cronlothio ex arce evocat, paucis *Cronloth.* in via deſideratis, cymbisque imponit; ſed quia tempus non ferebat omnem paratum bellicum exportari, trecenti centenarii pulveris, & magna vis repletorum granatorum, (quinquaginta magna erant, quater mille minora) fornicato conclavi tribus ferreis januis munito recondebantur, adpoſitis à Gabriele Anaſtaſio ardentibus funibus foribusque occluſis. Qui tamen dum tardius molitur, & ad cymbas cum triginta gregariis ſeſe recipere conatur, ab ingruentibus omni ex parte hoſtibus opprimitur, & cæſis gregariis ipſe capitur. Sed Toerneſchildius cum reliquis ante hoſtium ora ſuperato flumine ad Regem incolumis pervenit. Arcem præſidio va- *Arx Sendomiria in aërem evibratur.* cuam inde Poloni ex omni parte invadunt, velut luculenta præda potituri, ac jam tympanis tubisque victoriæ ſignum dabant, cum dicto citius pulvis granataque flammam concipiunt, totamque arcem, & bis mille homines in aërem horribili cum fragore evibrant. Ita Polonorum exultatio momento in luctum vertit, quam cladem tamen propinqua ſpes univerſum exercitum Svecicum delendi ſolabatur, quem nullo modo manus ſuas evaſurum crediderunt, in anteceſſum jam nunciis Svecicæ internecionis paſſim dimiſſis.

§. 12. Aſt Rex cum intellexiſſet *Rex transit Sanum evadit. Lithuanosque profligat.* Czarnecio in proclivi fore, tranſitu Viſtulæ apud Sendomiriam ipſum arcere, quod ponte licet abſoluto, per altiorem ripam & anguſtias viarum ſingulis turmis in aperta camporum enitendum eſſet, omiſſo iſto itinere per Sanum fluvium Lithuanorumque ibi caſtra erumpere ſtatuit. Eoque ſub veſperam cæptum pontem diſſolvi, materiamque ad Sani oſtium devehi juſſit, eo loco pontem moliturus. Et quia conjiciebat, omnes Czarnecii copias haut ita cito

Viſtu-

1656. Viſtulam potuiſſe ſuperare, denuo cum equitatu per duo amplius milliaria Baranovam progreſſus deſertorem Sapiehan cum quatuordecim Quartianorum turmis cis fluvium deprehendit, quem poſt brevem pugnam fudit, trecentis cæſis, quatuor vexillis captis, maximam partem in Viſtulam compulit, ejus undis ſuffocandam, ipſe ſequenti die magna cum annonæ copia in caſtra revectus. Cæterum ibi pontis ſtructura tardius pro-
25. Mart. cedebat, quod in adverſa ripa conſiſtentes Lithuani loricam ſecundum flumen excitaſſent, ac opus facientes machinis tubisque valde infeſtarent, cæſis prope omnibus fabris, ſic ut non niſi citerius fluminis brachium inſterni poſſet, ad inſulam usque in medio fere alveo ſitam, unde ad alteram ripam latiores aquæ labebantur. Sed cum eo loco diu morari haut tutum foret, ne Polonis trans Viſtulam conſiſtentibus ſpatium daretur cum Lithuanis ſe jungendi, impenſe audere Rex ſtatuit, ac in conſpectu hoſtium, ſuperato flumine, in adverſa ripa ſtationem capeſſere quantocunque dispendio ad extrema pericula declinanda. Igitur quinquaginta machinas ad ripam fluminis disponere, inde pedites, ac retro eos equites in aciem explicare, hoſtibus ex adverſa ripa cum admiratione ſpectantibus, & quid acturus Rex, eſſet conjectare haut valentibus. Hos ut illuderet atque turbaret, Rex Guſtavum Kruſium & Di-
La Chapelle. tericum Capellum tribunos cum trecentis peditibus tres cymbas ad inſulam clam hoſtes deductas confondere jubet, ut quando machinarum tonitrua, & tympanorum tubarumque ſtrepitum audirent, ad hoſtilem ripam trajicerent, ac quem ibi ceperint locum obnixe tuerentur. Et quia plures cymbæ in promtu non erant, tres illas ſtatim remitterent, plus militum transvecturas. Quæ auſa feliciter ſucceſſerunt. Nam crepuſculo inumbrante machinæ Svecicæ in caſtra Lithuanica fulminare, & clangore tubarum, tympanorumque ſtrepitu omnia reſonare. Mox juſſu Regis peditatus per pontem in inſulam, inde in partem pontis ſtrui cæptam tranſibat. Interim Kruſius & Capellus cum cymbis alterum brachium fluminis transmiſerant, ac fruticetis tecti vicinas Lithuanorum munitiones expugnarant, 1656. ſtationemque ibi ceperant. Eum inter tumultum hoſtis arreptis armis quo ſe verteret attonitus hærebat, cum jam Svecos in ſuis caſtris conſpiceret, & pontem tamen nondum abſolutum noſſet. Nam initio quidem è munitionibus ſuis magno numero machinarum & tuborum fulminabant, queis non parum damni Svecico peditatui intulerant, inter alia globo machinæ inter crura Regis citra noxam transvolante, ut tamen ejus faciem veſtesque & calceos pulvere oppleret. Mox tamen conſpectis intra munitiones ſuas Svecis terrore correpti, velut Rex toto cum exercitu tergis ipſorum immineret, trepidi caſtris ſe ejicere, ac relictis machinis ſignisque ac ſarcinis in fugam ruere. Interea nonnulli Svecici pedites paulo infra caſtra flumen nando ſuperarant, & aliquot hoſtium cymbas ad ſuos pertraxerant, qui caſtra hoſtium deſerta, iſtosque in fugam effuſos conſpexerant. Unde Rex ſtatim manum peditum, ſimul ducentos equites trajici juſſit, de hoſtium fuga clarius exploraturos. Ipſe per noctem in inſula conſiſtens pontem maturari urgebat, opere ita alacriter procedente, ut adhuc ante lucem aliquot equitum legiones tranſirent. Sequenti die totus exercitus inſecu- 26. Mart.
tus eſt, maximum ſi quod unquam periculum eluctatus, duobus ingentibus fluviis incluſus, cum à tergo Czarnecius cum decem millibus, à ſiniſtra Lubomirſcius cum ſex millibus, & à fronte Witepſcienſis octo Lithuanorum millibus ſuccinctus imminerent, præter multa agreſtium millia, qui omnes Svecorum internecionem ſpe præſumſerant, eamque velut jam patratam tota Europa ſparſerant. Sane Viennæ, Wratislaviæ, ac Gedani clades Svecorum, ipſiusque Regis cædes ita diſtincte deſcripta imprimebatur, ut iſtos fuiſſe ſpectatores diceres, ejusque mendacii fides multorum animis pertinaciter hæſit, ſic ut aliqui eam perſuaſionem poſt biennium demum Rege ad Hamburgum conſpecto exuerent. In caſtris Lithuanorum octodecim machinæ æneæ, & aliquot ferreæ, viginti octo ſigna, aliquot centuriæ vehiculorum cum multis pecoribus & magna annonæ pabulique copia inventa

cum


Castra
Fuga
NAPOLI

Digitized by Google

NAPOLI

Digitized by Google

1656. cum multis captivis, quæ prædaSvecico exercitui magno ſolatio ceſſit, qui nunc tanto periculo defunctus ſe recreabat. Immiſſæ tergis fugientium catervæ quadringentos amplius
29. Mart. tardius molientes conciderunt. Rex inſtrumentum bellicum & plerasque ſarcinas tum & peditatum cymbis impoſitum accelerando itineri Warſa-
5. April. viam ſecundo Viſtula demiſit, quo & ipſe cum equitatu ripam legens incolumis pervenit, exercitu trans flumen circa Pragam diſpoſito, ut poſt tot exhauſtos labores quiete ſe reficeret.

Clades Svecorum ad Warcam.

§. 13. Enimvero non eadem fortuna FridericumMarchionem Badenſem Regis affinem proſecuta eſt. Juſſus is erat, manum aliquam Regi obviam adducere, viginti quatuor equitum, decem dimacharum ſigna erant, quo tutior adverſus vim Polonorum Jaroslavia regreſſus foret, monitus tamen accurate caveret, ne quod damnum ex improviſo ſibi à Polonis inferatur. Is cum in ſiniſtra Viſtulæ ripa itinere facto Janovitzam perveniſſet, Weierum tribunum obvium habuit, à quo Regem per alteram Viſtulæ ripam deſcendere intellexit. Igitur & ipſe converſo itinere Warſaviam retro concede-
Warca. dere inſtituit, & Warcam regreſſus, jam erat, tutusque maturanti receptus patebat, ni deſultorum legionem tardius incedentem eum per diem War-
28. Mart. cæ expectaſſet. Unde poſtero die oppido iſto digreſſum Poloni aſſequuntur, ac poſtremum agmen morari incipiunt. Marchio ſuis in aciem diſpoſitis, cum citra pugnam evadere non liceret, obſirmato animo cum Polonis prælium committit, qui duodecim bellatorum millia explebant, Sveci numero licet longe inferiores per duas horas denſatis ordinibus hoſtem ſuſtinent & aliquot Polonorum centurias cædunt. Sed numero obruti, cum nec pauci ipſorum caderent, & multi tirones nondum Polonico pugnandi generi eſſent adſveti, aut apud impedimenta hærerent, campo cedere, aut fugæ ſe mandare cogebantur. Ex iſtis quingenti circiter proxima nocte Warſaviam evaſere, quo & ſequentibus diebus non pauci pervenerunt, qui ſævitiam hoſtium latebris ſylvarum & paludum declinarant. Centum ſexaginta capti, reliquos ferrum hauſit. Ipſe Marchio Fri-
Pens. dericus, Slippenbachius comes, Penſius & Wejerus tribuni, & Secretarius Eduardus Philippi Ehrenſteinius cum 1656.
ala Finnonum centum octo equitibus *Ehrenſtein.*
conſtante Czierſcam ſe conferunt, ac *Czierſco.*
raptim inter vetuſtos muros ſeſe communiunt, cibariis è vicino prædio comportatis proximasque ædes inflammant, ne Polonis prodeſſe poſſent. Inter ea rudera per biduum ſuſtinent, extrema tolerare parati, Polonis bina vice ad deditionem eos invitantibus, queis iſti nihil aliud reſponſi dabant, quam ut propius ſubeuntes telis proſternerent. Sed cum Polonis nuntius
29. Mart. veniret, Regem ſuperato Sano Warſaviam verſus tendere, repente Warcam ſe ſubducunt. Unde qui Czierſcæ incluſi fuerant, haut diu morati Warſaviam iter properant, quo & non ſine periculo ſequenti die per volitantes paſſim Polonorum catervas perveniunt.

Per alia Poloniæ loca interim geſta.

§. 14. In aliis quoque Poloniæ partibus hoſtilia fervebant, etſi modico ad ſummam rerum momento, ac furori multo paſſim ſanguine litabatur. Inprimis atrocitatem facinoris exſuperant, quæ à Polonis exitu ſuperioris
Wielun. anni Wieluni patrata ſunt. Agebat ibi Wreſovvicius Comes cum ſat valido præſidio, Polonis ob ſævitiam cumprimis inviſus. Ad eum opprimendum conſilia ineunt, qui in vicinam Sileſiam profugerant Nobiles, quorum tres turmæ conglobantur Duce Caſtellano Babimoſcio, cui cum equitum *Babimoſki.*
& dimacharum manu Kolaſchius qui- *Kolaſch.*
dam ſeſe adjunxerat, agreſtibus paſſim quâ incedebant, ſe agglomerantibus. Vehiculis illi duobus ſcalas adduxerant, quibus admotis noctu dormitantibus Svecis mœnia ſuperant, & excubitores ad portam ſecure agentes citra ſtrepitum confodiunt, portaque aperta ſuos intromittunt. Oppido tantum inerat militum Svecicorum quantum repellendis Polonis ſufficiebat, ſi arma expedire & in unum coire licuiſſet. Sed ingruentes ſubito Poloni omnes viarum aditus obſtruxerant, & atroci clamore ſublato quoscunque in publico invenerant, trucidabant, ut nemo non latebras circumſpiceret. Orta luce Poloni equis deſcendentes domos irrumpunt, & quoscunque Teutonicam linguam ſonantes deprehendunt, jugulant, nullo diſcrimine, milites, opifices, viatores, quos prodentibus, qui Romanos ritus ſectantur, furibunda plebs fuſtibus contuſos, poſt exanimes porcis lace-

1656. randos objiciebat. Mulieribus ubera abscindebantur, infantes dissecti porcis cibum præbebant. Sacerdotem manibus pedibusque demum capite truncabant. Per quatriduum ea immanitas desæviit, donec Poloni intellecto Svecorum adventu cum præda in Silesiam facesserent. Obsidebat interim Wresovvicium cum octoginta militibus in arce parum munita Babimoscius, acri oppugnatione in cassum tentata, quod modica ipsi conductitii manus militis foret, ac Nobiles agrestesque rapinis tantum & cædibus vacarent. Et acriter vim subeuntium arcebant Sveci, donec Cracovia adproperantes aliquot equitum centuriæ istos obsidio eximerent, qui & recipientes se Polonos acriter persequuntur, cæsis centum viginti amplius, nec paucis captis, in quos ad se adductos sævitiæ suæ exempla Wresovvitius reposuit. Tum tanta Polonorum immanitate efferatus vindictæ se accingit, ex ipsa Silesia, unde isti eruperant, istos petiturus, ac nullius quem deprehenderet, vitæ parciturus. Unde suburbia Vielunæ & vicos & prædia Nobilium circum incendit. Tum valida cum manu Oschiezam invadit, ubi magna vis grassatorum Polonorum nidulabatur, nec paucos è suburbio Pitschenæ abductos necat. Alia parte Poloni eo tempore ad Cœnobium Wiesnicium quarto milliari Cracovia dissitum ter assultum dederant, sed à præsidio Svecico strenue repulsi centum quinquaginta suorum desideraruntTum & quæ salinarum fodinas irruperat Polonorum manus à Svecis Cracovia progressis graviter multata dissipatur. Nec omisit Wresovvitius conglobatos passim agrestes investigare, ac deprehensos cædibus compescere, latibulis quoque ipsorum inflammatis. Idem à Paulo Wirtzio cum tribuno Yxculio adversus quindecim Nobilium Polonorum vexilla circa Tarnoviam metantia emissus, equites jam discessisse reperit, sed duas peditum cohortes, & impedimenta Tarnoviæ oppressit, ac cæso milite multa cum præda Cracoviam revertit. Porro eousque tunc furor Polonorum excesserat, ut ipsi mense Majo Lissam Polonicum oppidum in finibus Silesiæ situm, quo decem millia exulum è provinciis Cæsareis se habitatum contulerant, ut sacris suis libere vacare possent, incenderent, oppidanosque atrociter habitos magnam partem trucidarent, nulla alia in optimos cives sæviendi causa, quam quot Germanicæ originis essent, ac eadem cum Svecis sacra profiterentur. 1656.

Ostbietza. *Pietschena.* *Wiesnitz.* *Yxcul.* *Tarnovv.* *Lissa.*

§. 15. Ast Rex post unius aut alterius diei quietem apud Warsaviam exercitum cis Vistulam traducit, adjunctaque Bogislai Radzivilii manu Bloniam movet, cum non constaret, in Poloniam majorem, an retro ad Vistulam hostis vertisset, quem utroque casu persequi, & ad prælium compellere constituerat. Quo fine & legiones è Borussia, tum Burchardum Mullerum & Wresovvitium Comitem è Polonia minore ad se evocaverat. Sed cum cognitum esset, Czarnecium ad Lanciciam consistere, ac inde in Majorem Poloniam iter intendere, Rex Ravam vertit, quo isti occurrere, pugnandique necessitatem adferre posset. Rava Lanciciam, Clodovam, Inoulozam, inde Parosium ibat, si qua hostem comprehendere daretur. Sed hic expedito agmine semper viam anticipans, pugnandi occasionem declinabat, inanibus itineribus Svecos fatigaturus, ac palantes intercepturus, tum & mendacia de misero Svecici exercitus statu spargere, provincialibus ad arma sumenda excitandis. Inter quæ idem tribuno Ridderhielmio Lovvitii tendenti nonnihil damni intulerat, subita in oppidum irruptione, cum iste non satis diligenter exploratores emisisset, ut miles hoste ingruente mature in arcem recipere se posset. Idem tamen Krusevvitzam arcem oppugnare conatus frustra fuit, male multatis, qui assultum tentaverant. Sed cum gravia negotia Regem in Borussiam avocarent, is rebus apud exercitum dispositis imperium in eundem fratri Adolfo Joanni confert, cui Carolus Gustavus Wrangelius & Duglassius succenturiantur. Isti injunctum, ut hostem investiget, & præliandi necessitatem eidem adferat, dum ipse ad ordinandas Borussiæ res, & excipiendam Reginam digreditur, ac si hostis in Borussiam descendat, ejusdem vestigia legat, si forte in angustias compelli queat. Addebatur, ut ex oppidis minoribus & parum munitis copiæ educentur, ac munimenta dejiciantur, ne hostibus usui esse queant. *Rex in cassum Czarnecium persequitur. 7. April. Blonia.* *Muller.* *Lanz.* *Rava.* *Clodovam.* *Inoulotz.* *Paros.* *Ridderhielm.* *Krusevvitz.*

§. 16. Re-

Digitized by Google

N. 36

Digitized by Google

Serenissimus Princeps ac Dñs: Dn: ADOLPHUS IOANNES Comes Palatinus ad Rhenū
Bauariæ, Iuliaci, Cliuiæ ac Montium Dux., Comes Veldentzij, Spanhemij Marcæ et Ra-
uensburgi, Dominus Rauensteinij et Mörsi &c.

D. Klocker pinxit. *Sprenger sculp.* *No*

1656. *Ducis Adolfi Joannis acta. Snin. 20. April. Moglia. 23. April. Golanitza.*

§. 16. Rege Thorunium digresso Dux Adolfus Joannes Sninam cum exercitu vertit, ubi oppidani præmissis metatoribus armati obviam procedere ausi magnam partem concidunt. Moglinam progresso Duci nunciatur, in propinqua arce Golanitza Castellanum cum Nobilibus aliquot & ducentis agrestibus hostilia spirare. Igitur placuit manum equitum ac desultorum eo mittere istis in ordinem redigendis. In quos deditionem imperantes, qui intus erant, statim tela emittere cœperunt, nonnullis sauciatis. Unde mox quatuor machinæ adducuntur, quibus porta arcis disjicitur, & Sveci subito ingruentes prohibebant, ne obsessis pontem destruendi spatium foret. Mox iidem palis disjectis pontem pensilem demittunt, arcemque irrumpentes quicquid in armis inventum trucidant. Fœminarum tamen, ne violarentur, curam suscepit Bulovius summus excubiarum præfectus, quas in castra perductas Dux sine lytro in tuta dimisit. Arx ea plane vastata & destructa fuit. Porro exploratores hactenus consensu retulerant, hostem apud Usciam stativa habere. Unde & Dux eodem ver-

Godzieza. tit, & Godziezam usque arcem progreditur, quam rebelles aliquot Nobiles & agrestes insederant, in præcursores tela ejaculari ausi, sed qui cognito exercitus adventu in diversa dilapsi erant. Ast heic Duci nuntius adfer-

Posen. tur, Polonis Posnaniam versus iter intendisse, repentino si possent impe-

25. April. Ragoczno Jabcovo. tu id oppidum oppressuri. Unde & Dux flexo itinere Ragoznam, inde Jabcovam movet. Ubi exploratores retulere, Czarnecium cum universis copiis ac Nobilium agminibus non procul Gniesna hærere. Nam ad proximos quidem Posnaniæ vicos processisse, sed cum Svecos, qui in urbe erant, eam egregie muniviſſe, suburbiis igne deletis, cognovisset, oppugnationem tentare non ausum Gniesnam vertisse. Igitur Dux statim Wresovvitium valida cum manu explorandi causa emisit, qui Polonis quibusdam interceptis retulit, Czarnecium fugæ pertæsum, Svecorum adventum decrevisse in diem posterum expectare, ac pugnam fortiter con-

27. April. ferere. Unde & ipse Dux rei gerendæ cupidus Gniesnam versus adproperat, præcursoribus per oppidulum Cloczcam præmissis, qui hostes sigillatim è proxima sylva progredi conspicinnt. In eos cum primo agmine Engelius tribunus ire jubetur ad captivos intercipiendos, sed quem validæ hostium turmæ velitatione susceptâ retro cedere nullo captivo potitum coëgerunt. Ex quo conjectans Dux hostem retro sylvam consistere mature nemine obsistente exercitum trans fluentum, quo campus intersecindebatur, traductum in aciem explicat. Mox cum Wrangelio loci indole probe explorata statuit ad sinistram sylvæ gradum inferre, ac è latere hostem invadere. Dum ordinibus ita instructis Sveci progrediuntur, Polonorum dextrum cornu in sinistrum Svecicum, cui Wrangelius præerat, se incitat, nam Dux, cum æquata fronte ad latus isti incedere per adsitas paludes non posset, ejusdem vestigia legere compellebatur. Wrangelius igitur manu cum hoste conserta primas ejusdem turmas brevem post pugnam in fugam conjicit. Id cum primum hostium agmen, quod Engelium insectando longius à suis progressum erat, animadverteret, atque ad suos recipere se properaret, simul dimachas è sylva in ipsum jaculantes declinatum iret, inter duo Svecorum cornua delatum ita excipitur, ut pauci admodum evaderent. Inde & dextrum cornu patentiorem nactum campum progrediebatur. Et quia hostis cessim semper eundo ad vicum usque Ziesmarcii vocabulo ultra fluentum recedebat, ubi iterum cum turmis Nobilium pedem figebat, aliquot machinis in locum elatiorem subductis in eum fulminatum est. Interea & postremo Svecorum agmine fluentum transgresso, directis jam in frontem universis legionibus justum prælium consertum est. Heic Poloni aliquoties atroci cum clamore in nostros impetum dederunt, firmatoque ultra solitum pede diu nostrorum machinas, tuborumque longiorum globos sustinuerunt, multis licet passim præcipitantibus, tum & varias artes tentarunt, ut nostrorum ordines solverent, & procurrentes circumvenirent. Sed Sveci jam Polonicarum artium gnari densatis ordinibus, ac non virtute minus, quam per dexteritatem impetu eluso ita Polonos retuderunt, ut hi post sustentatas complures di-

1656. *Cloczc. Engel. Prælium ad Gniesnam.*

1656. ſploſiones, ac multas ſuorum cædes ſolutis ordinibus citato curſu in fugam ſe effunderent. Noſtri fugitivorum tergis per unum milliare inhærentes ad bis mille quingentos cæciderunt, cum in prælii loco ſexcenti occubuiſſent, paucos ceperunt, quod exacerbatis utrinque animis, nec Poloni vitæ veniam peterent, nec noſtri darent. Duravit id prælium ab hora tertia Pomeridiana ad octavam usque. Ingruentes tenebræ, & ignota loci facies prohibebant, quo minus hoſti longius inſiſti poſſet. Immiſſæ tamen fugientium veſtigiis catervæ retulerunt, eos Scrodam usque
29. *April.* receſſiſſe. Unde Dux Ureſnicam ipſos
Vreſnis. inſequitur, & ad tertium jam milliare progreſſus poſtera die eosdem denuo invadere ſtatuerat, ſiquidem firmato pede pugnæ copiam facerent. Enimvero Poloni ita aſpere ad Gnieſnam multati prælium declinare ſatis habebant, ac diviſis copiis Lubomirſcius cum turmis Nobilium Warſaviam verſus tendebat. Czarnecius autem retentis ſecum Quartianis cum eodem ſe diverſa via iturum ſimularet, verſo repente agmine Boruſſiam iter intendebat, Jacobo Weiero ſe junĉturus, qui cum mille circiter
Brom. equitibus ad Bromum fluvium conſiſtebat, ut Carolum Magnum Badenſem Marchionem è Pomerania
Slochovv. cum aliqua manu Slochoviam tendentem interciperet, ſimul Gedanenſibus auxilium ferret. Contra Adolfus Joannes cum perſpiceret hoſtem celeribus equis confiſum in eo ſummam rerum collocaſſe, inde ut hinc, expeditum iter rapiens Svecos gravi cum agmine inſequentes fatigaret, ac per inſidias aut repentinos aſſultus carperet, incertis adhuc iſtius deſtinatis, ſatius ducebat relicta ad ſiniſtram Poſnania verſus Notezium flu
Notetz. men flectere, quo Boruſſiæ propior foret, & Svecicas copias, quæ iſto tractu ſtativa habebant, tegeret, ſi hoſtem Warſaviam ire conſtaret, eodem ipſe inſecuturus. Sed ubi Dux
Pacoſch. Paeoſchum perveniſſet, nuntiatum
Gobio. eſt, Czarnecium inter Gobloam la-
Brombergę. cum & Viſtulam Brombergam perrupiſſe, ibique cum Weiero ſe conjunxiſſe, quod oppidum paulo ante cæſo præſidio Svecico obſequium exuerat. Unde & Dux ſuperato apud Pacoſchum Notezio Brombergam recta tendit prælio cum iſto certaturus. 1656.
Sed hic præſidio Brombergæ relicto haut longius in Pomerelliam progreſſus, ac pugnandi cum Svecis occaſiones vitabundus longo circuitu cis Notezium iterum regreſſus fuerat. Unde Duci operæ pretium viſum 17. *Maji.* Brombergam hoſti eripere, quæ & facili negotio in ditionem redacta eſt, ac miles Teutonicus ſub Svecica ſigna receptus, Poloni ademptis armis dimiſſi. Inde exercitui per triduum 21. *Maji.* quies indulta, donec Rex iterum ad eundem accederet. Porro prælii ad Gnieſnam is quoque fructus fuit, quod Poſnania, & qui ibi agebant Sveci, imminenti periculo eriperentur. Miſſus fuerat in eam urbem à Rege Claudius Rodlambius, ſedandis provincialium animis, qui à nonnullis noſtratium male habiti in Sileſiam profugerant. Quorum magna pars ad lares ſuos rediit, poſtquam iſte injuriam paſſis ſatisfieri curaſſet, qui & denuo fidem ſuam Carolo Guſtavo obſtringebant. Aſt poſt, cum de Rege Jaroslaviam verſus iter ingreſſo tam atrocia ſpargerentur, in Sileſia à malevolis conſilia cudebantur, Rodlambio, & Svecico Poſnaniæ præſidio opprimendo. Quæ inſidiæ detectæ fuerunt per filium civis ejus urbis Romanis ſacris addicti, cujus patri Rodlambius juſtitiam adverſus injurias militum adminiſtraverat. Qui iſtis Wratislaviæ intellectis nefas ſibi judicabat, hunc de exitio, quod ſtruebatur, non monere. Unde cum Rodlambius inquiſitione facta, quod res erat, comperiſſet, ac per peſtilentiam præſidium ad ducenta capita imminutum eſſet, ne numero obrueretur, ſingulari dexteritate ſuſpectos oppidanorum, ſimul ſeptuaginta quatuor robuſtos monachos urbe emiſit, binis tantum per ſingula cœnobia relictis. Recrudeſcebat tamen periculum, poſtquam Czarnecius Marchionem Badenſem ad Warcam profligaſſet, qui irarum plenus ob combuſta à Svecis Poſnaniæ ſuburbia huc tendebat præmiſſo primo agmine, & tribus millibus Wartam ſuperare juſſis, ut urbem ex altero latere invaderent. Sed cum iſti audiſſent non ſolum Svecos defenſionem ſtrenue adornare, ſed & omnes aditus cuniculis pulvere plenis ſuffoſſos, id quod Rodlambius ſpargi curaverat, geminum Sendomiriæ caſum veriti intra mil-

1656. milliare accedere non audebant donec Czarnecius toto cum exercitu adveniret. Sed quem infelix ſibi ad Gniesnam pugna alio avertit, ac noſtris eo loco quietem conceſſit, donec idem cum Majore Polonia Brandenburgico traderetur.

A Rege in Gedanenſes acta.

§. 17. Rex cum ante menſem apud Pacoſchum ab exercitu digreſſus eſſet, Thorunio Claudium Tottium Comitem cum valida manu emittit ad Neumarcum, Gebnizam, & alia circum loca ab hoſte interim occupata in ditionem iterum redigenda. Qui & promte juſſa executus eſt, oppidis iſtis recuperatis, ſimul ſex millia rebellium Maſoviorum apud Neumarcum hærentes diſſipavit, quingentis amplius eorum cæſis. Sed quæ paulo ante in Pautzcam tentata fuerant, incaſſum ceciderunt. Ejus oppidi præfectus idem Svecis prodere conſtituerat. Quod cum oppidanis animadverſum foret, tumultu excitato comprehenſum Gedanum miſere. Unde qui jam non procul oppido aberant, quadringenti Svecici dimachæ, cum conatus proditos eſſe intelligerent, irriti retro abiere. Aſt Rex Thorunio Elbingam acceſſit, ubi Regina paucos ante dies è Svecia adpulerat, ſecundiſſimo vento è Calmarienſi portu Pillaviam devecta, ubi ipſe Elector Brandenburgicus exceptam omnibus honoris & amicitiæ ſignis mactavit. Potiſſima ibi cura erat Gedanenſium inſolentiam caſtigare, & ſi qua via daretur ad transactionem eosdem compellere. Hi quippe ſpretis, quas Rex obtulerat, lautis conditionibus hoſtilia magis ſubinde expromere, non ita pridem etiam oppreſſis quadraginta Svecicis militibus, qui Olivæ cænobium inſidebant. Igitur Daniel Strusſychtius cum quatuor navibus bellicis, quæ Reginam vexerant, ante Gedanenſem ſe portum conferre jubetur, impediendæ ad eam urbem navigationi, ac ut vectigal caperet à peregrinis navibus, quæ Gedano diſcedere vellent, ſed ingredi volentes prohiberet, primum monendo, inde vi, quantum detur, adhibita. Quod ſi quæ Belgarum naves bellicæ advenirent, ſuadendo eas ad relegendum iter permovere tentaret. Ubi id aſpernentur, ac vim meditentur, ſi viribus ſuis confidat, vim opponeret ubi imparem ſe videat in tutum mature ſe reciperet.

April. Pautzke.

Struſſychtius.

Inde Rex Elbinga Mariæburgum digreſſus, paratis quæ futuræ expeditioni inſervirent, Dirſchaviam tendit, quam paulo ante vi oppugnaturi Gedanenſes non leviter vapulaverant. Inde aſſumpto equitatu propius urbem ſubit, ejus ſitum exploraturus, ac imprimis locum diſpecturus, ubi ſuperato Madelovio fluvio in Gedanenſium inſulam irrumpi poſſet, Regreſſus è Schotlandia ſuburbio Rex cum Grebinum verſus iter intenderet pontem dejectum reperit, quem protinus reparatum ſuperans ſub Grebino caſtra ponit. Sequenti die deditio arci imperatur, cujus præfectus cum ſexaginta peditibus initio nonnihil ferociæ oſtendit, ſed mox cum dando aſſultui omnia parari videret, ſe ſuosque arbitrio Regis permiſit. Inde aditibus ad urbem intercluſis ad caſtellum apud Stibeloam ſitum, Gutlandicum nuncupatum, acceditur, cujus præfectus, ut ultro ſe dedat amice invitatur. Id cum iſte ſtolidam per ferociam adſpernaretur, Rex ſuos omnia dando aſſultui expedire juſſit, unde obſeſſi velut terrore fracti album vexillum in vallo extollunt, ac jaculationes omittunt. Rex deditioni eos paratos credens, cum Stenbockio propius caſtellum adequitat, in quem obſeſſi duas interim machinas directas diſplodunt, quæ tamen non niſi pulvere iſtum adſperſerunt. Igitur Rex ad invadendos fallaces ſignum ſuis dat, qui exigua mora ſuperatis munitionibus in caſtellum irrumpunt, ac præfectum cum centum viginti quatuor militibus trucidant, centum capiunt. Qui è caſtello ſe ejecerant fuga ſalutem quæſituri partim cæſi partim capti, pauciſſimi Gedanum evaſere. Quingenti in eo caſtello fuerant, quorum dimidia pars conciſa eſt, reliqui militiam Svecicam ſubierunt. Eo patrato Rex per tubicinem literas ad Gedanenſes mittebat, queis hoſtilia ab ipſis citra neceſſitatem ſuſcepta exprobrabat, addito hortatu, ut ad amicam ſecum tranſactionem deſcendant. Regiis literis ſuas quoque addiderat, Erneſtus Bogislaus Croyæ Dux non modica apud ipſos gratia. Inde per inſulam Gedanenſem ad caſtellum Haupti vocabulo in angulo, qua in duo brachia Viſtula diffunditur, ſitum accedit, quod priore nocte Gedanenſium præſidiarii cum aliis caſtellis ad Viſtulæ

1656. 12. *Maji.* 13. *Maji.* *Schotland Grebin.* 14. *Maji.* *Stibelo. Gutlandeſ Schanze.* 15. *Maji.* *Haupt ſon Haven.*

1656. trajectum excitatis deſeruerant. Rex conſiderato caſtelli ſitu, & quanti id momenti foret ad premendam urbem, ſumma vi ejus munitiones firmare inſtituit. Ei operi promovendo dum Rex unum & alterum diem aſſidet, ſimul nunquid tentaturi forent Gedanenſes expectaturus, exercitum ſub Fratre Adolfo Joanne Brombergam acceſſiſſe, hoſtemque non procul con-
17. Maji. ſiſtere intelligit. Igitur munitione caſtelli Steenbockio commendata, Mariæburgum ſe confert, quo poſtero die
18. Maji. reſponſum Gedanenſium ad Regis, ducisque Croyani literas adfertur, nil
Croy. niſi de obnixa in Joannem Caſimirum fide jactans. Igitur ipſe ad exercitum abit. Steenbockius cum idoneis copiis relinquitur ad caſtigandos Gedanenſes, quem & poſt jubet catarrhactas apud vicum Pruſtum, queis Ra-
Radaune. dauna fluvius coërcetur, ſubruere, ut aquis alio averſis pleraque Gedanenſium molendina inutilia redderentur.

Edictum Regis. 8. Maji. Cæterum Rex dum in Boruſſia agit, quo rebellium Polonorum pervicaciam frangeret, edictum promulgat, *quo Nobili, ſi Nobilem rebellem occiderit, aut vivum tradiderit, dimidia ejus bonorum pars præmii loco, ruſtico Nobilem rebellem occidenti libertas, & bonorum ejusdem uſus fructus in ſexennium promittebatur. Quod ſi & aliam inſignem operam navaret plebejus, libertas & alia præmia oſtentabantur.* Id edictum Polonis juſto aſperius viſum eſt, nec alium effectum produxiſſe compertum, quam ut animos ipſorum implacabilius exacerbaret.

Rex ad exercitum revertit. 21. Maji. §. 18. Aſt Rex cum ſumpto per Graudentum & Culmam itinere Brombergam ad exercitum acceſſiſſet, motis inde caſtris Coronovam tendit,
Coronova. proſpecturus, num Czarnecius, qui cum duodecim Legionibus duobus ultra Notecinum milliaribus apud
Ekein. Ecinum metabatur, pugnandi copiam facturus eſſet, ſimul ut Carolum Magnum Badenſem Marchionem, qui è Pomerania cum aliquot legionibus huc tendebat, ſibi adjungeret, à quo in itinere caterva Polonorum Wejero ſubjectorum profligata fuerat. Et cum intellectum eſſet Czarnecium adhuc apud Ecinum immotum ſubſiſtere, Rex protinus recta eo tendit, manum cum illo conſerere ardens. Qui & initio viſus eſt pugnam non detrectare, ordinibus loco celſiore explicatis, quod partem duntaxat Sveticarum 1656.
copiarum adventare crederet. Eoque Rex lætus ſiniſtrum ſuorum cornu ad dextram hoſtis ultra fluentum miſit, dextro ſuorum cornu ad ſiniſtram eundem circumventurus, Wrangelio cum aliquot phalangibus à fronte immiſſo. Sed cum Czarnecius Svecicas Legiones è ſylva prodeuntes conſpiceret, & è captivis intelligeret, ipſum Regem apud exercitum adeſſe, protinus turmis converſis ſubducere ſe inſtituit. Verum quia ipſi tenuato *Czarnecius vapulat.*
agmine auguſtiæ tranſeundæ erant, iruentes extremis turmis Sveci trecentos amplius Polonos occiderunt, non paucis Nobilium captis, ac per duo milliaria fugientibus inſtiterunt, donec ingruentibus tenebris receptui caneretur. Magna ſtrages tunc hoſti inferri poterat, ſi multa adhuc luce Svecis hoſtem attingere licuiſſet. Immiſſæ tamen poſtera die fugientibus quatuor equitum alæ aliquot adhuc eorum centurias conciderunt, plurimis in palude, in quam fuga eos deduxerat hærentibus, quos Sveci eminus globis transverberabant. Czarnecius Warſaviam verſus iter intendebat ad reliquas Polonorum copias, quæ Svecos in ea urbe obſidio premebant. Pulſo hoſte Regi placebat ſuis Warſaviæ ſubvenire, tum rebelles per majorem Poloniam diſſipare, ac Gedanenſes cominus urgere, quorum querelas ſuper rebus ſuis ſat duris ex interceptis ad Regem Poloniæ 25. Maji.
& Czarnecium literis intellexerat. Igitur Mullerum cum legionibus aliquot in majorem Poloniam dimittit, ut eas ibi ſuppleret, ac quiete reficeret, ſimul rebelles provinciales caſtigaret. Fratrem Adolfum Joannem cum reliquo exercitu Warſaviæ ſubvenire jubet, ut tamen non recta via eo tenderet, ſed ſuperato Thorunii Viſtula in Maſoviam iret. Nam ea longior licet via placebat, quod per Cujaviam & Ravenſem diſtrictum uterque exercitus omnia cibaria conſumſiſſet, nec ſatis conſtaret quid hoſti virium foret, aut quid adhuc copiarum idem ad Warſaviam, & iſtam Viſtulæ ripam contrahere poſſet. Cum contra in diſtrictu Plozcenſi & in Maſovia ſat annonæ foret & ſi quæ ibi vageretur Maſoviorum conglobata manus, facile diſſipari poſſet, quo & Polonis toto cum exercitu prorumpere haut in proclivi

Digitized by Google



Digitized by Google

FORTIFICATIO NUMEROSA.
1. Cohors Prin Palatini.
2 Prin Anhaltini.
3 Smalandica
4 Generalissimi
5 Com Wrangelii
6 Livonica
7 Kruse
8 Sudkery
9 Taube
10 Westrogothica
11 Poosi
12 Sudermannica
13 Nahry
14 Finnonica sub Berns
15 Sudermanni
16 Trib Schra
17 Tr Ukxkely
18 Tr Breddkery
19 Duca Megapolitan
20 Lingeely
21 Poosi
22 Konigsmarky
23 Marchion Badensis
24 Castella ad confluentem
25 Leg Uplandica
26 Dragones Wurtenbergij
27 Upplandica
28 Tr Ifraelis
29 Marchio Badensis
30 Wurtenbergica
31 Megapolitani 32 Comitis Waldeccy
Castra Du Marschalli Duglary
Pons Fennonicus

1656. proclivi erat. Et quia amicitia Moſcorum valde nutabat, expediebat exercitum eo vertere, ubi & Livoniæ è propinquo, ſi videretur ſuccurri, & Boruſſia tegi poſſet. Tum vix commodior locus exercitui ad quietem poſt tot labores exhauſtos capiendam, hinc magnis fluminibus, inde amica regione præcingente. Poſt Regis diceſſum Dux Adolfus Joannes Viſtulam transgreſſus, præmiſſo ad Scrinſciam occupandam Duglaſſio in Maſoviam cum exercitu tendit, & caſtra apud Novodvvorum vicum, qua Bugus Viſtulæ miſcetur, munit. Injunxerat fratri Rex, ut Viſtulam ponte inſterneret, tum diſpiceret, qua ratione Warſaviæ citra aleam decretoriæ pugnæ cum univerſis hoſtium copiis ſubveniri poſſet. Quod ſi Warſaviæ liberatio ſucceſſiſſet, hoſtem ne invaderet, ſed tuto loco conſiſteret, & tunc demum, quando is vires ſuas diviſiſſet, aliquam earum partem opprimere ſtuderet. Si rei bene gerendæ occaſio negaretur, exercitu interim quietem indulgeret, quoad ipſe ad eundem revertiſſet.

Scrinſcie.

Novodvvor. Bug.

Rex in Boruſſiam excurrit.

§. 19. Porro Regi, quod tunc ab exercitu in Boruſſiam excurreret, non una cauſa erat. Nam & inſpicere cupido erat opera, quæ coercendis Gedanenſibus excitari juſſerat, & excipere Belgarum Fœderatorum legatos, qui in Boruſſiam venerant, ſtatuerat, exploraturus, quid conſiliorum adferrent, quo ſuos cum iſtis acturos idoneis mandatis inſtruere poſſet. Inprimis præſentia ſua opus judicabat, ad maturandos cum Electore Brandenburgico tractatus, quem arctius rationibus ſuis innecti pro præſenti rerum facie neceſſarium judicabat. Equidem concluſerat is principio anni fœdus cum Rege. Vaſalli quoque vinculo ſuſcepto non ultronea animi inclinatione, aut ſtudio in res Svecicas, quarum incrementa ſibi ſemper prægravia judicaverat. Sed quia impetu Svecicorum armorum oppreſſo nulla alia Boruſſiam exitio eripiendi via erat. Sed mox rebellione Poloniæ, ac hiberno Jaroslaviam itinere, non parum debilitatis Svecorum armis, rebusque Polonorum reſurgentibus, ne iſte amicitiam cum fortuna mutaret, opera danda erat, præſertim cum conſtaret, eundem à Polonis, à Cæſare, aliisque ſolicitari, ut abdicatis Svecis Joanni Caſimiro iterum concilietur. Quæ tamen is haſtenus obtentu datæ fidei adſpernatus fuerat, vel quod nondum de Caroli Guſtavi rebus deſperaret, vel quod Polonorum, ſi repente oppreſſis Svecis vires recuperarent, inſolentiam metuerat. Eoque rebus ſuis expedire judicabat, Svecorum res in præſens fulciri, viresque Polonorum librari, quo hi belli moleſtiis fracti eo tractabiliores poſt forent. Haut tamen viſum eſt, gratis auxilia ſua Svecis addicere, ſed vel ea occaſione uti ad dilatandos ſuos fines, vel ut tanto carius Polonis amicitiam ſuam imputare poſſet, quo plura reſtituenda haberet. Cæterum Rex cùm ſatis intelligeret, quanto uſui iſtius principis amicitia rebus ſuis in Polonia foret, mature Erico Oxenſtiernæ Cancellario in mandatis dederat, ut quamprimum occaſio daretur, arctius cum iſto fœdus conficerent, pro tuendis per Poloniam & Lithuaniam partis. Idemque poſt ex itinere Jaroslavienſi repetebat, cum prudentiores pactis nuper cum eodem initis parum diuturnitatis ominarentur, velut nimium duris, de quo & ipſius miniſtri non obſcure ſermonibus jecerant. Id quod tamen Rex adſpernabatur, quod tam ſubitam mutationem in præſens rebus iſtius haut expedire cenſeret. Ne tamen otium ipſi foret ad aures adverſæ partis illecebris præbendas, ut fœdus urgeret Oxenſtiernæ injunctum, ſimul ut copias ſuas Podlachiæ immittere velit, Witopſcienſis Palatini conatibus ibi diſſipandis. Et quia utilitate officia metiri Principibus ſolenne eſt, jubebatur eidem offerre quatuor Palatinatus Majoris Poloniæ, Posnanienſem, Calcicienſem, Siradienſem & Lancicienſem, ſi placeret, vel cum titulo Regis Majoris Poloniæ poſſidendos. Ut tamen viciſſim Elector ipſi aliquot Boruſſiæ præfecturas concederet, Oſterrodam, Hæcam, Leibmulam, Morungam, Liebſtadium & Hollandiam, etſi Pillaviam & Memelam cum utraque Nerunga maluiſſet, Rex quippe cum Polonos ad extrema obfirmatos perſpiceret, nec ut totam Poloniam retinere laboraret, è re ſua judicaret, de eadem laceranda, & inter plures dividenda, cogitationem ſuſcipiebat, ita quidem, ut provincias maritimas Sveciæ aſſereret, reliquas inter Brandenburgicum, Moſcum, Tranſſylvanum & Coſaccos dispertiret, prout cuique ſitus oppor-

1656.

12. Febr.

Cum Brandenburgico tractatur.

Oſterrode Heck Leibmahl Morungen Liebſtad Holland.

1656. opportunus eſſet. Quo tamen in conſilio id nonnulli deſiderabant, quod non conatus fuerit, unum vel alterum è Poloniæ proceribus in partes vocare inſigni portione regni attributa, velut non bellum in Polonicam nationem, ſed tantum in Joannem Caſimirum gereretur. Mox cum poſt cladem, Marchioni Badenſi ad Warcam illatam, Poloni atrociſſima ſpargerent, velut res Svecorum plane conclamatæ forent, Moſco etiam brevi in hoſtilia erupturo; Electori confirmando Rex Warſa-
8. *April.* viam delatus Comitem Slippenbachium ablegat, qui de ſtatu belli atque exercitus edoceret, ſimul exploraret, quisnam in Germania animorum motus circa Svecorum in Polonia actiones, ac num brevi conventus Ordinum Imperii ſit habendus, pollicitus, ſe quovis caſu cum Electore conſilia ſociaturum. Tum præcipue expiſcaretur, num pronus ſit Elector ad arma ſecum in Polonos jungenda, ad quod ipſum, quibus poſſet, rationibus adduceret. Cumprimis ingereret; *præſentem rerum conditionem ipſi haut permittere, ut inermis deſideat, præſtare autem militem aliena in regione quam propria alere. Polonos, ni vires ipſorum penitus franguntur, haut digeſturos Præſulatum VVarmienſem in ſecularem ditionem mutatum, ac ni mature furentes averſat, exitium ipſius Boruſſiæ immi-*
24. *April.* *nere.* Auſpicandis porro tractatibus Frauenburgi congreſſus inſtituebatur inter Oxenſtiernam Cancellarium, & Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem, cui Platenus ſupremus exercitus Quæſtor adjunctus erat. Proponebat ibi Waldeccius Electoris nomine: Quantopere facies rerum ab eo „tempore, quo tractatus Regiomon„te aut Bartenſteinii agitati ſint, im„mutata fuerit. Tunc quippe pleros„que Poloniæ Palatinatus in Caroli „Guſtavi fidem conceſſiſſe, Coſacco„rum amicitiam exploratam fuiſſe, „cum Moſcis & Tartaris ſpem amicæ „compoſitionis perſtitiſſe. Aſt nunc „totam Poloniam in rebellionem abiiſ„ſe, Coſaccos & Tartaros cum Joanne „Caſimiro tranſegiſſe, Moſcum ſi„ne dubio hoſtilia in Svecos ſumptu„rum. Haut eo ſecius Electori ani„mum perſiſtere partibus Svecorum „firmiter adhærendi. Sed quia pro„vinciæ ejusdem, qua Poloniam & „Lithuaniam ſpectant, nullo objecto „munimento incurſionibus Polono- 1656.
„rum late pateant, & utcunque res ca„dat, ipſe velut inter ſacrum & ſaxum „deſtituatur, multa eſſe, quæ Electo„ris animum in diverſa diſtrahant. Si „palam arma Svecis ſociet, ac aperto „cum Polonis bello implicetur, mul„toque magis ſi & Moſcus in bellum „eruperit. Unde meditari cœpiſſe „Electorem, qua ratione & ſecuritati „ſuæ conſulat, & haut eo minus Re„gis res æque efficaciter ſublevet, „quam ſi hoſtilia in Polonos ſumat. „Id duntaxat optare, ut curatius no„rit, quem ſibi ſcopum hoc bello Rex „poſuerit, Electori quippe haut per„ſuaderi, Regem integrum Poloniæ „Regnum ſibi affectare, ſed aliquas „duntaxat partes opportuno Sveciæ „ſitu. Unde ſi Rex certos ſibi termi„nos præfixerit, idque Electori com„municare velit, hunc omni ſtudio in„cubiturum, ut is deſtinatis ſuis potia„tur. Tum Regi Joanni Caſimiro de„nuntiaturum, neceſſum eſſe, ut ipſe „votis Caroli Guſtavi ſe attemperet. „Sin iſte tergiverſetur, Electorem cum „exercitu ſtatim Maſoviæ fines ingreſ„ſurum, ibique coitiones provincia„lium hortatu, aut minis diſſipatu„rum, ac prohibiturum, ne quis ho„ſtium inde in Boruſſiam Regalem pe„netrare queat. Ita revera ſuis armis „Polonos diſtrahi, ſimul hoc agendi „modo multum favoris parari, male„volosque in Germania & Moſcum „cohiberi, ne in arma erumpant. „Enimvero armis aperte Polonos im„petere invidioſum valde Electori fo„re. Equidem poſt pacta Regiomon„tana Bartenſteinii ſuper conjunctio„ne copiarum agitatum fuiſſe, ſed quo „minus illi tractatus perficerentur, per „Regem ſtetiſſe, qui in ſuperiores Po„loniæ partes tunc abierit. Addeba„tur querela, quod Moſci amicitia „non majore cum circumſpectione „conſervata ſit. Nam pacto cum Li„thuanis promiſſum fuiſſe, loca iſti „provinciæ decerpta per Svecos recu„peratum iri. Quæ res Moſcos gra„viſſime offenderit, velut per Svecos „fructu ſuarum victoriarum ſpolian„das. Unde legatum Moſcicum nuper „jactaſſe, Svecos promiſſis non ſtare, „eoque Czari decretum iſtos potius „prævenire, quam damnum ab iis„dem accipere. Hæc atque talia diſ- 1656.
ferentem Oxenſtierna facile id ſpectare

1656. ſtare animadvertebat, ut auxilium Electoris quam maximè Svecis adderet, eoque reponebat, in ſe moram non fuiſſe, quo minus Bartenſteinii conventio ſuper armorum conjunctione abſolveretur. „Unde novam hanc propoſitionem „miram ſibi videri. Nec ſane periculum à Moſcis, Tartaris & Coſaccis tantum eſſe, quantum jactetur. „Fabulas illas Polonorum, & Gedanenſium eſſe, plebeculæ tantum „commovendæ idoneas. Ad quæ Brandenburgici: „ Electorem utique „Regi inter adverſas juxta ac ſecundas res velle adſiſtere; Sed ejusmodi nunc periculum incumbere, ut „ſi in apertum iſte deſcendat bellum, „Regis res haut ſublevaturus, ac ſuas „fortunas gratis ſubverſurus ſit. Panderet modo deſideria Rex, nec dubitaret, quin Elector, ut ipſi ſatisfiat, „ſummis viribus apud Joannem Caſimirum conniſurus ſit. Interim „ipſum Svecis tergum tutum in Boruſſia & Maſovia præſtiturum, donec conſtiterit, num rationi locum „dare velit Polonus. Nam ubi æquas „conditiones reſpui adpareat, Electorem aperto bello eundem infeſtaturum: interim ſemper Svecicas in „partes ſtudium præ ſe laturum. Enimvero oſtendebat Oxenſtierna: „Lenia ejusmodi conſilia, & quæ alterum offendere formident, præſenti tempori exitioſa eſſe. Quo longius armorum conjunctio differatur, eo majores hoſti Spiritus accedere, & ſpatium præberi, vires ſuas „confirmandi. Inter initia coitiones hoſtium facili momento diſſipari, & à conjunctis plures amicos „in partes trahi, ac majore fiducia „in cauſam communem incumbi „poſſe. Durum Electori fore diutius copias ſuas propria in ditione „alere. Ni ad ſurgens jam quam maxime in Polonia incendium reſtinguendum mature adcurrat Elector, „ipſum poſt eodem involvendum. „Adhuc tempus eſſe multos ab infeſtis conſiliis retrahendi, ſi ſtrenue „manus operi admoveatur. Nullo „modo eundem actiones ſuas tam turbulento ſtatu ita temperare poſſe, ut „neutri partium offenſæ anſam præbeat, & quantumcunque caveat, ac „ambiguus agat, ad extremum prædam victoris fore. Denique ſi ab 1656. „Electore deſtituatur Rex, non de„fore ipſi remedia hoc bellum fi„niendi, Polonorum ultioni deinde „iſti incubitura. Ita propius ad rem acceſſere Brandenburgici, expoſito quid deſiderarent. Sed quia Oxenſtierna circa omnia eorum poſtulata mandatis inſtructus haut erat, id agebat, ut negotiatio iſta Mariæburgum pertraheretur.

Fœdus cum Electore concluditur. 15. Jun.

§. 20. Acceſſere poſt Mariæburgum ab Electore miſſi Georgius Fridericus Waldeccæ Comes, Nicolaus Erneſtus à Platen, & Joannes Ulricus Dobrzenius, quibuscum ut agerent, delegati ſunt Oxenſtierna Cancellarius, Scheringius Roſenhanius & Steno Bielkius. Ubi cum pleraque jam digeſta forent, modicam poſt diſceptationem fœdus abſolutum fuit: Cujus hic ſcopus exprimebatur, ut præſens in Po„lonia bellum ſopiatur, & pax reduca„tur utriusque ſecuritati & ſtatui con„veniens, ac inprimis, ut Electoris pro„vinciæ velut periculo propiores de„fendantur, & hoſtiles inde irruptio„nes arceantur. Ejus vi Elector tene„batur ad auxilia Regi ferenda adver„ſus omnes Czare Moſcoviæ, & Cur„landiæ Duce excepto, qui Regem Sve„ciæ in hiſce regni Poloniæ provinciis „invaſerint, nempe in Boruſſia, Pome„rellia, Caſſubia, Cujavia, Rava, Majore „& Minore Polonia, Maſovia, diſtrictu „Dobrinenſi, Plozcovienſi, Polachia, „Palatinatu Ruſſiæ, Belzenſi, Chelmen„ſi, Breſcienſi, Lithuaniæ, Samogitia, „Curlandia & Semigallia. In his lo„cis ſi qui vel indigenæ vel exteri Re„gem Sveciæ turbare aut aggredi au„ſi fuerint, eos pro hoſtibus Elector „habebit, nec in ſuis ditionibus tran„ſitum aut receptum dabit, quantum „impedire poterit, nec ut militem „conducant, aut annonam apparatumque bellicum emant, permittet. „In reliquis provinciis ad regnum „Poloniæ ſpectantibus heic non ex„preſſis, Elector Regi auxilium ferre „vi hujus pacti haut obſtringetur. „Par officium Rex Electori præſta„bit, ſi quis hoc bello Ducatum Bo„ruſſiæ, aut Warmiam invaſerit. Nec Ermland. „minus fœderati mutuo auxilium ſi„bi ferent, ſi quis è dictis provinciis „ditiones alterius in Germania ſi„tas Poloniæ vicinas armis adpetie„rit.

1656. „rit. Suprema belli directio penes Re-
„gem sit in provinciis ad regnum Polo-
„niæ spectantibus, penes Electorem in
„propriis ditionibus, amica tamen
„communicatione ac deliberatione
„circa id genus negotia utrinque adhi-
„bita. Addebatur super moderamine
„curaque exercitus, sive separatim cum
„suis rem gerat Elector, sive pro re na-
„ta conjunctus regio exercitui, utque
„si quæ loca intra dictum districtum
„ab Electoralibus occupentur, aut
„præsidio insideantur, Regi utique
„tradantur. Auxilii modus ab Ele-
„store præstanti definiebatur duobus
„Equitum, totidem peditum millibus, in cujus vicem à Rege sex millia præstanda erant, ubi Electoris „ditiones invadantur. Transitus per „utriusque ditiones utriusque copiis „si opus foret concedebatur, ut tamen si pauci duntaxat transeant, „suis sumtibus vivant, integris cohortibus & legionibus cibaria neces„saria præbeantur. Denique & cau„tum, ne unus absque alterius præ„scitu & consensu cum hoste tractet „concludatque, tum & hoc fœdus, ve„lut nullius offensionem spectans, qui „huic bello se non ingesserit, aliis fœ„deribus pactisque, quæ utrique cum „aliis intercedunt, non præjudi„cet, ac nominatim Westphalicæ ac „paci cum Czare æternæ. Ratifica„tio hujus fœderis intra quatriduum „permutanda statuebatur. Separato „pacto Rex velut præmium præstiti „auxilii in Electorem conferebat, qua„tuor Palatinatus Majoris Poloniæ, „Calisiensem, Posnaniensem Lanci„ciensem & Siradiensem cum distri„ctu Vielunensi, supremi imperii jure „deinceps possidendos.

Pactum separatum.

Regis actio per Borussiam.

§. 21. Dum circa fœdus istud adaptandum satagitur, Rex valida cum manu omnem circa Gedanum regionem, ac imprimis situm castelli ad ostium Vistulæ perlustrat, qua parte tam huic quam urbi vis commodissime inferri possit. Interim Steenbockium muniendo ad divergium Vistulæ castello invigilare jubet, ac intercepta subvectione Gedanenses tantisper premere, quod totas vires huc vertere alibi incumbens hostium moles non pateretur. Cumprimis autem de exercitu suo solicitus fratri injungit, ut cum Poloni tota mole ad Warsaviam subsistentes, Vistulam ponte instravissent, ipse similiter castris ad Bugum fluvium probe communitis pontem tam huic quam Vistulæ injiceret, si qua posset hostium copias distraheret, ac si exploratum sit, eas divisas, partem earundem invaderet. Quod si nulla hosti impetendo nascatur occasio, saltem Bugum flumen tueretur, ac subinde minaretur eo superato in hostem se irruiturum, eique hoc modo illuderet, quoad ipse cum auxiliis è Borussia adventarit. Quod si teneri Warsavia non amplius possit, id operam daret, ut copiæ inde educantur, munitionibus urbis disjectis. Quia tamen Wrangelius scripserat, multum prævalentibus hostium viribus liberationem Warsaviæ cum spe successus tentari non posse Rex temere quid audere vetuerat, simul ut intra locum tutum tantisper se tenerent jusserat, quoad ipse cum auxiliis adproperaverit. Nam spes ipsi erat, Warsaviæ obsessos diutius adhuc vim hostium sustinere posse. Sed tractatibus demum absolutis Rex cum Electore Hollandiæ congreditur, amicitiam colloquio firmaturus, tum ut de ratione belli gerendi cum ipso deliberaret, & ad properandum auxilium calcar adderet, ostendens, ni turbo iste ad Warsaviam coiens mature disjiciatur, uno hunc impetu ipsius ditionem in Borussia obruiturum. Conventum ibi fuit, ut Electoris copiæ statim Schrinsciam iter ingrederentur, ibique Regis adventum expectarent, qui via per Strasburgum sumta eodem acceleraturus erat, & ut Dux Adolfus Joannes ad illas se copias reciperet, si per urgentem hostem necessitas adferretur. Ita diversis itineribus Rex, Elector, & Carolus Magnus Badensis Marchio Warsaviam versus tendebant, serum ei urbi auxilium moliti, quod illa per moras tractatuum Brandenburgicorum interim amissa foret.

1656.

6. Jun.

17. Jun.

Warsavia à Polonis expugnatur.

§. 22. Eam urbem, statim atque exercitus Svecicus digressus erat, Paulus Sapieha Witepsciensis Palatinus cum Lithuanico milite circumfuderat, quo mox aliæ Polonorum copiæ toto Regno excitæ confluxerant. Svecorum ibi quindecim centuriæ præsidium agi-


Paludes
LACVS SASPER
Prata Paladinosa
Seegraben
Hollandia
Dunersorum
Munimentum Occidentale
Castellum Weichsell
PARS
Cæmeterium Scotorum
MARIS
BALTICI PARS

Digitized by Google

1656. agitabant, quibus Weierus tribunus præerat, quo & Wittenbergius multique illuſtres toga ſagoque viri ſe contulerant. Erat urbs maligne ſatis munita, nec pro juſta obſidione ſuſtinenda. Sveci tamen ſumma cum diligentia quantum tempus locusque ferebat, ita omnes aditus obſtruxerant, veteres munitiones auxerant, novas hinc inde excitaverant, ut multarum ſeptimanarum vis à Polonis adhibita in caſſum caderet eo majore horum damno, quod iidem artium, queis oppida expugnantur, fere ignari, inconſulto impetu ruerent. Unde multi quotidie incautius ſubeuntes ſternebantur, nec paucos frequentibus eruptionibus Sveci cædebant. Inter alia
7. Maji. cum poſt mediam noctem ſumma vi aſſultum ſex per horas continuaſſent Poloni, fortiter reſiſtentibus Svecis repulſi ſunt amiſſis ſuorum promtiſſimis ſexcentis. Alia die erumpentes Sveci duas Polonorum machinas in urbem pertraxere, reliquas clavis confixere. Aliquando & in adſito palatio ab egreſſis urbe Svecis centum quinquaginta Poloni intercepti, & in urbem abtracti ſunt. Poſtquam Lithuani diu operam & ſanguinem fruſtra
19. Maji. conſumſiſſent, demum ipſe Rex Joannes Caſimirus cum reliquis copiis tota Polonia excitis accedens obſeſſis miſſo tubicine deditionem imperat, cui Wittenbergius reponebat: non eſſe ſibi cauſam, quare de urbis deditione cogitationem ſuſcipiat. Igitur Poloni acrius connixi ad expugnandam urbem incubuere non ſine robore, ſi ipſi totius regni viribus urbem recuperare non valerent, quam Sveci ſuperiore anno ne uno quidem deſiderato ceperant. Sed nec Svecis id copiarum ſupereſſe credebant, ut obſeſſis auxilium ferre auderent, aut ſi id tentarent tantuplo majore turba obruendos. Unde obſeſſi etſi longe acrius reſiſterent quam pro captu munitionum, ac jam ad quinque Polonorum millia, ipſum exercitus florem, occidiſſent, demum tamen, cum propter moras Brandenburgici tractatus auxilia nuſpiam adparerent, ad ex-
19. Junii. trema perventum fuit. Nec eo ſecius Wittenbergius Polonico tubicini denuo deditionem imperanti repoſuerat: malle ſe cum ſuis ad internecionem pugnare, quam Polonis ſe dedere. Unde hi efferati poſt diſjectas machinis munitiones dato ſigno quadraginta millium numero aſſultum dedere, ac munitiones Svecicas in ſuburbio excitatas perrupere. Proximo die etiam Radziviliarum pala-
20. Jun. tium, & proxime ſitum Bernhardinorum cœnobium fuit expugnatum, cæſis qui ibi reperirentur. Igitur cum arceri Polonorum vis non amplius poſſet, & ſuos omnes crudelitati hoſtium exponere temerarium foret, Wittenbergius emiſſo tubicine urbi dedendæ paratum ſe oſtendebat. Unde de conſilio proceſſum à Rege Joanne Caſimiro deſignantur, qui deditionis leges conciperent, Andreas Triebieſcius Epiſcopus Przemiſlavienſis Regni vice Cancellarius, *Triebieski.* Joannes Leſſinius Palatinus Posnanienſis, Georgius Lubomirſcius Mareſchallus regni, Stephanus Coryzinius Cancellarius, Vincentius Corvinus Goſievius Lithuaniæ Theſaurarius, & Nicolaus Opalinius aulæ Mareſchallus. *Leſſinski. Lubomirski. Coryzinski Goſienski. Opalinski.* E Svecorum parte deſtinati erant Joannes Wrangelius ſummus excubiarum præfectus & Laurentius Canterſteinius. Hi in palatio Opaliniano congreſſi inducias primo inivere per eum diem, quo tractatus abſolutus eſt. Quo confecto Sveci ſub veſperam in arcem ad Wittenbergium cum inſtrumento pacti conceſſere, hujus declarationem intra ſemihoram relaturi. Sed cum iſte inter dubitationem tres horas abſumpſiſſet, ac jam nox ingrueret, Poloni prædæ & ſanguinis ſitis flagrantes denuo vi facta reliquam urbis partem expugnant, unde Wittenbergius ex arce mittit, qui conventa ſervari peteret, ac ut victos Rex adverſus furorem militaris turbæ protegeret. Ita datum receptui ſignum à Polonorum Ducibus eſt, ſed cui ægre ab efferato milite obtemperatum. Sane Czarnecio, qui illos ab oppugnatione retrahebat, equus quo vehebatur telo trajectus, ac tubicen qui receptui canebat cæſus, aliique ductores, qui furibundos coërcere nitebantur, male multati fuere. Nec prius quievere, quam Rex donativo quadragies mille florenorum promiſſo, ac ſtatim repræſentato tumultum utcunque ſedaſſet. Ita Sveci ſervati, & urbs in poteſtatem Polonorum conceſſit. Pacto deditionis *21. Junii.*
„convenerat, ut Svecici duces ac minis„tri neu ſine excepto Thorunium tuti „deducerentur, miles gregarius Sve-

1656. „cicæ nationis eodem iret, Polonicus „miles venia accepta ſub Regis Joannis Caſimiri ſigna concederet: extraneo & conductitio liberum foret Svecos ſequi, aut apud Polonos manere. „Præſidium Svecicum ſtatim in ſuburbium in palatium Opalinianum ſe „conferret, ductoribus per triduum in „urbe morari integrum foret, quo elapſo militari more Thorunium verſus „diſcederent, proſequentibus præſidii „cauſa centum equitibus, totidem dimachis, quibus ſuper tuto regreſſu „caveretur. Omnes machinæ in urbe manerent. Ægroti & ſaucii flumine Thorunium deveherentur: quorum morbus motum haut fert, in „urbe, donec convaleſcant, manerent, „poſt recuperatam valetudinem eodem deducendi. Defunctorum corpora eodem aveherentur, modo iſthoc obtentu nihil fraudis admittatur. Supellectilem & bona diſcedentes ſecum aveherent quæ quidem „antea ipſorum fuerint, ſed è præda „Polonica parta in urbe remanerent, „& abeuntium cuique pro dignitate „aſſignaretur, quantum pecuniæ ſecum auferre liceret. Fœminis quoque „pro lubitu diſcedere integrum foret, „viciſſim tamen dimittendis Poloniscis, quæ in Boruſſia detineri dicantur. Scripta & libri ad tabularium & „bibliothecam Regis ſpectantes redderentur. Æs alienum contractum „abſque tamen moleſta coactione diſſolveretur. Captivi in urbe dimitterentur. Caverent Sveci nequid cuniculorum aut ſuffoſſionum alicubi „in urbe latitet. Denique nunc diſmiſſi menſem intra in Polonos arma „ne gererent. Cæterum miles quidem præſidiarius Svecicæ ac Finnicæ nationis nongentorum fere capitum Schedingio ſubtribuno, & Hardio vigilium præfecto deducentibus, incolumis Thorunium dimiſſus eſt ſarcinis licet & Zonis prius probe excuſſis. Sed & fœminæ abiere, omni tamen ſupellectile etiam quam è Svecia attulerant, exceptis veſtibus, ſpoliatæ, Polonis inter res excutiendas multum inhumanitatis expromentibus. Enimvero quanquam penes Regem Poloniæ mora non foret, quo minus duces quoque & miniſtri Svecici abirent: Nobiles tamen & Quartiani præfracte id abnuere, ac Regi fidem tueri cupienti acriter reſiſtere, obtentu ſumto, ne Polonis quidem ante annum Cracoviæ omnes deditionis leges ſervatas, & Svecos è digreſſis inde copiis aliquos occidiſſe, reliquos ſua ſub ſigna redegiſſe. Ita contra pacta detinentur, & Zamoiſciam in cuſtodiam abducuntur Arvidus Wittenbergius, Alexander Erskeinus, Joannes Wrangelius, Laurentius Canterſteinius, tribuni Adamus Weierus, Theodorus Forgellus, Petrus Hammerſchildius, tum duo ſubtribuni & alii quidam miniſtri, ac decem ſacerdotes. E quibus Wittenbergius, Erskeinus & Canterſteinius in ea cuſtodia obiere, cæteri deinceps iterum evaſerunt. Benedicto Oxenſtiernæ, quo minus & ipſe Zamoiſciam abſtraheretur, ſaluti fuit graviſſimus, ex quo tunc decumbebat morbus, per cujus vehementiam ipſi Warſaviæ morari licuit, quoad poſt ſubſecutum mox prælium ea urbe à Svecis recuperata poſtliminio liberaretur.

1656.

Schedingius. Hardius.

Forgell. Hammerſchild.

§. 23. Dum tota vi ad expugnandam Warſaviam incumbunt Poloni, Cracoviam firmius munitam & numeroſiore præſidio inſeſſam fame urgere inſtituunt, quinque millibus ſub Caſtellano Denbrinio ibi collocatis ad urbis itinera infeſtanda & ſubvectionem intercipiendam. Eas inſultationes non ferens Paulus Wirtzius cum majore præſidii parte in iſtos vadere inſtituit. Sed ne forte ſe egreſſo in populoſa urbe motus quis exſurgeret, ſub capitis pœna interdicitur, ne quis oppidanorum interim ex ædibus ſuis in publicum prodiret, turmis quoque equitum interim plateas perſultantibus, qui ſtatim quid auſuros opprimerent. Ita noctu urbe egreſſus Polonos intra caſtra opprimit, ac plurimis cæſis reliquos diſſipat, ſimul quindecim ſigna, decem machinas, & omnia hoſtium impedimenta in urbem adducit.

Poloni ad Cracoviam vacillant.

Denbrinski.

§. 24. Interim apud Novodvvorum cum exercitu Svecico ſubſtiterat Dux Adolfus Joannes, hoſti ad Warſaviam invadendo impar. Quem & ponte licet ad Sacrozinium abſoluto Rex prohibuit ancipitem aleam tentare, antequam ipſe adventaſſet. Polonos tamen ad Sacrozinium cis Viſtulam irrumpere conantes Wrangelius acriter repulerat, cæſis eorum aliquot centuriis. Aſt Rex interea temporis quicquid poterat copiarum è Boruſſia contracto

Rex cum Electore Warſaviam tendit.

1656. ſtacto Warſaviam verſus tendebat, Stenbockio cum legionibus aliquot relicto ad muniendum Hauptum, & Gedanenſium excurſiones inhibendas, ſubvectionesque ad eam urbem intercipiendas, vetito tamen, ne quid ulterius tentaret prius, quam conſtaret, quo res ad Warſaviam evaſura eſſet. Eam poſt urbem captam veritus fuerat Dux Adolfus Joannes, ne Poloni tota mole in ipſum ruerent, eoque ſtatuerat, Thorunium ſe cum exercitu recipere. Sed vetebat Rex, quod nimis longus foret iſte receptus, intra quem hoſti occaſio præberi poſſit, extremum ipſius agmen aſſequendi, & cladem aliquam iniquo loco deprehenſis inferendi. Simul eo vertens à Brandenburgicis copiis nimium ſejunctus, hos periculo expoſiturus erat. Igitur jubebat, ſi utique receptu opus
Scheps. foret, Schrinſciam potius aut Scepſam recedere ubi Brandenburgicas copias & Regem ipſum inventurus ſit. Ipſe Rex inde tanto magis in caſtra ad Novadvvorum properare, quo cum per-
28. *Junii.* veniſſet, & Polonos adhuc ad Warſaviam hærere cognoviſſet, Electorem per literas hortatur, ut copias ſecum jungere maturet, quod auctæ hoſtium vires non niſi ſociata ipſorum opera diſſipari queant. Interim cum intel-
Tykozin. lexiſſet, Tycozinum Radzivilianum oppidum, arcta Polonorum è Podlachia & Maſovia conglobatorum obſidione preſſum, inter extrema agere, quod ſervari magnopere intererat, ne hoſti apertus in Boruſſiam aditus panderetur, Bogislaum Radzivilium & Duglaſſium cum valida manu eo mittit, diſjiciendis obſeſſoribus, ac ut pontes, per quos in Boruſſiam iter eſt, interrumperent. Qui & magna cum diligentia, itinere facto, ſolutum jam ad ipſorum adventum obſidium repererunt, ac tergis recipientium ſe Polonorum illati duo amplius eorum millia conciderunt, clade cumprimis Nobilibus
Narev. incumbente. Qui ex altera Narevæ fluminis ripa oppido aſſidebant, audita ſuorum ſtrage noctu inde ſe proripuerant, parte tentoriorum & impedimentorum relicta. Inde oppidum
Poltoſske. iſtud, ac Poltoſcam, tegendæ Boruſſiæ & obtinendo Narevæ flumini opportuna, milite & annona firmantur, iſtique re bene geſta, nec ſine præda in caſtra ad Regem reverterunt. Aſt Poloni ſucceſſu ad Warſaviam magnopere in-

1656. flati, & jam à Svecis ſatisfaciendum ſibi crepantes, ſparſerant, ſe protinus Thorunium invaſuros. Unde Rex Stenbockium jubebat ejus urbis præſidium aliquot militum centuriis firmare, de cætero jactantiam Polonorum flocci facere, & à ſtatione ſua non diſcedere. Nam confidebat Rex, ſe Polonorum deſtinata utique fracturum, eoque feſtinabat, manum cum hiſce conſerere, ne forte in diverſa digreſſi majore cum moleſtia conſectandi forent. Et quia relatum fuerat, 1. Jul.
Witepſcium Palatinum cum Lithuanicis copiis ſeparatim metari, in eum invadere ardebat, ni tumefactus liquis Bugus tranſitum interrupto ponte negaſſet. Contra & Joannes Caſimirus Rex fruſtra fuit, cum magna Nobilium parte in aliquot legiones à Duce Adolfo Joanne ſubBættigero Bloniam *Bættiger.* miſſas egreſſus, quæ jam in tutum redierant. Unde ut aliquod operæ pretium faceret, vim in caſtellum, quod noſtri ad alteram Viſtulæ ripam tegendo ponti apud Sacrozinium excitaverant, convertit. Sed ibi acriter repulſus deſideratis aliquam multis receſſit. Cæterum Carolum Guſtavum, quo minus ſtatim in hoſtem raperetur, exundantes Viſtulæ ac Bugi aquæ, & Brandenburgici expectatio attinuere. Aquis tamen paulatim ſubſidentibus ſummo ſtudio pontes ad Sacrozinium & Novodvvorum reparari jubet, quo via panderetur ad manus cum hoſte conſerendas, qui apud Warſaviam caſtris munitis conſederat, Viſtula juxta ponte inſtrato. Nuntius dehinc adferebatur Goſievium Lithuanorum Ducem Poltoſcam ob[illegible]o cinxiſſe, & valida cum manu apud Oſtralen- *Oſtralenka.*
cam conſiſtere. Unde ipſe Rex aſſumta ſuorum & Brandenburgicorum, qui 14. *Jul.*
jam in vicina acceſſerant, valida manu eodem excurrit. Sed hoſtis audito Regis adventu deſerta raptim Poltoſca trans Bugum faceſſens Warſaviam ſe jam proripuerat. Regreſſo ab iſta excurſione Rege Elector Brandenburgicus in Svecica caſtra acceſſit, univerſis ſuis copiis ſecum adductis. Ubi habito conſilio adparebat id agendum eſſe, ut vel per tractatus hoſtis ad æquam & honeſtam pacem compellatur, vel facto in illum impetu vires ejus diſſipentur, & ne deinceps majus damnum inferre queat, caveatur. Igitur ne ulla occaſio paci reducendæ negli-

1656. geretur, consentiebat Rex, ut Legati Gallici Avaugurius & Lumbranus velut privato nomine negotium susciperent, tentaturi, ut utrinque delegati inter se congrederentur. Sed quia Polonis capta Warsavia & Tartarorum adventu immane quantum spirituum accesserat, nihil aliud supererat, quam ad decretoriam pugnam descendere, ut hostis clade aliqua castigatus ad æquas conditiones admittendas compelleretur. Eo probato utrinque consilio, ambo exercitus statim conjunguntur, & sub vesperam, totamque 18. Julii. inde noctem, sequentemque diem filatim per pontem, quo Bugus apud Novodvvorum instratus erat, traducuntur. Iter recta Pragam intendebatur, vicum Warsaviæ in altera Vistulæ ripa oppositum, eo consilio, ut Lithuanicæ copiæ, quæ aliquandiu ibi metatæ fuerant, invaderentur. Quod si illæ abiissent, animus erat, pontem ibi Polonorum destruere, ac superato denuo ad Novodvvorum Bugo Vistulam ponte apud Sacrozinium transmittere, & hostem apud Warsaviam ad prælium compellere. Enimvero Poloni eadem die adjunctis Tartaris apud Warsaviam cis Vistulam concesserant, quibus animus fuerat, facta cum Lithuanis conjunctione ante castra Svecorum apud Novodvvorum considere, ac emissis catervis pabulatores istorum infestare; Id quod Regi per Lumbranum, qui Warsavia veniens inter Novodvvorum & Pragam eidem occurrebat, innotuit. Unde statim placuit secundum Vistulæ ripam recta in hostem vadere.

Avaugour. de Lumbres.

Praga.

Prælium ad Warsoviam.

§. 25. Acie dehinc disposita in dextro cornu consistebat ipse Rex cum fratre Adolfo Joanne & Duglassio vicaria summi Ducis dignatione. Primam aciem eo cornu curabat Philippus Sultzbacensis Palatinus, alteram Carolus Magnus Badensis Marchio, tertiam Henricus Hornius. Peditatui in tres phalanges digesto Bulovius summus excubiarum præfectus præerat, Machinas Gustavus Oxenstierna tribunus moderabatur. Sinistrum cornu Electoris exercitus componebat, cui Rex Wrangelium adjunxerat. Ejus equitatui imperitabat Georgius Fridericus Waldeccæ Comes Generalis vicarius cum tribus summis excubiarum præfectis Cannebergio, Claudio Tottio, & Bœttigero. Hos duos quippe Rex cum quinque equitum alis Brandenburgico equitatui adjunxerat, ut utrumque cornu pari turmarum numero constaret. Inter duo autem cornua Brandenburgicus peditatus, quem Rex duabus phalangibus auxerat, septem phalangibus compositus sub Ottone Christophoro Sparrio summo rei tormentariæ præfecto, & Josia Waldeccæ Comite, ac Golzio summis excubiarum præfectis consistebat. Ita copiis dispositis & exploratoribus certa de hostium statu referentibus, Rex dextro cum cornu primo loco incessit, ac Wrangelium cum sexcentis equitibus ac desultorum manu ad obtinendos sylvæ objectæ transitus præmisit, utque camporum ultra sylvam situm exploraret. Quem Rex cum equitatu insecutus propere sylvam transiit. Sylva superata is loci situs perspectus est, ut Vistula fluvius à dextra, sylva quam transierant ad sinistram sub ipsas hostium prope munitiones excurrens ita campum arctarent, ut Regi spatium non esset inter sylvam & fluvium ad cornu suum una fronte explicandum. Unde legionibus post se invicem erat incedendum, prout loci indoles id permittebat. Ad Regis accessum hostis initio ante castra sua inter sylvam & Vistulam primam suorum aciem explicaverat, in quem Rex Wrangelium immisit, qui languide pugnam ausum facile depulit, & usque sub castrorum munitiones rejecit. Sed quia iste, dum hosti acriter instat Legionibus Svecicis longius se avulserat, haut temere suspicabatur Rex, partem copiarum hostilium ad finem sylvæ, aut retro eandem consistere, cui in proclivi foret Wrangelium receptu ad suos excludere, igitur is quatuor alas, quæ proxime sylvam incedebant, citato gradu procurrere jussit tam opportuno temporis momento, ut cum hostis in Wrangelium è latere impetum dare jam conaretur, Duglassius, qui alas illas ducebat, se concitantibus incurreret, easque pulsas cum cæde ad munimenta usque & pedites suos repelleret. Ob vergentem in vesperam diem, & quia excitatus pulvis prospectum ademerat, nihil amplius tentari poterat. Unde Rex, quoad peditum phalanges & Elector cum sinistro cornu accederent, ante munitiones hostium ita substitit, ut sylvam a tergo habe-

Golzius.

1656.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Warsauiam dies Secundus. 19 Julij. 165



Digitized by Google

Digitized by Google



Ohio Electorat.

37. Defiléen Com: a Waldeck.
38. Com: Lippisch: Detmolser.
39. Trib: Israel.
40. Campi Marschall, Wrangelij.
41. Westrogothi.
42. Defiléen Trib: Comitz.
43. Trib: Brinckl.
44. Trib: Lerchenau.
45. Trib: Schenck.
46. Princip: à Weimar.
47. Trib: Ellar.
48. Defiléen Trib. Kalkstein

Digitized by Google

1656. haberet, machinis majoribus interim mutuo non ſegniter fulminantibus. Tenebris ingruentibus haut placuit amplius intra jactum machinarum hoſtilium ſubſiſtere. Eoque retroceſſere exercitus, & Svecicus quidem ſecundum Viſtulam, Brandenburgicus ſecundum ſylvam ſtatum cepit, peditatus in medio denſatis poſt ſe invicem legionibus conſtitit, ita ut duodecim duntaxat equitum alæ, & duæ peditum phalanges frontem explerent, reliquis legionibus duplicato ordine retro conſiſtentibus.

Secunda dici pugna 19. Jul.

§. 26. Poſtero die prima luce Rex & Electror adcuratius inſpiciendum loci ſitum excurrentes deprehendunt, hoſtem intra munitiones ſuas à fronte commode invadi non poſſe, eoque conandum, ut à noſtra ſiniſtra manu idem circumeatur. Quo fine neceſſarium viſum collem modicum proxime ſylvam ſitum occupare, ex quo occaſio naſcebatur ampliora camporum ſpatia explicandæ aciei amplectendi. Itaque Elector cum ſuo cornu ac duabus peditum phalangibus ſecundum ſylvam verſus eum collem proceſſit, eumque ex voto obtinuit, etſi magno labore machinæ per humum paludoſam & frutice humili paſſim obſitam pertraherentur. Ex elatiore illo loco motus hoſtium, ſimul ſitus camporum accuratius potuit judicari, ubi & Elector copias ſuas ita ante ſylvam diſpoſuit, ut à tergo circumiri non poſſet, peditibus quoque & deſultoribus, machinisque idonea ſtatione aſſignata. Per eum collem ad extremitatem ſylvæ perventum fuit, è quo loco usque ad ſtationem hoſtium plana camporum patebant. Ibi è loco ſublimiore obſervatum fuit, hoſtiles copias ad dextram manum declinaſſe, ut Electoris lateri ingruerent, ſimul retro per ſylvam cum aliquot equitum millibus & Tartarorum turba Regis cornu à tergo invaderent, quos adventantes Rex circumactis à tertia acie ſex alis rejecit. Eo conatu hoſtis depulſus ante Electoris exercitum aperto campo ſubſtitit. Interea Rex cum ſuis inter Viſtulam & ſylvam ante hoſtium munitiones pedem fixerat, immixtis fere mutuo peditum phalangibus & equitum alis, in quos hoſtis non ſegniter è machinis globos evibrabat. Quo in ſtatu permanſit, quoad machinæ Electoris per paludoſam viam in collem attrahe- 1656.
rentur, cui etiam firmando, ne forte tota hoſtium mole obrueretur, duas adhuc peditum phalanges miſit. Cæterum ob conatum hoſtis aliasque rationes expedire videbatur, eundem à dextra ſua manu circumire, id quod tamen ob viarum anguſtias profundamque uliginem fieri non poterat eo loco, qua Electoris copiæ tranſierant. Unde Rex decrevit, retro Electoris cornu ſylvam, è qua Tartari ipſius tergum impetere voluerant, circumlegere. Sed quia id deſtinatum ex hoſtium motu temperandum erat, Regi ad Viſtulam, & Electori trans paludem aliquantiſper morandum fuit, quod hoſtis aliquoties ſpeciem præ ſe ferret Regis & Electoris exercitum pari impetu invaſuri. Quo conatu adparente haut conſultum erat legiones loco movere, ne is ad impetum faciendum ultro velut invitaretur. Mox tamen hoſtis cum univerſa Tartarorum turba Electorem ab omni parte impetere conabatur, quem ejus copiæ magna virtute reſiſtentes acriter repulere. Nec minus tertia Regiorum acies eos, qui per Sylvam tergis horum ingruere parabant, rejecit. Quo ipſo momento & hoſtis cum præcipua ſuarum virium parte, & peditatu è munitionibus ſuis in regios progredi conatus eſt, quem hi machinis, quas ferri fruſtulis impleverant, ita excepere, ut repetito licet aliquoties impetu intra munitiones ſuas recedere cogeretur, vim deinceps ad dextrum latus ſuum in Electorem effuſurus. Eo hoſtium receſſu Regi ſpatium dabatur cum exercitu ſuo ſtationem hactenus captam deſerendi, & retro Electoris cornu per ſylvam in aperta camporum penetrandi, ſic ut Electore conſentiente Rex jam ſiniſtrum, ille dextrum cornu obtineret. Quia igitur hoſtis omnes cataphractos ſeu Huſaros, majorem virium ſuarum partem, in dextro ſuo cornu collocaverat, & ordinibus bene diſpoſitis per campum ingruebat, Rex quoque ordines ſuos verſus ſiniſtram manum extendebat, ut patentioribus campis potitus æquo loco cum hoſte congrederetur, cui & eminus infeſtando aliquot machinas, & tres peditum phalanges ante equeſtrem aciem incedere juſſit. Tum & animus erat hoſtem aperto juxta campo, & à tergo circumire, ipſiusque machinas, quas

arenoſo

1656. arenoſo in colle una cum peditatu collocaverat, invadere. Dum ita Rex cum cornu ſuo ordinibus probe digeſtis in hoſtem tendit, hicce mox vicum à dextris ipſius ſitum inflammare, ac retro eundem concedere, ut Regis vicum iſtum prætereuntis tergum cum parte copiarum ſinuato circa vicum curſu invaderet. Id animadvertens Rex Henricum Hornium cum tertia acie vicum iſtum circumlegere, & adventantibus occurrere juſſit. Eo conſpecto hoſtis lento gradu ad alterum vicum ceſſim ibat, cui & ipſe ignem injiciebat, quo & Rex cum peditatu tendebat, & cum propter paludem vicum iſtum circumire conſultum non duceret, ſed ad ſiniſtram deflectere placeret, tres peditum phalanges apud vicum & paludem conſiſtere juſſit, donec prima & ſecunda equitum acies ante eum vicum progreſſa eſſet, tertia autem acies poſt pedites conſiſtebat hiſce fulciendis. Poſtquam ita Rex cum prima & ſecunda acie vicum præteriiſſet, frontem adverſus collem & excitata ibi ab hoſte opera vertit, ac ubi intra teli jactum jam perventum eſſet, machinis utrinque ſumma vi fulminari cæptum eſt, non paucis ex utraque parte cadentibus. Sed quia Regi longius montem verſus progreſſuro neceſſum erat latus ſuum ſiniſtrum tegere, cum jam vicum à tergo haberet, tres illa peditum phalanges à palude evocatas ad ſe excivit, ac poſt ſecundam aciem in extremo cornu collocavit, fronte Tartaris obverſa, qui retro vicum apud ſylvam cum ingenti Quartianorum multitudine ſiniſtrum ipſius latus invadere conabantur. Unde Rex toto cum exercitu pauliſper ſubſiſtebat, quoad & tertia acies accedens debitum locum caperet. Interea univerſæ hoſtium copiæ, paucis alis exceptis, quæ apud pedites in colle remanebant, magnam partem à dextris cornu Regis circumfundebantur. Huſarorum autem quinque millia frontem Svecorum ſumma vi incurrebant. Ubi maximus impetus duabus alis, quæ juſto maturius tubos diſploſerant, incubuit, quas proſtratis compluribus turbavere, & ipſi ad ſecundam usque aciem perrupere. Enimvero iſti & à ſecunda acie, & à lateribus ita excepti ſunt, ut paucis eorundem contingeret pedem referre. Nec minus qui iſtos ſequebantur repulſi ſunt, quorum aliqui dehinc impetum in Regis peditatum, alii in Electoris equitatum avertere, à quibus itidem ita aſpere excepti ſunt, ut turbatis ordinibus in collem ſeſe iterum reciperent. Inter hæc certamina Tartari circuito vico tergum Svecicæ aciei infeſtare inſtituerunt. Igitur Rex quatuor alas ductu fratris ſui retro vertere, & in adventantes procurrere juſſit, à quibus iſti magna cum cæde rejecti & in paludem compulſi ſunt, ubi major eorum pars periit, reliqui equis delapſi hinc inde pedibus ſalutem ſibi quæſitum ivere. Eadem die ipſe Rex ingens vitæ periculum incurrit, dum enim circa meridiem Huſari & Quartiani in ſiniſtrum Svecorum cornu, ubi Rex agebat, ex elatiore loco ſummo ſeſe cum impetu concitant, à tergo 6000 Tartarorum non procul à vico Brudna eidem Svecico cornu ingruunt. His repellendis Rex Electoris legionem prætoriam pedeſtrem cum quibusdam aliis turmis eductam idoneo loco disponebat, ſed ſimul aſperrima pugna ſurgebat, qua Rex ita hoſti miſcebatur, ut neminem mortalium præterquam præfectum turmæ Travenfeldium ſecum haberet, ac à ſeptem Tartaris pariter jaculis & lanceis invadebatur, è quibus Rex ſtatim duobus brevioribus ſclopetis occidebat, tertium autem qui lanceam Regis fræno implicuerat, gladio caput ita cædebat, ut equo defflueret, unde Rex Travenfeldio, qui itidem duos globis trajecerat, & cum reliquis certabat, ita ſubveniebat ut reliqui duo in fugam ſe darent. Ita Rex manifeſto periculo ereptus fuit. Poſt tot tam diverſis locis commiſſa certamina Rex neceſſarium judicabat, legiones in priorem locum atque ordinem revocare, quo intra munitiones ſuas hoſtem invadere poſſet. Eo fine neceſſarium erat ſylvam & collem à dextris hoſtium ſitum occupare, ut æqua loci altitudine collis, cui hoſtis inſiſtebat, attingi poſſet, & ſic æquo è loco cum hoſte, ejusq; peditatu retro ejusdem munimenta pugnari poſſet. Inde verſus hoſtem diſpoſitis ordinibus proceſſum fuit, ad montem tamen perveniri non potuit, antequam nox proſpectum eriperet. Igitur ne per tenebras confuſius res gereretur, Rex receptui ſignum dedit, & equitatum cum tribus phalangibus peditum juxta ſylvam ad latus vici collocavit. Peditatus reliquus ante vicum & Electo-

d Warsauiiam dies Tertiis 20

NAPOLI

Digitized by Google

1656. Electoris exercitus eo, quem hactenus obtinuerat, loco constitit.

Tertia diei pugna. 20. Jul.

§. 27. Sequenti die summo mane legiones iterum in aciem contrahebantur, ac peditum phalanx missa, quæ sylvæ transitus, ubi equitatus constiterat, concædibus inviam redderet, ne per eam hostis tergum longius progredientium invadere posset. Inde decretum est, ut inter sylvam, juxta quam exercitus præterita nocte constiterat & inter sylvam ad dextram hostis sitam, quam idem insiderat, procederetur, simul peditatus & machinæ, cum quinque Svecicorum equitum alis, prima fronte locabantur, ut hostem sua sylva expellerent. Ejus destinati executio Sparrio commissa, qui & singulari dexteritate ac virtute rem gessit. Quia autem Sparrius sylvam cumprimis machinis quatiebatur, hostilis quidem peditatus ad sylvam vertit, suis equitibus ibi suppetias laturus, sed totus reliquus equitatus latera nostrorum circumire instituit. Unde tam Regio, quam Electorali equitatui, pro situ loci, & hostium impressione frons varie obvertenda fuit repellendis hostium assultibus. Sed Sparrius postquam in sylvam machinis aliquandiu fulminasset, cum equitatu & selectis peditum in eandem penetrans, hærentes ibi Polonicos equites expulit, ac per declivia collis præcipites egit, quos ad sinistram versus paludem, ad quam pridie Tartari vapulaverant, ruentes Wrangelius & Waldeccius, cum aliquot equitum alis prosecuti, in paludum compulerunt, ubi plerique eorum aquis, aut nostrorum telis perierunt. Inter hæc Elector machinas hostium invadit, quas qui tractabant, cum à peditatu suo destitutos se viderent, nullum deditioni moram fecere. Peditatus autem & ipse super deditione jam agere cœpit, quem cum ideo persequi omitteret Elector, iste inter tractandum ad vicinum pontem navalem ruens trans Vistulam evadebat, eodem post se dejecto. Postquam hoc modo sinistrum hostium cornu cum peditatu in fugam abiisset, relictis castris, impedimentis ac machinis, dextrum quoque cornu fugam circumspectare cœpit, & mature magnam partem inter Pragam & non longe inde sitam villam, solutis ordinibus, se proripuit. Equidem ut suos ad pugnam animaret, nulli operæ Rex Joannes Casimirus pepercerat, modo Quartianos, modo Nobiles, modo Helotas quos vocant adequitans, non tubis, sed acinacibus duntaxat, falcibus ac fustibus armatam turbam, ac precibus, hortatu, oblataque aut promissa pecunia istos accendere sategerat, qui & initio atroci cum clamore ingentia facinora minari visi sunt, sed mox languescente impetu terga dederunt. Fugientibus quo minus diu insisterent victores, lassitudo virorum & equorum prohibuit, quos, præter triduanæ pugnæ labores, inedia mire fatigaverat. Sequenti tamen die sex per milliaria expediti equites fugitivos insectati sunt. Interfuit huic prælio Joannes Casimirus ab initio ad finem, ac ad officium boni Ducis exercendum nihil reliquum sibi fecit, sed cum animadverteret, suos in fugam inclinare, ante peditatum trans pontem Warsaviam evasit, longius mox inde se proripiens. Sed regina, quæ & ipsa cum gynæceo, ac senatoribus quibusdam ex edito castrorum loco pugnam spectaverat, cum tertio die Svecos versus castra Polonorum tendere conspiceret, mature se periculo non sui sexus subduxerat. Ea quæ pugnam insecuta est nocte Polonicum præsidium relictis omnibus machinis Warsavia se ejecit, quæ urbs 21. *Jul.* sequenti die Svecorum iterum ditionem citra pugnam subiit. Memorabilis si quæ unquam pugna fuit adversus hostes numero & loci commoditate longe prævalentes, cujus victoriæ gloriam imperatoriæ Regis artes & utriusque exercitus virtus sibi vindicat, fortuna vix aliquam ejus partem decerpente. Constabat Regis & Electoris exercitus sexaginta equitum alis, quatuor desultorum legionibus, pari numero in duo cornua digestis. Hostilem exercitum impleviſſe dicuntur millia Quartianorum octo, Nobilium sedecim, Lithuanorum quinque, Tartarorum sex, peditum quatuor, etsi Poloni centum millia bellatorum suos explevisse jactarant, eoque ob multitudinem victoriam velut exploratam animo præceperant. Observatum id cumprimis fuit, quocunque Svecicus exercitus se obverteret, ventum à tergo semper insecutum in circulum, ac hostium ora fumo ac pulvere impleviſſe. E victoribus pauci ductores occubuere, nisi quod primo pugnæ die Sinclerus *Sinclerus* tribunus globo machinæ discerptus,

1656. & Cannebergius ſauciatus fuit; Gregariorum ad quadringentos vulnerati aut cæſi. Ex hoſtibus cæſorum numerus ita exacte iniri non potuit, quod magna eorum pars intra paludes perierit. Cadaverum hinc inde ſparſorum ad quatuor millia numerata ſunt.

Regis diſpoſitio poſt pugnam Warſavienſem.

§. 28. Maximi momenti ea fuit victoria retundendo Polonorum faſtui, ac reparandis iterum Svecorum rebus, quæ præcipiti lapſu jam ruituræ videbantur, ſi heic adverſi quid accidiſſet, & claro ſpecimine probatum, æquo Marte Polonos Svecis pares haut eſſe. Minor tamen ejusdem fructus, quam pro gloria fuit, quod non tam deletæ, quam diſperſæ fuerant vires Polonorum facili negotio iterum contrahendæ. Nec eo ſecius gliſcebat immane Polonorum in Svecos odium & extrema Imperii Svecici averſatio, quos vi ad obſequium compellere per tam lata terrarum ſpatia diſperſos modico numero & indies minuens exercitus Svecicus haut valebat. Ita tamen confuſi erant ac turbati Poloni poſt prælium iſthoc, ut multas intra ſeptimanas nihil ſuſcipere auderent. Et Joannes Caſimirus Lublinum refugus pronum ſe paci declaraverat, ac ſi nunc pacis conciliatores adeſſent, rem ſine fructu haut abiturum. Unde & qui eo fine Lublinum accedebant, legati Gallici Avaugurius & Lumbranus initio animos Polonorum ſat commodos invenerunt. Sed mox poſtquam Viennam miſſus nuntius reverterat, priſtina ferocia redibat. Aſt Carolo Guſtavo protinus poſt eam victoriam in animo fuerat Joannem Caſimirum, qui cum peditatu & magna equitatus parte Zamoiſciam verſus tendebat, inſequi, & iſto oppido excluſum ad novam pugnam compellere, qua ſaltem peditatus ipſius delendus ſperabatur. Sed abnuebant Brandenburgici, excuſantes ſibi haut integrum eſſe tam longe à Boruſſia ſua diſcedere, eoque per aliquot dies à Novomiaſto ad Wartam conſidere, quiete ſtativorum ſe refecturi. Rex contra ſibi interea otiandum non ratus, poſtquam omnem
24. *Jul.* exercitum apud Warſaviam trans Viſtulam duxiſſet, eique Wialdovvæ aliquot per dies à labore reſpirare permiſiſſet, Sultzbacenſem cum ſelecta equitum manu miſit ad ſparſos è fuga hinc inde conſectandos, tum ut præſidia Svecica invalidis ex oppidis atque arcibus extraheret, munitionibus harum diſjectis. Wreſovicius quoque cum manu aliqua dimittitur ad Tauchelam inter alia recuperandam. Uplandi quoque Weſtmanni, Oſtrogothi & Smalandi equites in Sveciam remiſſi ac vetitum, aliquid peditum in Livoniam trajicere, ne milite nudata Svecia Danorum invaſioni pateret. Exuta quoque tunc præſidio Ilza, Chriſtopora & Janovviza arces. *Ilza.* Tum catervæ Cracoviam verſus miſſæ, quæ Polonos ſubvectionem ad eam urbem impedientes dispellerent, ac omnibus circa locis præſidia educerent, ſimul ut Wirtzio ſpatium eſſet, neceſſariis in urbem convectis, in futurum ſibi proſpiciendi. Earum rerum cauſa Rex ipſe Zidlinſciam usque excurrerat. Inde reverſus Novomiaſti cum Electore iterum congreditur, ſuper adminiſtrando deinceps bello conſultaturus. Et ardebat quidem Rex denuo in Joannem Caſimirum invadere, qui inter Sendomiriam & Lublinum copias è fuga contrahebat. Sed abnuebat Brandenburgicus, fruſtra fugitivi hoſtis veſtigia legendo exercitum atteri, ac ſibi utique in Boruſſiam redeundum, præſertim cum Goſievius è fuga ad Warſaviam eo converſus, abſente exercitu, fines ejus provinciæ populaturus ſit, & morbi jam inter ſuos milites gliſcere incipiant. Spem tamen faciebat, peditatum ſe ſuum Regi commodaturum expugnandæ Weixelmundæ ad Gedanenſes in ordinem redigendos, ac recipiebat in ſe Sparrius, intra quinque ſeptimanas ea ſe munitione potiturum. Cæterum non obſcure tunc Elector oſtendere incipiebat, præmii loco pro exhibita ad Warſaviam opera & quam Weixelmundæ expugnandæ navaturus ſit, ſummum ſe Boruſſiæ imperium abolito Vaſalli vinculo expetere. Inter hæc præfectis Poſnaniæ, Caliſiæ, Coſtenæ, Lanciciæ, Penſinique injungebatur oppidis iſtis excedere, eaque Electori ex conventione tradere. Tum Warſaviæ munitiones detractæ, omnisque adparatus bellicus ablatus ac pons deſtructus. Oppidanis petentibus non niſi modica manus ibi relicta tutelæ cauſa, juſſa ſemper cymbas in promtu habere, ut ſi res exigat ſecundo Viſtula Thorunium evadere poſſet, pro cujus tamen ſalute à decurionibus cautio interpo-

Digitized by Google

1656. ponenda fuit, quod magnus paſſim numerus tutelaris militis a rebellibus trucidatus exercitum Svecicum haut parum imminuerat. Bulovio, qui tunc præſidio ejus urbis præerat, injunctum, ut cum milite ſuo modeſte urbe excederet, nec injuriæ quid aut rapinæ in oppidanos exerceri pateretur. Lovvitia tamen præſidio inſeſſa ſub Tœmeſchildio ſubtribuno, ad quod oppidum Bretlachius tribunus, & Petrus Kiſelius ſubtribunus cum viginti turmis ſtativa habere juſſi provincialibus circum ad tributa exſolvenda compellendis. Poltofsca quoque munimentis firmabatur. Wrangelius ſummæ rei apud exercitum ibi præficitur, quod Rex in Boruſſiam excurrere conſtituiſſet promovendo cum Belgis tractatui. Peditum pleræque legiones ducente Carolo Magno Badenſi Marchione in Boruſſiam ad Stenbockium mittuntur. Sultzbacenſi injunctum, cum aliquot legionibus ad Plotzcam in Maſovia ſubſiſtere obtinendo ibi ponti, ubi major Polonorum vis ingrueret, Thorunium ſe recepturus. Interea cum illis, qui Poltofscæ & Wiſſegradi conſiſtebant, ripas Viſtulæ, Bugi & Narevæ obſervaret, ac ſi neceſſitas urgeat, eosdem ad ſe evocaret. Etſi Sultzbacenſem, ingruens mox peſtilentia Plotzcam deſerere ſubigebat, Bogislaus Radzivilius cum valida manu Tycozinum ire jubetur, tentaturus, num Podlachiam & Samogitiam ad obſequium revocare poſſet, tum ut Raigrodum & Grodeccam præſidio firmaret, ac Brandenburgico ſuppetias ferret, ſi hoſtis Boruſſiam irrumpere conaretur. Ei adjungebatur Ridderhielmius Tycozini curam ſuſcepturus, Draco tribunus Raigrodo, Carolus Meclenburgicus Dux Poltofscæ imponitur cum mandato, ut quid ab hoſte trans Narevam & Bugum fluvios ſuſciperetur, probe obſervarent, eumque tranſitu iſtorum fluviorum arcerent. Sed ſi major vis ingrueret, in tutiora loca ſe reciperent. Ita minore ſpatio ſedem belli Rex circumſcribebat, hoſtem tantiſper arcuiſſe contentus, quoad deſtinata in Boruſſia perfeciſſet, & quo Moſcorum conatus evaſuri eſſent, adparuiſſet.

Lovvitz. *Kiſel.* *Plotzco.* *Wiſſegrad.* *Drack. Raigrod.*

§. 29. His ita diſpoſitis ad Sacrozinium exercitus uterque cis Viſtulam redit, ubi Elector à Rege ſeparabatur, itinere Montem Regium ſuſcepto. E

Regis deſtinata turbantur. *17. Aug.*

1656. conſilio Regis ita cum Electore convenerat, ut Brandenburgicæ copiæ ad Narevam fluvium ſtativa caperent, Regiis ad Viſtulam & Bugum conſeſſuris, quoad milites ac equi quiete refecti forent, inde cum peditatu deſtinata adverſus Gedanenſes executioni danda. Cum majore autem equitatus parte Poloniam majorem & Podlachiam obtinendam, ac hoſtem quadetur, carpendum, ac ne ulterius Boruſſiam verſus progredi poſſit prohibendum. Enimvero Brandenburgici ſtatim atque à Svecico exercitu ſe juncti forent, recta in Boruſſiam tendebant, ac ibi per hoſpitia legiones diſtribuebant. Ita vicinis Polonis, Samogitis, Lithuanis, Podlachiis & Maſoviis facultas dabatur cladis ad Warſaviam acceptæ ſenſum exuendi, viresque ſuas recolligendi. Id quod conſilia Regis vehementer turbabat, variasque illi difficultates objiciebat, præſertim cum peditatum jam in Boruſſiam præmiſiſſet, Gedanenſibus in ordinem redigendis, qui tamen & ipſe conatus irritus fuit. Cum enim Rex paulo poſt deſtinata adverſus Weixelmundam executioni dare vellet, ac ad negotium id promovendum, prout convenerat, apud Electorem inſtaret, jam iſte alia conſilia cepiſſe reperiebatur, tempusque extractum ibat obtentu ſummi in Boruſſiam imperii nondum conceſſi, ac imminentis irruptionis à Polonis recens conglobatis, quod tamen periculum facile declinare licuerat, exercitu ſuo per Podlachiam & alia idonea Poloniæ ac Lithuaniæ loca diſpoſito, quo tempore Polonorum vires hinc inde diſperſæ adhuc erant. Et iſta ſemper occinebantur, cum ſubinde Rex apud ipſum inſtaret, ut ne rei gerendæ tempora in caſſum elabi pateretur. Ita Brandenburgici fructum victoriæ Warſavienſis, cui parandæ ipſi plurimum contulerant, magnam partem corruperunt, hoſtique ut reſpiraret, viresque repararet, ſpatium dederunt. Et erumpens mox à Moſco hoſtilitas curam in Livoniam avertit, ſic ut nonniſi langvide res adverſus Polonos geri deinceps potuerit. Quæ & ipſa cauſa erat, quare Rex non uti conſtituerat cum equitatu in Livoniam excurrere, ac Moſcos Rigæ ingruentes repentino aſſultu percellere poſſet, quod metus

1656. eſſet ne ipſo digreſſo Brandenburgicus ſolicitationibus Polonorum, Cæſaris, Moſci, Dani ac Belgarum non amplius reſiſteret, præſertim univerſa Polonorum turba Boruſſiæ ſe infuſura. Unde ſatius viſum Regi ſummæ rerum per Boruſſiam invigilare, ac inde mari militem Rigæ immittere, ſimul tractatuum Belgicorum progreſſum moderari, ac Moſcorum acta eminus ſpeculari. Interim placebat Gedanenſes intra mœnia includere, & quia peſtilentia per pleramque Boruſſiam graſſari cæperat, Reginam abs ſe in Sveciam dimittere, tam morbi, quam belli, periculis exemptam.

Poloni iterum ingruunt.

§. 30. Inter iſta Poloni contra his copiis Boruſſiæ bifariam ingruebant. Nam & Lithuanicus exercitus Tartaris ſociatus Goſievio Duce Ducali Boruſſiæ imminebat, & Joannes Caſimirus cum majore parte ſuarum copiarum Gedanum tendebat, eam urbem in obſequio & fide confirmaturus, & ex utraque parte Svecos in anguſtias redacturus. Igitur Rex Wreſovicio mandabat, cum manu ſua Slochoviam verſus ſe recipere, qui tamen non ita celeriter moliri poterat, ut non in via à Czarnecio vapularet. Steenbockius autem qui poſt Warſavienſe prælium cum aliquot legionibus Maſoviam in officio continendam miſſus fuerat, ſuperato ad Tilſam aut Ragnitiam Memela fluvio in finibus Samogitiæ aut Lithuaniæ cum ſex equitum, duobus peditum millibus conſiſtere jubetur, ut ſi opus foret in Livoniam tranſire, aut Boruſſiæ ſuccurrere poſſet, cui & Radzivilius è Podlachia cum ſua manu acceſſurus erat. Hi haſtenus ea in provincia nullum operæ pretium fecerat, niſi quod ipſius ſubtribunus Putcammerus turmam Polonorum conciderat, & Draco tribunus Tycozino erumpens, duas hoſtium turmas deleverat. Enimvero non ita celeriter iter properare potuit Steenbockius, præmiſſo cum peditibus Jacobo Gardio, ut cladem à Lithuanis & Tartaris inferendam antevertere valeret. Hi quippe viginti capitum millia explentes, ut eo expeditiores eſſent, omnia ſua vehicula reliquerant, & ſarcinarum maxime neceſſarias equis impoſuerant. His repellendis Radzivilius & Iſrael Ridderhielmius è Podlachia recedentes Waldeccæ Comiti Brandenburgicarum copiarum duci ſe junxerant, qui audito hoſtium adventu ad Maſoviæ fines tendebat, ut plures legiones Electorales ac regias ibi hærentes adſciſceret. Enimvero præverrente hoſte apud Liccam manum conſerere cogitur. Heic duce quantumvis acriter connixo Brandenburgicæ copiæ, multitudine hoſtium territæ, poſt brevem congreſſum in fugam avertuntur, paucis deſideratis. In Svecos numero obrutos maxima clades incubuit, qui ſtrenue reſiſtentes magnam partem cæſi, aut capti ſunt. Sex inſuper Brandenburgicorum machinæ, & omnia impedimenta amiſſa. Captivitatem tunc ſubiit Iſrael Ridderhielmius, ſummus excubiarum præfectus, & Joannes Engelius cum multis aliis ductoribus, Roſa tribunus cum multis aliis cecidit. Brunellum tribunum, dum turmas ſuas in hoſtem rapit, proprius ductor per ſcelus trajecit, quo nomine is poſtea pœnas capite luit. Vinarienſi Duci ſagitta tergo infixa Angerburgi excindenda fuit. Bogislaus Radzivilius acerrime pugnam ciens captus, & à Tartaris male habitus fuit, donec ſexaginta uncialium millia intra duos menſes luſtri nomine ſoluturum ſe promitteret. Waldeccæ Comes Angerburgum evadebat, ut Steenbockio & Sparrio junctus vindictam de hoſte ſumeret. 1656.

Federatorum clades. *Ridderhielm.* *Engel.* *Brunell.* *Angerburg.*

Tilſa. *Ragnitz.*

Putcammer.

§. 31. Rex ea clade audita, cum majora de viribus hoſtium crederet, Steenbockium jubebat confeſtim Allenſteinam recedere, tum Dœrflingio & aliis legionibus injunxit inter Hollandiam & Preusmarcam ſe congregare, hortatus, ne quid temere ſuſcipiant, aut fortunam tentent, ſed non niſi junctis viribus hoſtem invadent. Jacobus quoque Gardius tantiſper in oppidum aliquod cum peditatu conjicere ſe jubetur ad eludendum hoſtis impetum. Aſt Steenbockio de iſta clade nuntius adfertur, cum Poppanum media ſylva poſitum diverſorium perveniſſet. Conſtituerat alias iſte juſſu Regis aſſumto Sultzbacenſi, Radzivilio & Ridderhielmio in Lithuaniam ad Memelam penetrare, ac inde Rigæ laboranti ſuccurrere, Moſcosque Livoniæ incumbentes detrahere. Sed iſta deſtinata hæc clades intervertit, qua audita, cum alias Joannisburgum 1656.

Soveci eam cladem ulciſcuntur. *Preusmarc.* *Poppam.*

Digitized by Google


D
E
E
B

Digitized by Google

S.R.M.ti Regniq.ꝫ Suecia Senator et Archithalassus, supremus Iudex Provincialis Occidentalis Bothniæ, Lapponiæ, Iemptiæ et Heredahliæ, et
et Academiarum Cancellarius et Cancellarius GUSTAVUS OTTO STENBOCK, Comes in Bonnsiöö, Leckö, Biörneborg
Crumbeck et Ingeborg, Dominus in Tingsryd, Kalkka, Kyrkö, Hattelsholm, Harry, Vegnaby, Vegeholm, Nävelö, Hamptsberga et Alsarvinga &c.

N 0

1656. gum cogitaret flexo itinere ad finiſtram Raſtenburgium tendit, ut è fuga ſe recipientibus occurreret ac diſperſos iterum componeret. Raſtenburgi Jacobus Gardius cum parte peditatus ipſi jungitur. Inde Letzam progreſſo Brandenburgicæ copiæ à nupera clade iterum collectæ ſub Waldeccio acceſſere. Heic ut cognoſceret Steenbockius, quonam hoſtis vertiſſet, catervam explorandi cauſa emiſit, quæ in ſexaginta Polonicos equites incidens plerosque trucidavit, paucos captivos ſecum abſtraxit. Hi retulere, Goſievium cum decem millibus Lithuanorum & Polonorum quatuor abhinc milliaribus conſiſtere, Tartaros Polonis diſcordes ob Radzivilium, quem hiſce in manus tradere coacti fuerant, alia via digreſſos. Ad eum igitur locum, quem captivi retulerant, cum Steenbockius perveniſſet, intelligit hoſtem, qui & ipſe de noſtrorum adventu audierat, jam inde moviſſe, ac Oletzcam ſe contuliſſe omnibus vicis poſt ſe inflammatis, ut noſtris inſequentibus annonam ac pabulum ſubtraheret. Iſti Steenbockius aliquot per dies inſiſtebat, ad Gieſſiam usque vicum uno cis Oletzcam milliari. Sed ut pedem figeret, cogere eundem non poterat, niſi quod præcurſores non paucos tardius molientes, aut à via aberrantes, vicenos tricenosque deprehenſos conciderent. Cum autem Steenbockius judicaret, hoſti citra peditatum & impedimenta facile eſſe Svecorum grave agmen diuturno itinere fatigatum eludere, isque jam Lithuaniæ fines ingreſſus nunciaretur, decreverat poſt bidui quietem Gieſſiæ, ubi pabuli copia ſuppetebat, ſumtam retro paululum cedere, hoſtisque motus obſervare, ac Regis mandata expectare. Sed quia excurſores iterum aliquot captivos attraxerant, hoſtem ad Philippovvam conſiſtere confirmantes, habito conſilio tentare conſtituit, nunquid damni eidem inferri poſſet, eoque cum pleroque equitatu & ſelectis peditibus ad Lithuaniæ fines proceſſit, reliquis copiis & impedimentis in caſtris ad Gieſſiam relictis. Sylva inde ſuperatur ob anguſtias viarum valde moleſta, quæ tenuato agmine tranſeunda erat. Cum Myronum, vicum quadrantem milliaris à Philippovva ſitum, eſſet perventum, aliquot hoſtium pabulatores reperti ſunt, è quibus plerique cæſi. E paucis qui effugerant hoſtis adventu noſtrorum cognito in campum progreſſus eſt, & ultra dictum vicum in acie conſtitit. Quanquam autem in vico anguſtiæ viarum ob paludem & lacerum pontem non ſine difficultate tranſirentur, primum tamen agmen, quod Fridericus Landgravius Haſſo-Homburgicus, & Gœrtzkius Brandenburgicus tribunus ducebant, quanta poſſet celeritate anguſtias eluctatum in hoſtem fertur. Mox & Steenbockius cum ſelectis peditibus & ſex campeſtribus machinis ad vicum Myronum pervenit, ac protinus duas machinas in collem cis anguſtias ſubducit, tum aliquot deſultorum centurias retro ſepes in altero vici latere collocat, ſubſidio futuras primo agmini, ſi forte à Polonis repelleretur. Hoſtes cum perſpicerent noſtros per anguſtias illas non niſi disjunctis turmis evadere poſſe, in primum noſtrorum agmen ſeſe magno impetu concitabant. Sed cum Steenbockius è duabus machinis in collem ſubductis ſignum pugnæ daret, impetum inhibebant. Interea & idem ſumma diligentia fategerat, ut peditatum & reliquas machinas, toturnque adeo ſiniſtrum cornu trans anguſtias duceret, quo facto protinus manum cum hoſte conſerere cœpit. Sed hic machinarum globis territus poſt brevem pugnam tergo obverſo in fugam ſe proripuit, antequam Sultzbacenſis cum dextro cornu per difficilia viarum eluctari poſſet. Hoſtium quingenti amplius cæſi præter ſaucios. Inter captivos ductores tribunus quoque Duclinſcius erat. Impedimenta omnia, etſi modico numero, intercepta, & ſigna aliquot. E noſtris pauci admodum ceciderе. Ob laſſitudinem equorum, & quia pugna poſt meridiem cæperat, noſtri non niſi duo milliaria hoſtem perſequi potuerunt, tenebris mox obortis. Ea victoria Radzivilius ex hoſtium manibus liberatus eſt, quem Rex Joannes Caſimirus capitali ſupplicio deſtinaverat. Poſt eam pugnam ſeparatæ à Brandenburgicis Svecicæ copiæ retro ad Viſtulam vertebantur. Ubi Henricus Hornius valida cum manu conglobatos Maſovios diſſipavit, centum quinquaginta cæſis, multis captis.

§. 32. Inter hæc Regem haut parum exercebat cura amicitiam cum

Raſtenburg.
Letzen.
Gieſe Oletzen.
Philippovva.
Pugna ad Philippovvam.
12. Octob. Gœrtzke.
Duclinſki.
Nov.
Amicitia cum Brandenburgico nutat.

1656. Brandenburgico ſervandi, quam non una cauſa labefactare cæperat. Nam doluerat Electori initio anni ſe per arma ad ſubeundum vaſalli vinculum compulſum, cujus moleſtiam apud Polonos exuere tantopere optaverat. Eo ut exſolveretur navata Warſavienſi prælio opera ſe meruiſſe arbitrabatur. Sed & inſurgentibus indies in Regem pluribus hoſtibus, haut æquum cenſebat fortunas ſuas cum ipſo aleæ exponere, nullo alio emolumento, quam ut perpetuo Sveciæ obnoxius ageret. Accedebat periculum à Moſco, qui horrenda belli mole Livoniam obruerat, quem ut in Boruſſiam quoque arma trajiceret, prætextum ſocietatis Svecicæ facile movere poterat. Eoque querebatur nupera conjunctione Regem aſſeveraſſe, ſibi bene cum Moſco convenire, quod nunc ſecus reperiatur, & hunc per legatos acriter urgere ut à Svecica ſe ſocietate disjungat, atrocibus, ſi abnuat, minis jactatis. Ad eundem ſcopum Belgæ quoque omnem lapidem movebant, qui Electore in Regis partibus perſiſtente haut pronum ſibi verebantur, Svecos Boruſſia iterum dimovere, quæ ſumma ipſis votorum erat. Tum & Boruſſiæ ordines periculo hinc à Polonis, inde à Moſcis imminente, in genua ſubmiſſi Electori ſupplicabant, ut ad amicitiam cum Polonis redire velit, ipſis ab exitio conſervandis. Porro Poloni per aſpera, per blanda iſtius animum labefactatum ibant. Joannes Caſimirus Rex minabatur, ni fœdere Svecico deſiſtat, ſe provincias ipſius in Germania invaſurum. Idemque apud Saxoniæ Electorem conqueſtus erat, ſe à Brandenburgico hoſtili modo haberi, unde ſi ipſe viciſſim Marchiæ & Pomeraniæ gemina reponat, id ab Electorali collegio in ſiniſtram partem capi non debere. Unde & Elector Slippenbachio nulla ambage declarabat, ni ſibi caveatur à Rege ſe haut deſerendum, ac ni ſummum Boruſſiæ imperium concedatur, nil cauſæ eſſe, quare ſua omnia periculo gratis exponat, & oblatas ab adverſa parte conditiones repudiet. Et multi Electoris Conſiliarii animo à Svecis averſo jam de induciis cum Polono ineundis, & neutro ſtatu jactabant, ſimul multi è Poloniæ proceribus, tunc Regiomonte agentes, haut dubie Svecis adverſa machinabantur.

§. 33. Contra Rex etſi ægre admodum ad abolendum Vaſalli nexum deſcenderet, tamen cum perſpiceret, quanti momenti ad obtinendam Boruſſiam Electoris amicitia ſibi foret, demum iſthoc diſpendio eandem redimere ſtatuit, ut tamen, quanti poſſet, iſtud eidem imputare vellet. Tum confirmando Electori, & disjiciendis Polonorum machinationibus, qui per Goſievium & Warmienſem Epiſcopum ejusdem animum præcipue tentabant, Slippenbachium Regiomontem ablegat, ſimul ut exploraret, quem ſcopum fœdus, quod tunc Elector cum Moſco feriiſſe dicebatur, ſpectaret. Is igitur multis Electorem „ad conſtantiam hortari, & quo infen„ſiorem ſe hoſtis exhibeat, eo magis „neceſſum eſſe ipſos conſilia ac vires „invicem jungere. A Rege omnia „facta hoc rerum cardine, quæ ex fœ„dere ab ipſo potuerint requiri, ac „deinceps quoque paratum eſſe, om„nia remedia expedire tuendis Electo„ris ditionibus. Sed vice verſa Regi „quoque cautum eſſe debere, quid „ipſe ab Electore pari caſu expectare „queat. Nam ſuum exercitum unice „in ipſius gratiam hinc inde raptare, „& tam difficilibus itineribus in caſ„ſum deſtruere, neque fœderi con„gruum, nec à Rege amplius poſtula„ri poſſe. Quod autem Rex decre„verat Steenbockium cum exercitu ad „Memelam fluvium mittere, inde „forte in Livoniam tranſiturum, (de quo Elector velut hoc modo à Rege hoſtium libidini exponeretur, queſtus fuerat) fœderi haut repugnare. „Nam eo caſu non defuturas fuiſſe „Regi vires Boruſſiæ tuendæ. Ut ta„men Elector intelligat, quantopere „Rex propria emolumenta etiam „maximi momenti poſt ipſius ſecuri„tatem habeat, ſtatuiſſe hunc Steen„bockium cum copiis in Boruſſia re„tinere, & in Polonos rem gerere, ac „Rigæ mari auxilia ſubmittere. Deni„que circa ſummum Boruſſiæ impe„rium Electori concedendum Regem „eſſe paratum, ac colloquium ipſius „expetere, ut circa modum belli „deinceps gerendi certa conſilia for„mari poſſent. Monebatur Slippenbachius, ne aperte ſignificaret, exercitum à Rege in Livoniam haut mittendum, ne id reſciſcentes Moſci obſidio Rigæ pertinacius inhærerent, ſed

1656. *Eam Rex conſervare ſtudet.*

1656. ſed ambiguis duntaxat verbis jaceret Regem facturum, quod ratio belli circa conſervandas utriusque provincias dictitet. Steenbockio tamen injunctum, quia neque Electori ſatis confidi poterat, & univerſæ Polonorum vires in propinquo erant, ne ad Memelam flumen pergeret, ubi facile inter Polonos & Moſcos medius circumveniri queat, ſed retro viam legeret, & idoneo loco in Electoris provincia ſubſiſteret, obtentu ſumto, quod exercitus à continuo labore quiete aliqua opus habeat. Si tamen ratio belli id ferret, ad hoſtem finibus Electoralis provinciæ repellendum operam navaret.

Cum Brandenburgico tractatur. 16. Octob. Suerin de Jena.

§. 34. Miſerat dehinc Elector Frauenburgum ad Regem Suerinum Baronem, & Fridericum Jenam, ut ſuper abolendo vaſalli nexu, ſummoque in Boruſſiam imperio agerent. Ab his ſuper eo negotio formula pacti ſcripto fuit exhibita. Svecis ſuam quoque vicißim expromentibus, quæ circa rem ipſam inter ſe congruebant, niſi quod Electorales hinc inde quædam vocabula carperent, velut ſuſpecta, & à ſcopo Electoris abeuntia. Eam ob diſcrepantiam, & quia clades nuper à Lithuanis accepta fuerat, legati ab Electore Regium montem revocantur, conſultationi interfuturi, quæ tunc ibi de ſumma rerum agitabatur, & qua ratione imminentibus periculis obviam iri poſſit. Regi cum de hoſtium & malevolorum ſolicitationibus conſtaret, & quam multi ex Electoralibus à rebus Svecicis abhorrerent, Electori confirmando denuo Slippenbachium eodem mittit, denuntiaturum, Regem haut quidquam è Boruſſia in Livoniam abiturum, ſimul quæ mens ipſius ſit circa loca in fœderis formula adhuc controverſa. Tum auxilia Regis præſto ipſi futura. Vicißim tamen hunc ex fœdere debita ſubſidia expectare, ſi Joannes Caſimirus Boruſſiæ ingruat, inprimis ut duo millia peditum Regi commodet, firmandis Boruſſiæ præſidiis. Denique ut tractatui finem aliquando imponat, quo ipſe in poſterum firma conſilia capeſſere queat. Cui adornando Matthias Biornclovius eodem ibat, adjicio Bartholomæo Wolfsbergio cum Electoralibus acturus. Ea in tractatione varios admodum ſe gerebant Brandenburgici, prius poſtulatis ſubinde quid addendo, aut ea, quibus antea adquieverant, poſt retractando, cum tamen Rex judicaret, ſi ſerio rem agerent, concluſionem negotii ab ipſis potius maturandam, præſertim imminentibus hinc eorundem provinciæ Lithuanis, inde Joanne Caſimiro ex altera Viſtulæ ripa deſcendente. Tanto curatius Slippenbachius, uti juſſus erat omnia, quæ ibi agebantur, rimari, & ita aſſiduus circa Electorem verſari, ut multi conſiliariorum non parum indignationis inde conciperent. Præſertim quia eo tempore ingens pecuniæ ſumma Amſtelodamo Gedanum collybo trajecta eſſet, inter miniſtros Electoris, uti ferebatur, diſtribuenda, quo ipſum à Svecorum partibus averterent, cum alias Rex ab Electore amiciſſima omnia expectaret, ſi hic ſibi ſoli relictus foret. Inprimis autem demonſtrabat Slippenbachius, cum Elector moras nectat, Regemque de ſua ſententia incertum relinquat, hoſtis contra propius ingruat, rationem belli haut ferre, ut exercitus longius disjungatur, & velut excubias in Electoris terris agat, ſed illum utique Viſtulam verſus retrahendum, & tutis locis diſponendum, nec per anni tempus diutius in campo eundem relinqui, aut longis itineribus atteri debere. Denique declararet aliquando mentem ſuam Elector, quo & Regi certi quid decernere liceat. Sed & acri ſuſpicione perſtringebat Regem, quæ cum Goſievio miſcebantur, commercia. Quam quidem Regi exi- 1656. 22. Octob.
„mere conabatur Elector ultro Goſie-
„vium tractatus affectaſſe, quo ſangui-
„nis effuſioni, ac provinciarum vaſtita-
„ti modus imponatur, ac à ſe certum
„hominem miſſum, qui exploraret,
„quid ſolidi ab iſto propoſitis ſubſit, cu-
„jus reditus propediem expectetur. In-
„terim ſe intellexiſſe, offenſæ quid in-
„ter Joannem Caſimirum Regem & Go-
„ſievium interceſſiſſe, ac univerſum Li-
„thuanorum exercitum cum hoc ſen-
„tire, ac fortaſſe eidem libidinem eſſe
„ſe ſuosque plane à Joanne Caſimiro
„disjungendi. Quem ad finem & ipſe
„omnem lapidem ſit moturus, ac ſpem
„eſſe, id negotium cauſæ communi
„magnopere fore proficuum, nec Re-
„gi diſpliciturum, ſi ipſius nomine Go-
„ſievio quid polliceatur. Enimvero
quia Regi iſta haut ſatisfaciebant, Slippenbachius demonſtrare jubebatur,
„cum agendi modum ab inſolubili illa
„conjunctione per fœdus ſancita abi-
„re, per quam haut fas ſit uni parti cum
hoſte

1656. „hoſte ſeparatim tractare, niſi ſciente „& conſentiente altera. Jam vero Ele- „ctorem haut præmiſſa liquida com- „municatione, multo minus expecta- „ta, Regis ſententia, non ſolum oblata „à Goſievio amplexum, & certum ho- „minem ad eum miſiſſe, ſed & oſten- „dere, ſe aliquid eidem promiſſurum, „quo in partes noſtras attrahatur. „Equidem id de candore Electoris ſibi „polliceri Regem, ut non niſi com- „muni cauſæ utilia ab ipſo quæri con- „fidat, agendi tamen modum ſibi ſcru- „pulum injicere, & quod ipſius aula „jam Polonorum multitudine ſtipe- „tur, aliisque hominibus, queis ſum- „ma votorum ſit amicitiam inter „ipſos turbari. Eoque non poſſe non „Electorem monere, ut ne plus ſibi de „Goſievii integritate polliceatur, „quam ipſe de univerſorum Polono- „rum candore experiendo didicerit, „ac multis indiciis colligi, non minus „hunc, quam alios, Polonicarum par- „tium nil aliud agere, quam ut ſpecio- „ſis promiſſis Electorem Svecica ami- „citia abſtrahant. Ac ſi maxime iſtius „promiſſa in caſſum cadant, id tamen „hiſce artibus eundem lucrari, ut ſpa- „tium nanciſcatur, evocatis Samogi- „tis, copias ſuas firmandi, quo vel „Birſas Svecico præſidio adhuc inſeſ- „ſas recuperet, vel ipſius Electoris ter- „ras iterum invadat. Quia tamen iſta cum Goſievio negotiatio bonum publicum ſpectare ferebatur, Slippen- bachius in hoc negotio molliſſima dictione uti jubebatur, non velut aliquid exprobaret, ſed ut communicationem actorum modeſte peteret, ſubinde de fiducia Regis erga Electorem teſtatus. Sed ut viciſſim Electori ſcrupulum injiceret, ſimul denunciabat, in procinctu ſe eſſe, ut ad exercitum ſuum abeat, ac quæ ratio belli ſuggerat, in hoſtem ſuſcipiat. Unde ſibi cumprimis neceſſarium eſſe, ut tandem aliquando intelligat, quo loco res ſuæ apud Electorem ſint, & quid ipſe in alterutram partem circa fœdus, de quo jam agitetur, decreverit, cum res ſuæ nullo modo ferant, ut diutius in ambiguo agat.

Tractatus concluditur. §. 35. Ita poſt multam demum diſceptationem tractatus Labiaviæ concluſus eſt, cujus ingreſſu memorabatur occaſio, ob quam pacta feudalia initio hujus anni, in fœdus perpetuum & inſolubile mutata ſint, idemque his „capitibus conſtabat, ut Ducatus Bo- „ruſſiæ & Principatus Warmiæ in „perpetuum à regno Poloniæ ſepara- „tus ſit. Ut pacta feudalia, quibus iſtæ „provinciæ, velut à regno Sveciæ de- „pendentes, agnitæ ſint, abolita & „nulla habeantur, contra Electoris ejus- „que legitimi deſcendentes maſculi „earundem ditionum nomine ſummi, „& à nemine dependentes Principes „ſint, in quas Rex regnumque Sveciæ „nihil juris prætenſurus ſit, ficti nec „vice verſa Elector ejusque poſteri in „Regalem Boruſſiam quid juris actio- „nisque ſibi vindicare poterunt. Ut „Frauenburgum cum ſubjecta præfe- „ctura à Warmienſi Principatu ſepara- „ta Regi regnoque Sveciæ reſervetur. „Ut in locum aboliti nunc pacti feu- „dalis inter Regem regnumque Sve- „ciæ, & Electorem velut ſupremum „Boruſſiæ principem perpetua ami- „citia, fœdusque inſolubile ſurroga- „tum ſit, cujus virtute, ſi quæ hactenus „pacta ſint inita huic repugnantia, „inania habeantur, nec ulla deinceps „eidem adverſa ineantur, ſimul Ele- „ctor operam dare teneatur, ut Regi „regnoque Sveciæ futuro tractatu „pacis à Polonia ſatisfiat, & hic vicis- „ſim, ut Electori Boruſſia & Warmia „cum ſupremi imperii jure ſalva ſit, „nec cum Polonis tractatus ſuſcipia- „tur, niſi utriusque conſenſu, & cum „conditione ſatisfactionis utrique „præſtandæ. Ut præterea uſus com- „merciorum & reliqua jura & conſue- „tudines inter utramque Boruſſiam „hactenus receptæ deinceps quoque „obſerventur, quod quidem ſalvo ſum- „mi imperii jure, & ſalva ſeparatione „à regno Poloniæ fieri queat. Ca- „vebatur inſuper de innoxio militis „tranſitu per utriusque fœderati pro- „vinciam, ſi opus ſit, ac ut navibus „Svecicis portus Electoris introire li- „ceat, paria cum Electoralibus civi- „bus vectigalia ſoluturis: à quibus „tamen propriæ Regis res, peculiari „ipſius uſui inſervientes, & bellicus „adparatus ſit exemtus. Quo jure quo- „que Elector in portubus Regalis Bo- „ruſſiæ fruetur. Navibus autem „bellicis Svecorum ea lege portus in- „troire liceat, ut adventum ſuum „protinus præfectis portuum indi- „cent, ac extra globi jactum à muni- „tione ancoras jaciant ac milites nau- „tæque non tanto numero egredian- „tur, ut periculum portubus creare queant.

1656.

10. *Novi*

1656. „queant. Hoſtibus contra Regis Sve-
„ciæ tranſitus per ditionem Electoris
„terra marique prohibitus ſit, ſalvo
„commerciorum uſu, modo ne mer-
„ces bellicæ è portubus Electoris ad
„hoſtes Regis vehantur, ſicuti nec vi-
„ciſſim ejusmodi merces è portubus
„Boruſſiæ Regiæ, Pomerelliæ, Caſſu-
„biæ & Samogitiæ ad hoſtes Electoris
„vehere licitum ſit. Conventum quo-
„que fuit, ut extincta familia Electora-
„li maſcula Boruſſia Ducatus & War-
„mia ad Regem regnumque Sveciæ
„devolvatur, in quem eventum ordi-
„nes earum provinciarum Rege ſeſe
„juramento obſtringent, ſingulorum
„Principum mutatione repetendo.
„Prætenſio autem reliquorum Mar-
„chionum Brandenburgenſium in
„Boruſſiam eo in ſtatu maneat, in quo
„fuit tempore poſtremæ à Regibus
„Poloniæ datæ inveſtituræ, quæ & nul-
„lo modo ad Warmiam extendenda
„ſit. Caſu autem extinctæ lineæ E-
„lectoralis ſuperſtitibus Marchioni-
„bus à regno Sveciæ perſolvantur tre-
„centa uncialium millia, quæ ante-
„quam perſoluta ſint, jus ſit iſtis In-
„ſterburgenſem præfecturam occu-
„pare, & poſſidere. Super auxiliis de-
„inque mutuis placebat durante bello
„Polonico illa præſtare, quæ pacto
„Mariæburgenſi convenerunt. In fu-
„turum utrinque bis mille quingenti
„pedites, mille quingenti equites ſum-
„tibus mittentis auxilio exhibeantur.
A parte Regis ſubſcripſerant ea con-
venta Carolus Chriſtophorus Slippen-
bachius, Matthias Biærnclovius, &
Bartholomæus Wolfsbergius: ab Ele-
ctoris parte Otto Suerinus Baro & Fri-
dericus Jena.

Articuli ſecreti.

§. 36. Huic conventioni adjectum fuit ſecretum pactum, quo Elector „obſtringebatur operam dare, ut pa-
„ce cum Polonis futura Rex Sveciæ,
„ſi non plures has ſaltem provincias
„ſatisfactionis loco obtineat, Boruſ-
„ſiam regiam, Pomerelliam, & eo ſpe-
„ctantem Caſſubiæ partem, Samogi-
„tiam, Semigalliam, Curlandiam &
„Livoniam totam, ſalvis juribus & ſta-
„tu Ducis Curlandiæ. Viciſſim quan-
„quam Rex omnem operam navatu-
„rus erat, ut Elector quatuor Palatina-
„tus Majoris Poloniæ, aut, quanta de-
„tur, eorum partem retineat, ſi tamen
„pax ad hoc negotium adhæreſcat,
„Elector eosdem Polonis reſtituere
„tenebitur. Rex quoque renunciabat 1656.
„participationi vectigalium in portu-
„bus Electoralibus, de qua ſuperiori-
„bus pactis fuerat conventum. Vi-
„ciſſim Elector Regi ſoluturus erat,
„viginti millia uncialium intra ſpa-
„tium quatuordecim dierum à ſub-
„ſcriptione hujus pacti, & centum mil-
„lia uncialium intra ſpatium ſex ſep-
„timanarum ab exhibita utrinque
„ratificatione. De vectigali, quod ha-
„ctenus naves Elbinga hinc inde com-
„meantes ſolverunt, placuit Electo-
„ri deinceps dimidiam partem Pru-
„laviæ ſolvendam, de reliqua parte
„pro lubitu diſponere penes Regem
„ſit. Super tempore, quo juramen-
„tum Regi regnoque Sveciæ in even-
„tum extinctæ lineæ Electoralis Or-
„dines Boruſſiæ præſtare debeant,
„convenit id fieri ante bellum hocce
„compoſitum, quantocunque Regi id
„opportunum fuerit viſum. Denique
„& Elector ſibi exceperat, quod non
„velit teneri ad auxilium Regi feren-
„dum ulterius, quam in Boruſſia regia,
„Pomerellia, & adjuncta parte Caſſu-
„biæ, nec non Samogitia, non autem
„ſi Rex in Livonia, Curlandia aut Se-
„migallia invadatur. Voluerat Ele-
ctor, ut ſibi permitteretur duas aut
tres naves bellicas comparare ad tuen-
dos ſuos portus. Sed Regi potius vi-
ſum de iſtis plane omittere, ac ſi ni-
mium inſiſterent Electorales, Rex ſuos
demonſtrare juſſit, Electorem ſupremo
jam Imperio mactum in Coronæ Polo-
nicæ locum ſuo in territorio ſuccedere,
cui nunquam jus fuerit claſſem haben-
di in mari Baltico, ac Polonos, ſi naves
bellicas parare moliti ſint, à Regibus
Borealibus ſemper impeditos fuiſſe.

Diffidentia ideo non tollitur.

§. 37. Tractatus hoſce ad finem perductos eo lætius Regi erat, quo magis iſtos turbare adverſarii labora-
verant. Ratificationem Elector citra
moram transmiſit, addita gratiarum
actione per literas propria manu ſcri-
ptas, quibus & inconcuſſam amicitiam
ſpondebat. Nec eo magis diffidentia
funditus tollebatur, quod cum Rex
poſtularet, ut Elector aliquam copia-
rum partem ſibi commodaret, repel-
lendo Joanni Caſimiro ad Gedanum
hærenti, nil aliud reſponſum fuiſſet,
quam integrum ſibi non eſſe militem
ſua ditione emittere, cum tamen ipſe
ita promte ad tuendos Electoris fines
accurriſſet. Sed nec ſecreta cum Po-
21. *Nov.*

1656. lonis commercia exercari desinebant. Equidem significabat Regi per literas Elector: *Joannem Casimirum Gedani ancipitem valde consilii agere, & aliquoties ab ipso postulasse, fidum hominem ad se in urbem mitti, id quod tamen ipse suspitioni apud Regem declinandæ abnuerit, si tamen Regi ita videatur, missurum se non alio fine, quam ut explo-ret, qua Joanni Casimiro in pacem sit propensio.* Id quod Rex abnegare non poterat, cum etiam se non permittente Elector id facturus videretur. Ostendebat tamen, id omni modo agere Polonos, ut ipsum à sua amicitia divellant, modo blandam faciem, modo minas ostentantes. Sane tunc quam maxime Gosievius copias suas cum Paulo Sapieha in Masovia conjungere parabat Borussiæ invadendæ, cujus irruptioni sistendæ Rex monebat, ut Elector legiones suas ad limitem disponeret. Circa finem quoque anni Regiomonte erat Warmiensis Episcopus, qui secretam cum Electore negotiationem agitabat, nemine *Hoverbek.* conscio, præterquam Suerino & Hoverbequio, utroque Svecis infensissimo. Unde Gedanum Præsul se conferebat, postquam cum Suerino super notis convenerat, quibus secretæ literæ scribuntur. Quo & paulo post Hoverbequius, acceptis à Rege Poloniæ salvi conductus literis, accessit, quem multa in sui favorem ibi moliturum Regi haut persuadebatur.

Joannes Casimirus Gedanum accedit.

§. 38. Cæterum dum Svecicus exercitus obsidio Rigæ est intentus, & circa tuendam Electoris ditionem distringitur, Rex Joannes Casimirus interim in altera Vistulæ ripa per Pomerelliam, nullo obsistente, Gedanum se contulerat. Ex itinere ab isto capta Lancicia, Conitia & Calisia, cui dum Wresovvitius Comes cum mille quingentis succurrere conatur, à Czarnecio oppressus, cum plerisque suorum cæsus est. Gedanum quoque tendebat Regina Poloniæ Maria Ludovica literis tuti itineris à Rege Sveciæ acceptis, decora in imbellem sexum humanitate, & quia cum in Galliis Rex peregrinaretur, aliqua ipsi notitia ejusdem fuerat, & juvenilis affectus quædam innocentes scintillæ. Jusserat Rex Gustavum Banerium Slochoviæ subsistere, & apud transeuntem suo nomine verbis honoris defungi. Sed quæ post omisso Gedanum itinere retro vertit. A Polonis, dum ad Gedanum metantur, nihil susceptum, nisi quod eorum aliquot millia Dirschaviam repentino assultu opprimere tentarunt, sed qui acriter repulsi non paucis suo- 2. Dec. rum desideratis frustra fuere. Mox quoque tria millia Gedano egressa, adjunctis mille Polonis, Hauptum tentare instituerunt, qui & ipsi re infecta discesserunt. Sed tunc non modicæ cladis instar apud Svecos habebatur Kœnigsmarckii captivitas. Is *Kœnigsmarckius capitur.* evocante Rege Wismaria in Borussiam mari tendebat, cohortem Scotorum à Cranstono conductam eadem navi vehens, quæ dum littus Gedanense eminus legit, Scoti rebellione cæpta nauclerum cogunt navem ad oram Gedanensem avertere. Unde erumpentia hostium navigia istum captivum in urbem abstraxerunt, ac inde Weixelmundæ inclusum ad finem usque belli detinuerunt. De quo liberando Rex per legatos Belgarum apud Gedanenses agebat, hisce demonstrans, non defuisse sibi remedia superbiam ipsorum castigandi, & navigationem contra prædationes tutam præstandi, ni confisus esset fœdere cum Belgis renovato, eam quoque urbem complexo, cui inclusioni Gedanenses nondum renunciarint, nec credidisse classem Belgicam, quæ navigationis tutelam præ se ferat passuram, ut ante ora sua piratica exerceatur. Sed ista à Gedanensibus parum curabantur, & cum ea res à legatis ad Ordines Generales referretur, isti non sine ludibrio reposuerant, se prohibere non posse, quo minus Gedanenses adversus hostes hostilia exerceant. Nec minus molestum Regi accidit, quod sub idem tempus Ericus 23. Oct. Oxenstierna regni Cancellarius febri maligna Mariæburgi extingveretur.

Rex in Borussia manere constituit.

§. 39. Cæterum quo minus Rex maturius Polonis occurreret, in causa præcipue fuerat periculum Rigæ imminens, cui dispellendo Steenbockium cum magna exercitus parte ad Lithuaniæ fines procedere jusserat ipse quoque eodem excursurus. Quæ tamen destinata mox omissa fuerunt, postquam consilio cum præsentibus Senatoribus habito omnia curatius expensa fuissent ac cognitum esset, militem à Borussia mari submissum incolumem in urbem pervenisse, & obsessos strenue vim hostium sustinere. Nam

&

1656. Nam & quæ ſub Radzivilio & Ridderhielmio fuerant copiæ, non parum numeris minuerant, & Steenbockius quantumcunque iter acceleraret, intra menſem Rigam pervenire non poterat, ſerum forte, urbi jam perditæ auxilium laturus, quæ ſi ad hoc usque tempus ſuſtinere valeret, fœda anni tempeſtas ingruens ultro obſidium ſolutura erat. Ita nec operæ pretium in Livonia fiebat, & res Boruſſiæ ſummo periculo exponebantur, cui, Svecico exercitu digreſſo, Poloni tota vi imminebant. Sed & ſi Poloni abeuntem ſequerentur, fieri poterat, ut hoſte utrinque ingruente in anguſtias ipſe redigeretur. Elector quoque deſertum à Rege ſe judicans, facile ad deſperata conſilia compelli poterat. Tum quæ cum Ragotzio Coſaccisque texebatur conſiliorum tela, eo diſceſſu abrumpebatur, ſimul malevoli per Germaniam res Svecicas velut plane perditas dilaturi erant, Polonis quoque immenſos ſpiritus ſumpturis. Sed & ſuſpecto Dani animo conſultum erat, in Boruſſia ſubſiſtere, quo is è vicinia ſtatim impeti poſſet, ſi quid hoſtile moveret. Quanquam autem Regi decretum eſſet, in Boruſſia manere, non tamen protinus placebat in Polonos tendere prope Gedanum metantes, aut in altera ripa juxta hoſtem conſiſtere, quod nollet aſpera anni tempeſtate ſub dio militem atterere, quem jam antea præter continuos labores graſſans hinc inde peſtilentia non parum imminuerat, nulla ſupplementorum facultate, quod Polonicus miles nulli uſui foret, & militi in Germania conducendo argentum deeſſet. Igitur miles per vicos Viſtulæ vicinos diſponitur, quiete ſe refecturus, cujus conſervatio pluris habebatur, quam agreſtium, qui hiſce ſtativis non parum atterebantur. Qua mora quoque cis Viſtulam non parum momenti ad abſolvendos cum Brandenburgico tractatus accedebat. Cæterum tractatibus quantumvis cum Electore abſolutis in hoſtem non ſtatim tendere licebat, quod fluctantia glaciei fragmina ſtructuram pontis inhiberent. Et cum mox
27. *Nov.* per conſtrictum glaciei flumen Rex tranſire conaretur, remiſſum ſubito frigus ita glaciem debilitaverat, ut Rex ipſe explorandi cauſa in alteram ripam transgreſſus eadem via vix remeare poſſet. Igitur jam ad Graudentum reparato ponte Viſtulam ſuperare conſtituit, ſed & hoc per fluitantem glaciem lacerato cis flumen manendum fuit. Qua mora Joanni Caſimiro licebat, copias à Majore Polonia, quas Regina ſubmittebat, ſimul Goſievium à Maſovia ad ſe Gedanum evocare. Sic ut Polonicus exercitus jam triginta capitum millia implere diceretur. Qui & cum validis emiſſis catervis Ulteriorem Pomeraniam infeſtare cæpiſſet, Rex Wrangelio, quiad curandas Pomeraniæ res miſſus erat, injungit, ut re cum Electoralibus conſiliariis communicata, auxilium iſtis ad repellendos hoſtes ferret, prout etiam ex pacto ad id tenebatur. 1656.

§. 40. Aſt ponte perfecto Rex apud Mevam toto cum exercitu Viſtulam tranſit, ea nocte in vico Sprauda metatus. Inde Dirſchaviam & Stibeloam properat, hoſtem, qui apud Langenaviam munitis caſtris conſidebat, invadere, & ad prælium committendum adigere ardens. Equidem initio Rex decreverat recta in hoſtem ire. Sed cum intelligeret, Czarnecium ad tertium circa milliare omne pabulum in caſtra ſua avexiſſe, ne Regi prope ſe conſidenti facultas foret, relictis ad Hauptum impedimentis, ut eo expeditior foret, verſus inſulam Gedanenſium flectebat, tentaturus, num inter Polonorum caſtra & Gedanenſem urbem medius penetrare, hoſtemque à latere invadere poſſet, aut ſi id non daretur, circuitis hoſtium caſtris à Lauenburgico latere acceſſurus. Stibeloam delatus Rex diſploſis duabus machinis ad pugnam Polonos provocabat, cui Poloni tribus viciſſim exoneratis ſpem pugnæ conferendæ faciebant. Enimvero illa ipſa adhuc veſpera, cum Czarnecius ex ignibus de totius Svecici exercitus adventu collegiſſet, ſumma cum trepidatione relictis caſtris Conitiam inde Butoviam verſus ſe proripuit, ma-
20. *Dec.* chinis & peditibus Gedanum miſſis. Hoſtium veſtigiis à Rege immiſſus cum ducentis quinquaginta equitibus ſubtribunus, quingenta fere vehicula intercepit. Mox Polonorum veſtigia Aſchebergius legere juſſus cum ſeptingentis quinqua-

Rex in Polonos tendit.
17. *Dec.* *Spraudem.*
Langenam.

1656. ginta equitibus in viginti duas turmas digeſtis, tentaturus, num quid hoſti damni poſſit inferre. Hoc digreſſo Rex Grebinum à quinquaginta peditibus inſeſſum nullo prævio pacto ſubigit, peditibus ſua ſub ſigna diſtributis. *Zobovvitz.* Simul Zobovvitzæ arci præſidium imponit, eo melius obſervando hoſtium peditatui, qui apud Gedanum relictus erat. *Arentſon.* In quem Arentſonius tribunus cum octingentis equitibus immiſſus eſt, qui & recta via in opera ipſorum ante vicos excitata ruebat, ac duobus eosdem vicis non modica cum cæde expulit, interceptis aliquot equorum centuriis, reliquos in urbem compulit. Sed quia Regi haut operæ pretium videbatur, horum ob gratiam toto cum exercitu heic ſubſiſtere, Duglaſſium cum valida manu in Gedanenſium inſula relinquebat, ut Joannem Caſimirum, num forte Gedano diſcedere vellet, obſervaret. Quem ſi urbe prodiret jubebatur omnibus poſthabitis inſequi, ac ſibi protinus ſignificare, quo à fronte eidem occurrere poſſet. Miſſi etiam ſunt Butoviam & Lauenburgum, qui viam ibi Joanni Caſimiro occluderent, ſi forte eo vertiſſet. Simul Stargardiæ præ- *21. Dec.* fecto injunctum, dimiſſis ſubinde exploratoribus, omnia diligenter obſervare. Ipſe Rex cum reliquo exercitu Stibeloam regreſſus in Pomerelliam *22. Dec.* tendebat. Interim Aſchebergius Ku- *Kuſchen.* ſchoviam delatus, vicarium turmæ *Conitz.* cum quindecim equitibus Conitiam *23. Dec.* verſus exploratum mittebat, qui ſequenti die circa meridiem reverſus referebat, totum Polonorum exercitum circa Conitiam per vicos hoſpitari, ac videri ſibi, eos ex improviſo opprimi poſſe, ac quæ eo ferant, vias commodas eſſe. Unde Aſchebergius convocatis ductoribus iſta proponit, qui unanimes in hoſtes eundum conclamabant. Igitur ipſe cum ſua manu Kuſchovia movens horis pomeridianis & ſequenti nocte ad primam usque horam poſt mediam noctem ſumma cum diligentia ſeptem milliaria emenſus, ad *Brom.* fluvium Brommam pervenit, dimidio à Polonorum ſtativis milliari. Ibi cum nihil hoſtilium excubiarum reperiret, pontem ſtramine inſterni juſſit, ne tranſeuntium equorum ungulæ ſtrepitum excitarent. *Poloni vapulant.* Quo facto tranſmiſſo ſuos ad expromendam virtutem hortatus, turmisque diſpoſitis alacres in prima Polonorum ſtativa rapit, ubi 1656. Wiesnovicii Principis legio mille qua- *Wiesnovitz.* dringentorum capitum tendebat, quæ ita cædebatur, ut ne centum quidem ferrum aut flammam evaderent, ubi & Zamoiſcius junior captus eſt. Cum ita primo labori fortuna adſpiraſſet, ac Aſchebergius cognoviſſet, Polonicas copias late per vicos diſperſas hoſpitari, nullo certo loco deſignato, ad quem tumultu exorto coirent, pari impetu ſecunda, tertia & quarta ſtativa irrumpit, ac ferro flammaque omnia miſcet. Tot ſurgentibus ignibus & ingenti tuborum ſtrepitu tria circiter Polonorum millia, Czarnecio duce, ſub Conitiæ mœnibus ſe colligebant. Heic Polonus ex interceptis aliquot captivis, qui prædam cupidius conſectati fuerant, cognoſcit, ſolum Aſchebergium cum modica caterva adeſſe. Igitur cum judicaret Svecos ea qua venerant via Brommam reverſuros, eodem cum ſuis recta properabat. Sed Aſchebergius omiſſo priori itinere Slochoviam, quæ ſesqui milliare duntaxat ab incenſis vicis diſtabat, citato curſu ſe ſubduxerat. Czarnecius cum in caſſum ſe Brommami viſſe conſpiceret, & ipſe quantum poteſt Slochoviam adproperat, cum jam Aſchebergius *24. Dec.* cum ſuis ſalvus intra eam arcem ſe recepiſſet. Amiſere Poloni eo inſultu triginta ſex ſigna, milites ter mille quingentos, qui ferro & igne interiere. Tria millia equorum cum impedimentis combuſta ſunt. Mille trecenti equi cum multis captis ductoribus catervæ Svecicæ in prædam ceſſere. Sveci præter pauculos captivos neminem ſuorum deſiderarunt. Antea quoque Spenſius ſubtribunus Slochovia erum- *Spens.* pens vicum, in quo quatuor Polonorum turmæ tendebant, incenderat pleriſque militum cæſis. Ea clade accepta Czarnecius cum reliquis, aſſumta quoque Regina Poloniæ, Conitiam inde Nachelam faceſſit, ubi Notecio flumine ſuperato in Poloniam ſuperiorem abit. Slochovia digreſſus Aſche- *29. Dec.* bergius Regi inter Conitiam & Tauchelam iterum jungebatur, à quo magna cum honoris demonſtratione exceptus eſt. Conitia inde poſt triduanum obſidium ad deditionem citra exceptionem compellitur, ubi trecenti pedites præſidiarii numeris Svecicis admixti, multi quoque ductores equitesque Poloni capti, qui curandis ibi vul-

1656. vulneribus nupera irruptione acceptis vacabant. Rex etsi Polonos post recentem cladem magis hibernorum quietem, quam novas pugnas circumspicere crederet tamen antequam de istorum destinatis constaret, per Wirtzium moneri Ragotzium curat, ut sibi à subitis Polonorum assultibus caveat. Sed si Czarnecius pluribus copiis firmatus Gedanum versus regrederetur, Rex eundem prælio excipere parabat. Inter talia ipsum finis anni apud Conitiam deprehendebat.

A Wirtzio acta.

§. 41. Eodem anno Wirtzius Cracoviam insidens aliquoties Polonos sat aspere habuerat, qui annona intercepta fame ipsum urgere instituebant.

Maje. Eorum aliquot millia è Nobilibus & agrestibus conglobata manus, non procul Cracovia consederant, sed qui prohibere non poterant, quo minus ipse per aliquot circum milliaria excurrens obsequia & tributa detrectantes incendiis castigaret. Inde Miesnic-

Miesnikki. cius opportuno loco castris ad Vistulam positis uno supra urbem milliari consederat, ne quid ea parte annonæ

10. *Jul.* in urbem inferri posset. Evocaverat ad se præsidiarios arcis Tenschinensis Wirtzius ad octoginta capita redactos, aetuendæ arci haut amplius suffecturos, quibus deducendis Yxculius tri-

Yxcul. bunus cum equitibus Cracoviensibus obviam vadit. Ad eosdem intercipiendos quoque venerant ducenti selecti Polonorum equites, quos ingruentes præsidiarii aliquandiu sustinuere. Sed mox superveniens Yxcu-

Rokeby. lius istos fudit, ductoremque Rokebyum & complures Nobiles captos in urbem abstraxit. Biduo post Wirtzius cum omnibus copiis, quas urbe educere tuto poterat, sub Polonorum castra progressus est ad prælium ipsos provocans. Ubi sedecim istorum turmæ prodibant, magno cum clamore in Svecos impetum dantes. Sed cum ab his aspere exciperentur, laxatis habenis intra castra sua refugerunt. Sed paulo post majus à Wirtzio operæ pretium factum, qui cum suis iterum

31. *Jul.* sub Polonorum castra processit, & prodeuntes equites acri conflictu in fugam conjectos, & à castris suis exclusos ad unum milliare persecutus est. Interea qui in castris remanserant Polonii clade suorum territ, trans Vistulam se recipere instituerunt. Quos fugam molientes Svecі adorti in castra irruperunt, multosque trucidarunt aut ceperunt, reliquos in Vistulam aquis hauriendos propulerunt. Potiti sunt ibi Sveci quatuor machinis, sex vexillis. Tota tunc Polonorum manus, quæ ter mille octingentorum capitum fuerat, dissipata. Vicissim tamen & Svecis aliquando nonnihil damni repositum, ac inter alios tribunus Petrus Kiselius, cum post prælium ad Warsaviam aliquam manum Cracoviam adduxisset firmando præsidio, in regressu à Czarnecio circumventus cum suis cæsus fuit. Lubomirscius dehinc valida cum militum manu, & coacta ingenti provincialium turba ante Cracoviam consedit, commeatum persultantibus passim catervis intercepturus. Hic Wirtzium, ut urbem sibi traderet, per literas hortabatur, cui hic, quæ militarem virum decebant, reponebat, simul frequentibus eruptionibus obsessores carpebat. Inter alia tribunus Scachius valida cum manu emissus apud Casimiriam tribus Quartianorum millibus impactus est, quos in fugam conjecit, quingentis cæsis, quadringentis in urbem pertractis, etsi eo conflictu ipse quoque Scachius occumberet. Alio dehinc die eruptione facta octoginta amplius Poloni cæsi, viginti quinque Nobiles capti. Rex ei mandata miserat, ut strenue urbem tueretur, cui mox Ragotzius respirandi facultatem sit præbiturus, se quippe è Borussia absque ruina sui exercitus subvenire ipsi non posse, si diutius tenere urbem nequeat, honestis conditionibus transigeret. Sed caveret, ne eandem cum Warsaviensibus sortem experiatur, eoque aliquot Senatores & Castellanos obsides postularet, Thoruni tamdiu asservandos, quoad ipse in tuta pervenerit.

Oktobr.

Schach.

4. *Nov.*

12. *Nov.*

30. *Nov.*

Radziejovius capitur.

§. 42. Sub finem anni jussu Regis in custodiam Mariæburgi traditus fuit Hieronymus Radziejovius Poloniæ quondam Vice-Cancellarius, qui cum antea insigne studium in res Svecicas ostentasset, Regique ac proceribus ad suscipiendum Polonicum bellum stimulos subdidisset, nunc arctioribus Svecorum rebus fidem mutaverat, ac larvam exuerat. Cujus fraudibus deprehensis Rex nocendi facultatem adimendam judicavit, ipso in custodiam dato. Ejus animi parum sinceri statim indicia erumpebant, postquam cum Wittenbergio Poloniam ingressus omnia sua ex pla-

1656. ex placito agi vellet. Quod cum Wittenbergius adſpernaretur apud Regem ea de re queſtus fuerat, ipſiusque actiones traduxerat. Sed cum Rex à Wittenbergio acta probaret, iſte non ſine offenſa Warſaviam ſe contulit, ubi id unicum negotium ſibi datum credidit Regis deſtinata eludere, animosque Polonorum ab eodem avertere, ſic ut non paucis, qui Warſaviam ſuper deditione acturi acceſſerant, ſcrupulum injiceret. Idem cum Rex ad Sendomiriam ab hoſtibus velut indagine clauſus diceretur, Charnicovio Comiti ſuaſit, ut in majorem Poloniam profectus populares ſuos ad arma in Svecos ſumenda concitaret, occaſione tam egregia invitante. Id quod non parum ad rebellionem ejus provinciæ contulerat. Quæ omnia Rex alta diſſimulatione premere, tum omnia ipſius bona reſtituere, multa beneficia adjicere, ſi pravum animum benignitate emendare poſſet. Sed poſt cum iſte in caſtris ad Novodvvorum altius penetrantia Regique contumelioſa dicta jaceret, acta ipſius ſuggillando, deteſtando, male ominando, hic per Wranglium & Gabrielem Oxenſtiernam eidem abſurditatem dictorum demonſtrat, & quid inde provenire ſoleat, additis monitis, ut talibus abſiſtat, & aliam mentem adverſus ipſum oſtendat. Ubi is quidem dicta ſua interpretari & emollire, ac ſi quæ liberius diſſeruiſſet, non ex malitia, ſed animo plus ſatis candido, & ſimulare neſcio profectum. Obſervatum tamen poſt, animum ipſius haut quidquam immutatum, cæterum ſermones eundem cautius expromere ac moderari. Qui & ut commodam occaſionem nanciſceretur partes Svecicas deſerendi, ac inſigni officio Joannis Caſimiri gratiam ſibi conciliandi, id machinabatur, ut à Rege ad Coſaccos mitteretur, quo fine Danielem Abbatem permoverat, ut ad idem Regi perſuadendum ſecum incumberet. Sed cum huic capta è prius actis conjectura iſtud conſilium non poſſet non ſuſpectum reddere, eam miſſionem tamdiu eludebat, donec Abbas indicium faceret, Radziejovium ipſi perſuadere conatum, ut ne Coſacci Sveciæ Regis promiſſis fidem adhibeant, ejusve ullam rationem habeant. Sed ut potius in reditu, itinere per Germaniam capto, ad aulam Cæſaris accedat, & huic Coſaccorum operam offerat, ſi Cæſar filio ſuo Coronam 1656.
Polonicam capeſſere permittat. Quo fine & Cæſar ſcriptis ad Coſaccos literis horum favorem captaverat. Ac iſta ſe cum Abbate Daniele locutum Radziejovius poſt haut inficiabatur. Quo tempore animus Regi erat ſtatim iſti manum injicere, ni ſatius viſum eſſet plura malitiæ indicia captare. Prout & paulo poſt exemplum literarum ab ipſo ad Gedanenſes ſcriptarum, à certo homine Regi Gedano ſubmiſſum fuit, quibus ſe filium Reipublicæ Polonicæ profitebatur, nec adverſus eam hoſtile quid unquam molitum, daturumque operam, ut civitas grati quid officii ab ipſo experiatur, probata ejusdem fide ac meritis in Joannem Caſimirum Regem. Patebat quoque ipſum cum legato Cæſareo multa miſcere, ac in aula Cæſaris & Moſci literarum commercia alere, operamque navare ad diſſolvendam inter Regem & Electorem amicitiam, tum non ſolum res ſuas è præſidiis Svecicis Regium montem præmiſiſſe, ſed & ab Electore petiiſſe, ut ſibi Memelæ receptus indulgeatur. Igitur jam maturum verebatur Rex fugam ejusdem prævertere, cujus facti rationem Coſaccis per literas exponebat, ne illam gentem offenderet, apud quam iſtius non exigua autoritas erat. In cuſtodiam dato Rex per Duglaſſium & Chriſtophorum Delphicum Donam Comites Bivernclovium & Friſenderfium crimina objicit. Ad quæ iſte primo attonitus hærere, inde collecto animo defenſionem aggredi verbis præſidentibus ac perſtreperis, re inanibus, negans aut excuſans facta, ſed jejune admodum & frigide. Mox rationibus convictus, & in lacrymas effuſus culpam agnovit. Cum aliquando in honeſta & laxa cuſtodia haberetur, redeunte inſolentia antehac agnita retractare, minas ſpargere, adpoſitos cuſtodes corrumpere, literas ad hoſtes Svecorum dare. Quin & epiſtola Gedano ſcripta intercepta fuerat, quæ ſignificabat intra paucos dies ipſum ibidem expectari. Igitur arctior cuſtodia circumpoſita, famuli mutati, omnis aliorum acceſſus prohibitus. Et denuo coram delegatis auditus impudenter omnia negavit, jactans, ſatis ſe noſſe, non crimen aliquod, ſed emolumentum Regis ſuæ detentioni cauſam dediſſe. Sed poſtquam denuo convictus eſſet, ut in

Sve-

1656. Sveciam mitteretur decretum fuit, quo & ſequenti anno abductus, & in arce Aroſienſi ad finem usque belli detentus eſt.

Rex amicitiam cum Moſco ſervare ſtudet.

§. 43. In Lithuania uti ſuperiore anno Svecis res ſupra votum fluxerant, ita nunc ingens turbo ea parte eruptu-rus videbatur, Moſco eam prædam ſibi præreptam indignante. Qui tamen initio anni adhuc ambiguus ſat amicam faciem præ ſe ferebat ſcriptis

16. *Jan.* literis, quibus Regi de ſucceſſibus adverſus Polonos gratulabatur, ac ſe in ipſius gratiam Ducis Curlandiæ terris peperciſſe, petens quoque, ut Rex milites ſuos è Lithuaniæ locis à ſe occupatis revocare velit. Ad quas pari humanitate à Rege reſponſum, addito, ſuis ſe ſtricte injuncturum, ne ullam offenſæ anſam Moſcis præbeant. Legatis tamen ſuis, qui Moſcoviæ erant, Rex mandabat, à Czare poſtularent, ne ipſius miles locis Lithuaniæ per Svecos adquiſitis ſe ingereret. A Moſcis quippe Sluzam Radzivilii arcem etſi irrito conatu obſeſſam, Orlam ejusdem oppidum & arcem direptam, provinciam circa vaſtatam, incolas necatos. In Podlachiam quoque Regi dedititiam penetratum, & Jurgenburgum usque recurſum: Talibus ut deinceps abſiſtatur, ſontesq; ut plectantur, Rex poſtulabat. Cæterum valde cupiebat iſtius Principis amicitiam retinere Rex circa titulum quoque ipſi gratificari paratus, quantum citra proprium præjudicium liceret. Unde & binas ad Czarem literas ſcripſerat eodem argumento, quarum unis titulus ipſi magnæ Lithuaniæ partis tribuebatur, qui in alteris omiſſus erat, ut ſi has acceptare aſpernaretur, illæ exhiberentur. Si & iſthoc displiceret, Bielkius jubebatur Czari perſuadere, ut utrinque retineretur titulus pactis Stolbovienſibus expreſſus, excluſis iis, quæ deinceps utrinque acceſſerunt. Simul laboraret, ut ſuper limitibus in Lithuania conveniret, quorum initium Rex volebat eſſe à Driesna ad fontem Svietæ fluvii Doricum usque, inde Berezinam fluvium, & Boryſthenem, Coſaccis velut ſeparato ac libero populo relictis, ſic ut quicquid citra eum limitem mare Balticum verſus ſitum eſſet, ad Sveciam, quod ultra ad Moſcum pertineret. Tum oſtenderet, Regem pronum eſſe ad ineundum cum Moſco fœdus ſuper tuendis provinciis hoc bello Poloniæ ereptis. Enimvero Moſci Cæſareorum Legatorum perſuaſionibus faſcinati, & vacillantibus Svecorum in Polonia rebus, infenſum animum indies magis exſerere, ac armis mox eruptu-ris minaces literas præmittere, quibus pacta æternæ pacis à Rege multifariam violata arguebant. Multa Li-„thuaniæ loca à ſuis dudum occupata „Svecos ſuam ſub ditionem redigere „conatos. Magnum Gardium inter-„rogatum, num id ſuo juſſu factum „ſit, rem ad legatos Moſcoviæ agen-„tes rejeciſſe. Hos talia à ſe ignorari, „nec ſuper iis in mandatis quid habe-„re excuſaſſe. Igitur removeretur „Svecicus miles è locis ſibi præreptis, „autores ejus facti plecterentur, cum-„primis illi, qui juſtum titulum Czari „non tribuerint. Addito, iniquum „eſſe Svecos aliquam Lithuaniæ par-„tem ſibi vindicatum ire, cum Moſci „metropolim Vilnam poſſideant, ſicu-„ti Czar in Poloniam nihil prætendat, „quod Sveci Cracoviam obtineant. Ad quæ à Rege prolixe reſponſum: ex ſua 14. *Jun.* „parte omnia facta ſervandæ amicitiæ „idonea. Obtuliſſe quoque conjun-„ctionem adverſus communem ho-„ſtem, ac ut fines in Lithuania re-„gantur, ſed Moſcos iſta ſemper „aſpernatos. Tum & objecta fere fri-„vola diluere, quæ uti ſuo injuſſu pa-„trata, ita inquiſitione facta, qui de-„liquiſſe reperiantur, pœnas daturos. „Viciſſim haut leviora à Moſcis admiſ-„ſa. Duriter habitos ſuos in Moſco-„via legatos, quibus ad poſtulata ſua „nihil reſponſi datum. Literas ſuas, „queis æterna pax firmatur, non ac-„ceptatas obtentu tituli non tributi, „quem ſibi Czar nuper arrogaverit. A „Moſcis Radzivilii prædia vaſtata, qui „Svecicæ ditionis factus ſit. A Czare „multa diplomata edita, quibus dedi-„titios Sveciæ in Lithuania & Samogi-„tia ad ſe pertrahere conatus ſit. Tabel-„larios ad legatos ſuos ſiſti. Ruſticos „Preſtavos (ita vocantur deducendis „legatis deſtinati) honoratiorem præ „ablegatis Regiis locum affectare. Cæ-„terum quia præcipua difficultas circa „titulum moveatur, ſe paratum eſſe, „cum qui poſtuletur ipſi tribuere, mo-„do id fiat per mutuam conventionem, „ac ut caveatur, id ſibi fraudi non fore. Addebantur hortatus ad concordiam,

Slutz.

Orla.

Jurgenburg.

Ea mutat.

3. 17. *Mar.*

& ut

1656. & ut rectio finium ſuſcipiatur, ac militari licentiæ frænum injiciatur: tum ne fraudibus Pontificiorum ſe præbeat, ſuosque legatos quamprimum dimittat. Porro Moſci quanquam ſub finem ſuperioris anni, antequam cum Brandenburgico transactum cognoſcerent, bellum decreviſſent, eminente cumprimis Patriarchæ fervore, ſacris ſuis incrementum inde ſperantis, qui & cum Naugardiæ eſſet, Ruſſis ſub Svecica ditione in Ingria habitantibus per multa blandimenta adrepebat, tamen poſt auditam cum iſto transactionem iterum langvere videbantur, & quia Magnum Gardium in Livoniam rediiſſe audierant. Nam antea perſuaſi fuerant, oppida Livoniæ præſidiis plane nudata eſſe. Igitur aliquandiu ancipites hærebant à Cæſare literas expectantes, qui circa affectatum titulum tribuendum facilis fuerat, quod ſua nihil intereſſet. Quam inter Moſcorum dubitationem Cæſarei quoque Legati illudendis Svecis nonnihil offenſæ in Moſcos ſimulabant. Mox tamen poſt allatas Cæſaris literas omnia paratu armorum ſtrepere, annona, arma, machinæ, miles paulatim Naugardiam & Pleſcoviam verſus dimitti, etſi demendæ Svecis ſuſpicioni jactaretur, ea via commodius in Lithuaniam iri. Neque tamem Moſcorum tunc res optime ſe habebant. Veteranum ipſorum militem incommoda belli & peſtilentia fere abſumſerant. Qui nunc erat à ſtiva recens, pecuniæ parum, ſubjecti animis ægri. Duces indigenæ bellandi rudes, qui & nuper apud Vilnam nocturno tumultu quinque integris horis trepidaverant, antequam unam legionem in ordines digerere poſſent. Sed nec peregrini ductores audebant, aſperiore diſciplina ſubjectos Moſcos componere. Haut eo ſecius ingentem ferociam adverſus Svecos oſtentabant, & cum Legati Svecici iſtorum querelis fatigati poſtularent, ut via proponeretur, obortis controverſiis componendis, iſti reſpondebant, nil aliud ſupereſſe, quam ut plura ablatis reſtituantur, allegato dicterio iſti genti uſitato, qui alteri per injuriam corticeam corrigiam abſtulit, coriaceam reſtituere debere. Ac jam ſpe Livoniam, Ingriam ac plura devoraverant. Addebant ſtimulos legati Cæſarei, qui ipſis perſuaſerant, ut ſequeſtro Cæſare cum Polonis pacem inirent, aſſeverantes, Svecos Polonis oppreſſis, ſine dubio Moſcoviam invaſuros. Nec ſegniter frigidam ſuffundebat Danus, ad quem ab hiſce legati mittebantur. 1656.

Naugardien.

§. 44. Enimvero iſta omnia parum terrere Svecos poterant, ſi Livoniæ res recte ſe habuiſſent. Sed nunc veteranus miles à Magno Gardio in Boruſſiam juſſu Regis ductus, ibi retentus fuerat, ac recens conſcriptæ legiones non optimæ notæ habebantur. Et Rex, qui miſſo in Livoniam milite ſuum exercitum debilitare haut conſultum judicabat, Gardio ſcripſerat, ut cum præſentibus, quas haberet, copiis ad extremum conniteretur. Tum nihil pecuniæ in promtu, parum armorum ac paratus bellici, munitiones oppidorum ruinoſæ, ac tantum non deſtructæ. Quæ ex hoſpitiis militi ſuſtentando proveniebant, tenuia valde erant, novi delectus ob argenti penuriam vado adhæreſcere, & ſi maxime pecunia affatim fuiſſet, peditis nulla copia, & qui forte è Polonis corradi poterat, parum fidus cenſebatur. Provinciales attoniti, & inter ſpem ac metum ambigui, ſic ut ingruente Moſco omnes magnum malum Livoniæ ominarentur. *Livoniæ ſtatus tenuis.*

§. 45. Eo moleſtius autem erat ſurgens è Moſcovia bellum, quod, qui Moſcis offenſæ in Svecos anſam præbuerant, Lithuani datæ fidei immemores frænum morderent, ac pro uno bello duplex reponerent. Diſpoſuerat aliquot legiones Svecicas per Lithuaniam & Samogitiam Gardius, ut hibernorum quiete ſe reficerent, numerosque ſupplerent, ac ſtipendia ex illis pro more peterent. Juſſi tamen præfecti ſe ſuosque à provincialium injuriis abſtinere, ac cohortes ita diſponere, ut ſi opus foret, brevi tempore in unum contrahi poſſent. Aſt illi petulantiæ non parum fræna laxaverant, tum milites quinos & ſenos per vicos diſtribuerant è tricenis, quadragenis, quinquagenis prædiis conſtantes, ipſi fere abſentes, & nullo ad querelas provincialium remedio. Tum & laxius copiæ diſperſæ, qua commoditas & rerum ubertas invitabat. Inprimis apud iſtos erat magna incuria explorandi, quid Lithuani machinarentur. Cæterum ſtatim animadverſum *Lithuanorum rebellio.*

eſt,

1656. eſt, poſtquam Quartiani & Poloni fidem Svecis datam abrupiſſent, Lithuanos quoque flagitii contagio infectos turbida agitare. Sperabat tamen Gardius, ſeſe res ita diſpoſiturum, ut iſti jugum excutere non poſſent, ac jam in eo erat, ut legiones in certum Lithuaniæ locum contraheret, provinciæ in officio continendæ. Ac ipſe Mitaviam Riga jam profectus fuerat, ut tractatibus cum Curlandiæ Duce abſolutis ad exercitum proficiſceretur. Enimvero prævenit ipſius curam feſtinata Lithuanorum perfidia, quæ univerſos ejus provinciæ ac Samogitiæ incolas, Nobiles juxta ac plebejos corripuerat. Cauſæ flagitii jactabantur moleſtiæ & injuriæ à Svecico milite toleratæ, cui qui remedium adferret nemo fuerit, querelis licet ſubinde ad ſuperiores delatis. Cum tamen & in eos, quorum petulantia innotuerat, inquiſitum ſit, & edicta publicata, ut qui damnum aut injuriam paſſus foret, querelas ad ſuperiores deferret. Nec quæ imponebantur onera tanti fuerant. Nullius Nobilis prædium hoſpitiis oneratum, nec Nobiles plus exſolverant, quam ultro in conventu conſenſiſſent, in ſingulas agri menſuras, quas *bubas* vocant, quinos unciales. Sed vera cauſa erant Sacerdotum & Jeſuitarum machinationes, & nihil Proteſtantibus apud Pontificios fidum. Tum & dediti paſſim nuncii de cæde Regis & internecione exercitus Svecici, & quod Dani Sveciam terra, Belgæ mari invaſiſſent. Igitur jam Joannis Caſimiri gratiam præſtabili aliquo facinore redimendam. Sed & Moſci nutantibus ſtimulos addebant, quorum metu cum Lithuani ſe Svecis ſubdidiſſent, eo ceſſante jurisjurandi quoque reverentia ſimul exoleſcebat. Sed & in univerſum is eſt Polonorum ac Lithuanorum genius, ut nunquam ſecure teneri queant, cum quantumvis lene ac remiſſum Imperium pro ſervitute habeant, ac libertatem non conſiſtere credant in legitimo erga Reges obſequio, ſed in licentia pro lubitu dicendi & agendi quælibet. Unde & Moſcis, ubi iſtis prævaluerunt, moris fuit primores eorundem ferro ac flammis delere. Ita aſtute porro Lithuani deſtinata ſua diſpoſuerant, ut uno & eodem die diſpergas hinc inde Svecorum copias oppreſſum irent. Sic igitur conglobata agreſtium manus in Butlari tribuni tres turmas ac duas ex Etrici Kruſii legione erupit, quas ſecurius agentes iſta repentino aſſultu per ſtativa miſere trucidavit. Etſi accurrentes poſt è vicinis ſtativis Sveci rebellium non paucos cæderent, & quos intercepiſſent atroci ſupplicio mactarent. Roſæ quoque præfecti vigilum tres, Butbergii tribuni quatuor cohortes, Haraldi Igelſtrœmii legionem recens conſcriptam, & ſat infrequentem idem malum involvit. Ludovici Taubii ala mero Germano milite conſtans ſexto ante die de motu provincialium monita fuerat, juſſa Birſas ſe recipere. Sed nimia ſui fiducia conſiſtere auſa hoſtis adventum expectavit, ac ingruens primum agmen quinque vexillis conſtans repulit. Sed exſuperante multitudine oppreſſa fuit, amiſſis tribus ſignis, ut non niſi octoginta equites evaderent. Aliis quoque hinc inde ſparſis manipulis ea clades incubuit. Magnum fuit id damnum, ſed tamen longe infra famam, quæ quicquid Svecici nominis per Lithuaniam fuerit, deletum vulgaverat.

Ruther. *Kruus.* *Butberg.* *Igelſtram.* *Taube.*

§. 46. Ejus cladis culpam à ſe Magnus Gardius amoliebatur, demonſtrans: ſe, cum copias in hiberna per Lithuaniam dimitteret, ductoribus imperaſſe, ut militem catervatim diſponerent, ſimul accurate obſervarent, quinam animorum motus inter provinciales ſentirentur, & quid inter ſe muſſitarent. Tum ſiniſtris nuntiis è Polonia increbeſcentibus ſemel atque iterum Levvenhauptio mandata transmiſiſſe, ut legiones in unum locum contraheret, ac itineri ingrediendo paratas eſſe juberet. Id ſatis mature executioni haut datum præfectorum quorundam culpa, per ſocordiam Imperia ſegniter accipientium, ac privati ob lucri cupidinem emolumenta hoſpitiorum ægre deſerentium. Cæterum quos ea clades non involverat Sveci raptim, deſertis hoſpitiis male fidis, ad Szaulam in unum colliguntur, quem locum caſtris Levvenhauptius elegerat. Gardius nuntio rebellionis Mitaviæ accepto raptim contractis tribus millibus in Samogi-

Eam cohibere Gardius fruſtra conatur.

Szaule. 10. *Maji.*

Mitav.

1656. tiam, Janiſciùm usque properaverat, *Janiski.* Levvenhauptio ſe conjuncturus, ut ortos motus inter primordia opprimeret. Sed cum eo perveniſſet, iſte, rebellium multitudini impar, relictis caſtris propius ad Curlandiæ limitem ſtationem capeſſere coactus erat. Gardius cum iſtum non inveniſſet, raptim Rigam regreſſus eſt, ibique contracto quantum poterat equitum peditumque Levvenhauptio obviam tendit, quo tutior ipſi receptus foret, & ut cominus vires rebellium arbitraretur. *Annebergam* Annebergam delatus cum Levvenhauptio conſultat, qua ratione Lithuanis occurrendum, & hoc Rigam ad res ibi curandas dimiſſo, ipſe cum copiis, quas ſecum habebat, Janiſciam progreditur, ubi & alias turmas, quæ è ſtativis ſuis ſe receperant, invenit. Ibi nuntius adfertur, rebellium manum apud Szaulam congregari, quos, priusquam majores adquirerent vires, Gardius invadere ſtatuit. Unius diei mora interponenda erat, ut pedites equis inſtruerentur, quo deſultorum munere fungi poſſent. Inde cum mille ducentis equitibus, ducentis viginti ſelectis peditibus per totam noctem itinere facto ſequenti mane Szaulam attigit, quod oppidum vacuum invenit, incolis inde profugis ad ſignum campanæ à ſacerdote datum. Mox tamen à præcurſoribus Svecicis conſpectus hoſtis, in quem ipſi protinus impetum dederunt, ac tres dimacharum cohortes in fugam propulerunt, ducentis amplius cæſis, quos inter Jeſuita erat, ejus catervæ ductor, reliquorum tergis aliquot per milliaria noſtri inſtitere, erepto etiam in fuga vexillo. Manus iſta è diſtrictu Keidanenſi, Roſcincienſi Wilcmirſenſi contracta fuerat, quæ cum primario rebellium agmine ſeſe conjunctum ibat. Ad hoc inveſtigandum miſſi retulerunt, idem ſeſquimilliare à Szaula conſiſtere. Unde Gardius cum ſuis raptim eo profectus, trans anguſtias viarum loco licet commodo conſiſtentes fudit. Ubi equitum quidem maxima pars velocibus equis inſtructa incolumis evaſit, etſi aliqui primariæ notæ occumberent. Sed pedites, qui in vicum ſe receperant, partim cæſi, partim flammis abſumpti, aliqui in paludem compulſi. Aliquot heic vexillis noſtri, una machina ænea, & omnibus impedimentis potiti ſunt. 1656. Fugitivis Windaviam usque noſtri inſtiterunt. Hoſte pulſo Gardius ad milliare circum omnibus vicis ac Nobilium prædiis ignem immitti jubet ad terrorem cæteris incutiendum. Emiſſi dehinc exploratores retulerunt, viginti rebellium vexilla ad Jaſcoviam & Guiſciam munitis caſtris conſiſtere ſeſquimilliare à Szaula ex altero latere. In quos itidem citra moram progreſſus Gardius vicum, in quo metabantur, equitatu circumfudit. Rebelles primò pedem figere, & pugnam tentare, ſed à noſtris ſtatim in vicum rejecti fuga ſalutem quærere inſtituerunt. Aſt quia per turmas noſtras via perrumpendà, erat, maxima pars in fuga, reliqui in palude, in quam compellebantur, globis trajiciebantur, ſic ut pauci evaderent. Peditum plerique in vico conciſi, qui cum noſtros ingruentes conſpicerent, armis abjectis ad ovium inſtar conglobati ferrum corpore exceperunt. Et bis mille agreſtibus, qui ibi deprehendebantur, quingenti Rigam miſſi ad opus in vallo faciendum. Pauci dimittebantur, ut aliis nuntium referrent, quem fructum rebellionis percepiſſent, reliqui omnes neci dabantur. Diſſipatis qui circa Szaulam ſe congregaverant, Gardius Schadaloviam vertebat, ad illos opprimendos, qui circa Keidanum coibant. Sed quia iſti ad Moſcorum usque fines recedebant, & laſſitudo equos noſtrorum longius progredi prohibebat, Janiſciam recedendum erat, ubi pauculis diebus ad quietem militi conceſſis Birſas ire Gardius decreverat, ubi maxima rebellium turba hærere nuntiabatur, ductoribus fere Radziviliorum veteribus Miniſtris. Poſt id oppidum neceſſariis rebus inſtructum idoneum locum ad Dunam capturus erat, unde in omnes partes quid gereretur circumſpicere poſſet. Ut Samogitios à rebellione retineret, idem literis ad proceres datis efficere conabatur. Sed cum his parum proficeret, ruſticos in Nobiles concitare inſtituit, ſpe libertatis & mollioris conditionis oſtentata. Sed ne hoc quidem modo operæ pretium factum, prævalente odio in nomen Svecicum. Unde Gardius cum nihil efficere ibi locorum poſſet, Rigam rediit, relicto apud copias Levvenhauptio, cui & ipſi in rebelles

nil

1656. nil tentare licuit, quod Lithuani allicientibus ipſos & obfirmantibus Moſcis, ad horum confinia ſe receperant, quos Svecis laceſſere haut placebat, & animadverſum interiora provinciæ iſtos ſtudio petere, ut noſtros à finibus Livoniæ longius abſtractos in loca iniqua conjicerent, & circumventos delerent. Ac injunxerat Rex Gardio, ut ſi par ingruenti hoſti in campo non eſſet, mature copias per munita oppida diſtribueret, ne in receptu damnum acciperet. Svecis ita ad Dunam regreſſis rebelles iterum congregati Birſas obſidio eminus circumlidebant, ac velut triumphabundi omnia late perſultabant, haut paulo ferociores ob minas Moſcorum in Svecos jactas. Inter quæ & Polonici qui reſtabant milites, quos vetante Gardio ductores conſcripſerant, ad unum fere deſeruerant, etſi vile id damnum haberetur, quod per iſtos omnia hoſtibus proderentur. Nec minus, qui è Curlandia & Piltenſi tractu oriundi erant, præfecti militiam Svecicam abdicare, gregarii clam dilabi. Qui reſtabant animis concidere, numeris imminuti, & pecuniæ egentes. Ac propius jam advolutum à Moſcis periculum Lithuanorum oblivionem inducebat, ſic ut adverſus hos nil amplius ſuſcipi poſſet. Qui & Birſas, quæ unica munitio Svecico præſidio ibi tenebatur, diuturno obſidio emaciatas ſub initium ſequentis anni in poteſtatem redegerunt.

In Livonia defenſio adornatur contra Moſcum.

§. 47. Inter hæc Moſco omnem dubitationem circa bellum in Svecos ſumendum ademerant atroces nuntii, qui de clade Svecorum per invidos ſpargebantur. Nec deſiſtebant ſtimulos ſubdere Cæſarei legati, Belgæque mercatores, qui Svecorum vires elevabant, Moſcorum extollebant, oſtentata jam occaſione recuperandi provincias Mari Baltico adſitas, per Svecos quondam ipſis ereptas. Quarum jactura penitiſſime animos ejus gentis tetigerat, quod commercia maris Baltici ipſis intercluſa forent, in quod tanta flumina, tantique terrarum tractus vergebant, & quia earum provinciarum incolæ Græcos ritus cum ipſis amplectebantur. Urebat quoque quod de ſolis Svecis vindictam non ſumpſiſſent, quos ſi viciſſent, jam orbis ſe dominos fore credebant, velut domitis illis, qui Cæſarem viciſſent. Et miſera Livoniæ conditio, quæ ipſis ſat cognita erat, facilem victoriam pollicebatur. Jamque prænuntia belli literæ veniebant, quibus Moſcus poſtulaverat, ut Rex primarios ſuos Miniſtros ſupplicio afficeret, ob juſtum titulum ipſi non tributum, quæ iſti genti omnium injuriarum atrociſſima habetur, eousque excedente frivola ſcrupuloſitate, ut Polonis inter cauſas belli objecerint, quod unam literam in nomine Czaris auro oblinere omiſiſſent. Igitur cum certi jam nuntii adferrent, ipſum Czarem Alexium Michaelis F. Smolenſcium pervenille, ac rectaLivoniam petere, hanc utcunque ſervare Lithuaniæ cura plane abjecta majoris operæ viſum. Unde è caſtris ad Dunam, quæ Levvenhauptius aliquandiu inſederat, quicquid erat peditum Rigam evocabatur munitionibus ſtruendis, velut à qua urbe ſalus totius provinciæ dependebat. Tum & Dunæ alveus aliquot locis obſtruebatur, palis defixis, & cymbis lapide oppletis demerſis, ne Moſcorum navigia deſcendere poſſent, ut tamen periculo depulſo iſtas iterum amovere liceret. A Rege aliquot peditum legiones mittuntur firmandis Rigæ, Pernaviæ, Revaliæ & Narvæ præſidiis. Rigæ præfectus conſtituitur Simon Grundelius Helmfeldius ſpectatæ induſtriæ Dux. Ingriæ curam Guſtavus Hornius Everhardi F. Revaliæ Benedictus Hornius ſortitur. Guſtavum Adolfum Levvenhauptium Gardius Wiburgum dimittebat, Finnoniæ & Careliæ tuendæ, cui Carelica legio adjuncta, quæ jam fremebat, dum in alia provincia detinetur, proprios lares hoſtibus exponi. Indigena quoque Ingriæ miles domum remittitur. Reliquæ copiæ à Gardio per præſidia diſponuntur. Equidem juſſerat Rex Gardium apud Dorpatum caſtra metari, velut centrum provinciæ. Sed obſtabat metus, ne Lithuani in Livoniam irrumpentes ipſum Riga excluderent. Igitur quia Czar pluribus cum exercitibus ingruebat, ac cum primatio circa Dunam deſcendebat, ſatius viſum apud Eveſtam fluvium conſiſtere. Ad Neuhauſam cum equitum & dimacharum manu Streiffius mittitur, eum provinciæ aditum, quoad vires ferrent, defenſurus. Ubi reſiſtendi nulla amplius facultas, peditum in oppida diſtribuere, cum reliquis Rigam ſe recipere jube-

1656.

Smolenſco.

Grundel Helmfeld.

Dorpt.

Eveſt. Neuhaus. Streif.

1656. jubetur. Dorpatum quantum res ferebat milite & proviſu firmatum, non
Pernav. minus ac Pernavia & Wolmaria. Plura loca ejus provinciæ non erant, quæ vim ſuſtinere poſſent. Ita non amplius quam triginta duæ equitum, duodecim dimacharum cohortes remanebant ad Dunæ defenſionem. EſtoniæNobiles ſumma vi ad tuendam ſuam provinciam connitebantur haut ſpernenda equitum manu armata. Revalienſes quoque navemLubecenſem, quæ arma, & inſtrumentum bellicum Moſcis Nyam allatura erat, intercepe-
runt.

Moſci in Careliam & Ingriam irrumpunt. 4. Jun. Nœteburg. Grave.

§. 48. Primus Moſcorum impetus in Careliam effundebatur, ubi iſti, cæſis ad fines Svecorum excubiis, aliquot navicularum centuriis undecim militum millia Nœteburgo circumfuderant, quam arcem Franciſcus Gravius cum centum viginti non plus peditibus inſidebat, ſitus tamen opportunitate confiſus facile inanes hoſtium conatus ſpernebat. Sed quia toto iſto latere nil copiarum erat, quod ingruenti hoſti opponi poſſet, Moſci late aperta Careliæ & Ingriæ perſultabant, ad quod ſtatim deficiebant, quicunque ejus nationis hiſce in provinciis Svecico imperio ſuberant, qui obliti datæ fidei atrocius quam profeſſi hoſtes graſſabantur, omnia urentes atque vaſtantes. Et juſſerant Moſci omnes Finnos, aut qui ex aliis nationibus eas provincias incolunt, trucidari, baptiſmi ritum Ruſco more ſuſcipere, & Czari juratam fidem adſtringere abnuentes. Ruſſicæ nationi parcebatur, quæ & promiſſis ad Czaris imperium alliciebatur. Nœteburgo duo millia
Nyen. Moſcorum Nyam mittuntur, qui oppidum iſtud flammis delent, cæſis omnibus qui ibi reperiebantur, ubi & inſignis frumenti copia periit ad ſeptuaginta tonnarum millia, ac multum ſalis, cui Guſtavus Hornius ipſe ſub adventum hoſtium ignem juſſerat injici, quòd domini, quantumvis moniti, intro munita loca id comportare noluerant. Quo peracto iſti Nœteburgum rediere, nullo operæ pretio facto, quod rapidiſſimum flumen hinc inde arcem ambiens vim admovere non pateretur, & duo navigia milite plena, quæ præter arcem navigare audebant, globis in profundum mergebantur. Circumjecta tamen regio late vaſtata. In Ingriam quoque ingruentesMoſci ad ſeptimum 1656.
àNarva milliare, omnia flammis ac ferro populabantur, furore cumprimis templis & Nobilium prædiis incumbente. Nec ullis, præterquam Ruſſicæ nationis hominibus, parcebatur. Dabatur quoque licentia Ruſſicis colonis, Svecos & Finnos ibi habitantes trucidandi, eorumque bona ſibi vindicandi, quod iſti ſumma cum immanitate exequebantur. Apud Kexhol- *Kexholm.*
miam Moſci ſtationem ad limites poſitam partim occiderant partim diſſipaverant, in qua provincia ruſtici quoque adventu Moſcorum hoſtilia induerant, ac prædia quorundam Nobilium diripuerant. In Botnia quoque Orientali
ad Cajaniam in finibus vicinos fundos *Cajania.* igne vaſtare cæperant. Ita totum iſtud latus longiſſimo tractu armis Moſcorum infeſtabatur, nullis in promtu copiis, quæ opponi poſſent, & agreſtibus in ſylvas dilapſis. Et quos Chriſtophorus Burmeiſterus tribunus re- *Burmeiſter.*
centes delectus, & Nobilium equites contraxerat, ad vires hoſtium nihil valebat. Nec Wiburgi, qui rebus præeſſet, erat, præfecto provinciæ Axelio
Stalarmio nuper extincto, donecGu- *Stalarm. Leyvenhaupt.*
ſtavus Levvenhauptius ibidem una cum Erici Kruſii legione è Livonia adpelleret.

Moſci hinc inde vapulant.

§. 49. Paulatim tamen Svecis ſeſe colligentibus Moſci hinc inde carpebantur. In Ingria centum quinquaginta equites à Guſtavo Hornio emiſſi octingentosMoſcos in fugam dederunt, magna eorum parte conciſa. Burmeiſterus cum centum quinquaginta equitibus, ducentis dimachis ac novem peditum vexillis ad obſidium Hexholmiæ ſolvendum apud vicum Rautum juxta *Rautus.*
templum commodo loco conſidebat, quo ex uno tantum latere hoſti acceſſus patebat. Hunc hoſtis ſeptem cum 29. *Jul.*
phalangibus per denſam nebulam ſuggreſſus acriter invadebat, ſed non ſegniter à Svecis repulſus in campo ordines inde explicat. Sed erumpens Burmeiſterus impetu facto, in paludoſam ſylvamMoſcos compulit, cæſis horum ducentis, ac captis quatuor vexillis, omnique paratu bellico, cum Svecorum non niſi viginti caderent. In Ingria à Guſtavo Hornio caterva ducentorum equitum, & quadraginta deſultorum emiſſa milleMoſcos, queis apudCopo- *Coporia.*
riam occurrebat, ita acriter in fugam dabat, ut horum trecenti occumberent.

1656. rent, cum ipſo tribuno catervæ duce, Svecorum non niſi octo oppeterent, duobus ſauciis. Wiburgo quoque progreſſi noſtri vicum Taipalam, ubi Moſci penum congerere inſtituebant, oppreſſerunt, cæſis omnibus, qui ibi reperiebantur. Sed & Levvenhauptius ita res in Finnonia ordinabat, ut non longius irrumpere poſſent Moſci, quos excurrentes passim catervæ magno numero captivos attrahebant, qui cum neque uſui eſſent, neque Czar eos redimere aut permutare curaret, occidebantur. Moſci interim ſex valida caſtella Kexholmiæ circumpoſuerant, ad famem redigendæ arci. Sed Levvenhauptius, contractis, quæ in Finnonia ocurrebant, copiis, unum eorum caſtellorum primum impetu oppugnare inſtituit. Sed ita acriter reſiſtebant Moſci, ut noſtri vallum licet jam enixi ſexaginta deſideratis recipere ſe cogerentur.

Lagerstranz. Cadebat ibi ſubtribunus LagerCrantzius, cum centurione & vicario cohortis. Sed cum machinis quaſſari caſtellum inciperet, Moſci noctu inde ſe ejicientes in vicinum caſtellum concedunt, centum amplius ſuorum amiſſis. Idem cum dehinc reliqua caſtella iſto latere ſita invaſurus eſſet, duæ majores machinæ diſſilientes eum conatum irritum reddebant, nec conſultum videbatur modicas copias oppugnationibus atterere. Nec equitatus eo tractu operæ pretium facere poterat, paludibus & ſylvis impedito. Aſt Guſtavus Hornius cum ſua manu In-

Ingritz. griciam profectus caſtellum, quod agreſtes ibi excitaverant, irrito impetu oppugnaverat, decem ſuorum amiſſis. Sed ſequenti nocte qui intus erant caſtello deſerto ſub Nœteburgum ſe receperant. Idem cum Nyam perveniſſet, locum tam opportunum à Moſcis deſertum reperit, quem ipſe munitionibus firmari curat, præſidio centum viginti peditum impoſito, quo ipſo Moſcorum navigiis acceſſus ad mare intercludebatur. Junčti dehinc Levvenhauptius & Guſtavus Hornius hoſtem triplo licet numeroſiorem laceſſere conabantur, ſed qui intra caſtella & receptacula ſua latitans in aperta camporum prodire non audebat.

Nyslot. Et qui Nyslottum oppugnaverant, cum damno repulſi ſunt. Caterva quoque noſtrorum, quæ caſtellum à Moſcis prope Nyslottum excitatum interceperat, centum occiderat, ſimul quingentos vinctos, quin Ruſſiam abſtrahendi erant, liberaverat, duabus inſuper machinis captis. Poſtquam ita Moſci aliquandiu Kexholmiæ adſedissent, inani obſidio omiſſo ad reliquos, qui Nœteburgum claudebant, ſe contulerunt. Ad extremum & Nœteburgum deſerebant, omnibus ſuis caſtellis circum deſtructis, ac retro intra fines ſuos recedebant, plane inglorii, niſi quod late qua inceſſerunt, provinciis vaſtitatem intulerant, in Eſtonia quoque dimidia Jerſiæ & Allentackiæ parte, totaque Wirria incendiis deformata. Acceſſerat poſt Moſcorum manus ter mille capitum Ivanogrodam, impetu eam aſſultatura, ſed quæ ita excipiebatur, ut intra quatuor horarum pugnam magna eorum pars occumberet, reliqui turbatis ordinibus ſe reciperent. Ultra Nœteburgum quoque conglobati quingenti Bojari Erici Kruſii ſubtribunum opprimere conabantur, ſed hic intellecto iſtorum adventu ingruentibus occurrit, pulſosque per quatuor milliaria in Ruſſiam perſecutus eſt, inter alios capto eorundem duce. Paulo poſt quoque trecentorum Moſcorum manus à noſtris apud Nœteburgum conciſa eſt. Contra Levvenhauptius cum jam jam in Ruſſiam irruptionem ſuſcepturus eſſet, Wiburgi morbo extinctus eſt. Ita quidem à Moſcis per Carreliam, Ingriam & Eſtoniam nihil profectum, niſi quod ignavam crudelitatem in tecta & inermes provinciales effudere.

1656. 4. Nov. 29. Nov. 9. Dec. Dec. 24 Nov.

§. 50. Aſt in Livonia atrocior belli turbo ſurgebat, quo præcipuas vires ſuas verterat Czar, præſentia quoque ſua negotiis vigorem additurus. Contraxerat is apud Smolenſcium exercitum centum millibus capitum ab ipſis taxatum, in quo tamen Zaporovienſium Coſaccorum nemo aderat, qui alias robur ejus exercitus fore ſperabantur. Hi quippe nuper ab eo defecerant, quod cupream monetam in ſtipendium ipſis exſolviſſet, ac oppida eorundem præſidiis premeret. Primum impetum excepit Dunneburgum, oppidum anguſto exercitu, & munitionibus adhuc imperfectis, quod Joannes Willigmannus ſubtribunus modico non præſidio tuebatur. Non viſum tanti Moſcis toto cum exercitu circa eum locum occupari, eoque modica manus obiter miſſa ad eum expugnan-

Czar in Livoniam irrumpit.

Dunneburgum expugnat.

1656. pugnandum, dum reliquum agmen prætergreditur. Enimvero Willigmannus inconsulto impetu ruentes acriter repulerat, & eruptione mox facta mille amplius trucidaverat, ereptis quoque aliquot vexillis, quæ in vallo per jactantiam exposita ita Moscum efferaverant, ut validissimis phalangibus immissis impetum daret. Obsessi acriter initio resistere, ac multos assultantes sternere. Sed mox conjecti à Moscis igniti globi stramen & fœnum congestum inflammaverant, & tecta oppidi depascebatur ignis, sic ut militi non amplius in vallo consistere daretur, præfecto nequidquam ad constantiam hortante. Qui & rebus desperatis maluit in ignem insilire, quam in Moscorum manus incidere. Inde hi perrumpentes quicquid intus erat puberum trucidabant. Late dehinc Livoniæ infundebantur Mosci, cum nemo esset, qui tantam molem sistere valeret. Equidem Streiffius summus excubiarum præfectus, & Adricasius tribunus cum ducentis equitibus, centum octoginta dimachis validæ Moscorum catervæ ter mille quingentorum capitum non procul Wolmaria occurrerant, in quos quatuor horarum spatio sexies invecti ducentos amplius occiderunt, novem signis ereptis, cum Svecicorum novem duntaxat caderent. Longius tamen progredi non licuit ob colluviem hostium undique se infundentium, & quia Victor Adricasius Nyhusam arcem ad Moscoviæ limitem sitam per flagitium in manus hostium tradiderat. Sed & equestres Svecorum copiæ vix octodecim centurias explentes sub Henrico Turrio Comite ad castellum, qua Evestus fluvius Dunæ infunditur, constiterant; Sed quæ audito Moscici exercitus adventu citius, quam necessum erat, inde se sub Kercholmiam usque recipiebant, quod vulgus militum multitudine hostium plane externatum esset, præfectis incassum constantiam ingerentibus. Nec Moscorum iter remorabatur obstructus à Svecis apud Cakenhusam Dunæ alveus, quod ex eo oppido machinis impedire non possent, quo minus isti obstacula amoverent. Cakenhusam Sperlingius subtribunus modico cum præsidio obtinebat. Ei Czar ipse duodecim millia circumfudit, & misso tubicine deditionem imperaverat, sed cui directa in ipsum machina caput avulserat. Igitur munimenta tormentis quati & mox omni ex parte assultus dari, Czare suis militibus non parcente, ac in fessorum locum recentes subinde submittente. Ita perrumpens hostis omne Svecorum præsidium ipso cum præfecto concidit. Pauci qui vivi in ejusdem manus inciderant, crudelissime habiti. Jusserat Gardius ingruente hoste cuniculos munimentis suppositos inflammari, & præfectum cum milite se in arcem recipere. Sed studium defendendi oppidum diutius eum detinuerat, ut non sat mature in arcem refugeret, & in tumultu cuniculorum oblivio subierat. Ita isti misere trucidati Rigam terrore crudelitatis & violentiæ Russicæ non parum afflaverant. 1656.

Adricas. *Wolmar.* *Tutt.* *Kerckholm.* *Et Cakenhusam.* *Kakenhusen.* *Sperling.*

§. 51. Pod Cakenhusam expugnatam Mosci castellum ad Kercholmiam petivere, quod munitionibus non pro tanta mole firmatum Sveci ultro dirutum & incensum deseruerant. Inde longius descendentes Mosci ad locum pervenere, cui Rummel vocabulum, ubi tres pontones ternis machinis instructi stationem in Duna flumine agebant. Quos dum adventantibus hostibus secundo flumine devehere laborat centurio, vento & vi vorticis ad ripam expellitur, sic ut pontonibus & machinis Mosci potirentur, milites cymbis ad suos evaderent. Eo tumultu audito, qui non procul in ripa stationem agebant, Svecici equites, in Moscorum præcursores impetu facto, diu cum his certaverunt. Ipsi quoque viginti equites & Bernardum Rebenderum vigilum præfectum desiderarunt, Jacobo Weingartio pari militiæ gradu caput sauciato. Antea quoque Stalius turmæ præfectus cum triginta equitibus apud villam à virginibus dictam centum triginta equites Moscicos invaserat, quorum plerosque cæciderat, præfecto eorum saucio in urbem pertracto. Jam vicina Rigæ Moscorum catervæ persultabant, cum equites Svecici intra novas munitiones, queis suburbia cincta fuerant, se reciperent, propinquis extra ædificiis ac molendinis igne absumtis. Sequenti die dum Magnus Gardius aliique ductores vicinos urbi colles arenosos perlustrant, Turrius Comes ad equites nostros, qui diversa in parte sub castris hosti- *Mosci exercitum Rigæ admovit.* 11. *Aug.* 12. *Aug.* *Rebender.* *Weingarten.* *Stahl.* *Jungfernhoff.* 19. *Aug.* 20. *Aug.*

Digitized by Google

Numerorum Explicatio
1 Magni Czaris opera et acceptus 2 Generalis Alex Leslei
opera et acceptus 3 Generalis Knees Iacobi opera et acceptus 4 Statio
Tribuni Francisci Strasora 5 Statio Tribuni Iacobi Renardi 6 Statio
Tribuni Hermanni a Staden 7 Statio Trib Iuly Sicklers 8 Statio Trib
Chrysthani Iunkmanni Iohannis ab Hoewen et Trib Allingij tres Legiones Dra
gonum 9 Statio Trib Danielis Kroffieri 10 Statio Trib Alexandri Cipsony 11
Statio Trib Abrahami Leslei Bunlei et Trib Hamiltony tres legiones Strelitzer
12 Statio Trib Thom Boch cum 2 Legionibus Russicis 13 Strelitzer 14 Suppetiae
Russorum 15 Pulvis tormentarius Russorum a fulmine incensus 16 Constitutus
in quo Dn Comes Turrianus occubuit 17 Constructus in Pascuis publicis
18 Navis Suecica repellens a se Russorum et Cosslakorum naves
Schloss Holm
Pascua Publica
Statio Generalis Knees Iacobi Kudonkense
Zerkaski, vbi 22000 militum erant

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAPOLI

Digitized by Google

INFRA
EST
VTEM
VIDE
ILLÜSTRISSIMUS, EXCELLENTISS.ᵘˢ
et generosiſſim: Dominus, Dn.
MAGNUS GABRIEL DE LA GARDIE
Comes in Läckö, & Arensburg &.&.
Regni Senator et Cancellarius &.&.
Dauid Klöcker pinxit
Paruus van Schuppen fecit 1680

1656. hoſtium velitabantur advolans ad fortiter faciendum eos incitabat. Tum ipſe impetu longius in hoſtem provectus, nec tubæ ſigno, & miſſis à Gardio nuntiis revocari valens, quo ſemel ab hoſte repulſus vindictam ſumere arderet, demum circumventus una *Cronman.* cum Wilhelmo Cronmanno, & aliquot equitibus cæditur. Inſecutus *Buddenbrok.* Turrium fuerat ſubtribunus Buddenbroccius cum triginta equitibus, quorum & tres duntaxat evaſere, ipſo cum Buddenbroccio quatuordecim vulne-
21. *Aug.* ribus ſaucio. Turrii & Cronmanni corpora poſtera nocte capitibus truncata in urbem relata ſunt. Univerſus inde Moſcorum exercitus urbi circumfunditur, quæ tunc non mediocri in periculo verſabatur. Cæperant ante annos aliquot ſuburbia vaſtis munitionibus cingi, quæ tunc nondum ad juſtam perfectionem perductæ erant, tanta inſuper amplitudine, ut militum non ſatis eſſet iſtis tuendis. Nam peditum mille octingenti, dimachæ quingenti, equites mille quingenti, totidem cives Rigæ erant, quinque millia in univerſum, qui arma ferre poſſent. Sed nec tam vaſtis operibus defendendis ſat machinarum globorumque & pyrii pulveris ſuppetebat. Unde & Rex dudum iſta imperfecta munimenta deſeri, & ne hoſtibus uſui eſſe poſſent, deſtrui juſſerat. Nec eo minus obſeſſi initio, Rege poſt non parum indignante, opera iſta exteriora tueri inſtituerant, in quæ magnus provincialium numerus refugerat, pecoraque ſua & frumentum eo deduxerant. Ac jam militibus ſtationes ibi aſſignatæ erant, cum mox omnibus pateret, tam late diffuſa, ac nondum abſoluta opera adverſus tantam hoſtium molem tantilla manu defendi haut poſſe, præſertim cum agreſtes eo refugi, & ipſi ſuburbiorum incolæ ſeptingenti amplius numero ad arma ſumenda adigi non poſſent. Nec tamen certi quid decretum, quo tempore ac modo iſta deſerenda forent. Unde nullo autore
12. *Aug.* noctu orta conſternatione tectis ignis injectus, & quæ inerat annona incaſſum perdita, omnibus in urbem ſe recipientibus, ut ſtatim militi inopia ſentienda foret, ni ſenatus alimenta ſuppeditaſſet. Cæterum miles juxta & oppidani alacres, & ad extremum usque ſpiritum pugnare parati: & Rex Gardio ſevere interdixerant ne detrans-

actione aut deditione mentionem fa- 1656.
ceret, aut alios facere permitteret, ſpe facta, ſe propediem toto cum exercitu venturum, quo obſeſſis ad extrema ſuſtinenda animus obfirmaretur. Annonæ alias ſat in urbe, ſed publice ac privatim pecuniæ egeſtas urgebat, quod civitas ingentes ſumtus facere neceſſum habuerat ad munitiones ſuas excitandas, ac nuper elapſo anno Regi centum millia uncialium amplius mutuo dederat, ut non ſat pecuniæ ſuperforet pulveri & paratui bellico cœmendo, quantum res præſens exigeret. Simul miles fere ſeminudus incedebat, cum illi veſtiendo nihil in publico pecuniæ, nec qui crederet privatus foret. Impediebat quoque ingruens nunc bellum, quo minus cives millionem amplius uncialium ſibi alibi debitorum exigere poſſent, commerciis inſuper ob intenſum nimis vectigal valde imminutis. Moſci autem eo confidentius urbi ſucceſſerant, quod ſubtribunus Jonſtonus natione Scotus *Jonſton.* ad ipſos transfuga de ſtatu ejusdem prodidiſſet, admixtis haut paucis mendaciis captandæ gratiæ, velut vix centum milites præter cives & agreſte vulgus intus forent. Unde immenſum turgidi crepabant, Eſtoniam, Livoniam, Ingriam & Finnoniam è ſe utique ſubigendas, ſimul Poloniæ Regem ad tributariam conditionem redigendum.

§. 12. Cæterum Moſci initio jactaverant ſe Dunamundam impetu expugnaturos, aut eo conatu fallente caſtellum medio inter idem & urbem loco excitaturos, excludendæ è mari communicationi, multa ſuper auxiliis Belgarum, ac Dani favore gloriati. Mox tamen eo conſilio omiſſo tota vi ad ipſam urbem converruntur, caſtris ſecundum Dunam poſitis, quæ nonaginta bellatorum millia implere ferebantur, eo majore ejusdem potiunda fiducia, quod obſeſſi, dum non ſine trepidatione in urbem ſe recipiunt, munitiones exteriores, hortosque ac ſepes, multaque tecta proruere, ac ſolo æquare omiſerant. Unde ipſis in proclivi erat adverſus jaculationes è vallo tectis ſuggeſtus intra tubi manuarii jactum excitare. Contra Gardius, ne 23. *Aug.* fæminarum lamenta virorum animos turbarent, ſuam uxorem, cæterorumq; ductorum in Sveciam dimittebat, nec pauci primariorum civium ſuas Lubeam

Riga obſidium. Dunamunda.

1656. cam ablegarant. Et quia parum pabuli in urbe erat ſuperflui equi in flumen propellebantur. Eruptionibus inde & jaculationibus Moſcorum opera impedire laborabant obſeſſi, ſed quæ haut eo ſecius prope foſſam promovebantur, cum abundante multitudine hoſtis ſuo militi haut parceret, ſic ut brevi majoribus machinis damnum
25. Aug. ipſi non amplius inferri poſſet. A Moſcis inde tuba prius ſigno dato tribunus ad portam mittitur, qui Comitis Turrii caput ciſtæ ſerico obductæ incluſum adferebat, una cum epiſtola ad Gardium & omnes præfectos ac ſenatum urbis ſcripta inſolentiæ barbaricæ plena, deditionem imperante, obiter quoque conditionem valli & foſſæ cominus ſpeculaturus. Is nullo reſponſo dato protinus faceſſere juſſus eſt, & mox ut quid animi obſeſſis foret hoſti
Schultz. conſtaret, Martinus Schultzius tribunus cum quadringentis peditibus, &
Mannerſchild. Mannerſchildius ſubtribunus cum ducentis equitibus eruptionem faciunt, qui ſtrenue cum procurrentibus Moſcis pugnam conſerebant, aliis interim hortos foſſæ propiores ſubruentibus. Moſcorum tunc non pauci cæſi ſunt, & inter illos tribunus, qui Turrii caput nuper attulerat. Eo tempore Gardium, dum vallum circuit, incenſum forte pulveris dolium afflatu læſerat, ut per aliquot dies lecto affixus hærere cogeretur. Extructis jam ſuggeſtibus
1. Sept. Moſci machinis in urbem fulminare, globosque ignivomos jacere, majore tectorum quam hominum ſtrage, quod toto obſidii tempore noctes diesque continuatum. Cobronii caſtellum in adverſa Dunæ ripa ſitum Moſci
Cobron-Schanze. noctu aſſultare parabant, ſed quos
Heidemann. Heidemannus vigilum præfectus, qui id tuebatur, ita rejecit, ut in poſterum nil amplius ibi tentare auderent, ſimul perrupto aggere aquæ circumfuſæ propiorem acceſſum arcebant.
5. Sept. Inter fulminationes iſtas Helmfeldius in propugnaculo conſiſtens fragmine
Ferſen. ligni ad caput, Joannes Ferſenius tribunus ad coſtas graviter læſus fuit. Quo die noſtri eruptione facta complures Moſcos cæduntq; & quadraginta amplius boves in urbem pertrahunt. Biduo poſt Biſtranus ſubtribu-
7. Sept. Biſtran. nus cum centum quinquaginta equitibus hoſtem duobus ſuggeſtibus magna cum cæde expulit. Eodem die cum centum octoginta equitibus, ſexaginta peditibus præfectus vigilum 1656.
Claudius Lensmannus & Stalius præ- Lensmann
fectus turmæ rem bene gerebant, tribus hoſtium machinis corruptis, & centum amplius Moſcis cæſis, quanquam & Stalius ac Welbergius tur- Welberg.
mæ præfectus cum ſex equitibus occumberent. Cæterum Moſci cum ad foſſam usque penetraſſent, imperitia artium bellicarum longius progredi non valuerunt, nec aſſultum unquam tentare auſi ſunt, utut transfugæ ſubinde eum imminere nuntiarent. Obſeſſis inde non parum leva- 11. Sept.
menti attulerunt, quatuordecim peditum centuriæ à Kœnigsmarckio conſcriptæ, quæ portu Pillavienſi emiſſæ ad Dunamundam adpulerunt, cymbis hinc per tenebras ad urbem pervectæ, quod vento adverſo vela facere prohiberentur. Ab iisdem & pulveris pyrii copia allata fuit. Venerunt quoque miſſi à Rege Reinoldus Taubius tribunus, & Andreas Taube. Laſcher.
Lœſcherus turmæ præfectus, qui nuntiabant, Duglaſſium cum quinque equitum millibus jam iter ingreſſum ad tuendam Livoniam. Quod effectu quantumvis irritum animos obſeſſorum non parum firmavit. Contra animadverſum, Moſcorum impetum langueſcere, ac Czarem deſperatione urbis per vim expugnandæ ſuſcepti obſidii pœnitentia duci. Unde Gardius aſſumta equitum manu ex urbe Pernaviam ſe conferre conſtituerat, ut ibi pluribus contractis copiis provinciam ab excurſionibus Moſcorum tueretur, & Dorpato ſubveniret, ni Helmfeldius & alii id diſſuaſiſſent, ne cives militesque animis forte concideren. Eam ob cauſam, & quia cives promtiores ſe quam antea alendo militi præbebant, id conſilium omiſſum. Transfugere dehinc in ur- 15. Sept.
bem duo Moſcici præfecti natione Germani, qui referebant, Czarem proxima nocte aſſultum daturum, quo non ſuccedente de receptu cogitaturum, quod plerique Coſaccorum, Donenſium, qui alias florem exercitus conſtituebant, deſererent. Qui & omnem culpam ſuſcepti incaſſum laboris in ſocerum ſuum, & Bojaros conferat, quorum & aliquibus eo nomine in barbam involarit, proditorum convitio ingeſto. Emtum quoque inſigni præmio, qui profunditatem foſſæ metiretur, quam

ſupra

1656. ſupra opinionem repererit. Idolum quoque Nicolai in templo ſuburbano erectum machinæ globo prorutum in omen trahi, tum & ſomnia triſtia, & rumorem de adventu Duglaſſii terrere. Quæ non plane inania eſſe, conticeſcentes hoſtium machinæ arguebant. Igitur obſeſſi flumine eruptionem facere parabant per ducentos pedites cymbis impoſitos, qui Duce Zeddelmanno centurione intempeſta nocte dimidium ab urbe milliare prope Czaris caſtra inſulam à Dieterico nuncupatam remis adverſo flumine petebant, ubi magna pars paratus bellici aſſervabatur. Hi excenſione facta, cum Moſcos ſe ſimularent, ſtationem hoſtium in inſula trucidabant. Inde tria navigia pulvere, paratuque bellico & cibariis plena, tum tecta globis ignivomis conficiendis excitata inflammant, quorum fragor & emicans repente flamma Moſcorum caſtra immenſum exterruit, ut omnis exercitus totam noctem in armis inſomnem ageret. Czar quoque ſtatim caſtra munitionibus circumdari, ſuggeſtumque ad flumen extrui juſſit, ſeptendecim machinis impoſitis, ad pares inſultus deinceps prohibendos. Complures dehinc eruptiones tentatæ modico ſucceſſu, niſi quod Hauenſchildius præfectus vigilum centum quinquaginta hoſtium cæcidit, cum Sveci antea Curcelium & Roſenſchmidium turmarum præfectos amiſiſſent. Obſervatum mox, hoſtem malos navigiorum erigere, ac diſceſſum adornare, gravioribus machinis in navigia impoſitis, quod Czarem nuntii terruiſſent, Regem Sveciæ triginta bellatorum millibus ſuccinctum propediem adfore, qui contra obſeſſos non parum confirmabant, ut crebris eruptionibus hoſti inſultarent, quarum una Lensmannus multos Moſcos trucidavit, & inter alios tribunum Petrum Telſtoi Czaris cognatum, cujus caput abſciſſum in urbem reportabatur. Sed majus operæ pretium mox fuit factum à ſubtribuno Henrico Alvendeſio & Zedelmanno, quorum illum ducenti equites, hunc centum quinquaginta deſultores, ac è civibus ducenti velones ſequebantur. Hi porta arenaria egreſſi Moſcos per acceſſus diſpoſitos trucidant, tum invitante ſucceſſu propinquis hoſtium caſtris ingruentes omnia cæde ac terrore miſcent, ac ſeptem, quæ ibi melabantur legiones diſſipant, bis mille amplius cæſis. Interim quantum tempus ferebat, Moſcorum opera proruebantur, ſimul aliquot domus incendebantur, quibus Moſci inſtrumentum bellicum aſſervabant. Sed cum demum equitatus hoſtilis tota vi ingrueret, Gardius ſignum receptui ſuis dedit, qui & re præclare geſta ſe receperunt, uno duntaxat centurione, & duodecim gregariis deſideratis. Pertrahebatur quoque in urbem tribunus Moſcicus Sieclerus, ad necem ſaucius, qui inter extrema hauſtum vini aduſti inclamans expirabat. Eo in conflictu cives fortiſſime rem geſſerunt, primique acceſſus hoſtium probe munitos perruperunt, ad extremum quoque pugnam cientes, cum miles mature ad prædam diſcurreret. Signa ſeptendecim hoſti tunc erepta in propugnaculo arcis diſponebantur, magno cum noſtrorum plauſu, pari Moſcorum dolore. Sed qui trans Dunam metabantur Moſci conſpectis ſuorum vexillis præpropero gaudio jubilum tollebant, quod urbem jam à ſuis captam crederent. Ea clades adeo Moſcos terruit, ut iis caſtris non amplius conſiſtere, nec acceſſus ingredi auderent, non niſi remotioribus locis in acie conſiſtentes ad excipiendum noſtrorum impetum. Et ingentem illis ſuſpicionem injecerat Steenbockius Memelam verſus progreſſus, quem ipſe Rex ſecuturus credebatur. Paucæ ſequentibus diebus hoſtium diſploſiones, duntaxat ut diſceſſus diſſimularetur, quem omni vi adornabant, quoad demum incenſis tuguriis, & quæ in ſuburbiis reſtabant tectis obſidium ſolverent, non ſine magna trepidatione, ac multis rebus relictis, quæ obſeſſis in prædam cedebant. Caterva quoque adverſo Duna hoſti ſe recipienti immiſſa non parum armorum in urbem reportavit. Duæ quoque ingentes machinæ duobus à Riga milliaribus à Svecis inventæ, ac in urbem pertractæ ſunt. Ita Moſci ſex per ſeptimanas incaſſum vires ſuas ad Rigam effudere, nec globi ignivomi, quorum mille octingenti amplius injecti, ultra centum homines necarunt, cum contra Moſcorum octo amplius millia occubuiſſent, multis quoque pa-

Zeddelmann. *7. Sept.* *Sieclerus.* *21. Sept.* *Hauenſchild.* *Curcel.* *Roſenſchmidt.* *29. Sept.* *2. Octobr.* *Alvendehl.* *Id ſolvitur 5. Octob.*

1656. lantibus per agreſtes occiſis, ſic ut ſub diſceſſu exercitus illorum quatuordecim millibus imminutus foret. Iidem tamen crudelitatis ac immanitatis ſuæ triſtia veſtigia per eam provinciam reliquerunt, pervaſtatis omnibus qua acceſſerant ad decimum quintum à Pernavia milliare, & omnibus citra locis. Sed & gaudium è depulſo hoſte apud Rigenſes valde imminuebant, morbi inter milites primum graſſati, qui poſt in atrocem peſtilentiam degenerarunt, qua magna incolarum pars abſumta fuit. Quod malum alia quoque Livoniæ oppida vehementer afflixit.

Moſci Dorpatum expugnant.

§. 53. Dorpatum tamen, quod ab octodecim Moſcorum millibus per decem ſeptimanas oppugnabatur, demum hoſti ceſſit. Sat maligne munitum erat oppidum, quod præter ducentos cives ducenti viginti pedites, centum male armati equites propugnabant. Qui licet crebris eruptionibus multos hoſtium trucidaſſent, demum impares tantæ moli, cum hoſtis jam ſub pede mœnium conſiſteret ad aſſultum dandum paratus, nec intus pulveris copia foret, honeſtis conditionibus deditionem faciunt, cujus leges Moſci præter morem ſuum ſervavere, dimiſſo Revaliam præſidio ad centum quadraginta capita redacto una cum præfecto Woldemaro Ungaro tribuno, & præſide Provinciæ Laurentiæ Flemingio. Benedictus Hornius ſemel atque iterum Revalia progreſſus iſti oppido ſubvenire conatus fuerat, jam ad unum milliare ſuccedens. Sed Moſci omnibus cum copiis obviam prodeuntes pedem referre coëgerunt, qui tamen ternas per anguſtias ſervatis ordinibus ſe recepit, quinquaginta ex hoſtibus inter velitandum cæſis. Nec carpi iſtorum catervæ poterant, quod non ultra unum milliare excurrerent. Dorpato capto Moſci late provinciam perſultabant, magna frumenti vi congeſta inſigni cum Svecorum incommodo, cum id oppidum in meditullio Livoniæ ſitum, omnem regionem excurſionibus hoſtium nudaret, intercluſa quoque communicatione inter Rigam & Revaliam. Relinquebantur ibi quatuor peditum millia, quadringenti equites. Oppidani in Czaris verba adacti ſat humaniter habebantur, velut ſubjecti deinceps manſuri. Agreſtres quoque blandis verbis ac promiſſis alliciebantur ad prædia ſua iterum incolenda, ut tamen prius Czari fidem jurare cogerentur. 1656.

Cakenhuſæ præſidium mille quingentorum militum relictum, ubi & majores machinæ cum paratu bellico depoſitæ ſunt, quas profundæ uligine viæ avehi vetabant. A noſtris inde Adzela poſt tridui oppugnationem recuperata, omnibus intus cæſis. Quatuor etiam cohortes, quæ Cakenhuſa ſubſidio illuc mittebantur, à Martino Schultzio noctu in vico quieſcentes deletæ. *Adzel.*

Regis mandata circa bellum Moſcicum.

§. 54. Obſidium Rigæ irritum haut parum Czaris ferociam fregerat, valde quoque imminuto ipſius exercitu, cui ſuppleudo nulla facultas erat: ſimul indignabatur, à Danis ſe ac Belgis deſtitutum, qui ad bellum ſumendum ipſum irritaverant. Unde ſpes Regi erat, id bellum facile componi poſſe, quo & vehementer defungi cupiebat, aliis jam ſat diſtrictus, & Dano propediem in arma erupturo, dedignatus quoque cum Moſcis luctari, quos vel viciſſe parum glorioſum futurum erat. Ne tamen deſiderium pacis à metu aut confeſſione impotentiæ profectum videretur, poſt liberatam Rigam Magno Gardio injungebat, ut contracto quantum poſſet copiarum in Samogitiam & Curlandiam, aut quod potius videbatur in Ruſſiam verſus Novogardiam moveret, quo Livoniam jam ante ſat male habitam onere proprii militis alendi levaret. Ut pecunia potiretur, ſimularet hiberna ſe per Curlandiam ſumturum, quæ deinde ordinibus argento redimenda concederet. Ducis tamen præfecturis parceret, ut eo commodius Ordines provinciales urgere poſſet. Si irruptio in Moſcoviam placeat, cum Guſtavo Hornio Eberhardi F. ſe conjungeret, circa expugnanda loco munita ne fatageret, ſed omnia ureret, ac vaſtaret. Moſcisque ſua exempla reponeret, pacisque deſiderium per belli calamitates ipſis excitaret. Id ſi non ſuccedat, in Curlandia ſubſiſteret, ut Svecicæ ditioni parcatur. Quod ſi Moſcus pronum ſe paci aut induciis oſtenderet, ipſe par deſiderium præ ſe ferret, quo iſte à tractatibus cum Polonis abſtraheretur, præſertim cum Czar miſſo legato Brandenburgici interpoſitionem requireret. Unde Moſcis jubebatur demonſtrare, tutius ipſis fore cum Svecis pacem inire, quam cum Polonis, qui oblata Czaris filio ſua corona huic illudant, cum eodem tempore eam Cæſari filioque hujus Leopoldo

12. Oct. *Ungar. Fleming.* *Revel.* *5. Octobr.* *22. Oct.*

Hun-

1656. Hungariæ Regi oſtendent. Interim quantum poſſet rem in iſtos gereret, ut eo facilius ad pacem amplectendam compellerentur, cujus obtinendæ eo major ſpes erat, quod Rex nihil terrarum à Moſco cuperet, antiquos limites recuperare contentus. Nam cum Polonis nulla ſpes pacis obtinendæ erat, quos ope Ragotzii & Coſaccorum in ordinem redactum ibat, facili ut videbatur negotio, ſi Dano ut quieſceret, perſuaderi potuiſſet.

Regis circa tractatus cum Moſco mandata.

§. 55. Ne autem tractatibus iſtis mora fieret, Rex Commiſſarios iis obeundis deſignaverat Magnum Gardium, Benedictum Hornium, Joannem Silberſtiernam, Petrum Julium Conjectum & Paulum Helmes, ſi Gardius aliis negotiis diſtringeretur, Guſtavus Hornius ei ſubſtituebatur, addito, ut etiam uno & altero abſente per reliquos negotiatio perficiatur. In mandatis hiſce dabatur, ut Brandenburgicum & Curlandum ſequeſtres à Czare propoſitos acceptarent, id quod & utrique Rex jam per literas ſignificarat. Locum tractatuum admitterent, oppidum aliquod Electoralis Boruſſiæ aut Curlandiæ. Si Moſci graventur in Boruſſiam accedere, ac in limitaneo quopiam loco tractare malint, haut repugnarent, ſi & ſequeſtribus ita videatur. Ubi reliqua convenerint, ne vel momentum temporis negligerent, quo minus ſtatim negotio manum admoveant. Antequam tamen ad tractatus accedatur, Legatorum Svecicorum Moſcoviæ detentorum liberationem urgerent, quos & Rex Commiſſarios adhibere volebat, ſi antequam primaria negotiatio cœpta fuerit, dimittantur. Id ſi obtineri nequeat, tractatum per jam nominatos ſuſcipiendum. Providerent porro, ut circa præliminaria ſit æqualitas ac nihil novi aut mendoſi admittatur, adeoque in congreſſibus, communicatione & ipſis pactorum formulis receptus cum ea natione tractandi modus, & omnia ſolennia obſerventur, nec quid præjudicium parere idoneum diſſimuletur, quod Moſcorum indoles ſit è minutiis ingentes prætenſiones formare. Inprimis circa titulum accuratam cautelam adhiberent, quod qui nunc rerum potitur Czar non ita pridem inſolitum ſibi titulum commentus eſſet, inſertis non ſolum provinciis hoc bello occupatis, ſed & multarum inſuper regionum verſus Orientem, Occidentem & Septentrionem dominum ſe ferens, & patrum avorumque ſucceſſorem. Quæ additamenta etſi ipſe per legatos ſuos demonſtraſſet tribui ei non poſſe, quod iis ambagibus innui videantur regiones quondam Regno Sveciæ è Moſcorum imperio adjunctæ, poſtulato, ut ea tituli utrinque formula adhiberetur, quæ pacto Stolbovienſi exprimatur, tamen inſuper habitis noſtrorum rationibus, neque uſurpatos titulos deponere Czarem, nec ſcripto declarare dignatum, iis appendicibus haut inſinuari regiones quondam Ruſſiæ decerptas, nunc Sveciæ regno inſertas. Nam quod Naſſokinus Cakenhuſæ præfectus jactarit, etiam modicum prædium in omnes mundi plagas patere, cujus poſſeſſor ideo ſe recte appellare queat dominum terrarum verſus Orientem & Occidentem, eam cavillationem nimis inſipidam eſſe. Ex quo cum non obſcurum eſſet, quid actionis Czar ſibi eas in provincias reſervaret, eo plus cauſæ judicabat Rex poſtulato ſuo inſiſtendi, ac ut legati ſui tam apud ſequeſtres quam ipſos Moſcos teſtarentur: Regi haut in animo eſſe, Czari præſcribere, qua tituli forma apud alios Principes uti velit, ſed iſtas tituli appendices vel dare vel admittere, ſibi haut integrum eſſe, velut ingens Sveciæ præjudicium adferentes. Circa rem ipſam volebat Rex prioribus pactis firmiter inſiſti, nec iis quicquam decerpi. Qui ſcopus ut obtineretur, Legati inter tractandum idoneo modo juſtitiam cauſæ Reglæ demonſtrarent, & quot injurias Moſci tum in præſens intulerint, Svecicas provincias invadendo & quondam pacta multifariam violando, elevatis & diſcuſſis, quæ Moſcis à Svecis præter fas patrata arguerint. Unde Regi graviſſimas cauſas eſſe eo nomine idoneam penſationem exigendi, ſimul cautionem, à Czare in poſterum pacta, & æternam, quæ nunc inſtauranda ſit, pacem haut infringendam. Quia tamen è re erat, temporibus ſe accommodare, & quamprimum cum Moſco decidere, placebat poſtulata moderari, quæ quamor per gradus exprimenda erant, ut tamen prius à Moſcis omnia loca hoc bello occupata reſtituerentur. Primo gradu in ſatisfactionis vicem poſtulandus erat totus diſtrictus Kexholmenſis intra veteres limites, qui ſub 1656.

1656. Czare fuit, ita ut Rex præter hactenus poſſeſſa illam quoque partem provinciæ accipiat, quam Czar hucusque retinuit: Lapponia inſuper
Kargapol. Ruſſica & Kargapola cum annexis, & ſolitis finibus, totus lacus Onega & terra, quæ inter Onegam & Ladogam lacum à flumine Socri usque ad limitem Kexholmenſem, poſtremis pactis conſtitutum, ſita eſt. Partem tamen lacus Ladogæ, quam Moſci prioribus pactis ſecuritatis ſuæ cauſa reſervarant, Rex præſenti in ſtatu relinquebat. His addenda erat pars Livoniæ, quæ hactenus ad Polonos ſpectaverat, nunc à Moſcis ſubacta, tum Poloſcenſis & Witepſcienſis Palatinatus cum omnibus annexis, ac demum inſignis pecuniæ ſumma. Quod ſi Moſcis hæc poſtulata enormia videantur, & ſequeſtres moderatiora ſuadeant, &, quæ contra adferantur, nihil proficiant, ſecundo gradu de Witepſcienſi Palatinatu remitterent, ſalvis reliquis poſtulatis, & ſi id aſpernentur Moſci, Poleſcenſi Palatinatu deſiſterent. Si ne id quidem Moſcis arrideat, tertio gradu optionem iſtis relinquant, utrum Regi concedere malint partes ditionis Kexkolmenſis, Lapponiam Ruſſicam, Kargapolam, lacum Onegam cum adſita regione inter hunc & Ladogam lacum, an vero Witepſcienſem & Poloſcienſem palatinatum, ac ſummam pecuniæ alterutri parti addendam, quam Moſci elegerint. Si ne id quidem obtineri queat, remitterent de partibus ditionis Kexholmenſis Kargapola, Onega lacu cum adſita regione, & Witepſcienſi ac Poloſcienſi Palatinatu, & quarto eoque extremo loco inſiſterent reſtitutioni omnium locorum Regi hoc bello ablatorum, nec repugnarent quo minus Czar retineat, quæ per Lithuaniam hoc bello adquiſivit, modo nihil prætenſionis agitet in Curlandiam, Samogitiam, aut Birſas. Tum ut Czar ad reparandum damnum hoc bello Sveciæ datum cedat, Lapponiam Ruſſicam & Livoniam Polonicam; evictione quoque præſtita, ſi Poloni Svecos hac parte invaſerint, tantam inſuper pecuniæ ſummam addat, quanto An. 1649. Reginæ Chriſtinæ exſoluta fuit. Abolerentur præterea, quæ hactenus à Moſcis adverſus priora pacta patrata ſunt, tum ut Svecicis mercatoribus concedatur libere & citra impedimentum iter facere, & commercia exercere per omnes Czaris urbes & ditiones, ac inprimis, ut Caſani & Aſtracani integrum ſit fixam mercaturæ ſedem habere, ac inde cum aliis populis extra Czaris ditionem ſitis, Perſis præcipue commercia exercere, Czare quoque tutelam adverſus violentiam & injurias in ...nere aut negotiatione inferendas præſtituro. Quanquam autem Gardius ſuaderet, ut Rex pace cum Polonis facta junctim cum hiſce Moſcos invaderet, Regi tamen cordi potius erat, ut quamprimum ſibi cum Czare conveniret, quod ea pace conſilia inimicorum adverſus Sveciam inſigniter turbari, ſuisque armis iterum autoritas circumponi poſſet. Eoque denuo Gardio injungebat, ſedulam operam daret, ut ocyus res cum Moſcis ad tractatus deducatur, ac horum cum Polonis negotiatio prævertatur, qui omni modo id agebant, ut Moſcum cervicibus ſuis amolirentur, ne idoneam Sveciæ ſatisfactionem præſtare neceſſum haberent. Quo fine omnes alios reſpectus ac ratiocinia ſuis affectibus ſuperſtructa amoveret, ac ſi ſentiat ſequeſtres frigide rem agere, nec pro eo ſtudio, quod præſentia Sveciæ commoda requirunt, id curaret, ut citra iſtorum operam ſcopum ſuum adſequeretur, quod ſæpe absque ſequeſtribus facilius ad concluſionem negotii perveniatur, velut qui ſæpe propria magis emolumenta, quam partium, præ oculis habeant. Ac inter alia Moſcis demonſtraret, Polonos tractatibus ſuis nil niſi fraudes coquere, cum ipſe contra pronus ſit Moſcorum deſtinatis circa Lithuaniam bona fide promovendis. Addebatur, ne tam enormia lamenta ſuper ſtatu earum provinciarum literis ſuis miſceret, quæ in manus hoſtium delapſæ ingenti fraudi eſſe Regi poterant, cum præſtet remedia iſtis malis quantum detur, circumſpicere. De cætero iſta hyeme nil amplius actionum bellicarum ſuſciperet, quibus aleæ quid ſubeſſet, nec obſidione ſe loci cujuspiam munitioris implicaret, niſi ſi quid ſubito aſſultu effici queat, ſed arcuiſſe hoſtem & ſua defendiſſe ſatis haberet, prohibito, ne is totam provinciam catervis ſuis percurrere poſſit. Contulerat ſe poſt ſolutum Rigæ obſidium Pernaviam Gardius, ut ſuos equis iterum inſtrueret, quos fere Rigæ amiſerant. Quod cum lenta

1656.

pro-

1656. precederet, neque in Moſcos movendi facultas erat, neque in Lithuaniam quid tentare licebat, diſtrahendis ab invadenda Boruſſia Lithuanis. Equidem caterva mittebatur, quæ Birſis laborantibus ſubveniret, ſed è qua non niſi quadraginta in oppidum penetrare poterant, reliquis per obſeſſores repulſis, quod & initio ſequentis anni, fame & paratus bellici inopia ſubigente in hoſtium manus conceſſit, ſic ut Svecis nullus in Lithuania munitus locus amplius ſupereſſet.

In caſſum cum Moſco de pace agitur.

§. 56. Enimvero tunc circa pacem cum Moſco nihil proficiebatur. Equidem huic operam ſuam circa pacem cum Svecia conciliandam offerebat Elector Brandenburgicus, miſſo Joanne Caſimiro Eulenburgio Barone, cujus in aula jam non paucos metus corripuerat, ne forte illud incendium è Livonia in Boruſſiam trajiceret. Eam operam ſat cupide amplecti viſus fuit Czar, quod & ſcrupulum ipſi injeciſſet Regis cum Belgis tranſactio, ac de Riga per vim expugnanda deſperaret, quo honeſtus color foret ſolvendi obſidii. Eoque declarabat Eulenburgio, ſe in duorum menſium inducias conſenſurum, ac omiſſo Rigæ obſidio de pace acturum, in ſequeſtris locum admiſſo Electore, pro qua opera hunc fratris titulo & dignatione honoraturus ſit. Id quod Eulenburgius Gardio literis Mitavia ſcriptis ſignificabat, qui viciſſim declarabat, ſed ab induciis non abhorrere, ſi honeſtæ conditiones of-

Eulenburg.

18. *Octob.* ferantur. Eodem ſuper negotio Elector Regi quoque miſſo Gerhardo

Pelnitz. Pœlnicio ſignificarat: cui ab hoc re„ſponſum: gratum ſibi eſſe ipſius of„ficium, ſed quid de inſtituto Moſco„rum ſtatuendum ſit, non eſſe ſibi in„tegrum judicare. Antea quippe a ſe „omnia tentata, ne in arma erumpe„retur. Nunc poſtquam omnia fidei „publicæ vincula ab iſto ſint perrupta, „ſuæque provinciæ ferro flammaque „immaniter vaſtatæ, dubitare ſe, num „quid tuto circa ipſius reconciliatio„nem ſperandum ſit. Si tamen certio„ra indicia adpareant animi in pacem „bona fide proni, ſe ab æqua tranſa„ctione non abhorrere: ut tamen lega„ti ſui contra jus gentium detenti uti„que prius dimittantur. Gardio autem „Rex ſcribebat, poſſe ejusmodi tracta„tum à ſe admitti; ſed prius accurate „circumſpiciendum, ne oblatæ bime„ſtres induciæ fraudem foveant, neve „id forte à Moſco agatur, ut interea „defatigatum militem domum dimit„tat, recente in iſtius locum evocato, „ac ingruente hieme, dum nullum „Rigæ auxilium mari ſubmitti amplius „poteſt, eam urbem novo impetu ur„geat. Quod ſi tamen Czar ſerio rem „agat, has conditiones paciſci ſtudeat, „ut Moſci intra fines ſe ſuos recipiant, „copiis è Livonia, Eſtonia, & Ingria „reductis, ne noſtram provinciam „ulla moleſtia amplius afficiant. Quod „ſi obtineri non poſſit, ut iſti Caken„huſa, Duneburgo & aliis locis occupa„tis decedant, ſaltem obſidia cæpta „tollant. Tum ut ſibi integrum ſit Po„lonos bello perſequi illis in locis, quæ „adhuc ſub horum poteſtate ſunt. De„nique ut nobis liceat munitis noſtris „oppidis neceſſaria inferre. His conditionibus Rex vel ſemeſtres inducias probabat, modo Moſcus interim per hibernum tempus inſigni quopiam commodo in damnum noſtrum potiri nequeat. Aſt ſi circa hæc ſane æquiſſima concedenda difficilem ſe iſte exhibeat, facile quid mimo volvat colligi poſſe, eoque caveret Gardius, ne ejusdem ſeſe fraudibus præberet, ut porro penitius anentem Moſci explo- 6. *Nov.*
raret Rex, Slippenbachium, & Biærnclovium Labiaviam ad Electorem mit- *Labian.*
tebat, ut inter alia à Moſcico legato tunc in aula iſtius agente expiſcarentur, quo Czaris poſtulata ſpectent, & quo loco tractatus inter Moſcum & Polonos verſentur. Simul monerent, à Moſcis propoſitam tractatibus inſtituendis arcem Goldingam in Curlan- *Goldin-*
dia non ſat ſecuritatis habere videri *gen.*
adverſus Polonos, qui non omiſſuri ſint iſtum congreſſum diſſipare. Ad quæ Elector declarabat, ſe non ſolum, ſi partibus placeat, Memelam ei uſui com- *Memel.*
modaturum, ſed & miſſo legato Czari perſuadere conaturum, ne cum Polonis pacem ineat, neve Cæſari ulterius ſe innectat. Cum Moſcico ablegato de Svecorum declaratione ſignificaretur, iſte læto animo eam acceptare viſus eſt, ſed ſuper poſtulatis Czaris nihil in mandatis ſibi datum excuſavit. Antea tamen ſermonibus jecerat, Czarem per Svecos quondam Moſcis erepta repoſcere, cumprimis Juanogrodam, Jamam, Coporiam, Kexholmiam & Næteburgum, refuſis quoque belli ſumtibus. Cum demonſtraretur,

1656. his legibus pacem non ſperandam, reſpondebat, aliquid utique remittendum, ac ſuper his diſceptationem inſtituendam. Addebat: tractatus cum Polonis fere ad finem perductos, ac Czaris filium poſt Joannis Caſimiri fata Polonica Corona potiturum. Nec certiora è Naſſokino exſculpere poterat Gardius, miſſo Cakenhuſam Al-
Bulov. berto Bulovio veteri cum iſto notitia. Adverſus quem iſte quidem verbis haut alienum ſe à tractatibus oſtenderat. Sed ex aliis indiciis colligebatur, ſerio rem à Moſcis non agi, ſed tempus eosdem extractum ire ſpeculabundos, quem ſucceſſum arma Regis habitura ſint. Sane magnopere iſtum affligebant abortientes apud Rigam conatus, viresque hac expeditione valde afflictæ, & nusquam adparentia Cæſaris, Dani, ac Belgarum auxilia, qui iſtum in id bellum propulerant, ſimul metus erat, ne Rex Polonis conciliatus junctim cum his ipſum invaderet. Modicum tamen pacis cupitæ indicium erat, quod Moſci tam acriter firmandis Duneburgi & Cakenhuſæ munitionibus inſudarent, ac magnam partem copiarum ſuarum inter illa oppida ſecundum Dunam hibernatum diſponerent,
6. Nov. annona è Ruſſia ſubvecta. Et mox lu-
dibria Moſcorum erumpebant, qui conciliatore Cæſare cum Polonis Vil-
„næ in has leges convenerant: ut à Po-
„lonis protinus deſignetur tempus co-
„mitiorum, ſimul Czari ſignificetur lo-
„cus, quo hic ſuos legatos miſſurus ſit
„de ſumma rerum concluſuros. Ad
„ea usque comitia Czar retineret om-
„nia loca à ſe occupata. Tum ſocia ar-
„ma jungantur adverſus Svecos, &, ni
„ad obſequium redeat, Electorem
„Brandenburgicum. Ad Svecum neu-
„ter legatos mittat, nec de pace cum
„ipſo agat altero inſcio. Exercitui Po-
„lonico in Svecum ituro tranſitus
„concedatur per loca Lithuaniæ à Mo-
„ſcis occupata. Ultra flumen Suietam
Bychovv. „Moſci non excurrant, nec Bychoviam
„oppidum infeſtent. Czar operam
„navet ad obſequium redigendis Co-
„ſaccis, quorum conjunctio cum Ra-
„gozio ſuſpecta ſit. Sic igitur Moſcus inani tractatuum ſpe Svecis illudebat, ipſe tamen non minus Polonis Cæſarique in Svecos eundem obſirmandi ludibrium debiturus fraudulenta oſtentatione Coronæ Polonicæ, quam iſti eodem tempore & Cæſari & Ragozio venditabant. Quem & Poloni ut 1656.
tractatu Vilnenſi acrius urgerent, diſerte ſibi facultatem cum Svecis tractandi exceperant.

§. 57. Nec magis ſuccedebat negotium pacis cum Polonis, circa quod ſedulam operam navabant legati Gallici Avaugurius, & Lumbranus, quod Regi Galliæ curæ eſſet non ſolum Poloniæ Regnum ſervari, ac in priſtinum ſtatum reponi, ſed & ut Carolus Guſtavus hoc bello expeditus cum Auſtriacis committeretur. Illis igitur ſuper pace inſtantibus aurem præbebat Rex magis quia ita decebat, & ne bellorum propter ipſa bella cupidus videretur, quam quod ſpem boni ſucceſſus concepiſſet. Sed Cancellario Erico Oxen- *19. April.*
ſtiernæ injungebat ut negotiationem iſtam Gallicam dextre declinaret. Ex hactenus enim à Joanne Caſimiro actis, quæ nunc ipſi mens ſit, ſatis patere, eum ipſum tractatus, cum gladii nondum ſtricti forent, impediiſſe, ac per intempeſtivam animi pervicaciam in præſentem ſtatum res conjeciſſe, nec ab eodem rem ſerio nunc agi, quicquid verbis præ ſe ferat. Ac ideo hoc tempore pacis mentionem injici, ut Svecicus miles, & qui partibus noſtris addicti ſunt, timore imbuantur, velut rebus noſtris ad incitas vergentibus, ad pacem ſit confugiendum. Sed & poſt cum res apud Warſaviam ad decreſorium prælium ſpectare videretur, Lumbranus vehementer inſtabat ut ſaltem tantiſper induciæ inter bellantes inirentur, quoad aliqua pacis via inveniri queat. Sed quas Rex velut rebus ſuis inutiles adſpernabatur. Nec ideo iſte poſt prælium Warſavienſe circa pacem conciliandam movere
„deſinebat. Cui Rex reſpondit, per *8. Aug.*
„ſecundos in hoſtem ſucceſſus ani-
„mum paci pronum penes ſe haut im-
„mutatum. Enimvero prius ſolide
„edoceri velle, num hoſti pax utique
„cordi ſit, tum quæ cautio ſibi præ-
„ſtari queat conventa ſervatum iri,
„cumprimis recenti ſpecimine viola-
„torum Warſaviæ pactorum, quæ
„non Rex ſolum, ſed & ſenatorum
„præcipui ſubſcripſerint, ſigilloque
„confirmarint. Alias ſibi Golupum *Golup.*
„idoneum videri congreſſui legato-
„rum, ubi ſi dicta jam obſtacula amota
„fuerint, quid circa princeps nego-
„tium ſperandum ſit facile adparitu-
rum. Eam Regis declarationem ut

Circa pacem cum Polonis conciliandam fruſtra ſatagunt Galli.

Polonis

1656. Polonis adferret, Lumbranus Radomo digreſſus Lublinum profectus eſt. Sed
21. *Sept.* qui reverſus mira de Polonorum inſolentia referebat. Eos quippe jactaſſe, „non prius ad tractatum ſe deſcenſu„ros, quam Carolus Guſtavus omnia „per Poloniam & Boruſſiam in eum „ſtatum, qui ante bellum fuerat, re„poſuerit, damni quoque reparatione „facta, eamque declarationem ante „ſuſceptos tractatus faciendam, quo „hi paucos intra dies abſolvi poſſint. „Tum ut Brandenburgicus ab eo tra„ctatu excludatur, qui cum velut cum „parte & æquali agere dedignentur. „Tum & ſequeſtres utique adhibere „volebant, quod exacerbatis valde „partibus, & indies magis ægreſcen„tibus facile contingere queat, ut pri„mo congreſſu colliſione orta nego„tium abrumpatur, nec citra illos „cautum ſibi eſſe conventa ſervatum „iri, ni ab iisdem evictio præſtetur. Spes tamen erat legato, ſe difficultates iſtas ope Reginæ ſuperaturum. De liberando Wittenbergio, aliisque Warſaviæ detentis Joannes Caſimirus, & ſenatores declaraverant, cupere ſe Regi gratificari, ni Nobilitati promiſiſſent, eos iſta inſcia dimiſſum haut iri. Idem monebat, Polonos vehementer exacerbatos ob everſas paſſim arces & quod Carolus Guſtavus juſſiſſe diceretur Warſaviæ palatia, & hortos regios deſtrui, urbemque direptam incendi, quod ne fieret modeſte diſſuadebat. Simul fatebatur, Polonos ingentibus promiſſis à Cæſare & Moſco oneratos, ne pacem cum Svecis amplecti velint, ac tanta iſtos affectuum violentia, ac vindictæ libidine agitari, ut etiam adverſus ſtatus ſui rationes ab illis ſeduci ſe patiantur, quam ut mitiget nulli operæ à ſe parci. Spem quoque Polonis eſſe Caroli Guſtavi arma mox per alios diſtrahenda, qui pluribus hoſtibus obrutus facile Polonia ac Boruſſia pellendus ſit, ad contumelioſas inde conditiones acceptandas adigendus. Regi contra etſi ſederet pacem decoris conditionibus haut repudiare, tamen quamdiu hoſti is faſtus perſtaret, idemque Cæſarem, Turcam, Moſcum, Belgas, Danum, Brandenburgicum in ipſum incitare haut omitteret, ratio & neceſſitas dictitabat, ut quantum poſſet contraniteretur literis, legationibus, fœderibus, in quibus tamen omnibus facultatem ſibi reſervare conſtituerat tractandi & concludendi cum Polonis, ſi occaſio detur, ac idoneæ conditiones offerantur. 1656.

§. 58. Nec eo ſecius Gallici legati utrinque ſuper pace movere ſatagebant, in quam uterque Regum procli- *Aliqua ſpes pacis affulget.*
vum ſe verbis teſtabatur. Sane Joannes Caſimirus Bromberga ad Avaugurium ſcribebat, æque ſe cupidum pacis ac 21. *Oct.*
Sveciæ Rex ſe ferat, nec ullam rationem repudiaturum in quietem reponendo ſuo regno. Viciſſim Carolus Guſtavus declarabat honeſtam pacem cordi ſibi eſſe, modo & fœderatorum ſuorum ratio habeatur. Mox cum Joannes Caſimirus Gedanum perve- 5. *Nov.*
niſſet, Avaugurius Regi ſignificabat, Polonos jam de ferocia quid remiſiſſe videri, ac in pactum ſuper taxandis & permutandis captivis conſenſiſſe. Rex eam rem cum Electore communicabat, ſciſcitatus, num velut ſocius belli inter primarias partes tractatibus intereſſe, an vero præliminaria inter ſe & Joannem Caſimirum abſolvi malit, commodis ipſius per ſe apud tractatus obſervandis. Reverſus tamen 6. *Dec.*
Gedano Avaugurius eam Polonorum declarationem afferebat, *ut Gallus cum Cæſare & Dano paci concilianda operentur, eamque ſervatum iri præſtent, ut Rex in anteceſſum declaret ſeſe omnia hoc bello adquiſita redditurum, aut ſi ea declaratio indecora videatur, Benedictum Oxenſtiernam mittat obtentu fidem VVarſavia datam implendi, qui ſecreto hos & alios articulos adornet, poſt triduum ſeu res compoſita ſit, ſeu minus dimittendus, ac fide ſua exſolvendus. Durantibus hiſce tractatibus neuter Regum cum Moſco tractet. Abſoluta conventio ab utroque Regum jurejurando confirmetur, à ſucceſſoribus repetendo. Si poſt pacem diſſidii quid oriatur, id non armis ſed opera ſequeſtrium componatur. Brandenburgicus non conjunctim cum Svecis, ſed ſeparato tractatu eodem tamen tempore tranſigat. Ut nulli rebelles aut perduelles paci includantur; ſed extra illam ſibi veniam quarant.* Concedebant tamen Poloni, ut declaratio ſuper reſtituendis hoc bello ablatis in anteceſſum à Rege verbis duntaxat, & ſecreto fieri poſſit. Pacta refere- 9. *Dec.*
bant Belgarum legati Hubertus & *Huybert.*
Isbrantius, qui itidem circa pacem *Isbrants.*
conciliandam ſatagebant, ferentes, ſi Boruſſia Regi decedere placeat, reli-

1656. reliquis componendis facile viam inveniendam. Qui tamen apud Polonos inſtiterant, ut & ipſi in anteceſſum declararent, ſe prætenſioni in Coronam Sveciæ & Livoniam renunciaturos, quo facilius Carolus Guſtavus ad declarationem de reſtituenda Boruſſia adduci queat. Sed Poloni utrumque abnuebant, ut tamen acrius inſiſterent Livoniæ, quam prætenſioni in Sveciam, quod Joanni Caſimiro nulla ſoboles foret. Ex iſtis Regi ſatis pellucebat animus Polonorum paci averſus. Nam & nonnulla horum talia erant, ut non niſi ad incitas redactis proponi poſſent, & cum Vilnenſi conventione Moſcis promiſiſſent; ſe hiſce inſciis cum Rege haut tractaturos, patebat Polonis propoſitum, vel Svecis vel Moſcis vel utrique illudere, Coronaque ſua paſſim velut venum expoſita plures Svecis hoſtes immittere. Placuit tamen Gallico Belgicisque legatis reſpondere, hanc rem prius ſibi utique cum ſociis Brandenburgico, Ragozio & Coſaccis communicandam, quo iſta tractatio haut abrumperetur, ſed probabili colore extraheretur, quoad appareret, num aliqua ſpes cum Moſco tranſigendi allubeſceret. Ut tamen à pace ſe non alienum, ſimul artium Polonicarum haut ignarum oſtenderet, per Benedictum Oxenſtiernam Avaugurio denunciabat, ſibi conſultum videri, ut Joannes Caſimirus, antequam prælium, quod imminere videatur, committatur, Plenipotentiarios ſuos, quorum opera inſtantibus pacis tractatibus uti velit, cum idoneis mandatis Gedani relinquat. Nam Polonis, quod confidat, in fugam conjectis longam deinceps moram fore, quoad iſta expediantur. Idque Avaugurius Lumbrano Gedanum ſtatim ſignificaret, ut id apud Joannem Caſimirum urgeat. Hoc ſi obtentum fuerit, ſuper loco & tempore congreſſus facile conventurum. Ac videri ſibi Gedanum inter & Hauptum commodum locum deligi poſſe. Ipſe autem Rex cum Avaugurio à Polonis propoſita ſermone quidem diſcutiebat, ut tamen, quæ mens ſibi ſuper iisdem ſederet, declarare differre, quoad cum Electore collocutus fuiſſet, qui cum tunc quam maxime circa ſummum Boruſſiæ imperium tranſigebat. Sed quia invitans in hoſtem eundi occaſio Electoris colloquium differri jubebat, in conſilium adhibebantur ejus- 1656.
dem legati Otto Suerinus & Fridericus Jena, qui ratificationem pactorum Labiavienſium attulerant. Ex horum ſententia placuit id præcipue urgere, ut Elector pariter cum Rege ad tractatus admitteretur. Regi autem cumprimis cordi erat, Cæſaris atque Dani officium declinare. Igitur cum 17. Dec.
jamjam ad exercitum abiturus eſſet per Benedictum Oxenſtiernam & Biærnclovium Avaugurio declarat. *Non videri ſibi conſultum adſumtis novis ſequeſtribus tempus extrahere, ſed ſatius videri opera legatorum Gallicorum & Belgicorum, qui præſentes ſint, uti promovendo partium congreſſui & abſolvendis præliminaribus, quæ certis capitibus definiri expediat. Ut quoque in admiſſionem Electoris Brandenburgici Rex ac Respublica Polonia conſentiat, qui cum conjunctim Rex vi ſuderis tractare teneatur. Ut poſt locum tempusque congreſſui Commiſſariorum definitum procuratoria utrinque inſpiciantur, num recte ſe habeant, & ſi mendoſi quid deprehendatur, id corrigatur, eaque ante congreſſum utrinque adprobentur. Et quidem ut tam Regis Joannis Caſimiri, quam Reipublica procuratoria exhibeantur, præſenti rerum faciei accommodata. Quia etiam Rex conjiciat, tractatus cum Ragozio & Coſaccis Zaporovianis jam abſolutos, diploma tuti itineris concedendum non ſolum pro certo homine, quem ipſe in Tranſſylvaniam miſſurus ſit, ſed & pro Ragozii & Coſaccorum Commiſſariis, quo tuto ad deſignandum tractatibus locum accedere queant. De cautione & aliis, quorum mentio à Polonis injecta ſit, ad primariam negotiationem rejiciendum. Addebat Rex, quia ſpes ſibi ſit hoſtem pellendi, ſi pugna copiam faciat, Joanni Caſimiro ante prælium ſuper capitibus propoſitis certam ſententiam concipiendam, ſibique per ſequeſtres ſignificandam, tum & Commiſſarios Gedani relinquendos, qui cum Svecicis ſuper loco tractatuum conveniant, ne per fugam Polonorum res in longum extrahatur.* Eo cum reſponſo Avaugurius Gedanum abiit. Aliquot poſt dies ad Regem Stibeloæ metantem acceſſit Lumbranus & Joannis Caſimiri ſecretarius Trebucius, quibus conſtitutum erat Reginæ Poloniæ obviam procedere, eamque Gedanum deducere. Ubi hanc è Joanne Caſimiro declarationem ſuper præliminari- 23. Dec.

18. Dec.

1656. moribus adferebat Lumbranus: Quanquam à Polonis valde dubitetur, num Brandenburgicus conjunctim cum Rege ad tractatus admitti queat; ſpem tamen eſſe, temperamentum aliquod heic admiſſum iri. Locum conventus à Polonis probari vicum Schraudam, pari fere intervallo inter Gedanum & Hauptum ſitum. Congreſſum protinus inſtituendum, ſed quem Joannes Caſimirus malit ſecreto & nullis adhibitis ſolennibus haberi, ut Commiſſariis haut opus ſit apices procuratorium & formulas excutere, ſed potius eſſe citra ambages ad rem ipſam accedere, & præcipuas controverſias excutere atque componere, quæ inde juſta forma adornari, ac ſolenni congreſſu ſubſcribi queant. Circa procuratorium Reipublicæ Gallus in propoſitione ſua omittebat, ſed poſt ſermone inſinuabat: Polonos haut inficias iviſſe, à Republica in ejusmodi caſibus Commiſſariis procuratoria dari. Sed quia tale procuratorium, quale deſideretur, in promtu jam non ſit, & ſenatores tam qui apud Regem in præſens Gedani hæreant, quam qui nuperis diebus exercitum ſecuti ſint, velut ordinarii Reſidentes apud Regem à Republica conſtituti, & autoritate præditi ſint ad pacem inter ipſum & Svecos promovendam, & illi qui cum exercitu abierunt, facultatem ſuam in Gedani remanentes contulerint, Joanni Caſimiro videri, ut protinus ad ſolum ipſius procuratorium tractatio ſuſcipiatur, ac certa conventio ſuper rebus controverſis ineatur, promiſſo addito, ſe propediem indictis in Polonia Comitiis curaturum, ut omnia, heic concludenda, à Republica probentur. Id abnuerant Poloni, ut procuratoria ante congreſſum examinarentur, cumprimis circa titulos, tum & ut ſua cum Svecicis permutentur, antequam omnia transacta ſint, ſed ut Sveci ſua apud Avauguri-um, Poloni ſua apud Lumbranum deponerent, ab utroque aſſervanda quamdiu congreſſus duret, quo feliciter abſoluto demum permutanda ſint, negotio irrito ſuum utrique parti reſtituendum. Quæ vetus cantilena erat, Lubecæ toties repetita. Circa ſalvum conductum pro Ragozii legatis ea Joannis Caſimiri mens fuerat, quia ſibi cum eo Principe nil hoſtile intercedeſſet, &, quod forte eidem propoſitum fuerit in arma erumpendi. Tuncarum

Schraudem.

interdicto jam mutatum ſit, ſpem eſſe. Svecos haut præfracte id negotium huc pertrahere velle, quod hoc caſu & Poloni anſam arrepturi ſint, ſuos amicos extra Poloniam & alios, quorum intereſt, ad hunc tractatum evocandi. 1656.

§. 59. Ea Polonorum declaratione percepta Rex adhibitis in conſilium præſentibus ſenatoribus quid hac rerum facie agendum deliberabat, ac præcipue; an ſolius Joannis Caſimiri procuratorio tractatus ſit ſuperſtruendus, & num tractatus ſuſcipiendus & concludendus ſit inſciis & inconſultis Ragozio & Coſaccis, nec expectatis eorundem Plenipotentiariis, quo & ipſi rebus ibi ſuis proſpicere queant? Ea in conſultatione id conſideratione dignum videbatur, quod Landſcoronius Strategus inferior, ac Nobiles toto cum exercitu Joanni Caſimiro offenſi diſceſſerant, uti rumor ferebat, ad Ragozium abituri, eique ſe juncturi. Quod uti tempus in apricum brevi prolaturum erat, ita Lumbranus & Trebuccus omnibus cum captivis fatebantur, inter Regem multosque ſenatores ac magnam Nobilitatis partem acrem diſcordiam gliſcere. Tum & Regi cum aliquot ſenatoribus decretum, ut pace facta Opalinii, Gruſinii & aliorum Nobilium bona, tum & Quartianorum, qui primi ad Svecos defecerant, bona publicarentur. Quod cum ad eos, in quos hæc faba cudebatur, emanarit, eos quoque in Joannem Caſimirum concitaſſe, ut hoc abdicato Regem eligere conſtituerint in partes Svecicas proclivem. Porro & illud animo obverſabatur, procuratorium Reipublicæ cum ſemper in ſimilibus tractatibus fuiſſe requiſitum, tum in præſens quam maxime videri neceſſarium, quod corpus Reipublicæ perpetuum ac ſtabile perſiſtat, Joannes Caſimirus autem non ſolum Nobilitati inviſus, ſed & variis morbis obnoxius ſit, eoque verendum, ne is fato fungatur, antequam Reipublicæ ratificatio obtenta ſit, vel ut Nobilitas inſtitius odium conventis reluctetur. Sed & paucos apud eundem ſenatores agere, nec inter Polonos moris eſſe, ut ſoli ſenatores procuratoria conficiant, ſed quæ nomine Reipublicæ edantur, à ſenatoribus & Ordinis equeſtris Mareſcallo in comitiis ſubſcribi. Circa ſalvum conductum pro Ragozio obtinendum, id conſiderandum

Regi à Polonis propoſita diſplicent.

24. Dec.

1656. videbatur, quod is ſtatim atque legati Svecici ad ipſum perveniſſent, exceperit, eſſe quidem ſibi cauſam, quare partes Svecicas amplectatur, ſed dubitare, num ſibi expediat huc deſcendere, quod recordetur parentem ſuum bello Germanico à Svecis deſtitutum ac dilatam à Rege miſſionem in aulam Turcicam in cauſa fuiſſe, ut ab hoc ſibi injunctum ſit, cum Cæſare pacem colere. Sed & Regem forte à pluribus extra Poloniam hoſtibus in anguſtias redactum ad pacem ſeparatam, ipſumque deſerendum compulſum iri. Circa quæ dubia cum legati regii Principi ſatisfecerint, fœdus Svecicum amplecti eum decreviſſe. Quanquam autem Regi nondum liquido conſtaret, num fœdus cum Ragozio abſolutum ſit, & ipſe jam in arma eruperit, idem tamen Cæſari de propoſito ſuo bellum in Polonos gerendi ſignificarat, & Joannes Caſimirus aliquot epiſtolas interceperat, idem argumentum continentes. Et Trebuccus faſſus erat, Joannem Caſimirum nuntios accepiſſe, Ragozium cum exercitu ad fines Poloniæ acceſſiſſe. Ex quibus omnibus apparebat, è re Caroli Guſtavi eſſe, firmo pede hoc in negotio procedere, nec tractatus cum Polonis præcipitare, qui & alias ſolido fundamento ſuperſtrui non poterant, ne Polonis occaſio daretur adverſis tuntiis Ragozii deſtinata turbandi, qui forte territus ſeparatim cum Polonis tranſacturus, ſeque cum ipſis adverſus Svecos junfturus ſit. Cujus amicitia eo magis Regi conſervanda erat, quod per iſtum præcipue & Coſaccos obtinendum videbatur, ut Poloni ad honeſtas & æquas pacis conditiones compellerentur, quarum ſervandarum ipſis deinceps quoque neceſſitas incumberet. Intellexerat quoque Rex è Trebucco, Turcarum Imperatorem in literis ad Regem Poloniæ ſcriptis Coſaccos *ſuos* appellare, ex quo vero ſimile videbatur, conjunctionem Ragozii & Coſaccorum conſcia Porta Ottomannica factam, qua ratione iſtos in poſterum tam à Polonis quam à Moſcis abalienatos Regi in futurum utiles eſſe poſſe. Unde Lumbrano à Rege reſponſum, ſe hoc negotium cum Electore expenſurum, &, quid utrique videatur, per legatos expoſiturum. Cæterum placebat Regi, ſecretum congreſſum cum Polonis habendum, epiſcandæ circa primarium negotium ipſorum ſententiæ. Et cum actiones bellicæ ipſum alio evocarent, Benedictum Oxenſtiernam & Matthiam Biærnclovium procuratorio inſtruebat, adornandis præliminaribus, ubi Poloni ſerio rem agant. Sed mox mutata belli facie de pace aliquandiu altum ſilentium fuit. 1656.

§. 60. Præter hanc operum conciliandæ pacis Polonicæ legati Gallici circa fœdus quoque in Cæſarem movebant, conſervandæ paci Weſtphalicæ, de quo Avaugurius apud Regem proponebat. Ei negotio diſcutiendo Rex deſignabat Ericum Oxenſtiernam, Scheringium Roſenhanium & Strenonem Bielkium, ut explorarent, quæ Regis Galliarum intentio ſit, & quousque eidem negotiis Germaniæ ſe ingerere placeat, tum quid emolumenti Regem inde ſit manſurum, & inprimis num ſubſidium pecuniarium ſit expectandum. Inter alia autem id declinare cupiebat Rex, ne Gallus hoc fœdere protectionem Romanos ritus profitentium in Polonia ſibi vindicaret, quibus jam ſatis Rex caverat, & quæ nunc mala tolerabant, non ob ſacra inferebantur, ſed quia exuta fide data rebellionem induerant. Id quoque cavere volebat Rex, ut ne, ſi bellum in Germania erumperet, Palatinus Elector, Wurtenbergicus, Badenſis, & alii Proteſtantes à libidine Gallorum dependerent. Colloquio habito Gallus proponebat, priſtini fœderis veſtigia eſſe ſequenda, idemque ad præſentia tempora accommodandum, Rege ſuo præſtituro ea omnia, quæ iſto fœdere continentur. Sveci ad id quoque pronos ſe oſtendebant, ac ut fundamentum fœderis collocetur in executione pacis Weſtphalicæ, qua utriusque Regni rationes in Germania contineantur, quam fulcire & tueri Rex junctis cum Gallia conſiliis cupiat. Interrogatus inde Gallus, quid præcipue querelarum adverſus Auſtriacos ipſe moveat, & quæ iis corrigendis remedia proponat, duo memorabat, quod Cæſar contra diſerta pacis verba, & ordinum cautionem quotannis auxilia Hiſpanis ſubmittat, & quod Electorum libertas violata ſit obtruſa Regis Romanorum electione. Ad

Cum Gallis ſuper fœdere agitatur.

17. *Jun.*

24. *Junii.*

hæc

1656. hæc Sveci ſibi quidem tam graves & manifeſtas de Cæſare querendi cauſas non ſuppetere: ferri tamen non poſſe, quod executio pacis tam multis partibus neglecta ſit, & præcipue quod Proteſtantibus in Sileſia tanta perſecutio incumbat. Utrinque etiam placebat Proteſtantium æque atque Catholicorum querelas amplecti. Gallus ultro declarabat, Regem ſuum non minus quam antea ad ſolvenda ſubſidia pronum eſſe, ac ut Oxenſtierna formulam fœderis concinnaret, poſtulabat. Quod cum hic recuſaret, res ad alium congreſſum dilata fuit. Cum inde Oxenſtierna de reliquis ſubſidiorum è priore fœdere ſolvendis moneret, quæ minimum, qua extra controverſiam ſint, ducenta uncialium millia impleant, Avaugurius uti aliquam ſummam deberi non inficiabatur, ita exilem illam eſſe, ſi præſertim detraharur, quod à Gallis Ragozio ſolutum ſit, vix ad triginta uncialium millia adſcendentem. Roſenhanium cum in Gallia legatus ageret ſæpius de eo monuiſſe, ſed minutius id viſum, quam ut memoratu dignum foret. Se quoque in Galliam eo nomine ſcripſiſſe, ſed nihil reſponſi accepiſſe, quod Rex ſuus apud alios ſuſpicionem declinare velit, quaſi ſoluta Svecis pecunia bellum in Polonos obliqua via foveat. Sed hoc bello compoſito Carolum Guſtavum longe majoribus ſummis è Gallia ſublevatum iri. Scilicet cupiebat Gallus iſtum Auſtriacis immittere, eoque bellum Polonicum quamprimum componi optabat, de quo etiam Canaſilius apud Reginam Poloniæ ſecreto negotiabatur. Alias Galliæ Rex Avaugurio ſcripſerat, ſi Cæſar Svecicas in Germania Provincias in-
„vadat, ſe aperte bellum iſti indi-
„cturum, pertractis ſimul in arma o-
„mnibus ſuis in Germania amicis ſo-
„ciisque, idque non ſolum, quod per
„pacem Weſtphalicam ad hoc tenea-
„tur, ſed & ut de ſingulari ſuo in ipſum
„affectu teſtetur. Mandaſſe quoque
La Haye. „Haijo legato ſuo apud Portam Ot-
„tomanicam, ut laboraret, ne quid
„ibi conſilii capiatur deſtinatis Caroli
„Guſtavi adverſum, ſed potius ut ea-
„dem per hanc quantum poteſt pro-
„moveantur. Denique officia ſua apud
„Moſcum interpoſiturum, ut ipſi cum
„Svecia conveniat, ac Ragozio ad
„perſiſtendum in amicitia Svecica cal-
„car additurum. Enimvero neque 1656.
calide admodum urgebant fœdus iſtud Galli, propiora auxilia adverſus Hiſpanos ex Anglia ſibi ſtructuri, & Rex ſatis perſpiciebat, non niſi jejunam pacem à Polonis obtineri poſſe, ni ad extremum usque horum pertinacia frangatur. Et quanquam à Cæſare nonnulla in Polonia & Sileſia patrata erant, animum parum amicum arguentia, Svecisque detrimento cedentia, diſſimulanda tamen iſta Rex ducebat, quoad adpareret, quomodo ſe res heic & alibi daturæ eſſent. Unde & adverſus Cæſarem preſſa offenſa amicum exprimebat vultum, & haut eo ſecius, ut amicitia Galliæ in promtu ſibi foret, ſtudebat. Eoque cum Claudius Tottius Comes in Galliam privatorum negotiorum cauſa profecturus eſſet, Rex cum apud iſtam aulam ſua commoda obſervare juſſit, nulla tamen legati dignatione circumpoſita. Inprimis ut teſtaretur, quantam fiduciam in ſingulari amicitia & conjunctione Regis Chriſtianiſſimi ipſe collocarit, non ſolum è fœderibus antea inter Sveciam & Galliam initis, ſed & iis ex officiis, quæ ipſi per legatos ſuos nuper impendere placuerit circa muniendam paci Polonicæ viam. Adverſus quæ Galliæ in ſe ſtudia Regem nihil eorum omiſſurum eſſe, quæ ad alendam inter ipſos amicitiam facere queant. Inde Gallo demonſtrare jubebatur, ſe ſemper in pacem proclivum fuiſſe tam ante bellum quam poſt id ſuſceptum, ſed Polonis iſtam nunquam cordi fuiſſe, qui abſurdis objectis obſtaculis tempus extractum iverint. Et quia bellum hoc non parum impedimenti adferat communibus Galliæ & Sveciæ rationibus, eo magis à ſe elaboratum, ut iſtud componatur, eamque ſententiam ſibi immotam perſiſtere. Ait quia Poloni adeo refractarios ſe oſtendant, dextre inſinuaret remedia, quæ requirantur ad hoc, ut Polonis æque & aliis hoſtibus, quibus ipſe impetitur, reſiſtatur. Inprimis reſiduam è priore fœdere pecuniam extundere conaretur, hac potiſſimum ratione uſus, quod cum hoſtes ſenſerint, quam valide duo hæc regna ſe mutuo ſublevare queant, ideo tanta mole ſibi ingruant, ne ipſe Galliæ uſui eſſe queat. Eoque propria commoda promoturum Gallum, ſi pecuniam nunc ipſi ſuppediter, 25. Nov.

1656. ut quamprimum hiſce ſe difficultatibus extricare queat. Sed circa fœdus ab Avaugurio propoſitum circumſpecte ageret, ne Auſtriacis anſa ſuſpicandi naſci queat, à ſe in ipſos hoſtile quid agitari. Et quia altius penetrare videantur, quæ Galli ſpectant, obtenderet, parum ſibi de Avaugurii propoſitione conſtare, quod eo tempore alibi negotiis bellicis diſtrictus fuerit. Nam cum primis declinabat Rex, ne cum Gallis ejusmodi vinculo conſtringeretur, ex quo in bellum cum Cæſare utique pertrahendus foret. Cæterum verbis quidem maxime à ſe fieri Carolum Guſtavum teſtabantur Galli, cujus ſpecimen

9. Maji. epiſtola è Mazarino ad ipſum ſcripta eſſe poteſt, qua inter alia memorave-

„rat, ſe non poſſe celare ipſum de duo-
„bus affectibus, qui Gallorum animos
„circa eundem agitent, uno admira-
„tionis ob edita inuſitatæ cujusdam
„fortitudinis documenta, altero me-
„tus, ob continua pericula, quibus
„indies caput ſuum objiciat. Equidem
„non ignotum ſibi, quanti præſentia
„Principis in exercitu valeat, qui ſub
„hujus oculis, & ad ejusdem exem-
„plum pugnat. Simul tamen in apri-
„co eſſe, fata totius alicujus regni,
„quandoque & plurium innecti vitæ
„bellicoſi & ſapientis Principis. Eo-
„que ſæpe contingere, ut ad iſthanc
„ſervandam omnia ſint periculo expo-
„nenda, quam ideo conveniat in tu-
„to collocari, & velut extra jactum
„violentorum caſuum. Nec benigna
„ſidera ideo ſalutari influxu deſtitui,
„quod paulo remotius poſita ſint.
„Cum igitur ex ipſius vita tot populo-
„rum ſalus pendeat, ſe non vereri di-
„cere, ni paulo curatius ſibi parcat, pro-
„digum eſſe boni, quod ad alios ma-
„gis, quam ipſum ſpectet. Imponeret igitur frænum cupidini gloriæ,
„qua ipſius animus agitetur, in gra-
„tiam ſuorum civium, in gratiam do-
„mus ſuæ regiæ, ac ſociorum, ac vi-
„ctoriam de ſe ipſo obtineret, majore
„citra dubium labore parandam, quam
„quæ ab hoſtibus reportatur, ſed &
„tanto majoris futuram pretii, utut
„minore ſtrepitu veniat. Quæ pecu-
„liari Regis ſui mandato à ſe ſcriban-
„tur.

Curlandus Regi ſuaſori tergiverſatur.

§. 61. Cum Jacobo Curlandiæ Duce jam antea agi cæptum fuerat, ut abdicata Polonia Sveciæ clientelari jure ſe ſubjiceret, ſimul prout pecuniæ erat aliqua argenti ſumma Regis neceſſitatibus ſubveniret, militique hoſpitia in ſua provincia concederet. Quibus ſuper rebus Benedictus Skyttius cum ipſo agebat. Enimvero Dux tergiverſari, multa queſtus, hac ſtatus ſui mutatione nil ſibi emolumenti oſtendi, ſed durioribus, quam antea, legibus ſe circumſcribi, vix umbram dignitatis deinceps retenturum. Tum medio ſtatui obnixe inhærere, aut qua ab eo diſcedendum ſit, intolerandas Sveciæ conditiones ſtipulatum ire, quas indulgere Gardius & Skyttius in mandatis haut habebant. Ac ſi periculum oſtendebatur, ipſi imminens ni Sveciæ protectionem occuparet, reponebat, modo à Svecis cautum ſibi ſit, cum Moſcis ac Polonis facile ſibi *April.* conventurum. Acrius tamen ipſi urgendo Gardius in Lithuaniam abiturus Mitaviam divertit, qui & connitente ſimul Skyttio torpentem quantumvis eo permovit, ut in vaſalli nexum, & auxilia Regi præſtanda conſentiret, nec præter ſubſcriptionem tractatui quid deeſſet. Enimvero quia tunc per totam Poloniam rebellio erumpebat, Lithuanis gemina parturientibus, ſimul à Moſco ablegatus aderat, atrocia minatus, ſi Dux ulla re Svecis gratificaretur, hic magnopere contendebat, ne ſubſcriptio exigatur, quoad Regis declaratio ſuper conventis allata foret, ne tam periculoſis temporibus inevitabili exitio à Moſcis involvatur. Iſtis ad Regem relatis teſtabatur hic de *Maji.* ſtudio ſuo in Ducem, & quod neutralitatem in unum annum haut ægre indulturus ſit ſolo duntaxat verbo citra ſcriptum, ea tamen lege, ut antequam iſta frueretur, clam ſuper nexu feudali concludat, qui & ſecretus habendus, nec ante finem belli effectum ſortiturus ſit, neutralitate de anno in annum proroganda, ſi bellum extrahatur. Tum ut Dux Regi annuam pecuniam in ſubſidium clam ſolvat, aut ſi id nolit, crediti nomine argentum præſtet, Piltenſi diſtrictu in hypothecæ vicem accepto. Aſt erumpente mox Lithuanorum rebellione eo confidentius Dux conventam ſubſcriptionem refugere jactans, cavendum ſibi eſſe, ne Lithuanicis motibus involvatur, neu provincia ſua, quæ valli inſtar Rigæ prætenditur, ab invaleſcentibus rebellibus devaſtetur, ſi regiam protectionem ſubierit. Unde cum nulla ratio eſſet

invi-

1656. invitum compellendi, res in integro relinquenda erat. Quin iſte per Moſci promiſſa ac minas ita immutatus erat, ut conventa agnoſcere amplius abnueret, non obſcure jaciens, ni ſuper medio ſtatu ſibi caveatur, facile ſe promoveri poſſe, ut in hoſtium partes tranſeat, non minus promte tunc quam Gedanenſes iſtam obtenturus. Et cum hinc Moſcus, inde Poloni urgerent, haut perſuadere ipſi poterat, à tenuibus ſe Svecorum copiis defendi poſſe in regione undique aperta. Nec minus Nobiles Curlandi contagio Polonicæ licentiæ à rebus Svecicis abhorrebant. Igitur Gardio viſum in præſens, ut neutrarum ſe partium ferret, Duci indulgere, ne vel ad deſperata ipſum conſilia compelleret multis promiſſis ab hoſte in nos invitatum, vel Moſcos ac Polonos in ipſius provinciam inermem ac patulam pertraheret. Id tamen Gardius demum obtinebat, ut quinquaginta uncialium millia Dux ipſi daret, quo nomine diſtrictum Piltenſem iſte Duci cedebat, reluendi jure tamen Regi reſervato. Et videbatur eam pecuniam prodigere voluiſſe Dux, ut hoc modo eam regionem tam à Lithuanorum quam Moſcorum invaſione in tuto collocaret, ſimul Svecis occaſionem adimeret Curlandiæ tranſitus frequentandi, cujus ambitu iſte diſtrictus continetur. Addiderat Dux, ſi Regi placeat, pace hiſce in oris facta partem virium ad novas in America terras ſubigendas convertere, ſe decuplo plus redituum ipſi procuraturum, quam hoc bello quæſiturum ſe ſperet.

Idem multa ſuſpecte agit.

§. 62. In deterius tamen cunctibus Svecorum rebus haut pauca à Duce patrabantur, quæ animi ſenſa ſatis proderent. Quid rerum in Polonia Rex ageret, ab iſto exſculpi nihil poterat, utut omnium probe gnaro. Nec parum idem contulerat, ut Czar Livoniam invaderet, cui Smolenſcium usque literas obviam miſerat indicantes: ſi jam ipſi placeat fines ſuos dilatare, egregiam eſſe occaſionem, Livonia milite nudata, & regio exercitu longe abſente. Durante quoque Rigæ obſidio, ne minimum quidem obſeſſis ſignificatum, quod his uſui eſſe poſſet, cum id ab ipſo facile ac ſecreto fieri poſſet. Poſt ſolutum Rigæ obſidium, fractamque Moſci ferociam, quo Regis gratiæ iterum adreperet, idem ſequeſtrem ſe pacis Regem inter & Czarem ferebat, mandata ſibi à Czare miſſa aſſeverans ſuper pace cum Svecis tractandi, cujus obtinendæ magna ſibi ſpes ſit. Id quod Rex gratum ſibi verbis teſtabatur, velle tamen, ne quid à Duce moveatur, quoad intellectum ſit, quid reſponſi à Czare Brandenburgicus legatus ſit relaturus, ac num ſerio is pacis cupidine tangatur, pollicitus futuris tractatibus rationem ipſius habitum iri. Simul Gardius jubebatur eo nomine frequentia literarum commercia exercere, num iſtius opera forte uſui eſſe queat. Porro quanquam Rex pactis noviſſimis cum Brandenburgico convenerat, ut quod juris regno Poloniæ in Curlandiam fuerit, in Sveciam transferretur, ſalvo Ducis ſtatu: hic tamen Gardio innuebat, ſe deſiderio tangi, ſummum neminique obnoxium imperium in ditionem ſuam obtinendi, differens, utile Sveciæ eſſe, ſi ipſe Poloniæ Sveciæque regno medius interjectus agat, ac Polonis hoc modo non parum roboris deceſſurum. Qua ſuper re Rex Gardio injungebat, Duci ſpem facere, conditionem ipſius meliorem deinceps redditum iri, quam hactenus ſub Polonia fuerit, inprimis ſi utilem operam navarit controverſiis inter ipſum & Czarem componendis, ac ſi in partes Svecicas tranſire velit, ad bellum in Polonos perſequendum, ſumma quoque pecuniæ ſuppeditata. Eo in negotio ita procederet Gardius, ut primo de affectu Regis in Ducem, ejusque familiam ample teſtaretur, quibus ſi titillari hunc animadvertat, ac viciſſim de ſtudio ſuo declaret, ulterius expromeret: *Regem facile permoveri poſſe ad ſtatum ipſius in melius extollendum, as jam animo agitaſſe Duci ſupremum in provinciam ordinemque ſuos imperium conferre, ita ut hi circa juſtitiæ adminiſtrationem & ſimilia à nemine alio dependeant, ita tamen, ut ipſe ejusque deſcendentes maſculi ſint maneantque Regno Svecia feudi vinculo innexi, quotannis certa recognitione perſoluta. Tum ut Ordines ac ſubditi in præſens, & circa imperantium mutationem in eventum extincta familiæ Ducalis juſjurandum Regi regnoque Svecia præſtent, velut tunc in ejus provincia imperium ſucceſſure. Viciſſim tamen à Duce fidelem operam eſſe navandam paci cum Moſco conciliandæ, ſimul legatos quamprimum adre-*

1656. 24. Nov.

1656. *gem mittendos, qui ſuper eo negotio tranſigant.* Enimvero iſta Duci parum arridebant, qui unire commoda ſua captabat, nulla Regis habita ratione, ac velut ingens beneficium imputabat, per rumores à ſe ſparſos Moſcum territum Riga diſceſſiſſe. Tum ſub id tempus convocatis ordinibus ſuis decreverat de militibus ad defenſionem provinciæ conſcribendis ad quatuordecim millia, quibus qui præficiebantur tribuni favore Polonorum penitus imbuti erant. Et quanquam inter iſta de ſincero ſuo in Sveciam affectu teſtaretur, ac immotum ſe medio ſtatui inſiſtere, tamen ipſa affectus jactantia ſuſpecta habebatur, præſertim cum conſtaret, Curlandos Nobiles Svecis infeſtiſſimos eſſe, qui & non obſcure fremebant, veterem à ſe Regem deſtitui non poſſe. Ac ſane periculoſum erat Sveciæ rebus, tantis copiis ſuccingi Principem magnanimum, prudentem, laboris patientem, pecunia paratuque bellico inſtructum, quo Lithuanis junctо ingens eo latere moles ſurrectura erat. Ut igitur penitius deſtinata Ducis exploraret Gardius, Paulum Helmes Mitaviam miſit, qui nomine Regis omnem operam apud futuros tractatus offerebat promovendis Ducis deſideriis. Quæ à Duce multo cum verborum honore acceptabantur. Cæterum circa ſupremum in ditionem ſuam imperium multos annos animo agitata ſe nunc fere ſeponere, quod ea res tantis difficultatibus involuta ſit in regione undique patente. De pace cum Moſco operam ſe navaturum, ſed Moſcis ſuper ejus deſiderio jactantibus parum fidei adhibendum, velut qui per hoc Polonos ſtimulent ad firmanda Vilnæ concluſa, ſimul omnem apparatum bellicum ad Dunam adhuc aſſervent ingenti penu in limite ſtructo, quos & Poloni per Goſievium magnopere ad bellum in Svecos continuandum ſtimulent. Alias adparebat, Ducem nondum certo conſilio capto futuros bellorum eventus ſpeculari.

Dec.

Ragozius de ſtudio in Regem teſtatur.

17. *Jan. Sebeſſi. Jacobfalvi.*

§. 63. Majore ſtudio in partes Regis ferebatur Georgius Ragozius Tranſſylvaniæ Princeps, qui & ultro amiciam ſuam offerebat, miſſo Franciſco Sebeſſio & Nicolao Jacobfalvio, gratulationem ac vota expromturis, ac de ſincero Principis affectu confirmaturis. Qui & coram inſpicere juſſi erant præſentem Poloniæ atque Boruſſiæ 1656. ſtatum, & quo Regis deſtinata ſpectent. Peculiariter autem Jacobfalvius exquirebat, quibus rebus Princeps grati quid officii Regi præſtare poſſit. Simul exponebat, *adfuiſſe nuper à Joanne Caſimiro legatum, qui Ragozii filio præſtantiſſimum Poloniæ Palatinatum obtulerit, depoſcentem viciſſim auxilium adverſus Regem Svecia, & ut militem in Provincia Principis conſcribere liceat, tum ut Princeps bellantibus ſequeſtrem ſe interponat. De prioribus ipſum negaſſe, de interpoſitione annuiſſe, modo id volente Carolo Guſtavo fiat. Jam igitur quærere, num opera iſta grata Regi ſit futura? qui modus adhibendus? qua leges ferenda? Nam principem nullo modo auctoritati & voluntati Regis præjudicaturum. Tum ut ſibi velut amico futura Regis deſtinata communicentur, ac num quid fœderis Regi cum Moſco intercedat, cujus gliſcens nimium potentia Principi haut tolerabilis videatur.* Suadebat quoque, ut Rex ad Portam legatum mittat antevertendis inimicorum ibi conatibus, & ne Principi impedimentum adferatur, ſi quid forte in auxilium Regis ſuſcipere velit, ſicuti Chriſtina regnante factum, ubi quod Torſtenſonius eo mittere omiſiſſet, Principis patrem acerrimis mandatis à Svecica conjunctione fuiſſe revocatum. Denique explorabat, ſi Ragozius à Cæſare invadatur, quid auxilii à Rege ipſi ſit expectandum, ac num Regi quid tentare in animo ſit adverſus ſacrorum Evangelicorum perſecutores Auſtriacos. Reſponſum ad iſta, quæ ex re videbantur. Circa pacem cum Polonis monitum, eam hiſce haut cordi eſſe, ac eosdem nil niſi ludibria miſcere, ac ſatius eſſe circa parta tuenda operam ponere. Iſti tamen legati in reditu ab hoſtibus intercepti fuere. Unde Ragozio reſponſum alia via fuit transmiſſum. Paulo poſt & Gothardus Wellingius à Tranſſylvania rediit, qui de affectu Principis in Regem multis confirmarat, nec obſcure ipſum inclinare ad arma Poloniæ inferenda, ac ut in prædæ partem veniat.

Regis ad Ragozium miſſio.

§. 64. Inde Polonorum rebellione erumpente, ac rebus Svecicis in deterius euntibus, neceſſarium viſum aliunde evocato auxilio illas fulciri. Eoque regi placuit Wellingium denuo in Tranſſylvaniam adjuncto Cæleſtino Stern-

1656. Sternbachio ire ad fœdus cum Ragozio concludendum. His injunctum de affectu Regis in ipsum confirmare, & quam gratum fuerit ab ipso missos viros prudentes, qui de studio suo testari possint, si adhuc vivant. Illos quippe cum citius dimitti non possent, nec occasio Regi foret plura cum iisdem colloquendi, dum Thorunio Jaroslaviam tendunt, à Polonis fuisse interceptos. Cum autem fundamenta amicitiæ jam mutuis affectus testationibus jacta sint, penitiora animi sensa securius pandere inciperent. Et quia Rex antea laxioribus verbis testatus sit, se Principi, si qua re possit gratificaturum, nunc ipsi offerre partes reliquas Poloniæ, jure supremi & independentis Imperii, aut alio nexu possidendas, si Regi hoc bello arma sociare velit. Ubi pronum sè his præbeat, calcar adderent: Dubitantem rationibus confirmarent è status Europæi habitu, & communi bono petitis, tum sacra puriora propagari, honorem Principis glisscere, familiæ ipsius opes stabiliri. Aurem præbenti offerrent Comitatum Zepusiensem feudi jure à regno Sveciæ recognoscendum & è Palatinatu Russiæ districtum Halicien-sem & Leopolensem supremi Imperii jure, è quo tamen Rex tractum Premislien-sem & Sanocensem, Satrapiam Belzensem & terram Chelmensem sibi recipiebat. Addi posse partes Podoliæ vicinas. Ostenderent inde, à Mosco haut facile periculum fore, etsi constet à malevolis isti occini, Svecorum arma mox eidem incubitura, ni matute posito cum Polonis bello in istos vertat. Vicinorum quoque interesse, ut Cosaccorum status conservetur. Objicienti, fœdus cum Christina initum per omnia haut fuisse servatum, quod Transylvanis movere moris est, responderent, in causa fuisse bellum Danicum improviso incidens, quo tamen mature confecto Svecos in Austriam penetrasse, quorum favori Hungari proficua sibi cum Cæsare pacta debeant. Scopum armorum designarent Regem Joannem Casimirum, & qui huic se bello immiscean-t, tum ut res Protestantium junctis viribus defendantur. In Polonia tamen sacra manerent libera. Græci ritus servarentur, ut tamen Protestantibus præcipue faveretur. Fœdus ad finem belli duraret, in quo uterque prout ratio exegerit, rem gereret. Princeps statim partes sibi assignatas occuparet, quas sub quocunque velit titulo possidere queat, etsi Rex judicet, optime quadrare titulum Magni Ducis Haliciæ. Si conjunctio armorum fiat, directionem fore penes Regem, cui & aliquot equitum millia in Hungaria conducere liceat. Filio Principis promitterent aliquot præfecturas in Polonia & Jano Keminio supremo exercitus Duci Samborien-sem præfecturam in districtu Premislien-si, & annuam pensionem quinquies mille uncialium è salinis Cracovien-sibus, simul privilegium, ut quotannis trecenta dolia vini Hungarici à vectigalibus immunia in Poloniam importare liceret. Isti legati, antequam profecti forent, Ragozius Wirtzio Cracoviam scripserat, se præsenti rerum facie & armis in vicinia grassantibus quiescere non posse, non obscure significato desiderio Regias partes amplectendi. Tanto magis Rex legatos suos iter properare jubebat, venerunt mox à Ragozio literæ ad Regem quibus significabat: Polonos sibi amplissima quæque obtulisse, sed hactenus iis neglectis in amicitia Regis immotum perstitisse. Unde Rex iter jam ingressis legatis injungebat, ne tractatum cum Ragozio concluderent, quoad nova mandata acceperint. Nam intellexerat Rex, à Ragozio Poloniæ Coronam affectari, id quod Rex non aversabatur, dummodo sua & Brandenburgici commoda salva forent. Ea de re si Ragozius injiciat, defectum mandati excusarent, & rem à se rejicerent. Sed mox cum majoribus difficultatibus res Svecicæ implicarentur, Mosco in bellum erumpente, Rex plura liberalius offerebat, ut tamen sibi reservaret Cujaviam, quantum ejus Brandenburgico cessum non fuerat, simul Borussiam, Pomerelliam, Podlachiam, Samogitiam, Curlandiam, & salis fodinas Cracovienses. Radzivilio præter veteres ditiones destinabatur Palatinatus Novogrodensis supremi Imperii jure tenendus, quo jure etiam Cosacci totam Ucrainam retinerent. Consentiebat etiam Rex, ut Ragozius statim urbe Cracovien-si potiretur, cujus obtinendæ miro desiderio istum flagrare audiebat. Cæterum antea quidem amicitiam Ragozii aluerat Rex, ut Cæsari scrupulum injiceret, & Polonos ad pacem

Sternbach 8. Maji.

Kemini Janos.

1. Jul.

2. Augst.

1656.

1656. sem compelleret. Sed poſt cum Joannes Caſimirus obſtirmato animo, ac repudiata pace omnia Martis aleæ exponeret, ſimul quid in Dania, Belgio apud Czarem & Cæſarem agitaretur, audiret, poſt maturam deliberationem Ragozium utique bello Polonico implicare inſtituit. Præſertim poſtquam hic & propriis & Mediaſcii conſiliarii ſui literis amicitiam ſuam ambitioſe ipſi venditaret. Et quia Poloni Ragozio ſpem ſuæ Coronæ facerent, Rex legatis ſuis imperabat, Ragozio demonſtrarent, quam parum fidei hiſce pollicitationibus ipſi adhibendum, & quantopere Cæſar iis deſtinatis ſe oppoſiturus ſit. Aſt longe certiorem ipſi viam ad eam Coronam patere, armis ſecum conjunctis. Se quippe omni vi connixurum, ut ipſe, ſalvo tractatu cum Brandenburgico & Coſaccis Poloniæ Rex creetur.

Mediaſci.

Super fœdere cum Ragozio negotiatio.

§. 65. Cæterum legatos Svecicos in Tranſylvaniam tendentes Hazfeldius, in honorem diplomatis regii, iter per Sileſiam nulla moleſtia illata pergere patiebatur, addito tubicine, & manipulo equitum, qui per militis Cæſarei hoſpitia deducerent, Wratislaviæ tamen Sternbachius aliquot per dies ſiſtebatur, utut jam Cæſareo inſuper diplomate munitus. Sed mox iterum dimiſſus cum comitante collega in fines Moraviæ Szellinum perveniſſet, à Comite Illieshaſio detentus eſt, obtentu ſumto, quod interdictum ſibi ſit nemini trans limites iter concedere, citra peculiare juſſum Cæſaris. Sed re Viennam delata Cæſar per literas indignationem ſuam in facinus privato auſu ſuſceptum teſtabatur. Ita iſti dimiſſi itinere continuato Claudiopolim pervenerunt, ubique per Ragozii ditionem honorifice excepti & deducti. Ad propoſitionem ab ipſis factam Ragozius reſpondebat, quia nemo conſiliariorum nunc præſto ſit præter Cancellarium Micoshium Romanis ritibus addictum, & ipſe negotium cum Miniſtris non ſuſpectis expendere conſtituerit, ſcriptam propoſitionem legati offerrent. id quod ab hiſce factum. Poſt triduum evocatis ad ſe legatis oſtendebat: *Antequam cum Miniſtris ſuis conſultet neceſſarium viſum prius ex ipſis intelligere, quanam illa partes Polonia ſint à Rege ſibi tradenda ſi cum ipſo arma junxerit?* Legati initio eas exprimere tergiverſabantur, antequam Princeps ſuper armorum conjunctione declaraſſet. Contra hic demonſtrare, quam ſincero animo ſemper in Regem fuerit, quem continuo literarum commercio & detectis variis in ipſum machinationibus, repudiatisque Polonorum oblatis re ipſa teſtatus ſit, verbaque ſua cordi ſemper conſpiraſſe, ut meritæ apud ſe nihil diffidentiæ ſit oſtendendum. Ita legati late commoda exponebant, quæ ipſi ex ea ſocietate proventura ſint: de quibus ille per legatos pluribus ſe cum iſtis acturum demonſtrabat. Addebat de conſtanti ſuo in Regem affectu, & quomodo ab Auſtriacis ad arma in ipſum arripienda inſtigatus ſit. Simul monebat, ut Rex tractatus cum Coſaccis perficiat, quibuscum ipſe ſuper arctiore fœdere agiter, tum hoc fœdus Portæ Ottomannicæ proponat, ubi jam ipſe viam futuræ legationi Svecicæ præparaverit. Cæterum animadvertebatur, his potiſſimum ſcrupulis Principem urgeri, quod non ſatis rationum perſpiceret, quibus arma in Polonos arripienda judicio DEI (ea verba erant) adprobare poſſit. At num Regi ſat virium foret ad reſiſtendum, ſi pariter à Moſcis, Tartaris, Coſaccis, ipſisque Auſtriacis impetatur. Simul legatis literas à Palatino Hungariæ ſcriptas oſtendebat, quibus narrabatur, Archiducem Leopoldum Wilhelmum cum quindecim militum millibus Boruſſiam à Brandenburgico vindicaturum, velut vetus patrimonium Ordinis Equitum Teutonicorum, cujus ipſe Magiſter ſit, ac Cæſarem Polonis auxilia ſubmiſſurum. Præterea ne ſi Regis arma alibi divertantur, aut occaſio eidem cum Polonis tranſigendi præbeatur, ſibi ſoli deinceps belli onus incumbat, cujus rei documentum tempore Chriſtinæ ſuus parens ſenſerit. Denique ne ſi aliquot Poloniæ provincias ſuæ ditionis fecerit, protinus à Turcis juxta & Auſtriacis invadatur, velut prægravi ipſis potentia, quo nomine jam apud Portam Miniſtri Cæſarei ipſum detulerint. Eos ſcrupulos quantum poterant eidem legati eximere nitebantur, ut ſpes eſſet negotium ex voto ſucceſſurum. Sed

Breslau.

Illieshaſi.

7. Auguſt.

8. Auguſt.

11. Aug.

maxima

1656. maxima difficultas oritura videbatur circa partes Poloniæ cedendas, eminente iſtorum hominum cupiditate, ob quam etiam ſuper tractu Belzenſi, quem Rex ſibi excipere voluerat, contendere incipiebant. Cumque iidem negarent, ſuper conjunctione armorum à Principe quid ſtatuendum, in partes Poloniæ ipſi cedendæ exprimerentur, defugere legati non amplius poterant, quin quæ in mandatis habebant, exponerent. Ad quæ aliquot poſt dies Keminius id reſponſi retulit: ni ſuper pluribus partibus cedendis in mandatis habeant, ſe de conjunctione deſperare, utut jam Palatinatum Belzenſem cum diſtrictu Sanocenſi & Premislienſi conceſſiſſent. Legati igitur animadverſa Principis aviditate, & quod id ageret, ut à Polonis ultro Protector adiciſceretur, demum ipſi per Keminium obtulere, excepta pro Coſaccis Ucraina, latus Auſtrale & Orientale Viſtulæ à diſtrictu Sanocenſi usque ad Bugum & Podlachiam, ea finium latitudine & cum titulo, prout deinceps peculiari tractatu conveniendum ſit, modo princeps ſtatim arma cum Rege conjungat. Ad quæ
24. Aug. Keminius id reſponſi referebat: *Principem utique ad conjunctionem armorum acceſſurum, prius tamen noſſe ipſum oportere, num Carolus Guſtavus deinceps dignitatem regiam in Polonia uſurpaturus ipſe, an eandem in alium translaturus ſit? Nam utroque caſu ob aliquot particulas nolle cum bello ſe immiſcere, & quietum ſuum ſtatum turbido permutare.* Cum legati reponerent: ſi Princeps eam dignitatem affectet, Regem ipſi haut adverſaturum, iſte excipiebat: Principem deſignatis partibus dignitatem regiam tueri non poſſe, eaque Regem ad plura cedenda deſcenſurum: Reſpondebant legati: Regem jam ejusmodi provincias conceſſiſſe, quæ tuendo regio ſplendori ſufficiant: ac ſi ſerio rem armis geſſerit Princeps, circa plura gratificanda haut difficilem fore. Scrupulum tamen adhuc movebat Ragozius circa terminos Podlachiæ & Bugi, cujus citeriorem ripam ſibi depoſcebat, tum ut partes cedendæ ſtatim traderentur, proventusque ſalinarum utique ſibi relinquerentur. Eo fidentius autem talia poſtulabat Ragozius, quod Poloni ſemel atque iterum Coronam ipſi ſuam obtuliſſent, & qui paulo ante Svecicorum adventum digreſſus erat, 1656.
Polonicus legatus, ac Lubomirſcius per literas eum deterruiſſent, ne Svecico ſe fœdere innecteret, quod brevi alia legatio è Polonia adfutura ſit amplioribus cum mandatis, cujus rei cauſa plerique Senatores Sambori *Sambor.* congregati ſint. Cum igitur eam Polonorum in ſe inclinationem ſentiret, ſe præcipuum judicabat inſtrumentum fore, per quod Rex ſcopo ſuo potiri poſſit, præſertim cum non ſolum propriis viribus negotio ingens momentum addere poſſet, ſed & Coſacci ad ipſius nutum protinus in partes deſcenſuri eſſent. Addebat, ſe quoque in gratiam Regis ita animos Turcarum diſpoſuiſſe, ut eidem inde nihil adverſi ſit metuendum. Ac præter hæc omnia paratum ſe Regi adverſus Cæſarem & Moſcos adſiſtere. Nolle tamen tractatus in futurum prominentes, & à ratificatione pendentes, ſed in præſens negotium plane abſolvere conſtituiſſe, ob incertas rerum futurarum viciſſitudines, ne idem forte ſibi, quod parenti ſuo quondam contingat, cui exercitus integrum per annum magnis ſumtibus alendus fuerit, poſtquam Sveci arma in Danos averterant. Igitur ſecuritatis ſuæ cauſa ſibi protinus Cracoviam cum ſubjecto Palatinatu aliasque partes, quas ad finem usque belli Rex ſibi reſervare voluerat, tradi cupere, inprimis quod iſta urbe ad convocandos Poloniæ Ordines, penumque ex Hungaria & Transſylvania ſtruendum opus ſit. Cæterum agnoſcebat Princeps periculum in mora eſſe, quod nulla ſibi via in Poloniam pateat, niſi per montes Maramoruſios, hiberno tempore invios, & ubi ſi præſentiat hoſtis, tranſitus per duo hominum millia intercludi poſſit. Nam tranſitum per Hungariam pactis cum Cæſare vetitum, & per Moldaviam longo nimis circuitu Poloniam peti. Addebat quoque ſe ferre non poſſe, ut Radzivilius, quæ extra Palatinatum Novogrodenſem in futuro ſuo territorio loca poſſidet ſummi Imperii jure deinceps obtineat, quod iſta exemtio intolerando ſibi præjudicio futura ſit, ſuper quibus declarationem Regis expetebat. Inter quæ Ragozii cum Coſaccis tractatus abſolvebatur, quorum legati re bene confecta diſcedentes aſſeverabant, ſe poſt quatuordecim

1656. cim dies, quam significatum sibi sit, toto cum exercitu Zaporoviano iter ingressuros, nisi à Tartaris aut Moscis
6. Sept. impediantur. Sed cum Svecicis legatis Ragozii postulata nimia viderentur, moderatiorem declarationem urgebant propter anni tempus in hyemem præceps & belli rationem. Alias sibi ad regem abeundum, tra-
9. Sept. ctatibus pro desperatis habitis. Unde Ragozius evocatis ad se legatis prolixe exponebat, quam sincero affectu in Regem feratur, quem & sanguine suo testaturus sit. Sed ne videatur modum postulatis suis excessisse, velut cui Polonia antehac non satis nota fuerit, ea se remissurum, per quæ ipsi judicent Regi nimium præjudicari. Remanebat tamen difficultas circa Bugum, Podlachiam, Cracoviam & reditus salinarum, circa quæ spes sit Regem sibi velut constanti amico non adversaturum. Alias Regis declaratione allata, & tractatu concluso protinus se conjunctionem armorum effectui daturum, quæ quo loco fieri debeat à Rege nosse cupere. Porro uti ipse quidem Ragozius in id bellum magna cupiditate rapiebatur, ita contra omnes proceres tam Catholici quam Protestantes, ac præcipue Principis uxor, mater ac socrus ab eodem vehementer abhorrebant, utque eo superfederet sollicite rogabant. Sed apud ipsum prævalebat, cupido Impe-
2. Aug. rium proferendi, & cum Rex literis Radomo scriptis prius oblata augeret, demum irruptionem in Poloniam & fœdus decernebat, statim in arma iturus, si Rex cum exercitu in vicinia fuisset. Sed postquam Regi in Borussiam digresso diu nihil literarum de ipsius & exercitus statu allatum foret, simul rumores spargerentur de adventu classis Belgicæ, de obsidio Rigæ, irruptione Danorum in Sveciam, Leopoldi Wilhelmi in Poloniam expeditione, ac ipsum Regem in Livoniam abiisse, Princeps quidem destinata ideo haut immutavit, movere tamen se, & iter ingredi distulit, quoad ampliores armorum paratus feciisset, ut majore pondere negotium aggredi posset. Et jam legatos ad Cosaccos miserat, qui jusjurandum super concluso fœdere acceptarent, simul indicarent, ut iter Leopolim versus ingrederentur. Quanquam autem nuper à Tartaris oblatum fœdus rejeciisset, mox tamen legatos ad Chamum mittit isti concludendo, & ut vagi adhuc per Poloniam Tartari revocarentur. Quod obtentum iri eo facilius credebatur, quod Tartari non minus, quam Cosacci gravem offentiam in Moscos concepissent, eoque Chamus Polonis denunciarat, si cum Mosco tractatus suscipiant, se statim ab ipsorum amicitia discessurum. 1656

Rex Ragozii desideriis annuit.

§. 66. Rex percepto Ragozii in bellum Polonicum cupidine, & qui scrupuli ipsum adhuc urgerent, quo eundem sibi utique adjungeret, liberaliter velut de alieno annuere constituit. Ac de Cracovia & salinis tradendis Rex ea conditione consentiebat, ut initio Legati eo nomine Principem poscerent millionem uncialium, à qua summa gradatim remissio fieret ad quingenta aut quadringenta millia, certo tempore Stetini, Lipsiæ aut Hamburgi solvenda, utque præsidium Svecicum tamdiu in urbe maneat, quoad pecunia in loco tertio apud Magistratum sit deposita, isque eam præsto esse, & solutioni paratam significarit, ac tunc demum uno eodemque die pecunia ad regium mandatarium & Cracovia in manus Ragozii tradatur. Tum ut hic militem præsidiarium Svecicum, machinas, paratum bellicum & quascunque istius res in locum tutum deduci curet. Quod si miles iste non possit tuto ad Regem pervenire, tantisper in urbe maneat, quo temporis spatio Rex pecuniam non poscet, sed eam tamdiu in loco depositi adservari patietur. Interim Principi receptus ad eam urbem patebit, forumque præbebitur. Quod si Princeps judicet, præsidium tuto per Silesiam posse deduci, à Cæsare diploma salvi itineris procurabit. Salis quod jam effossum est, Regis emolumento cedet. Bugus ut terminus esset Rex concedebat, sed quia iste sinuato alveo labitur, magnam non Podlachiæ solum, sed & Masoviæ partem complexus, iniri posse conventionem de linea per Podlachiam ducenda, ut tamen castrum Novodvvorum cum altera Bugi ripa & fluvio Nareva, ejusque in Bugum & hujus in Vistulam confluentibus sub ditione Regis maneat. Penes Radzivilium Ducatus Slucensis & Palatinatus Novogrodiensis supremi Imperii jure maneret, reliqua bona eodem jure haberentur, quo à majoribus ejus possessa fuerunt. 14. Nov.

1656. runt. Titulum regium ultro Ragozio offerebat Rex, quod tamen provinciis, ſibi aut aliis, reſervatis fraudi non ſit. Unde quia major Polonia partim Brandenburgico conceſſa, partim Regi reſervata ſit, ejus titulum ab ipſo geri non poſſe. Nec minus par eſſe, ut is abſtineat titulo earum provinciarum, quæ extra limites ipſi concedendos ſitæ ſunt. De cætero per Regem integrum ipſi fore pro lubitu adſumere titulum Minoris, Citerioris aut Orientalis Poloniæ, Ducis Lithuaniæ & Palatinatuum intra limites ipſius contentorum. Quod autem tractatus valorem à ratificatione penderet nollet Ragozius, id Regi à communi more abhorrere videbatur. Confirmarent tamen legati Principi, utique rata & grata fore, quæ ab ipſis acta ſint, nec diu abfuturam ratificationem, ſi hiſce conditionibus cum ipſo tranſigi queat, & is ſtatim ſe movere incipiat, ad ſimiles quoque conatus adductis Coſaccis, Tartarisque, ſi poſſit, Moſco immiſſis. Quod ſi Princeps Podlachiam & Maſoviam totum prætendat, non multum refragaturus erat Rex, dummodo linea ipſius è Cujavia reſpondeat Narevæ fluvio, quem integrum cum oſtio in Bugum & Novodvvoro caſtro Rex ſibi vindicabat. Cæterum tractatum maturarent, modo ne quid concluderent, quod ſibi aut Brandenburgico aut futuræ cum Coſaccis conventioni præjudicet. Cum his quippe tractandi facultatem Rex diſerte ſibi reſervabat, ut ſi forte in transverſum abiret Ragozius, per hos deſtinata ſua obtinere poſſet.

Tractatus cum Ragozio abſolvitur.

§. 67. Interea legati magno ſtudio nitebantur ſuperare difficultates, quæ ipſorum negotiationi ſeſe objiciebant. Et Polonorum quidem illecebras per Lubomirſcium Coronam ſuam ipſi offerentium facile ſuſpectas reddebat ſplendida legatio ſub idem tempus Viennam miſſa, quæ Cæſari eandem venditabat. Unde Ragozius à Lubo-
20. Sept. mirſcio ablegatum re infecta, etſi multo cum verborum honore dimittebat, ac iſto ludibrio irritatus eo acrius ad fœdus perficiendum ferebatur, modo circa limites, & Cracoviam Rex annueret. Quin confirmabat, ſi vel maxime Auſtriaci apud Portam deſtinata ſua ſufflaminare laborent, ſe tamen amputata omni mora expeditionem in Poloniam ſuſceptarum, quamprimum pacta à Coſaccis jurejurando firmata 1656.
intellexerit, id quod paucos intra dies futurum ſit. Nec audiebatur Cæſareus internuntius, qui minabundus jactabat Cæſarem & Turcam talia conantem non laturos, ac ſi ipſe Polonico bello ſe immiſceat, aliis itidem, queis Polonicæ Coronæ ſpes facta eſt, neceſſitatem allatum iri in arma erumpendi. Sed nec audebatur uxor, mater & ſocrus nocte dieque precibus eum fatigantes, ut expeditione illa ſupersedeat. Id quod & ſacerdotes faciebant publicis concionibus & petito privatim alloquio. Non parum tamen diſtrahebant ipſius animum adverſarum è Polonia rerum nuntii, Svecicos & Brandenburgicos è Lithuanis pulſos, pleraque Majoris Poloniæ loca amiſſa, Koenigsmarckium captum. Scribebant quoque Conſtantinopoli Gallicus atque Anglicus legati, à Cæſareis magno ſtudio Turcam in ipſum incitari, ac jam Tartaris à Porta injunctum, ut Polonos adverſus Svecos adſiſtant. Et res legatos movebat, ut circa poſtulata Ragozii non amplius cauponandum ſibi ducerent, præſertim cum is ſubinde altius penetrantia jaceret, alias ſibi cogitationes ſuper ſtatus ſui conſervatione ſuſciplendas, ac ſi ad abrumpendos tractatus anſa ſibi præbeatur, ſe toti orbi, ipſique Regi excuſatum eſſe velle. Et quæ Principi concedebantur talia erant, ut à Svecis teneri non poſſent. Ita ergo multas poſt diſceptationes tractatus iſte abſolutus fuit. Pleraque circa fœdus hoc negotiatio ab ipſo Principe aut eodem præſente facta eſt, qui & non expectata Regis ratihabitione, (quæ ſcripta quidem ſed nunquam exhibita fuit) ad conventa exſequenda ſe accinxit. In concipienda fœderis formula legati malebant laxioribus verbis inhærere, aut ad preſſiora compulſi idoneis cautelis iſta temperabant. Enimvero quo magis Ragozium verbis ſtringere conabantur, eo plus diffidentiæ ipſi ſubortum, ac idem multas ex adverſum clauſulas infarctum ivit, diſerte teſtatus, cum ipſe in præſens quieto ſtatu gaudeat, ac ſibi filioque à Polonis corona oblata ſit, ex amore tamen in Regem tanto ſe bello immergat, vitio ſibi dari non poſſe, ſi prævia tam laxa conventione ſua omnia periculo exponere nolit. Ac id cumprimis ſibi cavendum, ne ubi in bellum deſcenſum ſit, cum Rege ex occaſione ejuſmodi

1656. reſervatorum tractatuum diffidio implicetur. Ut Rex Cracoviam & fructus ſalinarum ad finem usque belli retineret, Ragozius conſentire nullo modo volebat, qui & aliquam prætenſionem in partes Brandenburgico & Radzivilio aſſignatas in caſum mortis reſervare ſibi cupiebat, id quoque contendens, ut loco teſtimonii pactis inſereretur, ſe deinceps cum utroque ea ſuper re acturum, id quod tamen legati eluſerunt. Poſtulabat etiam Ragozius, ut cum iis, qui neutrarum in hoc bello eſſent partium, in ſui præjudicium nihil concludatur, ſine dubio Curlandiæ Ducem & Gedanenſes innuens, quibuscum ſecrete literarum commercia alebat. Nec minus addi volebat, ut ſi occaſione hujus belli ditione ſua exuatur, de ſuſtentatione Principe digna ſibi proſpiciatur, id quod patri ipſius belli Germanici tempore promiſſum erat. Quin & pactis inſerere volebat, ut quæ patri ſuo ex iſto fœdere reliqua fuerant, ſibi exigere liceret. Ea poſtulata cum aſpernarentur Legati, eo moroſius ſalinas ſibi Princeps depoſcebat, ſubinde ingeminans: *retineatis totum, & nos manebimus ſecuri in noſtro regno, ac potuiſſemus habere totum regnum.* Contra oſtendebant legati, quam difficile ipſi futurum fuerat ad Poloniæ regnum adſpirare, Carolo Guſtavo repugnante. Demum cum jam legati in omnia conſenſiſſent, ultimo loco tituli regii prætenſione eos fatigabat, in quem ad extremum conſenſere, utut jam rupturam tractatuum & diſceſſum ſimularent, ac id negotium ad congreſſum cum Rege rejicere cuperent. Ita ad votum Ragozii tractatus iſte concluſus fuit, ratificatione Regi reſervata.

Ragozius expeditioni accingitur.

§. 68. His peractis Ragozius protinus ſeſe expeditioni accinxit, in quam viginti millia ſuorum militum educebat, quibus quindecim Coſaccorum, ſex Walachorum & Moldavorum millia jungenda erant. Cum Tartaris quoque tractatus ſuſcipere inſtituit, qui denuo legatos ad ipſum miſerant. Qui & ipſi jactabant, optatiſſimum ſibi fore, ſi cum Rege Sveciæ arctam contrahere amicitiam detur adverſus Moſcos velut capitales ſibi hoſtes. Nec propoſito dimovebatur per ablegatum Polonicum Stanislaſium, à Lubomirſcio cum literis advenientem, qui prius oblata repetebat, legationem à Polonis Viennam miſſam excuſans, ſimul Svecicas vires elevans, velut quibus ſupra quinque militum millia non ſupereſſent. Qui & ſpargebat Regem Sveciæ cum Joanne Caſimiro ſuper pace inenda magno ſtudio ſatagere. Quem tamen legati Svecici vanitatis facile arguebant. Veniebat paulo poſt à Coſaccis legatus, ut, quia iſti de tam feſtina Principis expeditione perſuadere ſibi haut poterant, cominus rem inſpiceret ac provideret, ne Ragozius prius fines Poloniæ ingrediatur, quam Coſaccis quoque ſpatium accedendi foret, æmulatione inter ipſos, uter prius Poloniam invaderet. Legatus iſte Coſaccicus Sternbachio multis teſtabatur de ingenti ſuæ gentis deſiderio arctiore ſeſe amicitia cum Rege innectendi. Publicabantur inde literæ à Ragozio ad omnes regni Poloniæ incolas hoc ſenſu: Quia perſpiciat Regem & rempublicam Poloniæ ad interitum vergere, ac in præſens omni auxilio deſtitutam agere, quæ & nuper per legatos certus ſibi conditiones obtulerit, ipſe vero ingenti erga eam nationem affectu & Chriſtiana charitate, ſimul commiſeratione confuſarum eo regno rerum tactus ſit: ideo favente Numinis auxilio decreviſſe, mala iſti incumbentia, ſuo exercitu ſedare, eoque viſum omnes & ſingulos monere, quibus ſua ſalus, uxoresque & liberi cordi ſint, ut ipſi ſeſe aggregent, pollicitus ſe quotquot protectionem ipſius amplexi fuerint, in gratiam & tutelam ſuam recepturum, ſimul operam daturum, ut pax ocyus iterum floreat, ac omnes diſperſi cives ad nobile iſthoc regnum redeant. Eo in ſcripto Polonis diſplicebat, quod *libertatis* reſtitutionem promitteret, *quantum liceret*, & *libertatem conſcientiarum* non religionem. Item quod ab *Ordinibus Poloniæ* vocatum ſe diceret, cum non niſi autore Rege ac quibusdam ſenatoribus cum ipſo actum foret. qui ſub irruptionem Svecorum Pros- *Pro-*
novium miſerant auxilium ipſius im- *novii,*
ploratum, ac ut in Ragozii filium jus Civitatis Polonicæ conferret. Sed & Sternbachius monebat, laxum id nimis videri, ac in præjudicium Regis tendens. Sed Ragozius teſtabatur, idem Regi fraudi non fore, & latius patentia poſt peculiaribus reſtringenda. Et jam Wirtzium Cracoviæ monitum, ut ne iſta verborum latitate moveatur.

1. Dec. Stanislaſki.

1656. tur. 'Aſt Rex legatos ſuos Ragozio confirmare jubebat, ſtatim atque is junctus ſibi fuerit, ſe conventa rite executurum. Et cum eum jam expeditioni accinctum audiret, Wirtzio mandabat, ut omnia parata haberet ad Cracoviam Ragozio tradendam. Simul Tottio in Galliam ſcribebat, quoniam ea Ragozii expeditio Catholicis cumprimis & Cæſareis non parum ſcrupuli injectura erat, apud Mazarinum & præcipuos miniſtros demonſtraret, hoc fœdus commune utriusque regni bonum reſpicere, eoque Galliæ ſuſpectum haut eſſe debere, quo ipſi tot ingruentibus ſimul hoſtibus opus fuerit, præſertim cum Poloni à pace abhorreant. Nec dum memoria excidiſſe, quam fructuoſa quondam cauſæ communi fuerit conjunctio cum Ragozio, quam nunc non minus utilitatis allaturam ſpes ſit, ubi prius rite ſtabilita fuerit. Tum operam daret, ut miniſtro Gallico in aula Turcica injungatur, ut noſtri aut Tranſſylvanici legati negotiationem promoveat. Turcisque ſiniſtras ſuſpiciones adimat, ab inimicis Sveciæ ac cumprimis Cæſareis excitatas. Quod negotium Cromvellus quoque per miniſtros ſuos in aula Gallica commendabat. Cæterum poſt cognitum eſt, fervente quam maxime cum legatis Svecicis negotiatione à Ragozio le-

28. *Nov.* gatum ad Joannem Caſimirum miſſum, qui Gedani apud ipſum propoſuerat, ut Princeps in Poloniæ Regem deſignaretur, oblata ſimul opera ſua circa conciliandam cum Svecis pacem.

Cum Coſaccis acta

§. 69. Nec minor Regi cura erat Coſaccorum amicitiam & auxilia ſibi adjungere, in quam Chmielinſcius ſæpius miſſis literis, & Abbate Daniele

25. *Sept.* pronum ſe declaraverat, quam itidem Rex literis ac internuntiis alebat. Poſt eidem arctius adſtringendæ cum Abbate Daniele in Ucrainam mittitur

Terneſchild. Jacobus Tœrneſchildius, quo & Gothardus Wellingius negotio in Tranſſylvania confecto accedere juſſus erat. Illis injunctum excuſare moras tardius venientis legationis, ac de fiducia teſtari, quam Rex in Chmielinſcio & Zaporoviano exercitu collocarit. Tum ut laudibus ferrent immota Coſaccorum in res Svecicas ſtudia, memorato Regi non poſtremam fuiſſe cauſam belli in Polonos moti, quæ Chmielinſcius per Abbatem Danielem monuerit ſuper Polonorum in Sveciam machinationibus. Unde & Regem toto hoc bello nil ſuſcipere voluiſſe adverſus Coſaccorum commoda, utut Poloni variis modis ipſum in eos concitare conati ſint. Adderent, Regem monente Chmielinſcio amicitiam Moſci omni ſtudio conſervare laboraſſe, ſed hunc malevolorum perſuaſionibus inductum nulla idonea cauſa importuniſſimo Sveciæ tempore in arma erupiſſe. Cum igitur Rex ſemper deſiderarit eosdem amicos & hoſtes cum Coſaccis habere, jam legatos miſiſſe, qui duraturum cum ipſis fœdus concluderent. Ea propoſitione dextre expiſcari conarentur, quæ Chmielinſcii mens circa res Poloniæ & Moſcoviæ ſit, ut ad hanc negotiatio attemperari queat. Ubi pronum Regi animum Chmielinſcii deprehendant legati, permovere ipſum ſtuderent ad promittenda auxilia adverſus quoscunque hoſtes. Quo fine Coſaccis perſuaderent, ut liber velint eſſe populus, nullius imperio obnoxius, protectorio hoc fœdere cum Rege ſuffulti. Ejus fœderis haſce leges ferrent legati, ut Coſacci jam ſtatim Regi ad triginta militum millia mitterent, quibus ipſe pro lubitu uti queat: ac ut Chmielinſcius univerſis cum copiis inſtante hyeme aut vere in Polonos aut Moſcos rem gerat. Ut tamen, qui auxilio ſubmittendus ſit miles, Regem ſtipendia ne poſcat, ſed præda ſe alat, imperio tamen bellico pro re nata obnoxius. Ne Coſacci nunc & deinceps bellum aliquod ſuſcipiant, ad quod Regis auxilia implorent abſque hujus præſcitu atque conſenſu, tum nec pacem aut inducias cum hoſtibus niſi hoc conſentiente ineant. Id prudentiæ legatorum committebatur, num ſuper aliqua recognitione cum ipſis agendum foret, ne forte offenſæ anſa illis præbeatur. Viciſſim promittebat Rex, ſe iſtos pro virili defenſurum, nec cum hoſtibus, adverſus quos iidem auxilia laturi ſint, ipſis inſciis pacem initurum, ſimul commoda eorum omni ſtudio promoturum, præcipue futuro cum Polonis tractatu. Regem quoque tractatibus cum nationibus Sveciæ & Ucrainæ interpoſitis ſibi reſervaturum liberam cum iſtis communicationem. In ea tamen negotiatione fundamenti loco ſubſter-

1656. nendum esse, quem sibi respectum ad Polonos & Moscos Cosacci esse velint. Nam si liberam rempublicam in Ucraina constituere placeat, adjunctis tribus Palatinatibus Kiovienſi Czernicovienſi & Braslavienſi nullo à Polonia vinculo dictas fœderis leges locum habituras, quas & Rex pure ipsis promittat, quatenus Poloniæ interest, siquidem ipse Poloniam subegerit Cosaccis aliquod operæ pretium eo fine facientibus. Sed si ea destinata successus destituerit, haut secius Regem tractatu cum Polonis eo incubiturum, ut liber ipsis status adquiratur, & cum eorundem consensu concludatur lautissimis, quantum fieri potest, conditionibus. Ast si Cosacci à corpore Poloniæ separari nolint, desideria ipsorum prius cognoscenda esse, ac laborandum, ut quicquid detur commodorum in eorundem gratiam paciſci liceat. Eam quæstionem fore difficillimam, num è tribus illis Palatinatibus Nobiles sint exterminandi, quam legati declinare studeant, nec tamen, si Cosacci insistant, prolixis disceptationibus negotium morentur, sed demum id postulatum annuant, siquidem Rex Polonia potiatur. Sed si ad tractatus res deducatur, utrisq; securitatem præstare idoneos, & Rex satisfactionis loco tractum Mari Baltico adsitum nanciscatur Regem Cosaccorum desideria omni studio promoturum, modo & ipsi tota vi constanter eidem adsistant ad Polonos in Ordinem redigendos, nec cum his pacem aut inducias ineant citra Regis consensum. Commendarent insuper Cosaccis eos Nobiles, qui hoc bello constanter Svecicas partes secuti erant, inprimis Bogislaum Radzivilium & Niemericium, ut prædia sua saltem hereditaria in Cosaccorum terris sua retineant, cum pauci sint, & ipsorum rationibus facile se attemperaturi: aut ut alio loco iisdem satisfiat. Si Chmielinscius contendat Regi utique Coronam Polonicam capessendam, legati difficultatem rei ostenderent, contra Poloniam, si ad conditionem jam dictam redigatur, facile à Rege & Cosaccis ex utroque latere incumbentibus in officio contineri posse, conservata utrinque communicationis facultate. Sed si ea ratione nihil proficiatur, ostenderent, Regem haut plane ab ista Corona acceptanda abhorrere, sed tunc conditiones proponerent Cosaccis quam maxime oneri cedentes, ut ubi istæ ab hisce præstari nequeant, Rex quoque obligatione liberetur. Inprimis conniterentur legati, ut Cosaccos in Moscos incitent, demonstrato, quam futili prætexto isti bellum Regi fecerint, ac quanto Cosaccis præjudicio sit, quod Czar novo suo titulo Voliniam, Podoliam, Russiamque Albam inseruerit, nonnullarum insuper ditionum versus Orientem, Occidentem & Septentrionem se successorem jactans. Quo ipso actionem quæri in omnes terras, quæ ullo tempore ad septem Moscoviæ Magnos Principatus spectarint, puta Wladomirienſem, Tvverenſem, Novogradenſem, Plescovienſem, Smolenſcienſem, Kiovienſem, & Halicienſem. Unde facile judicari possit, quid Cosaccis immineat, ni vasta Mosci destinata sistantur, qui jam ipsorum regionem titulo ostendet. Nec minus Chmielinscio insinuent, quid Moscus tractatu cum Polonis machinetur, & quare Poloni istius potius, quam Svecorum amicitiam affectent. Scilicet quia Moscus, qui totam Poloniam & Lithuaniam spe jam devoraverat, hac excussus id saltem transactione cum Polonis quærat, ut Cosaccos libertate spoliatos opprimat, quos præstantissimis suis provinciis vicinos ægris oculis adspiciat. Nec minus Polonos id agere, ut amotis Moscis spatium accipiant Svecos expellendi, & Cosaccos pro libidine insultandi, quo obtento tempus facile facultatem suppeditaturum Mosco ulciscendo. Reperterent quoque eum in finem promissa per Abbatem Danielem facta de amiliis contra Moscum, qua ratione & Cosacci divite bello potiantur, & Chmielinscius occasionem nanciscatur ditiones suas dilatandi, & Kioviam, ac reliqua sua oppida à præsidiis Moscicis liberandi. Formandæ communicationis lineæ Smolenscium ostentaretur, qua urbe cum vicino tractu subacta facile fuerit cum Svecis commercia exercere. Sed si proprias ob rationes Chmielinscius in Moscum incitare nequeat, id agerent legati, ut hic insignem Cosaccorum manum Regi subsidio mittat, aut ad extremum omni auxilio Moscis ferendo abstineat, ac de cætero vires Polonorum distrahat Regi levando. Quod si forte Chmielinscius operam suam offerat componendo

1656.

1656. nendo inter Regem & Moſcos bello, demonſtrarent quidem enormem Moſci injuſtitiam, ac ſpem Regi eſſe mala illata ipſi remetiendi, quod ſi tamen idonea ſatisfactione potiri queat, nullo ſequeſtre quam Chmielinſcio uti malle. Etſi revera ea pax optime armis extundatur, per quæ fracto faſtu ac viribus ad æquas leges admittendas Moſcus compelli queat. Porro teſtarentur legati, gratum Regi eſſe, quod Coſaccis bene cum Ragozio conveniat, qui cum & ipſe ſuper fœdere tractet. Walachorum & Moldavorum amicitiam conſervare Regi curæ eſſe, quibus & perſuadere conetur, ut quantum poſſint Tartarorum irruptiones per ſuas terras in Poloniam prohibeant, quo fine & Chmielinſcium, ut operam navet, rogarent. Denique cum Chmielinſcio conſultarent, qua ratione Tartari permoveri queant ad arma in Polonos & Moſcos aut hos ſaltem ſumenda. Quibus demonſtrandum ſit, Regem Tartarici legati pollicitatione Holmiæ facta confiſum, qua amicos ſe amicorum, & hoſtes hoſtium Regis profeſſi fuerant, qui tamen nupero ad Warſaviam prælio arma contra tulerint, hoſtilibus qua poterant expromtis. Tum quanto præjudicio Tartaris ſit Polonorum & Moſcorum conjunctio, inprimis ſi potentia Moſci gliſcat, capitalis ipſorum hoſtis, & qui tot provincias ipſis eripuerit, quas nunc recuperandi facultas ſit, dum ille bello Polonico & Svecico diſtinetur. Et conſentiebat Rex, ut centena uncialium millia Tartaris promitterentur illis in Moſcum incitandis, pro qua ſumma Chmielinſcius fide juberet, ſale apud Cracoviam in ſolutum recepto. Enimvero diu differebatur iſtud iter, quod Tœrneſchildius, qui per Tycozinum in Ucrainam tendebat, ob intuta itinerum progredi ibi non poſſet, cui & in Sileſia inſidiæ ſtruebantur. Igitur Wellingio injunctum,
15. Nov. ut è Tranſſylvania in Ucrainam proficiſceretur, præter jam dicta mandata exploraturus, num Coſacci ſub Ragozii imperio vivere velint, an vero liberum plane ſtatum præoptent? Et ſi Polonia laceranda ſit, an ipſis volentibus hoc fiat: aut ſi ejusmodi diviſio haut arrideat, ſub quo Rege potiſſimum vivere placeat? Et quia Poloni vehementer nitebantur, ut amicitiam inter Ragozium & Coſaccos convellerent, hiſce demonſtraret, 1656.
quam infeſto in eorundem ſtatim animo Poloni ſint, ſimul cæptam cum Ragozio amicitiam confirmaret, tam ab hoc, quam Rege ampliſſime ipſis ſatisfactum iri pollicitus.

Cum Tartaris acta.

§. 70. Tartaros Crimenſes contra ut nocere deſinerent, Rex permovere conabatur ſcriptis poſt Warſavienſe prælium ad Chanum literis, quibus mirari ſe ferebat, ipſius populares eo prælio arma adverſus ſe tuliſſe, cum tamen ejusdem legati alia omnia Holmiæ polliciti ſint. Inde non ſolum per Chmielinſcium cum ipſis agebat, ſed & Coricium tribunum legatum in Crimæam mittebat, ut Tartaros in Moſcum incitaret, juſſum differere: Sve- *Corizki.* 3. *Oct.*
„ciam longo abhinc tempore amici-
„tiam cum ea gente coluiſſe, cujus le-
„gati ante biennium Holmiæ amice ſint
„excepti, Regem quoque ad amicitiam
„deinceps cum ipſis colendam procli-
„vem eſſe, ſi pari officio ſibi reſponde-
„tur. Sed & eundem tam æquo eſſe
„animo, ut credat, Tartaricas turmas
„hoc anno Polonis ſubſidio veniſſe,
„falſa relatione Caſimirianæ factionis
„deceptas, quas ſpes ſit à Chamo co-
„gnita Regis intentione domum revo-
„candas, actibus hoſtilibus deinceps
„omiſſis. Sane Joannem Caſimirum
„Tartarorum auxilio fretum, & Mo-
„ſcorum armis Svecicas vires diſtinen-
„tibus bellum protrahere nulla pacis
„cura, quod Moſco valde opportunum
„accidat. Nam dum Sveci ac Poloni ar-
„mis colliduntur, iſtum occaſionem ar-
„ripere novas utrinque provincias ad-
„quirendi, quibus potentior factus
„Tartaros velut hæreditarios ſuos ho-
„ſtes aggreſſurus ſit, ſecurus blanditia-
„rum, quibus nunc ipſos demulcet, ne
„progreſſibus ejusdem ſeſe objiciant.
„Ab iſto teneri duo Tartarorum regna *Aſtracan. Caſan.*
„Aſtracanum & Caſanenſe, malo titu-
„lo parta, quæ nunc recuperare in
„proclivi ſit, dum Czar Svecico bello
„diſtinetur. Denique ſi Tartari armis
„impugnare Svecos pergant, nil qui-
„dem nocituros Sveciæ transmarinæ,
„ſed dum Joanni Caſimiro militant, pro-
„futuros Moſco, qui aliquando ipſis ma-
„gnum malum daturus ſit. Verum ſe-
cuta rerum converſione iſta opera inanis fuit.

Legatio in Turciam. 16. *Jan.*

§. 71. Legato Turcico, quem ſuperiore anno à Rege auditum memoravimus, diſceſſuro literæ ad Imperatorem Turcarum dabantur exponentes, quibus

1656. quibus injuriis Joannes Caſimirus ipſum laceſſierit, ut demum in arma ſibi erumpendum foret, uti is Tartaros in ſe incitarit, ut Poloni contra fidem datam à ſe defecerint, tum ſe propediem ablegatum ad Portam miſſurum. Addebatur excuſatio quod legatus tamdiu detentus fuerit ob continuas actiones bellicas, ſimul petebatur, ut Tartaris hoſtilia in Svecos expromere interdicatur. Eadem res quoque Turcarum Pontifici, ac principi purpuratorum per literas commendabatur. Abeunti adjunctus eſt *Gamoiski.* Zacharias Gamoiſcius turmæ præfectus, qui eum in Tranſſylvaniam deduceret. Aſt is cum comitibus in Hungaria Cæſareæ ditionis à Polonis interceptus, Loboulam abductus eſt, literis apud eum repertis ad Lubomirſcium transmiſſis. Legatus iſte, cum poſt Poloni diſcedendi facultatem offerrent, non alia conditione eadem uti voluit, quam ut adjuncti à Svecis comites ſimul relaxarentur. Cæterum inſtiterat jam dudum Ragozius, ut à Rege legatus ad Portam mitteretur, unde demum ei legationi obeundæ Claudius Kalambius deſtinatus eſt. *23. Sept. Kalamb.* Huic injunctum iter per Tranſſylvaniam capere, ut de ſtatu aulæ Turcicæ edoceretur. *Circa titulos obſervaret modum ab aliis Principum Chriſtianorum legatis ibi uſurpatum. Initio negotiationis Aulam iſtam informaret de cauſis belli Polonici, & uti Quartiani, omnes Majoris & Minoris Poloniæ, Ruſſiæque Palatinatus, Braslavienſi excepto, Regi Carolo Guſtavo ſe dediderint, ſed paulo poſt exuta jurisjurandi fide rebellionem inducerint. Regem porro ſemper fuiſſe pacis cupidum, ſed apud Polonos conſilia pacis fuiſſe diſturbata per Moſcum ac Pontificem Romanorum eique addictos, qui & cum Rege Perſarum conſilia miſceant, Coſaccosque in obſequio Poloniæ detineant, ne in liberum populum evaleſcere poſſint. Deinde oſtenderet, amicitiam Svecia cum Porta inſervire ad Moſcos in officio continendos, & Pontificiorum deſtinata turbanda ac ad temperandam Moſcoviam, Poloniam & Cæſareas provincias Turcia ac Svecia interjectas, quibuscum utrique imperio controverſiæ ſoleant intercedere. Ita utilem invicem operam navari poſſe, diſtractis communibus hoſtibus. Talia benevolentia captanda jactaret, quo animos ad præcipuum negotium ſibi datum præpararet, ut Turcam prohibeat ad vetandum Tartaris, ne hoſtilia in Svecos exerceant, ſed potius arma in Moſcum vertant, qua ſuper re jam Rex cum Chano agere caperit. Tum ut Turca Coſaccis faveat, quo libertatem tueri queunt, deinceps neque Polonis neque Moſcis obnoxii. Simul ut Ragozio permittat cum Svecis amicitiam colere, ac pro re nata fœdus jungere tuendæ rei Evangelicæ, quam ſubvertere ſemper Pontificii machinentur. Denique ſuſpectum Turcis redderet, velut in fraudem ipſorum tendens, ſi Moſci & Poloni auxilio Tartarorum & Coſaccorum, uti queant ad plures provincias adquirendas, prout & ſuperioribus temporibus Poloni per Coſaccos ingentia damna Turcis intulerint. Caveret tamen, ne ſcriptam cum Turca conventionem iniret de auxilio invicem ferendo, ſed ſatis haberet ſuſpicionem illis adimere, à malevolis è bello Polonico excitatam, oſtenſo contra, quam utilis Svecorum amicitia ipſi eſſe queat ad deſtrahendam nimium gliſcentem Poloniæ & Moſcoviæ potentiam. Quod ſi Turca revera operam utilem Regi circa iſta navare velit, ac viciſſim cautionem ſcriptam expetat, excuſaret, ſe ſuper hac in mandatis nihil habere, nec tamen Regem ab eadem alienum, ac juberet, ut ipſe Turca conditiones concipiat, ſuper quibus caveri ſibi velit, easque Regi transmittat, tunc Regem quam res exigat declarationem expromturum. Denique ſi Turca pro more munera ipſum poſcant, cauſaretur, ſe iſta commode adportare non potuiſſe ob itinera hoſtibus infeſta. Si tamen Rex ipſos pronos repererit amicitiæ ſecum colendæ, ſolennem legationem cum muneribus brevi ſecuturam.* Quid ab iſto peractum ſit, ſequens annus docebit. Contra nec Poloni omittebant apud eam aulam inſiſtere, ut Tartaris, ſimul Tranſſylvano & Moldavo injungat auxilia ſibi ferre. Qui & nullo pudore jactabant, inexplebilem illam Gothorum aviditatem finibus Poloniæ haut contentam fore, ſed dominandi libidinem ad Turcarum quoque imperium prolaturam, id quod iſti ſcriptis quoque publicatis non diſſimulabant. Nec mendacio parcebatur internuntium Turcarum in Poloniam miſſum contra fas gentium à Sveco captivum detineri.

§. 72. Major adhuc Regi cura erat, ne Cæſar bello ſe Polonico ingereret, ſumtis armis aut ſuſcepto ſequeſtris officio *Cæſaris legatus re infecta diſcedit.*

officio, quem ſibi valde iniquum non immerito judicabat. Eoque parum gratus erat à Cæſare miſſus legatus Pættingius Comes operam conciliandæ paci oblaturus, quem tamdiu à Rege non auditum Cæſar in contemtum ſui trahebat. Quas moras tamen Rex ipſius legati culpa accidiſſe arguebat. Eum quippe menſe Decembri ſuperioris anni Thorunium veniſſe, cum Rex Fridlandiæ in Boruſſia metaretur, & cum ſtatim ducentorum equitum præſidium offerretur, quo tutus ad Regem accedere poſſet, maluiſſe Thorunii ſubſiſtere, quoad Nobilis & tubicen, quem ad exercitum miſerat, diploma tuti itineris à Rege adportaſſet, quo inſtructus non exercitum ſed Elbingam petiturus erat. Regem de diplomate facile annuiſſe, ſed quia tunc nuntio de Quartianorum defectione allato, hic ad eum tumultum opprimendum cum parte copiarum propere per Maſoviam Lovvicium tendebat, in itinere alicubi legatum auditurus, iſti Nobili ſignificaſſe, ut aliquantiſper expectaret, quoad legato audiendo certus dies condici poſſet. Nam haut expedire videbatur iſtum propius accedere, tractatibus cum Brandenburgico nondum concluſis, aut de itinere Regis liquido indicare viro in hoſtium partes prono. Sed cum Nobilis ille diploma accelerari inſtaret, factum eſſe, quod petierit. Paucos poſt dies Regem iter in Poloniam ingreſſum ex itinere Thorunium miſiſſe ad legatum Soldaviam deducendum, ut ibi ab ipſo audiretur. Sed illum jam Elbingam abiiſſe, ut ibi Regem expectaret. Ubi per Oxenſtiernam Cancellarium ei ſignificatum, ſi mature iter ingrediatur, Regi Lovvicii aut Warſaviæ occurrere poſſe. Sed iſtum non prius Warſaviam veniſſe, quam cum Rex pulſis ad Golumbium Polonis Jaroslaviam tenderet. Inde Regem voluiſſe iſtum Sendomiriam ad ſe adduci, ubi facilis in Auſtriam regreſſus patebat. Sed eundem Warſaviæ maluiſſe hærere, quo occaſio foret Polonorum animos à Svecis abſtrahendi.

1656. 1. April. Ita demum iſte Rege Jaroslavia reverſo Pragæ, oppidulo Warſaviæ oppoſito, auditus eſt. Literæ, quas à Cæſare attulerat, Regi plus juſto imperioſæ videbantur, velut quibus iſte aliquid poteſtatis in reliquos Reges Chriſtianos ſibi arrogaret, dum pro munere *ſibi divinitus commiſſo ad bellum* id componendum deſcendere ſe profitetur. Unde & Benedicto Oxenſtiernæ & Canrerſteinio in mandatis datum inter alia ab iſto exquirere, quidnam Cæſari intelligatur *per ſummum munus in republica Chriſtiana inter ejuſdem Regis ac Principes*, quod quale ſit Regi haut conſtet, & cui ſe obnoxium nullo modo agnoſcere queat. Præſertim cum Palatinus Siradienſis literis ad Cæſareum quempiam Miniſtrum Cæſaris auxilium imploraſſet, velut qui *totius orbis Chriſtiani patronus* ſit. In arbitrio deinde legati relictum exercitum Regis ſequi malit, qui tunc in Majorem Poloniam tendebat, an vero in Boruſſiam concedere, ibi dimiſſionem ſuam expectaturus. Sed ille re cum Franciſco Liſola Cæſareo Reſidente deliberata poſterius elegit. Tamdiu tamen Warſaviæ moratus eſt, quoad Poloni eam urbem obſidere aggrederentur. Inde digreſſus cum Liſola aliquot per ſeptimanas in caſtris Polonicis egit, dehinc Thorunium profectus Regem, qui tunc Mariæburgi agebat, adire noluit, etſi Liſola eodem abiret.

1656. §. 73. Ita demum iſte, Rege Thorunium regreſſo, hoc reſponſi accepit: *Regem Cæſaris officium acceptare non poſſe, de catero cupere conſtantem cum ipſo amicitiam colere.* Addebatur, ne Cæſar Polonos è Sileſia in Svecos excurſiones facere permittat, utque edicta eo nomine promulgata executioni dentur. Ut invidiam repudiati Cæſarei officii augerent malevoli, poſtea ſparſerunt, Moguntinum & Saxonem Electores pariter operam tunc ſuam bello componendo obtuliſſe, de quibus tamen nec Cæſaris literæ, nec Pættingius vel verbo mentionem fecerant. Ad literas Cæſaris à Rege in eum ſenſum fuit reſponſum: „Se anteceſſoresque ſuos „ſemper cupidos fuiſſe controverſiæ „cum Polonis amica via componendæ, ſed à Polonis omnes tractatus „eluſos. Eosdem ſuperiore anno le„gationem in Sveciam adornaſſe ſero „nimis, cum jam Wittenbergius man„datum accepiſſet Poloniam ingredi„endi, quem revocare rationis non „fuerit, poſtquam nulla amplius in in„duciis ſecuritas, ac Poloni binis Lube„cæ congreſſibus Sveciæ illuſerint. E„quidem Stetinum inſtaurandis tracta„tibus fuiſſe deſignatum, quo & ipſe „Commiſſarios ſuos plenis cum mandati-

Regis ad Cæſarem litera. 26. Junii.

1656. „datis miſerit. Sed Leſſinium Cancella-
„rio ſcripſiſſe, eum locum non quadra-
„re. Se deinde cum exercitu Poloniam
„ingreſſo Joannem Caſimirum Lega-
„tis ſuis diploma ſalvi itineris petiiſſe
„tractatibus in Polonia ſuſcipiendis,
„idemque obtinuiſſe. Veniſſe eosdem,
„qui in Svecia fuerant Warſaviam, ſed
„re ipſa neglecta mox alterum in Li-
„thuaniam, Cracoviam alterum ad ſe,
„inde in Sileſiam diſceſſiſſe. Poſt
„menſes aliquot iterum ſalvum con-
„ductum petitum ac datum, ſed nul-
„los à Polonis legatos veniſſe. Sic ut
„in Joannem Caſimirum haut quad-
„rent, quæ Cæſar literis ſuis huic tri-
„buat, *eundem nunquam ante, ac ne nunc*
„*quidem inchoato bello ab amica compo-*
„*ſitione abhorruiſſe*. Sane Lubecæ Po-
„lonicis legatis fuiſſe injunctum, ut
„poſtquam Svecorum poſtulata ex-
„piſcati forent, conventum dextre
„diſſolverent. Et toto tempore Joan-
„ni Caſimiro pacem verbis duntaxat
„jactatam, à qua revera animus ab-
„horruerit ſcævitate ingenii dudum
„exolitæ in Sveciam prætenſioni mor-
„dicus inhærentis. Unde ipſi ſoli ac
„proceribus talia pacis obſtacula haut
„mature amolientibus imputari de-
„bere mala, quæ Poloniam in præſens
„inundaverint. Ex quibus adhuc emer-
„gendi facultas non deſit, ſi ſanis con-
„ſiliis locum relinquere velint. Por-
„ro nec illud à ſe digeri poſſe, qua ra-
„tione Cæſari in mentem venerit que-
„ri de concurſu & ſtrepitu tot tamque
„variorum armorum in vicinia, qui
„non niſi graviter à ſe ſentiri potue-
„rit, cum eo tempore, quo literæ Cæſa-
„ris ſcriptæ forent, provinciæ Poloni-
„cæ & Quartianorum militia ipſius
„jam Imperium ſubiiſſent, Moſco inſu-
„per adhuc & Coſaccis quieſcentibus,
„nec ullus armorum ſtrepitus ſuper-
„eſſet, niſi quem procurrentes è Sileſia
„Polonorum manipuli excitarint, qui-
„bus ſi receptus fuiſſet negatus, facile
„ad tractationem compelli potuiſſe
„Joannem Caſimirum, immuni ab
„omni periculo Germania. Nunc cum
„è Sileſiæ officina novi Polonorum
„conatus eruperint, haut mirum eſſe,
„ſi ad ejus provinciæ fines infeſta ar-
„ma concurrant, & ſtrepitum dent. De
„cætero poſt infeliciter tentatos Lu-
„becæ tractatus utrinque placuiſſe,
„eosdem deinceps absque ſequeſtri-
„bus ſuſcipi, cui propoſito & ipſe adhuc
„inhæreat, non diffidentia cauſæ ſuæ, 1656.
„aut ſuſpicione in ſequeſtres, ſed quod
„eorum major fuerit numerus, quam
„res exegerit, & exemplo Osnabrugen-
„ſis negotiationis conſtet, maximas &
„difficillimas controverſias remotis
„arbitris inter ſolas partes belligeran-
„tes commode poſſe componi, ſi utrin-
„que mens in pacem prona ſit. Et
„admiſſo novo Cæſaris officio prio-
„res quoque ſequeſtres adſciſcendos
„eſſe. Unde ſuſpicionem oriri poſſe, tot
„ſequeſtrium è diverſis ac remotis lo-
„cis evocatione ambages, & moras,
„novaque tractatuum obſtacula quæ-
„ri, quos cum Joannes Caſimirus &
„cum arbitris, & ſine iisdem hactenus
„eluſerit, difficillimum ſibi nunc eſſe
„vel priores ſequeſtres ad rem incer-
„tam arceſſere, vel illis præteritis
„novos acceptare. Præter iſtas ra-
„tiones Pættingio quoque inſinuaba-
„tur, Auſtriacis ſemper cura fuiſſe con-
„troverſiam Svecos inter & Polonos
„alere, Cæſaremque literis ſuis ad
„Joannem Caſimirum datis hujus cau-
„ſam juſtitia ſubnixam, Caroli Guſta-
„vi non item, pronuntiaſſe. Nec ami-
„ci animi indicium eſſe receptum Po-
„lonis in Sileſia præbitum, unde hi
„non parum detrimenti Svecicis infe-
„rant. Sed & à Leopoldo Wilhelmo Ar-
„chiduce actionem in Boruſſiam mo-
„veri famam eſſe, quæ Cæſaris heic o-
„peram valde ſuſpectam reddat. Ipſum
„denique Pættingium aperto in Polo-
„nos favore oſtentato haut pro legato
„ejus egiſſe, cui in neutram partem af-
„fectu ſit propendendum. Ita iſte Ab-
legatus non citra offenſam diſceſſit,
Rege haut ſalutato, nec viſo Cancella-
rio, quod ab hoc ſibi primæ ſalutationis
honorem tribuendum pertenderet,
eodem inſolens poſtulatum cum irriſu
rejiciente. Cumprimis ægre tulerat,
monitum ſe fuiſſe, ne ita familiariter
cum Polonis converſaretur, nec hono-
rem quem affectabat, ſibi tributum, nec
munera præbita fuiſſe. Idem Viennam
reverſus acerbitatem animi paſſim
apricabatur, *Manifeſtum* Svecicum
inſipidum pronuncians, tum edictum
Regis in rebelles Polonos Chriſtia-
no homine indignum arguens. Sed
& fœdus Regis cum Brandenburgico
ritibus Romanis valde periculoſum
eſſe, Regisque deſtinata altius pene-
trare. Unde ingerebat, Cæſari firma-
ta militia iſtis conatibus obviam

1656. eundum, nam Svecum etſi in præſens nonnihil debilitatum Polonis demum prævaliturum. Jactabant Cæſarei Miniſtri, parum ſe curare à Rege officium ſuum haut acceptatum, ac in mandatis habuiſſe Pættingium, ſi ſentiat iſtud gratum non eſſe: ne cum ſtrepitu idem urgeret, quod Cæſar id non tam proprio motu, quam Brandenburgici rogatu ſuſceperit. Cæſar tamen è literis Regis non parum offenſæ conceperat, velut acerbitatis nimium habentibus, de quibusdam loquendi formulis apud nonnullos Electores & Principes queſtus, cum ipſe non plus ſibi autoritatis arrogarit, quam ſui Majores quondam tractatibus Stetinenſibus inter Sveciæ & Daniæ Reges exercuerint. Contra Rex per Stenonem Bielkium Saxoniæ Electori demonſtrabat, ſe mordacia illa verba: Cæſarem ſtre-„pitum illum armorum in vicinia non „niſi graviter ſentire potuiſſe, citra Jan. reſponſum dimittere non voluiſſe. Nec Cæſaris quam in Rempublicam Chriſtianam prætendat, autoritatem agnoſcere, aut ab eo ſibi præſcribi quid tolerare velle. Eundem & edocebat Rex de ſtatu rerum Polonicarum, ac inprimis de cauſis repudiati Cæſarei officii. Inter utrumque populum jam olim certos ſequeſtres placuiſſe. Sed cum Lubecæ adpareret, Polonis pacem cordi non eſſe, Regem ad ulteriores tractatus admittendos haut fuiſſe obſtrictum, è ſuperfluo tamen Stetini tractare voluiſſe nullis ſequeſtribus. Igitur Cæſarem non potuiſſe admitti excluſis veteribus mediatoribus, & Cromvellum quoque hoc caſu prætenſurum fuiſſe, ſe circa id officium in locum Regis Angliæ ſucceſſiſſe, quæ res novis difficultatibus tractatum implicitura fuerit. Præterea Cæſarem interpoſitionem ſuam obtuliſſe vi muneris ſibi divinitus commiſſi, quod quale ſit Regem ignorare. Porro Auſtriacos antea ſemper, ne pax inter Svecos & Polonos coaleſceret, impediiſſe. Cæſarem literis ſuis Joannis Caſimiri cauſam probare, Caroli Guſtavi damnare. Eundem per hæc tempora funeſtis relationibus, quæ de clade & morte ipſius diſſeminatæ fuerant, lætatum: denique in Sileſia Polonis faviſſe, ſuisque deſtinatis reſtitiſſe.

§. 74. Porro Cæſarem, ut in id bellum pertraherent, omnem quidem lapidem movebant Poloni, quorum tamen ſolicitationibus multi ex Ordinibus imperii ſeſe objiciebant, ne id incendium præter neceſſitatem in Germaniam devolveretur. Quo fine & Rex per Georgium Snoilſcium conventui Deputatorum Francofurti de amicitia ſua ſtudioque circa ſalutem imperii ſubinde confirmabat. Saxo cumprimis & Brandenburgicus ne bello ſe Polonico immiſceret, Cæſari diſſuadebant, quorum huic Cæſarei regeſſere, caveret, ne poſt pacem in Polonia factam aliqua ſibi moleſtia inferatur. Cæterum ipſi Cæſarei ſic ſatis æqui in Carolum Guſtavum tunc videri volebant. Initio anni conventu Ordinum Sileſiæ pecunia abnegabatur, quam Rex Joannes Caſimirus mutuam petierat, nec ut ea in provincia militem conduceret, permittebatur. Simul edicta publice affigebantur, queis Polonis in Sileſiam refugis excurſiones in Svecorum hoſpitia facere vetitum, alias Sileſia ipſis interdicendum. Quibus inſuper habitis cum Poloni haut eo minus graſſarentur, Sileſii excuſabant, ſe ipſos in patriam regredi cupientes detinere non poſſe, ſed reverti ipſis haut fore licitum. Profugi iſti Poloni grandia mendacia de ſuorum victoriis contra Svecos ſpargebant, ac Oppelæ in ſeptimana, quæ Paſchatis feſtum præcedit, hymno Ambroſiano decantato Deo juxta ac hominibus illudebant, quo ſuis animum ad arma in Svecos arripienda adderent, Sacrificuli quoque Neiſſæ nundinis cædem Regis Caroli Guſtavi apud Novodvvorum ludis ſcenicis plebi repræſentabant. Porro militem ſuum ad limitem Poloniæ diſponebant Cæſarei, teſtati tamen, id nullius offenſam ſpectare, ſed bello in vicinia flagrante finium tutelam neceſſariam eſſe, ne efferati domeſticis malis Poloni injuriis inſultent, qui jam aliquot in Sileſia loca diriperant & incenderant; ac ſi fortuna belli iſtis faveat, verendum eſſe, ne in Sileſiam quid tentent. Aſt Poloni Cæſarem ad auxilia ſibi ferenda urgere non deſiſtebant. Superiore anno Epiſcopus Culmenſis Viennam venerat literas à Rege Joanne Caſimiro, & viginti ſeptem Senatoribus ſubſcriptas, afferens, quibus gubernationem Regni

1656. *Cæſar in utramque partem ſolicitatur.*

1656. Cæſari, ſimul Coronam Poloni æjure hæreditario ipſi liberisque offerebant, modo coronationem differre velit Rege adhuc vivo, ſiquidem idonea contra Svecos auxilia mittere velit. Sed nunc Poloni per Joannem Leſſinium
18. Octob. Procancellarium & Woinicium legatos Leopoldo Cæſaris filio per modum electionis Coronam offerebant, viginti militum millia in auxilium ſibi ſtipulati, aut ſi hic propter diadema Polonicum Cæſareum quod ſperabant faſtigium negligere nollet, idem alteri è familia Auſtriaca ad Cæſaris placitum deſignando adplicare volebant. Alias Moſcum ſibi Regem aſſumendum, aut qualemcunque pacem cum Svecis occupandam. Iidem legati per oſtentationem Viennæ vaſis argenteis Caroli Guſtavi utebantur, quæ Warſaviæ interceperant. Cæſar initio ſuſpenſa declaratione rem integram retinere cupiebat, ſucceſſus belli ſpeculaturus. Sed Poloni moræ impatientes minari, ſi auxilium negetur, demum neceſſitatem ſibi allatum iri Sveco Coronam offerendi. Cæſar in ancipiti hærebat. Nam ut Polonico ſe bello ingereret, plerisque imperii Ordinibus adprobare non poterat, præcipue anguſtis Hiſpanorum rebus & armatis Gallis. Ac valetudo ipſius indies in deterius ire, Leopoldi ſucceſſione nondum firmata. Contra ſacerdotes, queis acerrimum in Svecos odium velut Proteſtantium validiſſimos, impenſe pro Polonis niti. Si Cæſar Polonorum petita abnuat, hos ad Moſcum, Svecum aut Ragozium ſe converſuros. Ea repulſa omnem ſpem præſcindi eam Coronam in Domum Auſtriacam transferendi. Haut omittendam occaſionem prægravem vicinum declinandi. Differebatur tamen reſponſum obtentu Archiducis Leopoldi Wilhelmi, qui propediem è Belgio expectabatur, an ut tempus eſſet Electores conſulendi. Haut eo ſecius nolebat Cæſar, ut Rex bello Polonico extricatus manus liberas nanciſceretur. Unde inter alia Liſolæ in mandatis datum, ut ad Brandenburgicum profectus ſolicite inſtaret, daret operam Elector, ne inter
Dec. Polonos & Svecos pax coëat. Cæterum re in conſilio Cæſaris in deliberationem deducta Polonorum petita abnuebantur, his non parum erubeſcentibus turpitudinem Coronæ ſuæ inſtar ingratæ mercis paſſim venum proſtitutæ. Placuit tamen hac hyeme à rebus Polonicis abſtinere, interim validum exercitum parare. Inſtare haut eo ſecius pergebant Poloni. Ex interceptis literis adparere, ab initio belli deſtinatum fuiſſe Sveco una cum Gallis bellum Cæſari inferre. Tum Moſcum queſturum, ſe à Cæſare ad bellum Svecis inferendum ſtimulatum nunc deſtitui, quod factum Svecus ſerius ocyus ulturus ſit, id quod nunc præveniendo declinari queat. Polonos cum propriis viribus ſubſiſtere non poſſint, Moſco aut Sveco demum ſe ſubmiſſuros, quo ipſo communes deinceps amicos hoſtesque cum Svecis habituri ſint, ingenti cum Cæſaris præjudicio. Ad extremum tamen petita ſua ita moderabantur, ut aliquot peditum millia auxilio poſcerent. Nam equitum ſe facile ſeptuaginta aut octoginta millia confecturos, quibus totam Boruſſiam vaſtaturi ſint, Svecis ad famem redactis. Ad quæ à Cæſareis reſponſum: Pacem juratam cum Svecis à ſe abrumpi non poſſe citra idoneam cauſam. Si Svecus arma inferat, expectandum id ſibi, nec ſegniter vim propulſaturos. Cæſari ipſi ob metum belli Gallici propriæ defenſioni invigilandum, & ejusmodi declarationes à Gallo ad Ordines imperii Francofurti factas, quæ belli prænuntiæ eſſe ſoleant. Si Poloni æquam à Sveco pacem obtinere queant, ſe non invidere, Moſcum in Svecos à ſe incitatum non agnoſci. Proferebant Poloni quoque literas velut à Gedanenſibus interceptas, quibus Rex Sveciæ Gallum ad bellum Cæſari inferendum incitare fingebatur. Verum fraus iſta nimium craſſa facile pellucebat. Sed & Morſteinius Vienna ad Electores proficiſcebatur, illis approbaturus, fas eſſe Polonis Sveçorum & Brandenburgici provincias in Germania invadere. Eo langvidius autem tunc Polonorum hortatus Viennæ acceptabantur, quod circa id tempus duodecim militum millia, Hiſpanis auxilio in Italiam miſſa forent ea occaſione, quod Hiſpani, cum Gallorum ſe exercitui in Italia haut pares ſentirent, Mutinæ Ducem irritaſſent ad arma ipſis opponenda, quo Cæſari prætextum naſceretur adverſus eum Ducem copias in Italiam mittendi, quibus revera Galli petebantur. Sed & Kleyus Reſidens negotiationi Polonorum quantum dabatur
Kleyer.

1656. batur obſiſtebat, poſtulans quoque, prohiberet Cæſar, ne Poloni & Tartari in Pomeraniam irrumpant, ample ſubinde de ſtudio Regis circa colendam cum Cæſare amicitiam teſtatus. 2. Dec. Reſponſum tamen iſte ad exhibitum à ſe libellum acceptare nolebat, quod diverſa ſibi, quam Polonis *corteſia* quam vocant, ibi data eſſe, Rege id Reſidentis factum probante. Recuſabat quoque Cæſar Svecicis legatis ad Coſaccos & Turcas diplomata tuti itineris dare, etſi declarabat, à ſuis rationem diplomatum regiorum habendam.

Regis circa Angliam intentio. 6. Jan. Bonde.

§. 75. Quantum ſpei Rex in amicitia Cromvelli collocarit, ſupra oſtenſum eſt, quæ nec dum plane defecerat. Sed cum rem ab hoc in longum extrahi perſpiceret, Bondio injungebat, quantum poſſet ex Anglia diſceſſum maturaret, quod tamdiu ibi hærere neque decorum neque utile ſit. Interim laboraret ſepoſitos in tractatu cum Witelocio concluſo articulos adornare, ac num Cromvellum ad fœdus mutuæ defenſionis ineundum permovere poſſit, quo hic ad quater centena uncialium millia annua exſolvenda ſtringatur, quod à Cæſare bellum utique imminere videatur. Quod ſi ab iſta liberalitate Cromvellum abhorrere ſentiret, diceret: juſſum ſe duntaxat ipſius mentem explorare, ac iſta omnia melius confici poſſe per legationem, quam tunc Cromvellus ad Regem meditabatur. Diſplicebat quoque Regi, quod Bondius haut diſtincte interrogaſſet, cui fundamento fœdus pro conſervandis Proteſtantium ſacris inniti deberet, quod iſti tam frequenter in ore erat, quod & ipſum ad futuram Cromvelli legationem rejiceret. De cætero non amplius Anglis prærogativam in commerciis offerret, tam exiguo ab hiſce æſtimatam, nec de translatione Moſcicorum commerciorum à Fano Archangeli ad portus Ingriæ & Livoniæ moveret, ne forte Angli credant plus hac re ſpectari, quam revera quæratur. Tum ne amplius Regis officium offerret componendo inter Anglos & Moſcos diſſidio, ne his forte ſuſpicio injiciatur. Circa arctius autem fœdus, de 20. Febr. quo Cromvellus mentionem injecerat, Regis mens erat, ut Cromvellus ſe obſtringeret, ad tuenda Svecis per Poloniam pacta contra quoscunque aut ſaltem contra Danos & Belgas. Id ſi abnuat, parum fructuoſum ſibi fœdus id fore. Tum nec fœdere illo exprimi 1656. volebat, id ſpectare rem Proteſtantium adverſus Pontificios, ne hos intempeſtive in ſe irritaret, ſed ſufficere, ſi defenſio pacis Weſtphalicæ obtentui ſumatur. Et quia Bondius monuerat, pecuniæ inopia in Anglia laborari, Rex ſummam ſubſidiorum ad ducenta uncialium millia demum remitti volebat. Tum ne fœdus contra Auſtriacos diſerte dirigi diceretur, ſed potius contra quemcunque. Poſt cum Rex intelligeret Danos apud Belgas infeſta machinari, Bondio injunctum Jan. è Cromvello ſciſcitari, num Dano in arma erumpente re ipſa auxilii quid præſtiturus ſit. Nam interpoſito officio ſibi non conſuli. Sponderet quoque in tractatu cum Belgis Elbingæ tunc inſtituto nil concluſum iri in fraudem Angliæ, & hujus commodorum habendam rationem. Sed & in tractatu commerciorum, quem tunc Bondius cum Cromvello agitabat, indulgere Rex volebat, ut ob præſens hujus cum Hiſpanis bellum Svecorum navigatio nonnihil circumſcriberetur, modò id in futurum tempus Svecis detrimento non cederet. Sed quod Cromvellus offenſivum & defenſivum fœdus jactaret, id Regi diſplicebat, qui defenſivum duntaxat malebat. Et quia nunc Moſci arma erumpebant, ſciſcitari quoque Bondius jubebatur, num hoſtæ impreſſione alibi facta diſtrahere, aut ſaltem pecuniam Regi ſuppeditare velit, velut quem ob amicitiam cum ipſo cultam multorum odia premant.

Super fœdere cum Cromvello diſceptatur.

§. 76. Enimvero Bondii negotiatio in Anglia longe minoris erat, quam ſperatum Regi fuerat. Equidem ſubinde multa differebat Cromvellus de communi Proteſtantium cauſa, 4. Jan. deque diſcordia inter hos tollenda, ac inprimis ſimultate cum Belgis abolenda, ac ne vexatis ipſorum commerciis, quibus ſumma rerum apud eosdem innitatur, illi ad deſperata conſilia adigantur. Concordiæ inter hoſce ſtabilitæ ſuper conjunctione Proteſtantium inter ſe cogitandum eſſe, quæ longius quam ad ſolam defenſionem porrigatur. Ac revera diſplicebat ipſi ad Gedanum ſuperiore anno vectigal exactum, idemque Rigæ auctum, ſimul ſequeſtrem ſe Regem inter Belgasque offerebat. Congreſſu inde cum Bondio &

1656. 8. Jan. Cojeto confirmabat, ſibi ſtare cum „Rege quam arctiſſimo fœdere jungi, „ad quod præter Dei gloriam & utrin„que nationis emolumentum, id quo„que ipſum invitet, quod uterque jam „bello ſit implicitus. Id porro fœdus „dirigendum in univerſum quidem „adverſus Pontificios, ſed peculiariter „adverſus Domum Auſtriacam. Ac „ſuo judicio defenſivum fœdus non „ſufficere, ſed offenſivum utique for„mandum. Ac paratum ſe omnia præ„ſtare, quæ Rex à ſe deſideraverit, „quantum vires ferant, ut adverſa „pars alacriter invadi queat. Is dunta„xat ſcrupulus urgebat quod, cum „Pontificiorum vires validæ admo„dum ſint, præſertim inter ſe unitæ, „magnum utrique periculum immi„neat, ne tentare quid auſi totam mo„lem in ſe provocent. Unde videri „alias quoque Proteſtantes in partes „trahendos, citra quorum unionem id „negotium ipſorum viribus ſuperius „ſit futurum. Ac offenſæ loco cæte„ros Proteſtantes habituros, ſi ipſi in „negotio communem cauſam ſpe„ctante prætereantur, eoque facile „adverſa conſilia capturos, præſertim „Pontificiis in corruptelas & machi„nationes valde pronis. Inprimis cu„randum, ut Gallia in partes trahatur, „quam jam antea rationes ſuæ Au„ſtriacis disjungant, quæ milite abun„det, & viris ſcateat magno adverſus „Romanos ritus Zelo flagrantibus. Ad „quæ Svecici legati: Optandam equi„dem & affectandam reliquorum Pro„teſtantium conjunctionem, ſed me„tuere ſe, ne ea res hac via ſuſcepta „inſuperabilibus difficultatibus adhæ„reſcat. Omnes Respublicas præter „ſacra compluribus aliis reſpectibus „atque commodis duci, ut ægre ſolo „religionis ſtudio huc permoveri „queant. Apud aliquas ſacrorum ra„tionem præcipue haberi, aliis ſacra „poſt alia emolumenta eſſe. Igitur ſi „prius omnes ad hocce fœdus ſint in„vitandi, verendum eſſe, ne occaſio è „manibus elabatur, antequam prævia „negotiatio fuerit abſoluta. Nec pon„tificios neglecturos in contrarium ni„ſi impediendæ unioni, & adhuc dis„junctos oppreſſuros. Et utut de„mum ſuper loco & tempore conve„niatur, ipſam tamen rem ægre opta„tum eventum fortituram. Igitur „eundem finem certius ac tutius ob„tineri poſſe, ſi Rex & Protector velut 1656.
„Proteſtantium potiſſimi inter ſe prius „uniantur, ac inde reliquos in ſocie„tatem invitent, ſine dubio quibus„dam ultro ſe adjuncturis, ſi de tam „valido auxilio certi ſint, reliquos tra„hi poſſe, aut eo deduci, ut nocendi „voluntas aut vires deſint. Porro ſi „univerſos unire aggrediare, opus di„rectore fore, ſuper quo ægre conve„niendum ſit. Nec in tanta multitu„dine ſecretum poſſe teneri, quod uti„que neceſſarium ſit, ni adverſæ parti „arma in nos ſuppeditare velimus. Contra tamen Cromvellus cenſebat, Danum, Saxonem & alios adduci poſſe ad communem cauſam promovendam. De Belgis nullum verbum. Paulo ante dixerat: dolere ſibi, ob horum commoda ſe tamdiu iſtam cum Rege conjunctionem diſtuliſſe. Ad iſthæc ut quamprimum Regis declaratio adferatur, vehementer inſtabat. Bondius etſi à Rege nihil adhuc mandatorum ea ſuper re haberet, tamen cum conſtaret, quantopere Regis intereſſet Angliæ benevolentiam conſervari, Belgarumque machinationes diſſipari, qui variis artibus Cromvellum ſibi adverſus Regem obtentu Maris Baltici defendendi innectere ſtudebant, talia reſpondere conſtituit, quæ Cromvello movendo maxime idonea videbantur. Regem ſerio decreviſſe fœdus tuendis ſacris cum ipſo inire, ſed eidem non conſtitiſſe, Cromvellum longius progredi cupere, eoque multum temporis elapſum, antequam mente ipſius penitius explorata ſuam quoque panderet. Quin & ab ipſo dubia magni momenti mota, quæ Regi probe ponderanda fuerint. Ac plura diſtinctius ſibi noſcenda, negotiationi ſolidius perficiundæ. Eo reſponſo acquieſcebat Cromvellus, multa de ſtudio ſuo in eam rem teſtatus. Ac plura per Commiſſarios ipſi communicaturum, ne ſolis laxioribus hiſce diutius inhæreatur, circa quæ jactare ſe ſoleant, qui per inania alteri illudere velint. Tardabant tamen Commiſſarii cum Bondio colloqui, quod nuper de legatione ad Regem eo nomine mittenda propoſuiſſent, veriti, ut Bondius ſat mandatorum ad commune fœdus, quod Cromvellus meditabatur, haberet, & quod ob intervalla locorum multum temporis fruſtra terendum ſit mandatis ac literis hinc inde miſſitandis. 12. Jan. 25. Jan.

1656. dis, Ei legationi obeundæ Bulſtrodus Witelocius deſignatus erat, qui tamen contra cenſebat, eam miſſionem animos Pontificiorum nimis adverſuram, ut in nos mature ſe conjungant. Ac facile eſſe Cromvello mentem ſuam Bondio pandere, qui eam per peculiarem nuntium Régi ſignificare queat, ac mandatis inde receptis negotium heic concludere. Ac Regem bellicas inter expeditiones haut libenter magnis legationibus diſtineri velle. Nec ſecretum ſervari poſſe, omnium animis in id negotium imminentibus, cum præſertim haut uſitatum ſit ſolennem legationem ad eum Principem mittere, cujus legatus apud nos agat. Cæterum ſuſpicabatur Bondius vocabulum communis fœderis velut plauſibile prætextum adhiberi, ad expromendam Cromvelli intentionem circa officium ſuum inter Regem & Belgas interponendum, quod concordia Proteſtantium velut fundamentum iſti negotio ſubſterneretur. Sed & nondum tunc in Anglia conſtabat de transactione inter Regem & Electorem, quam iſti maximi momenti judicabant.

Ingrata fœderis formula ab Anglis proponitur.

§. 77. Aliquot poſt dies Bondio à Commiſſariis Anglicis tradebatur formula quapiam fœderis, quale is ab initio propoſuerat, verum ita præpoſtere concepta, ut idem hac conſpecta valde perturbaretur. Unde is Caroli Fleetwvodi colloquium expoſcebat teſtandæ indignationi, aut ut quid arcani ſubeſſet expiſcaretur. Adventanti exponebat, ſe non capere, quo formula hæc ſpectet Regi exhibenda, qui præter Deum neminem ſuperiorem agnoſcat. Ex argumento ejus adparere, magis à Belgis quam Cromvello concepta, qua obtinere ſe ſperent non quidem rem ipſam, ſed ut talibus propoſitis Regem protelent, ac amicitiam duarum nationum, cui arctius adſtringendæ ipſe venerit, abrumpant, quo deinceps perſonam ſuam eo commodius agant disjunctis pro libidine inſultaturi. Eum reſpectum effeciſſe, ut tamdiu ſumma cum patientia tolerarit, quæ ſibi heic obtingerint, ſed iſthæc ita enormia eſſe, ut diſſimulari offenſa amplius nequeat. Nam præterquam quod incongruum ſit hanc formulam Anglica lingua conceptam, cum ipſe ſuis ſcriptis latina lingua uſus ſit, id cumprimis mirum videri, Belgas huic tractatui incluſos, cum ipſe in Angliam venerit, & ut cum Anglis tractet. Neque Regem credidiſſe, Anglis neminem amplius amicum præter Belgas eſſe, aut iſtos nil prærogativæ in commerciis cupere, niſi & Belgæ in partem veniant. Potius Sveciæ & Angliæ intereſſe Belgas intra limites coercere, quam ultro ad tanta beneficia pertrahere. Equidem Regi animum non eſſe Belgas deſtruere. Sed optare eosdem in talem ſtatum redactos, ut ne omnibus Regibus leges præſcribere, eorumque actiones pro libidine temperare præſumant. Eam porro Belgarum incluſionem facere, ut articuli reliqui tanto magis extra oleam vagentur, puta ut Rex in iſtorum utique gratiam poteſtate decedat civibus ſuis immunitatem aliquam aut prærogativam præ exteris indulgendi, qui articulus ſine dubio non ab Anglis, ſed à Belgis profectus ſit. Illis quippe de hoc in mentem venire non potuiſſe, utpote qui in aliis culpare nequeant, quod ipſi faciunt, dum non ſolum circa vectigalia lenius ſuos cives habent, quam exteros, id quod plerisque Principibus ſolitum, ſed etiam vetent, ne quis exterus in Angliam merces importet, quæ in ipſius patria non provenerint. Enimvero Belgis in Svecos odiorum cauſam eſſe, non ſolum, quod hi nupero bello in partes ipſorum adverſus Anglos deſcendere noluerint, ſed & quod Sveci per privilegia ſuis civibus indulta ſervitio ipſorum ſeſe eximere conati ſint. Ac eo abſurdius videri Anglos pro Belgis iſthoc ſtipulari velle, quod Belgæ hoc obtento non Svecorum ſolum, ſed & Anglorum commercia in Mari Baltico deſtructuri ſint commoditate levium navium, exiguo ſumtu velificantium. Ac inprimis ipſos Anglorum per Boruſſiam commercia diu exculta intercepturos. Obtuliſſe equidem Regem Anglis immunitatem in Livonia & Boruſſia, ſed ea lege, ut ſuis ſumtibus libertatem Maris Baltici tueantur adverſus exterorum claſſes bellicas. Ex quo judicare liceat, quanti Svecis æſtimetur immunitas per totum Sveciæ Regnum, quæ ut Belgis nunc tam vili pretio addicatur, nemo ſanus ſuaſerit. Non minus inconcruum eſſe alterum poſtulatum, ut Rex

1656. „ut Rex liberæ diſpoſitioni circa ve- „ctigalia & commercia in Boruſſia re- „nuntiet, ſed Belgis quanti vis æſti- „mandum, ſi poſtquam omni conatu „Regis deſtinata impedire, totque in „ipſum hoſtes concitare allaborarunt, „nunc gratis per Anglos id obtinere „queant, ne ſalutato quidem Rege. „Quid porro viciſſim Regi pro tantis „beneficiis offerri, niſi quod & hic illis „in ſua ditione indulget? Et circa fa- „cultatem militem conducendi loci „deſignationem, ubi delectus fieri de- „beat, penes alterum relictam, facile „eludendam, ſi videatur, Montanis „Scotiæ aut Orcadibus eum in uſum „oblatis. Ac ſat Regi militum eſſe, „nec ita arctam eorum alibi condu- „cendorum facultatem, ut tam care „heic emenda ſit. Sed & ſi Cromvello „fœdus commune Proteſtantium cor- „di ſit, id quam maxime nimia Bel- „gis potentia conciliata ſuffiaminari, „quippe qui per id commercia ſua in „Pontificiorum terris imminui haut „laturi ſint, qui & alias leoninam ſo- „cietatem vocitent, in quo Anglo- „rum & Svecorum conſpiratione ipſi „in officio contineantur. Igitur ſi An- „gli utique Belgas huic tractatui in- „cludendos pertendant, ſe huic nego- „tiationi valedicere, ac non niſi circa „adornanda capita priori fœdere ſe- „poſita laboraturum, quæ uti absque „Belgis cæpta ſint, ita & citra eorun- „dem operam perfici poſſe ſperet. Id „ut quamprimum fiat ſe valde deſide- „rare, ut aliquando hinc diſcedere li- „ceat. Fleetvvodus iſta excuſare & e- mollire, talia duntaxat pro Anglica na- tione quæri aſſeverans, & Cromvellum cupere, ut is in ſpeciem cum Commiſſariis congrediatur, ſed eſſe ſecreti quid, de quo Cromvellus cum ipſo ſolus acturus ſit. E quibus Bondius colligebat, Anglos haut ſerio pro Belgis niti, ſed quia jam magna argenti inopia laborent, exhauſto per claſſes nullo fructu in Americam miſſas ærario, voluiſſe hac formula declarare, ſe pro Belgis omnia quæ poſſint acturos ac fœderi cum ipſis ex amuſſim ſatisfacere, quo ſe mutuo ſuis fœderibus cum aliis includere teneantur. Eoque & inter Commiſſarios aſſumtum Walterum Stricklandum notorio in Belgas ſtudio, ne quam hi ſuſpicionem à negotiatione iſthac conciperent. Cæterum tarde admodum procedebat id negotium, non ſolum quod Angli ſucceſſus Regis ſpecularentur, ſed & quod irritas in Americam conatus vires ipſorum non parum imminuiſſet. Cum poſtea Bondius ipſi Cromvello congreſſus oſtenderet, ſe ſuper Belgicis rebus in Anglia agere nolle, reponebat hic, non fuiſſe ſibi mentem Regem offendere, ſed tantum ſtudia ſua Belgis approbare, præſertim cum eam vim idoneam judicet ſtruendæ inter Proteſtantes concordiæ, & ne Respublica illa ſolis commerciis ſtans ad infeſta conſilia capeſſenda adigatur, quæ & multos adhuc Pontificios ſinu ſuo foveat. Contra Bondius malevolentiam Belgarum in Regem exaggerare, qua indignos ſe exhibuerint, quibus nunc tanta beneficia ultro impingantur. Ab illis Brandenburgicum in Svecos concitatum, ac pecunia ſublevatum. Nuper in Daniam miſſos legatos excitandis ibi Sveciæ hoſtibus, qui & dum Hamburgum tranſeunt, cum Cæſareo Miniſtro Plettenbergio multa miſcuerint, hoc viciſſim Cæſaris potentiam ſupra modum extollente, ut facile adpareat, quid ſtudii iisdem ſit in cauſam communem. Nec ferendum eſſe illos ita ſe gerere, velut conſtituti ſint cenſores in omnium Regum actiones. Quam ipſorum proterviam Cromvellus quoque improbabat. Porro & ideo Rex Anglorum inter ſe & Belgas officium averſabatur, quod antea bello inter iſtos & Belgas oblata Svecica conciliatio repudiata fuiſſet, cum tamen tunc Svecia ingens momentum addere potuiſſet, utri parti accederet.

1656. 4. Febr.

Strickland.

§. 78. Inde juſſu Regis Bondius offerebat fœdus Anglorum rebus ingens robur additurum, ac ſingulare commodum jam cum parte Domus Auſtriacæ implicitis. Quo & ipſo ſpes hoſtibus adimebatur Angliæ è continenti damnum inferendi, ſimul occaſio præbebatur malevolorum animos in Anglia Cromvello conciliandi. Ac diſtractis hoc modo Hiſpanorum viribus tanto armorum adparatu ipſi contra hos opus non fore. Enimvero ſtatim animadverſum, circa pecuniam maximam fore difficultatem, cujus ſummam Rex initio ad nongenta uncialium millia intenderat. Etſi enim populus Anglicanus ſemper promtum ſe exhibere ſolitus ſit conferendis pecuniis, ubi ſacrorum cauſa agitur, tamen Parlamentum convocare, citra quod

Alia fœderis formula à Rege propoſita. 15. Febr.

1656. quod nova tributa imponi non poterant, præſentibus Cromvelli rebus valde periculoſum erat. Cromvellus id fœdus velut contra Domum Auſtriacam tendens magna in ſpeciem lætitia acceptabat, ſed judicabat, cum in eo Regis non minus, quam ſua commoda vertantur, ſe haut diſpicere, utrum alteri argento adſiſtere æquius ſit, queſtus ſimul de pecuniæ inopia, & quanta onera per tot annos Angliæ incubuerint. Ad quæ Bondius, ingens heic inter utriusque partis rationes diſcrimen deprehendi. Nam Angliam bello jam cum Hiſpanis implicitam, quod perſequendum ſit, ſive Rex ſocius accedat ſeu minus. Contra in Regis arbitrio eſſe, in bellum cum Cæſare deſcendere velit, an minus, ac Regem jam rebus ſuis in Polonia & Boruſſia firmandis vacare poſſe, nulla novorum negotiorum tela ſuſcepta. Tum & plus periculi Regem incurrere bello adverſus finitimos ſuſcepto, quam Angliam Oceano velut validiſſimo munimento circumdatam, ſic ut Rex in id bellum abſque ſubſidio pecuniario deſcendere nequeat. Ac ſumtuoſum eſſe his temporibus bellum gerere, viginti uncialibus in peditem conducendum impendendis, tanti quippe in Cæſareis provinciis milites conduci in uſum Hiſpanorum, cum antea ſex uncialibus oblatis affatim peditum inveniri poſſet. Cromvellus contra demonſtrare conabatur. Regi utique adverſus Cæſarem arma expedienda, velut abs quo pax Weſtphalica multis modis violata ſit, ac Regi Joanni Caſimiro receptus præbitus. Cæterum excuſabat Belgarum à ſe cauſam ſuſceptam. Ipſorum acta à ſe probari non poſſe, ac rationis eſſe, ut ſi quid à Rege cupiant, amica id via ipſi quærant. Sed metuiſſe ſe, ne per deſperationem communibus ſe hoſtibus jungerent. Ideoque ſe Belgico Legato denuntiaſſe, ut ſi qua Sveciæ Rege opus habeant, legatione ipſum adeant. Interjectis aliquot diebus denuo poſt prolixam de ſincero ſuo affectu teſtationem ad propoſitum nuper fœdus reſpondebat: *Cum hoc onere ſubſidii pecuniarii fœdus à ſe iniri non poſſe, quod ſua juxta Regisque rationes adverſus Domum Auſtriacam eo ſtatu ſint, ut nulla cauſa urgeat pecunia Regem juvare, quam & dare penuria prohibeat.* Poſt varias tamen diſceptationes hinc inde factas Cromvellus demum fatebatur, 1656.

7. Mart.

præcipuam cauſam, quæ ipſum cohibeat, eſſe metum à Belgis, qui hoc fœdere cum Rege inito facile in Auſtriacas partes tranſituri ſint, quibuscum hac rerum facie haut temere collidi velit. Bondius contra Cromvelli metum à Belgis confirmare, velut qui præſens Angliæ regimen infenſi oderint. Enimvero adverſus eum metum haut certius remedium eſſe, quam iſtum fœderis cum Rege nexum, ad quod & ipſi invitari queant, adimendæ ſuſpicioni. Ac ſi Svecia & Anglia rationes ſuas invicem bona fide amplectantur, nunquam id audaciæ Belgas ſumturos, ut in illos ſuſcipere quid auſuri ſint, quorum inimicitia quam maxime ipſis nocere queat. Diſcedebat tamen tunc à Cromvello Bondius, velut recuſationem fœderis acceptaret. Et movebat quidem poſtea Cromvellus nonnihil, ſed languide, Belgas metuens, quos oderat, nec tamen quomodo iisdem nocendi facultatem adimeret, expediebat. Sed & in univerſum tunc in Anglia omnia lente procedebant, & rebus domi vacillantibus ad omnia trepidabatur. Subinde tamen ejus fœderis cupidinem Cromvellus oſtendebat, ſed circa pecuniam res hærebat, quicquid Bondius ingereret, duplo majorem ſummam compendefieri poſſe, ſi tam valida impreſſione à Rege vires Auſtriacorum diſtrahantur, ſimul per eandem Belgas in officio contineri poſſe, quos forte hac rerum facie vindictam de Anglis ſumendi libido ſubitura ſit. Sed & idem fœdus non parum confirmare deſtinata ipſius poſſe, quæ tunc agitare dicebatur circa capeſſendam Angliæ coronam, ad quam Bondius calcar ipſi addebat, captandæ gratiæ, quod iſtum eodem ferri noſſet. Sed reponebatur, Regem non minus utilitatis ex eo fœdere percipere, & ſuum ſtatum ſat ſecurum, claſſe & exercitu terreſtri valido probeque inſtructo ſuffultum: ac Regi utique ad manus cum Cæſare perveniendum. Id quod Bondius ea ratione refellebat, quod ſub id tempus Cæſar duodecim militum millia Hiſpanis in Belgium auxilio mitteret, quod facturus non fuerat, ſi bellum Svecicum ſuſpicaretur. Inter quæ oſtentando in Regem ſtudio vota pro ipſo publice in templis concipi Cromvellus jubebat. Porro idem ne ſola inopiæ confeſſione in fœdus videretur declinare, deinceps quoq; Bondio declarabat, ſe cupere fœ-

1656. dus mutuæ defenſionis cum Rege contra quoscunque inire, ſed circa conditiones aliquid diſcriminis reſtare. Nam non perſpicere ſe, qua ratione ipſe ad præſtandam evictionem pacis Weſtphalicæ adſtringi queat, ac nondum ſatis cautum ſibi, num Rex bellum adverſus Cæſarem ſuſcepturus ſit, nec ne? Nec tanti eſſe auxilia, quæ à Cæſare Hiſpanis ſubmittantur. Deinde cum Regis æque ac ſua interſit, ad ſubſidium pecuniarium adſtringi ſe non poſſe, quod tamen à Rege præcipue affectabatur. Ad hæc Bondius: ſatius utique eſſe Weſtphalicæ pacis tutelam fœderi prætexere, quam ſolum religionis vocabulum nimis invidioſum, & adverſæ partis animos advertere aptum. Nec eo minus ea pace libertatem ſacrorum Reformatorum ſtabiliri, ſimul Cæſarem prohiberi, ne Hiſpanis auxilia mittat, ad quam præſtandam Gallia quoquetteneatur. Quæ & multis jam modis à Cæſare violata juſtam bellandi cauſam ſuppeditare queat, quandocunque occaſio in arma erumpere invitet. Nec vero æqualem hoc fœdere conditionem Sveciæ atque Angliæ eſſe. Nam utique præcipuas Domus Auſtriacæ vires Regi incubituras, velut vicino, ac Regem terra illis jungi, Angliam mari diviſam. Inſuper Regem bello Polonico jam implicitum, ubi exercitus ipſi ſit habendus, & multa loca præſidiis firmanda, diſtractis haut modice viribus: ſic ut citra ſubſidia novo ſe bello immergere nequeat. Contra quæ Angliæ hoc modo ſtruatur, hoſtilis potentiæ diſtractionem vel decuplo pluris eſſe, quam ſubſidii poſtulati ſummam, ad quam exſolvendam iſte non teneatur, niſi Rex in bellum cum Cæſare eruperit. Denique fœdus inter ipſos prius perficiendum, poſt alios ad idem invitandos.

Inanis circa fœdus deſceptatio continuatur.

§ 79. Agitatum inde ſuper eodem fœdere fuit inter Bondium & Cromvelli Commiſſarios Fincium & Thurloum, qui ab iſtius ſcopo multis modis in diverſa abibant. Nam primo fœ-
25. *April.* dus defenſivum adverſus Domum Auſtriacam, Regem Poloniæ & Carolum Stuartum dirigi volebant, quod Domus Auſtriaca præcipuum fulcrum foret partis Pontificiæ, & quæ Proteſtantibus maxime ſit formidanda. Adverſus quoscunque autem fœdus id concludere haut conſultum videri, ne Danis & Belgis ſuſpicio naſcatur, ſe potiſſimum eo fœdere peti. Quo ipſo Cromvellus deinceps incapax reddatur interponendo ſequeſtris officio, ſi quid litium inter Svecos & alios Proteſtantes ſurgat, velut ſtudio in alteram partium vergens. Quod ſi autem deinceps una partium poſtulaverit, ut altera bellum Auſtriacis ultro inferat, de conditionibus tunc agendum fore, quibus alteram ad hoc inducere queat. Tum & ſuper conditionibus conveniendum quidem, ſed concluſionem differendam, quoad reliqui Proteſtantes ad hoc invitati fuerint. Quod ſi accedere abnuant, ſaltem offenſæ anſam illis præſcindi, & prætextum cum malevolis noſtris ſe jungendi, & eo caſu inter nos ſolos fœdus abſolvi poſſe. Enimvero iſta omnia plane abibant ab eo ſcopo, quem ſibi Rex hoc fœdere præfixerat. Nam Carolum Stuartum hoſtem ſibi declarare Regi haut conſultum videbatur, de quo & Bondio nihil in mandatis datum erat. Tum Cæſar hoc fœdere ita irritandus erat, ut Regi neceſſitas adferenda foret armis cum ipſo certandi, cum tamen hoc caſu Cromvellus teneri nollet ad auxilia Regi ferenda, ſed & hoc modo pecuniarium ſubſidium elidi adparebat. Igitur Bondius demonſtrabat, quantum periculi & iniquitatis hiſce conditionibus ſubſit: & ſibi eo negotio omiſſo diſcedendum eſſe. Si enim Cromvello ejusmodi fœdus cordi ſit, id concipiendum eſſe defenſivum contra quoscunque nullo nominetenus expreſſo, quod hæc unica ratio ſit, quosvis, tam Proteſtantes quam alios, coërcendi, ſi noſtra deſtinata turbare velint, idque ut defendantur tam quæ Regi per Poloniam & Boruſſiam parta ſunt, quam quæ alia Regnum Sveciæ, ſubjectasque eidem provincias ſpectant, non minus quam quod Cromvelli & Angliæ intereſt. Tum pacis Weſtphalicæ conſervationem fundamentum utique fœderis adverſus Pontificios conſtituendum, quippe qui per hanc obligentur Proteſtantibus debitam libertatem ac jura relinquere, & quæ violata juſtam nobis belli cauſam præbeat, & quia omnes Proteſtantes ad eam tuendam facilius pertrahi poſſint, quam quocunque fœdere adverſus certum aliquem directo, quam & ſartam tectam perſiſtere plerorumque iſtorum valde interſit. Tum & in præſens conveniendum, qua ratione eo caſu Regia ſiſtere velint.

Deni-

1656. Denique inter ipsos prius concludendum, antequam alii ad id invitentur, ne nostra destinata præmature prodita hostes ad nos invadendos invitent, antequam rite omnia rei gerendæ parata sint. Addebat Bondius ista mandata esse, quæ à Rege habeat, iis se attemperare si velint, & mature negotium conficere, se paratum tractatus prosequi & concludere. Si aliud Cromvello sedeat, cupere se Witlociano pacto colophonem imponere ac discedere. Quod si Cromvellus fœdus desideret, de quo jam disceptatum sit, legationem ad Regem eo nomine expedire ipsum satius fore. Ad ista Thurlous paulo perturbatior testari, Protectorem utique serio rem agere, velle tamen eundem tuta via incedere, ac neminem offendere, aut ad infesta consilia compellere. Denique cupere fœdus, sed rem pecuniariam in arcto esse, inani spe intercipiendæ classis Hispanicæ argento onustæ, & maximis opibus in armandas classes absumtis. Ac sane ita debilis tunc erat Angliæ conditio, ut ægre solidi quid consilii ab eadem expectari posset, unde & occultandæ utcunque infirmitati variis ambagibus tempus extrahebatur. Bondius ergo cum mollibus verbis nihil profici videret, offensam testabatur, quod lentore & timidis consiliis effecissent, ut Belgæ jam classem Mari Baltico immittere ausi sint, id quod omissuri utique fuerint, si ante bimestre concluſum foret. Unde Regi vitio nunc haut vertendum, si neglecta causa communi propriæ securitati invigilet. Contra Cromvellus de sincera sua intentione protestari & in medio relinquere, utrius propositio potior fuerit. Sibi tamen tam propter communes, quam proprias rationes in præsens haut consultum visum ulli offensam præbere, sed omni ex parte conniti circa averstendam discordiæ materiam. Nec sperare Belgas in hostilia erupturos, ac ne id fiat omnem operam adhibiturum, quam ob causam & intra talem statum substitisse, ne per studium in alterutram partem opera sua inanis redderetur. Ad quæ Bondius se de seria ipsius intentione nunquam dubitasse, nec suum esse de ipsius rationibus & respectibus judicare. Sed qui serio velit finem, velle etiam media, & ex effectu omnia æstimari. Legationem mitti oportere, si fœdus ineundum sit. Constare jam ipsi de Regis sententia, eoque plene legatum suum instruere posse. Quod si & nunc clarius mentem pandere placeat, Regi constiturum, quid ab isto expectandum sibi sit. Super officio inter Regem & Belgas interponendo nihil sibi injunctum. Regem hisce amica omnia exhibuisse, nec causam illis esse, quare eum metuant, aut ab eodem quid exigant. Sed alienæ terræ commodis frui cupienti amicitiam domini ambiendam, ejusque consensum obtinendum. Cum igitur Sveciæ nil controversiæ cum istis intercedat, se haut perspicere, quid ipsorum nomine tractandum heic sit. Addebat molestum sibi valde fuisse domi desidere ad captivi instar, ac neminem ad se accessisse, nec cum Commissariis suis colloquendi occasionem sibi datam. Ita offensæ quid vultu præferens discessit Bondius, num forte hoc modo negotiationi suæ caloris quid addere posset, cui & ea non modica morarum causa erat, quod Thurlous secretarius status omnia negotia solus expedire vellet, qui tamen rerum externarum valde imperitus erat. Simul tam tristes nuntii de cæde Regis & clade exercitus confidenter à Belgis sparsi non parum animos turbabant. Ac demum Bondio acriter urgenti Cromvellus occinebat, etsi is à se proposita commodissima judicet negotio ad finem deducendo *spiritum* tamen *suum*, quem merito velut optimum *consultorem sequatur*, eadem adprobare non posse.

9. Maji.

§. 80. Sed & magna cum difficultate procedebant tractatus super regendis commerciis, cujus aliquot capita pacto Upsaliæ cum Witelocio quondam inito ulteriori transactioni sepositа fuerant. Circa eum jejuna & male cohærens formula Bondio exhibebatur, è lingua Anglica in latinam versa. Nam postquam Philippum Medovium in Daniam misissent, inter Cancellariæ ministeria nemo erat, qui latine scribere calleret, eoque Joannis Miltoni jam lumine capti opera utebantur, ad ejusmodi scripta è vernacula in latinam linguam transferenda. Durissimum erat, quod sub mercibus belli tempore transportari vetitis (contrabandas vocant) comprehensum irent picem, malos, cannabim ac multa alia, quibus Svecia abundat, qui postulato eo pervicacius insistebant, quod Belgæ in tra-

Circa fœdus commerciorum difficultates.

Meadowe.

1656. ſtatu de rebus maritimis, quem tunc agitabant, eadem ſibi ſtipulari vellent quæ Svecis concederentur, & quia bello cum Hiſpanis flagrante nolebant concedere ad hoſce quidquam mercium importari, armandis navibus neceſſariarum. Sed & Angli nautarum diplomata cenſuræ ſubjicere cupiebant, genuina an ſuppoſititia forent. Quibus poſtulatis velut in fraudem Svecicorum commerciorum tendentibus Bondius, & Cojetus acriter reluctabantur, modico ſucceſſu. Et ſuper tam moleſtis moris querelas moventibus Cromvellus reſpondebat: cum circa hæc potiſſimum ſententiis diſcrepent, queis Regi parum decedere videatur, ſibi autem in bello hocce Hiſpanico multum emolumenti adferatur, vix ſpem eſſe in hoc quoque negotio aliquid confectum iri. Unde judicare ſe, tempus eidem abſolvendo nondum veniſſe, ac dolere, ſibi ipſos re infecta disjungendos. Bondius etſi hoc reſponſo perculſus, in diſſimulationem tamen compoſitus regerebat quam maxime cordi ſibi fuiſſe hunc tractatum perficere, nec credidiſſe deſignationem mercium invectionis per belli tempora vetitæ ſcopulum fore, ad quem ſua negotiatio adhæreſcat, quod nupero inter Anglos & Belgas bello merces, de quibus quæſtio nunc ſit, haut vetitas eſſe ſumma contentione ab Anglis diſputatum ſit, quod Belgæ tunc pertendebant. Unde à conſilio ſtatus eundem tunc catalogum mercium earum editum, quem ipſe jam exhibuerit. Ac Witelocium in Angliam reverſum Lagerfeldio ſcripſiſſe, formulam diplomatum in Svecia ſibi traditam, & catalogum vetitarum mercium in Anglia adprobatum. Ac ſane maximo præjudicio Sveciæ fore, ſi omnes merces, quas ea terra producit, & è quibus opulentia ipſius promanat, vetitæ bello declarentur, id quod nulli nationi adhuc à Svecis conceſſum, nec deinceps concedendum. Nec Cromvelli ſcopum attingi, ſi ipſe contracta offenſa hinc diſcedat, rebus in ambiguo relictis, unde facile turbæ quid oriri queat. Si tamen nil amplius hoc perfici queat, ſolum valedicendi officium ſupereſſe. Ad quæ Cromvellus nihil, niſi quod ſperare ſe diceret, Bondium Hamptoncurti ipſum inviſurum, venationis voluptati ſimul capiendæ. Bondius reſpondebat: ſi hunc exitum ſua negotiatio ſit ſortitura, diutius heic nequicquam moraturum. Bondium ea res vehementer angebat, quod à Rege diu literarum nihil accepiſſet. Ac circa ſtrictius quidem fœdus operam ludi facile perſpiciebat, quod Belgæ tunc Cromvello valde metuerentur. Et concluſo licet fœdere rima elabendi defuturi non erat, ſi in rem præſentem Anglis veniendum eſſet. Sed conventionem circa commercia vado adhæreſcere tanto ægrius ferebat, quod Thurlous antea tam facile eam ſucceſſuram oſtendiſſet. Sed & penitius Anglorum conſilia inſpicienti non terriculamenti cauſa iſta jactari, ſed ſerio rem agi judicabat. Nam quia Hiſpani jam acriter vim reponere Anglis parabant, & hiſce omnia adverſus Americam & claſſem argento farctam deſtinata incaſſum cecidiſſent, nulla in præſens via Hiſpanis nocendi ſupererat, quam ſubjectionem earum mercium impedire, quibus Hiſpania carere non poterat. Unde nullo modo in caput de diplomatibus nautarum, & mercibus bellicis conſentire volebant, quod ut ad liquidum deduceret, Bondio injunctum erat. Idque eo magis, quod Angli Belgarum quoque commercia, quæ cum Hiſpanis plurima agitantur, turbare cuperent, quibuscum eædem ipſis quæſtiones intercedebant, circa quas ſi Svecis concederent Belgæ idem poſtulaturi erant. Ac ſi ipſe contracta offenſa diſcederet, animo obverſabantur Danorum & Belgarum machinationes in Sveciam, quibus valde optandum futurum erat, diſſidium aut frigus Regem inter & Cromvellum ſurgere, haut paulo plus ferociæ in tractatu Elbingenſi ſumturis. Qui & alias omnem lapidem movebant Cromvello à Regis amicitia abſtrahendo, cui magno ſtudio adrepebant, polliciti, ſe una cum ipſo Hiſpaniam invaſuros, ſi Svecorum deſtinatis objicere ſe velit. Sed & in conſilio multum erat tacitæ ſimultatis ac invidiæ, ut Bondius dubitaret, an non à quibusdam ſtudio conſilia turbarentur, quo negotia publica male ſuccederent. Igitur Bondius, ne offenſa ſua diſpaleſceret, operam dabat, ſimul viam diſpiciebat negotium extricandi, aut ſaltem eous-

Thurlo.

1656.

que

1656. que tempus extrahendi, quoad nova à Rege mandata accepiſſet. Igitur per Carolum Fleetvvodum efficiebat, ut tractatio continuaretur. Ubi circa diplomata & merces vetitas tamdiu prioribus poſtulatis inſiſtebat, donec metuendum eſſet, ne circa rem non maximi momenti omnem apud Anglos gratiam conſumeret, qui inter alia differebant: Conſtare ſibi Svecis modica cum Hiſpanis commercia exercere, unde quæ ipſi poſtulant, Sveciæ præjudicio non cedere, & tamen Regi nunc occaſionem eſſe Cromvello gratificandi in negotio, cui jam ſumma conſiliorum adverſus Hiſpaniam innitatur. In quo ſi Rex ſatisfieri eidem nolit, parum ſpei ſupereſſe eundem in rebus majoris momenti ipſis præſto fore. Bondium quoque, ut aliquid de prius adhibito rigore remitteret, ea conſideratio movebat, quod ſpes foret aliquid inde diſſenſionis inter Anglos & Belgas oriturum, magno rebus Svecicis commodo. Nam Belgæ tractatu ſuo de rebus maritimis acriter inſiſtebant, articulis de mercibus bellicis, ac diplomatum valore, aut ut libera navis liberas quoque merces redderet, nulli excuſationi obnoxias, cui poſtulato Angli manibus pedibusque obnitebantur. Si igitur Sveci circa iſthæc nonnihil remitterent, id veluti pomum Eridis fore, Anglis eo pervicacius & majore prætexto ſententiæ ſuæ inhæſuris. Quod ſi igitur Belgæ repugnare pergerent, facile offenſæ anſam Anglis præberi poſſe, ſin demum cedant, Belgarum animos exulceratum iri, quorum rationibus ea res vehementer repugnet. Eoque vel Belgis imitandi Svecos neceſſitatem fore, aut diſſidiorum materiam inde ſurrecturam. Simul Anglis cauſam præbitum iri arctius cum Rege ſe uniendi, Belgarum inſolentiæ compeſcendæ. Et ſpes Bondio erat, ſi heic Anglorum placitis ſe attemperaret, in gravioribus negotiis ipſos viciſſim faciliores fore, aut ſaltem ſcripto ſe reſponſo potiturum, ut quid ex Anglia ſperandum ſibi ſit, liquido Rex judicare poſſit.

Conventionis cum Cromvellio capita. 17. Jul.

§. 81. Ita demum multam poſt diſceptationem abſolvebatur conventio circa negotia, quæ tractatu cum Witelocio Upſaliæ Anno 1654. die XI. Aprilis inito in commodius tempus dilata erant, quorum capita hæc erant.

„Ut utrique licitum ſit intra alterius „ditiones ad pulſum tympanorum „milites nautasque conſcribere, tum „naves bellicas & onerarias conduce„re hiſce conditionibus, ut militem „conducturus alteri id ſignificet de„ſignatis locis, ubi delectus commo„diſſime fieri poſſe arbitretur. Iſta „loca ſi alteri idoneo haut videantur, „alium deſignet locum rationibus ſuis „convenientiorem, alteri parti haut „incommodum. Ut circa numerum „militum naviumque conducendo„rum illius, apud quem delectus ha„bentur, rerum ac temporum ratio „habeatur, ne forte propriis uſibus „alterius ſubtrahantur. Milites in ea „regione, ubi conſcribuntur, arma „non accipiant, ne in navibus qui„dem, niſi intra viginti leucas ab eo „loco, ubi in terram exponendi ſunt. „Nulli quoque milites conſcribantur, „qui jam alterius ſtatus ſtipendiis ad„dicti ſunt, nec à ſignis quiſpiam alli„ciatur. Conducti milites, nautæ, na„ves contra amicos ſociosque alterius „non adhibeantur, quantum conſer„vationi fœderum inter ſe invicem & „cum ſociis percuſſorum, & nunc vi„gentium repugnat. Inde merces „quas ad alterius hoſtes advehere ve„titum ſit, hæ exprimebantur, bom„barda cum pertinentibus, ignes miſ„ſiles, pulvis pyrius, funes igniarii, „globi, cuſpides, enſes, lanceæ, ha„ſtæ, bipennes, tormenta, mortaria, „petardæ, granata, furcæ ſclopetariæ, „ſalpetræ, ſclopeta, globuli, caſſides, „galeæ, thoraces loricati, & ſimilia ar„morum genera, milites, equi & his „inſtruendis neceſſaria, balthei, & „quæcunque alia inſtrumenta bellica, „naves quoque bellicæ & pecunia; eas „omnes merces, ſi alter ad hoſtes ſuos „devehi deprehenderit, prædæ cedant „abſque reſtitutione. Nec uterque „patiatur ſuos cives hoſtibus alterius „operam navare, naves vendere aut „commodare in ipſius detrimentum. „De cætero utrique licebit alias quas„vis merces hoſtibus alterius adveha„re, niſi ad portus & loca ab altero ob„ſeſſa, ac ſi eo navis perveniat, vel „merces obſeſſoribus vendat, vel ad „alia ſe loca conferat. Addita erat for„mula utrinque adhibenda diploma„tum, quibus inſtructæ eſſe debeant „naves ad alterutrius hoſtes profectu„ræ, quibus exhibitis citra impedimen-

„mentum aut ulteriorem inquisitio-
„nem iter pergere queant. Neuter al-
„terius naves, bona, mercesque ab ho-
„stibus aut rebellibus captas in suos
„portus deduci permittat, imo ne id
„fiat palam prohibeant, deductas di-
„vendi ibidem non patiatur, ac captos
„homines statim liberari curet, tum
„naves adductas sine mora portu fa-
„cessere jubeat, salvis tamen priori-
„bus cum aliis foederibus. Liberum
„erit utriusque navibus bellicis alte-
„rius portus, stationes, ac flumina ac-
„cedere, ibique in ancoris stare, ac tu-
„to iterum abire, his servatis condi-
„tionibus, ut quinque aut sex navium
„numerum classis non excedat, quam
„absque denunciatione prius facta in
„portus alterius deducere integrum
„sit, ut protinus navium præfectus di-
„ploma tuti itineris exhibeat, magi-
„stratibus loci, ubi adpulerit, causis
„adventus expressis, ut ne justo pro-
„pius ad munitiones istæ naves acce-
„dant: ne ultra quadraginta nautæ &
„milites turmatim & numero ad su-
„spicionem movendam composito in
„terra descendant, ut nemini, ne ho-
„stibus quidem suis damnum ibidem
„inferant, nec mercatoriis navibus
„molestiam dent, ut inde velut è sta-
„tione non egrediantur, redeantque
„infestandæ cujuscunque gentis navi-
„gationi, denique ut ibi modeste, & ad
„mores legesque cujusque loci se ge-
„rant, & prout amicitia inter utramque
„gentem dignum est. Sed si alteruter
„pluribus navibus in alterius portus in-
„gredi necessum duxerit, duobus ante
„mensibus id alteri significet, ubi de
„modo & ratione eas admittendi con-
„veniendum sit. Insuper terni utrin-
„que arbitri constituantur, qui super
„restitutione eorum, quæ Svecicis ci-
„vibus nupero cum Belgis bello ab
„Anglis ablata sunt, cognoscant, læ-
„sisque satisfieri curent, ea cognitio
„intra semestre absolvatur, satisfactio-
„ne pro damno accepto intra mensem
„post latam sententiam facienda. An-
„gli deinceps in Borussia & Polonia
„eadem qua hactenus libertate com-
„mercia sua exerceant, ac si cuipiam
„nationi exteræ Rex privilegiorum
„quid ibi concesserit, Angli eodem
„fruantur. Addebatur de commer-
„ciis in America, quanquam lege cau-
„tum sit, ne cujusvis reipublicæ sub-
„ditis citra peculiarem licentiam
„commercium ibi promiscue habendi 1656.
„potestas fiat, si quis tamen civium
„Svecicorum à Rege literis commen-
„datitiis instructus hanc sibi licentiam
„privatim ad eas colonias petiverit,
„ei Protector, quoad Reipublicæ sta-
„tus pro tempore permiserit, grati-
„ficabitur. Simul liberum erit sub-
„ditis Sveciæ per maria & littora di-
„tionis Anglicanæ haleces aliosque
„pisces capere, dummodo mille na-
„vium numerum piscantes non exce-
„dant, neque ullum inter piscandum
„impedimentum aut molestia infera-
„tur à navibus præsidiariis, aut ex-
„cursoribus maritimis, quibus di-
„plomate permissum est res suas pri-
„vatim suo marte repetere, nec à pi-
„scantibus in plaga Boreali Britan-
„niæ piscationis nomine onera ali-
„qua exigantur, libera quoque facul-
„tate annonam justo pretio ab eorum
„locorum incolis comparandi. Se-
„parato articulo cavebatur, ea quæ
„super mercibus vetitis convenerant
„nullum effectum habitura, ac ea om-
„nia in priori statu mansura, nisi Rex
„consenserit, ut durante hoc cum Hi-
„spanis bello pax arida & liquida, ca-
„nabis, rudentes, carbasum, mali
„vetitis mercibus annumerentur,
„quas Svecis in nulla loca ditionis
„Hispanicæ advehere, Anglisque eas-
„dem intercipere ac publicare inte-
„grum sit. Quod si autem super hoc
„capite non convenerit, cætera pacti
„capita non minus firma fore. Sub-
scripserant pactum Nathanael Tien-
nes, Bulstrodus Widheloke, Gvalther
Strikland.

Super arctiore fœdere deliberatur.

§. 82. Ast super arctiore fœdere omnem jam successus spem depositurus Bondius ob ægrum Angliæ statum, qui nisi Parlamento aut alia ratione fulciretur, nil solidi promittebat. Ac rebus domi ambiguis cum exteris nil serio concludere dabatur, quia aliquam subterfugii rimam sibi reservarent, irritis omnibus in Hispanos conatibus, exhausto ærario, ac præsenti regimine civibus invisо. Unde eo minus molestum erat Bondio re infecta discessisse, nisi quod valde intererat saltem in speciem amicitiam inter Sveciam & Angliam sanciri, ne Belgis ad insultandum Regem audacia glisceret. Jussu tamen Regis super isto fœdere iterum movebat Bondius, & apud ad-

ao. sept.

jun-

junctos sibi Commissarios, quam necessarium juxta atque utile id foret, exponebat, sed quia Angli hactenus rem serio non egerant, cum tamen eodem æque ac Sveci opus habere viderentur, sat frigide istud agebat, velut parum sua interesset, utrum id succederet, an minus, jactans, dum moræ ab ipsis nectuntur, tempora interim valde mutata esse, Regi jam de Cæsaris amicitia cautum, cujus legati apud istum sint amica omnia offerentes. Cæsarem quoque valetudine afflicta, filium nondum Regem Romanorum designatum, cui se multi ex Ordinibus imperii sint opposituri, quæ cura ipsum nunc quam maxime exerceat, ut Rege amico uti gaudeat. Sed & Protestantium res in præsens extra periculum positas videri, quod Hispani testentur, sibi cum Anglis non super sacris sed super America certamen esse. In Gallia Hugenottos tolerari, in provinciis Cæsareis persecutiones quiescere declinandæ Svecorum offensæ. Nec multum periculi à Danis & Belgis imminere, aut si quid tentare isti velint, in proclivi esse Regi pacem cum Polonis invenire, qua facta cuivis par sit, qui lacessere ipsum instituat. Contra Cromvelli res ivisse in deterius, ut Rex merito dubitare possit, num expediat arctius eidem annecti. Indies magis bello Hispanico immergi, ex quo non parum incommodi sentiat, terriculamento etiam Caroli Stuarti subinde objecto. Cæsarem quoque apud Gallum Angliæ se hostem declarasse. Hæc & plures considerationes etsi Regi fœdus id diffuadere queant, si tamen id cordi ipsis sit, se in has leges conclusurum, ut conjunctio fiat contra quoscunque obtentu tuendæ pacis Westphalicæ, tum ut statim de modo auxilii ferendi conveniatur. Vicissim de primo suo postulato circa subsidium pecuniarium se remissurum. Ad quæ Angli reponebant, haut consultum sibi videri Danos & Belgas tali fœdere offendere, accedentibus præsertim, ejusmodi conditionibus, quæ ipsorum commercia & commoda tangant. Quod si tamen defensivum fœdus Rex secum inire velit adversus Domum Austriacam, Poloniam & Carolum Stuartum, eundem id effectum habiturum; quod Dani & Belgæ invadere Regem nequeant, nisi Polonis jungantur, qui nec contra Angliam tentare quid possint, nisi Hispanis sociati. Sic ut idoneum prætextum fœdus præbiturum sit auxiliis mutuo ferendis adversus hostium nostrorum socios. Bondius contrà hac ratione fœdus defensivum iniri haut posse, quod Cromvellus jam bello cum Hispanis implicitus sit, ac Cæsarem conclusum ejusmodi fœdus in clarigationis vicem accepturum. Quo descendere Regem nulla necessitas compellat, nec constare sibi, quid à Cromvello vicissim expectandum sit. Addebat, se mirari satis non posse, quare tam ægre Belgas offendere velint, quibus cum bellum declinari nequeat, cum constet, hosce hostibus Angliæ omnia subvehere, quibus indigeant, ac plerasque Dunquercanorum naves, quæ tantum damni Anglis dent, ab iisdem armari, ac navalibus sociis instrui. Ista ni tolerare in perpetuum velint Angli, in arma utique erumpendum. Frustra excusare Belgas ista à privatis fieri. Nam utique naves publicas argentum ex Hispania in Flandriam vexisse. Ac ideo istorum Legatum tam acriter insistere, ut libertate navium merces quoque firmarentur, quo ipsi pro lubitu Hispanis assistere queant. Ad quæ nihil quod responderent Angli habebant. Et patebat, illos cupere Regem cum Cæsare committere, & post ad id bellum conferre, quantum placeat. Scrupulum quoque injiciebat, quod Thurlous legato Belgico Neoportio dixerat, lubente Cromvello fieri, quod Belgæ sua commercia in mari Baltico quacunque ratione tuentur. Unde Bondius ostendebat, parum sibi cordi esse cum tractatum, ni efficiant, & tuto eidem confidi queat. Iniquum esse, se annum amplius hic detentum nunc infecta re dimitti. Pollicebantur Angli, se super eo negotio diligenter deliberaturos, spe facta, legatum eo nomine ad Regem mittendum. Id quod Bondio idoneum videbatur suspicioni æmulis injiciendæ. Sane superiore hieme cum spes Cromvello esset classis Hispanicæ intercipiendæ, animus ei fuerat fœdus cum Rege inire. Sed conatibus contra Hispanos irritis, ac vacillantibus domi rebus haut placebat, conjunctione cum Rege Danos Belgasque offendere. Neque tamen idem permoveri poterat, ut adversus Regem quid susciperet, Dano quan-

Nempe.

1656.

1656. quantumvis per Belgas ipſum inſtigante. Quin & Danus ad eundem ſcripſerat, faciem rerum nunc ita miram videri, ut valde ſua interſit noſſe, quæ conſilia Anglorum Respublica nunc captura ſit. Ad quod Cromvello nihil reſpondere placuit. Ita Bondio nihil ſupererat, quam ut legationem ex Anglia ad Regem mittendam urgeret, ac ut cum inſignibus honoris ac affectus indiciis dimitteretur, quo fama ſingularis amicitiæ Danis ac Belgis ſuſpicionem injiceret. Cum valediceret Cromvello Bondius, ille de affectu ſuo in Regem multa teſtabatur, & quantopere Belgarum acta ſibi diſpliceant. Fœdus cum Rege inire cupiiſſe, ſed veritum, ne malevolorum conſilia magis irritaret, ſimul malis domeſticis ſuiſſe diſtractum Communem Proteſtantium cauſam ſibi ſemper maxime cordi fore. Addebat de mittendo ad Regem legato, ac graves ſe literas ad Belgas in favorem Regis ſcripturum, id quod & factum eſt. Earum literarum argumentum erat, *cum Proteſtantium rebus non leve periculum immineat ob diſſidia præcipuorum inter iſtos capitum, cavendum ipſis, ne per conſilia Hiſpanica in fraudem inducantur, ſimul curandum, ut cum Svecia Rege ipſis conveniat, cui fini operam ſuam ſit accommodaturus.* Idem ſuadebat Regi, ut cum Moſco tranſigat, quo facto cum reliquis hoſtibus facile conventurum. Perierat Rex centum aut ducenta unciarium millia mutuo, hoc colore, non quod tantopere illis indigeat, ſed ut publicum ſolidæ amicitiæ inter ipſos indicium extet. Sed excuſabat Cromvellus argenti inopiam. Ad obſtruendum Archangeli portum & acceſſum nonnulli mercatores ſat prono ſe oſtendebant, Moſcis infenſi. Sed annus jam in autumnum præceps iter ſuſcipi vetabat. Et ſi Bondio pecuniæ affatim fuiſſet conducendis privatorum navibus, res haut ægre proceſſura videbatur, ſed de publico quid conferre Cromvellus abnuebat. Ita Bondius ex Anglia diſceſſit magna dexteritatis laude ſibi parta, quæ pro Rege effecerat opinione magis, quam re conſtabant. Eo digreſſo, in Anglia remanere jubebatur Georgius Fleetvvodius, cui per fratrem Carolum familiaris in aulam acceſſus patebat, operam navaturus dijicien-

disDanorum & Belgarum ibi machinationibus, ac ut Cromvellus ſaltem, ne noceret, ſi prodeſſe nollet, ac ad tuendam Boruſſiam Regi auxilium ferret. Quæ ſolito lentore eludebantur. Id tamen facile impetratum, ut Cromvellus legato ſuo Bendyſſio ad Portam Claudium Ralambium diligenter commendaret, qui & re ipſa hujus negotium cordi ſibi eſſe oſtendit. 1656.

§. 83. Haut minus incaſſum ponebatur opera circa neſtendum fœdus cum Danis, quod Belgarum claſſem Mari Baltico excludere potiſſimum Rex ſtudebat. In ejus fœderis formula per Danos exhibita id notaverat Rex, quod illi iſthoc ad defenſionem quoque Oceani ſeptentrionalis porrigi vellent, id quod & ipſis Danis oneri fit futurum, velut hoc modo ad defenſionem Albis & Viſurgis obſtringendis. Tum & nullum hujus fœderis fore fructum, ni prioribus fœderibus huic adverſis renuntietur. Cauſam de ſacrorum Evangelicorum defenſione ad alios tractatus ſpectare. Plures in fœdus defendendo Mari Baltico ſuſcipi, utrique Regno fraudi eſſe, quod horum præcipue interſit, ne alius quid ſibi juris in id mare arroget. Tractatum perfectum per utriusque partis Commiſſarios in loco tertio ſolenniter promulgari Regi convenientiſſimum videbatur, cui legatos eo nomine Haſniam mittere haut placebat. De cætero jubebatur Magnus Durellius Danis de affectu Regis confirmare operamque dare, ne iſti per malevolos in transverſum ſe rapi patiantur. Is igitur aſſumta iterum ſuper fœdere tractatione ad articulum quintum oſtendebat: Scopum fœderis eſſe armatas claſſes Mari Baltico arcere, quo ipſo tamen non excludi naves armatas Curlandicas aut Lubecenſes. Neque Belgas prohiberi, quo minus naves ſuorum onerarias præſidiariis bellicis usque in Oreſundam comitentur, modo iſthoc prætexto armatis cum claſſibus in Mare Balticum ne irrumpant. Circa ſextum articulum Dani priora fœdera, ut ſarta tecta manerent, contendebant. Contra Durellius oſtendebat, liquida utique declaratione hoc opus eſſe, inprimis ob tractatus ipſorum cum Belgis initos, qui cum hoc fœdere nullo modo conſiſtere queant. Ad quæ Dani velut ſcripto reponebant Conradum Beuningium *Gen.*

Tractatus cum Danis habent.

Durell.

18. *Febr.*

Beuningium Gen.

1656. gium Legatum Belgicum haut levi ſuſpicione æſtuare ob hoſce congreſſus, & acriter inſtare, ut Daniæ Rex ſibi tanquam fœderatæ Reipublicæ Legato communicet, quid ipſi cum Svecis negotii intercedat, ac ſi ſuper fœdere agitetur, ut Belgæ quoque in ejus partem admittantur. Igitur noſſe cupere, an Regi Sveciæ id diſpliciturum ſit, ſi iſthæc Belgis communicentur, præſertim cum ipſi ex fœdere ad hoc teneantur. Ad quæ Durellius. Ipſis optime conſtare debere, quomodo Beuningio ſatisfaciant. Se tamen aliter judicare non poſſe, quam Regi ſuo id inutile viſum iri, ſi Belgæ in fœderis hujus communionem admittantur, quod peculiares utriusque regni rationes tangit: quos veroſimile eſt, nulli parſuros operæ, ut tam ſalutare negotium impediatur. Nec pactis id inter Danos & Belgas repugnare, cum nihil in ipſorum fraudem tractetur, niſi iidem injuriam inferre cœperint.

20. Febr. Gerſtorf. Poſt biduum Daniæ Rex per Gerſtorfium declarabat: Se cum Senatu negotium hoc probe ponderaſſe, & quanquam ea, circa quæ adhuc diſcrepent, tanti non ſint, quin in eandem cum Rege Sveciæ ſententiam deſcendere poſſit, tamen cum legatio Belgica tam acriter inſtet, tractatum ſibi communicari, eidemque ſuos includi, placuiſſe, præſertim cum Durellio facultas non ſit concludendi, Ovvenum Julum protinus ad Regem mitti, mandatis idoneis inſtructum, ut huic gratias agat pro tractatu fiduciæ pleno, & ut omnia acta communicet, ſimul ejusdem ſententiam exquirat, num conſultum ducat Anglos juxta ac Belgas in conſortium hujus tractatus admitti. Nam adparebat, Danos Belgarum offenſam metuere, ſi ſeparatim quid cum Svecis concluderent. Et quia jam legati è Belgio ad Regem Sveciæ deſignati erant, occaſionem poſſe præberi ſuper eo tractandi & Belgas conciliandi. Ita hiſce ſatisfieri & tempus extrahi. Addebat, optari à ſe, ut Durellio facultas transmittatur tractatum perficiundi, ac ut ſolennia huic promulgando ab utriusque Commiſſariis loco tertio peragantur.

Ovve Jul.

Dani in transverſum abeunt. §. 84. Enimvero jam indicia erumpebant in transverſum abeuntis apud Danos animi. Nam Julus iſte in Boruſſiam ad Regem perveniens de fœdere plane ſilebat, & cum poſt ultro moneretur, nihil in mandatis ſibi de eo datum excuſabat, nec aliud quid declarationis expromebat, quam ut, ſi quæ proponantur, ad Regem ſe relaturum, diceret. Et mox patebat, Danos tam in Anglia, quam apud Belgas Regis ſcopum circa hoc fœdus ſiniſtra admodum interpretatione diſtuliſſe. Inter quæ Durellius Gerſtorfium monebat, quia ſibi conſtet Belgarum legatos multa in mandatis habere, quæ ad diſtractionem animorum & diſſidia excitanda faciant, ut ne Dani poſtulata ipſorum annuant in ulla re, quæ Sveciæ fraudi cedere, aut turbas his in oris excitare poſſit. Tum quia Gedanenſium Syndicus in Hollandia, dum auxilia mari ſubmitti poſtulat, confirmarit, Daniæ Regem ipſis ſe protinus ſociaturum, ut Rex Miniſtris ſuis Hagæ imperet ab iſto jactatis contradicere, ne Gedanenſes amplius eo fundamento Belgas urgere poſſint. Ad quæ Gerſtorfius: Noſſe ſe Belgicis legatis injunctum periculoſa quædam negotia heic tractare, ſed credere jam ipſorum conſilia turbata eſſe, ut iſta propoſituri non ſint. Si tamen tale quid conentur, Friderico Regem oſtenſurum, ſe magis amicum Sveciæ, quam Belgis eſſe, Gedanenſium quoque Syndicum protinus mendacii arguendum. Enimvero parum ſincere iſta dici inde patebat, quod poſtquam Belgarum legati in Hollandiam de ſtudio Regis Daniæ in ipſos retuliſſent, Belgæ magis quam antea animarentur ad claſſem in Mare Balticum mittendam. Nec obſcurum amplius erat, Danis propria inclinatione, an Belgarum inſtinctu, non amplius cordi eſſe fœdus cum Svecis concludere, ſed tempora captare, ac prout res in Polonia Svecis ſuccederent, conſilia formare, ſi quid hiſce adverſi accidiſſet, in lucrum verſuri. Sane cum nuntii falſi de clade ac cæde Regis adferrent, jam movere ſe, ac infeſta ſpirare videbantur. Ac jam de Bremenſi provincia, & Calmaria ſimul invadenda fremebant, ac valida claſſe è Danis Belgisque compoſita impediendam communicationem inter Sveciam & Boruſſiam, portumque Holmenſem obſidendum. Qui tamen fremitus mox conticeſcebant, cum eos rumores falſos fuiſſe compertum eſſet. Simul gaudebant,

1656. pacem Svecos inter & Polonos non ſuccedere. Ac ne talia temere, aut per animi malignitatem agere viderentur, nullis perſuaſionibus adimi ſibi patiebantur ſuſpicionem, Svecum utique oculos in Daniam conjeciſſe, ac non niſi beneficium ordinis ſibi indulgeri. Eoque prudentes non dubitabant, quin Dani in arma erupturi forent, ſi quam cladem Sveci in Polonia accepiſſent. Inſtigabat ſua ſponte infenſos & Belgarum legatio, quæ ipſis perſuaſerat, ſtatim atque Dani in arma proruperint, magnam partem exercitus Svecici ad Danica ſtipendia tranſituram, ægris militum animis ob ſeveram diſciplinam, jejunaque hoſpitia & laboriofiſſimam militiam prædæ inanem. Ac Ovvenus Julus, qui ſpecie legationis ad ſtatum exercitus Svecici explorandum miſſus erat, ſcripſerat, Svecos ſerius ocyus in caſſes præcipitaturos. Cum etiam Durellius inſtaret, prohiberent Dani, ne Belgica claſſis in fretum accederet: hi regerebant, ipſi Regi Sveciæ ea de re cum Belgicis legatis in Boruſſia tractandum. Id quod abſurdum eſſe iſte demonſtrabat, quod id negotium ipſius quoque Daniæ Regis autoritatem ſpectaret. Ea claſſis cum initio Junii in Oreſunda adpelleret, à Danis omnibus lætitiæ ſignis excipiebatur. A Moſco quoque Ablegatus tunc Hafniam venerat, qui confirmabat, Czarem utique in bellum cum Svecis erupturum recuperandis, quas olim amiſerit, terris, petens, ut & Danus arma arripiat, aut ſaltem neutri parti addictus quieſcat. Addiderat, miratum Czarem, tamdiu à Dano nullam legationem in Moſcoviam veniſſe, ac pronum ipſum eſſe excolendæ veteri amicitiæ, quæ Czarem inter & Regem olim ſit contracta. Ei reſponſum: Regem pro vetere amicitia libenter facturum, quæ Czari placeant. Ac ſi hic bellum in Svecos ſumſerit, non ſolum ipſum quieturum, ſed & fortaſſe ea occaſione uſurum ad vindicandas Daniæ quondam ſubtractas provincias. Cæterum omnibus modis Moſcorum deſtinata fovebant Dani, ſecretis colloquiis tam ipſi quam Belgæ talia iſtis ingerentes, quæ ad abrumpendam cum Svecis pacem facerent. Ei regreſſo adjungebatur *Kaſ.* Hermannus Kaſius cum literis ad Czarem, de amicitia Regis ipſi confirmaturus; &, qua opus ſit, Czarem in Svecos irritaturus. Et obſervabatur tam Danis quam Belgis ſpiritus tunc creſcere, ipſosque præter ſolitum concurſare ac ſatagere. Obtulerat Moſcus Dano inſignia privilegia in portubus Livoniæ à ſe capiendis, ſi pacem cum Svecis abrumpere vellet, ſimul oſtendebat, ſe claſſem in Mari Baltico paraturum, quo fine decem millia epibatarum è ponto Euxino evocaſſe, & Curlandum per moturum ad ſuas naves ipſi tradendas. Quod tamen inſtitutum de claſſe Moſcica Da- *Jul.* no parum arridebat. Juſſu Regis inde Durellius apud Danicos miniſtros inſtabat, ne claſſem Belgicam perfretum in Mare Balticum penetrare permitterent, ad promiſſa Regis Daniæ, & pacta inter Borealia Regna provocans. Cui reponebatur, eam claſſem ultro veniſſe, ac Regi Sveciæ in Hollandia laborandum, ut ejus iter ſiſtat, Durellio nequidquam ingerente, Daniæ Regis eſſe freta, in quibus claſſis illa agat, eamque rem ipſius jura regalia ſpectare, quæ utique per ipſum defendi debeant. Ad quæ Dani præter impotentiam prohibendi quod reſponderent nihil habebant, ac Belgas ſe quoque invitis in Mare Balticum perrupturos. Ei claſſi permiſſionem fretum tranſeundi adferebat Nicolaus Trollius Norvegiæ Prorex, poſtquam *Trolle.* legati Belgici Dano prius caviſſent, eam permiſſionem ipſi fraudi non fore, ac ſi quid turbarum inde ſurgat, Belgas promiſſa ex pacto ſubſidia in duplum aucturos, ac ſi Dania eo nomine in bellum incidat, Belgas ad recuperandas provincias amiſſas operam collaturos. Sub id tempus Rex Daniæ cum filio primogenito iter in Norvegiam parabat, quod antequam ingrederetur, in ſenatu proponebat: Num conjunctione cum Belgis inita Svecis arma ſint inferenda? Quod etſi aliqui affirmarent, plures tamen cenſebant. In Belgarum „conatus haut propere ruendum, ſed „videndum prius, quomodo iſtis juxta, „Moſcisque res ſucceſſuræ ſint. In„terim pacem colendam; Sed ſi Sve„corum res in Polonia ruant, aut Cæ„ſar Moſcique in arma erumpant, pro „re nata conſilium capiendum. Sane ad ſiniſtros de Svecis nuntios Dani magna jam ſpirabant, haut obſcure jactantes, ſaltem amiſſas provincias ſe recuperaturos, Svecosque ad vectigal in freto ſolvendum compulſuros. Scribeban-

1656.

1656. 15. Jul. bebantur inde literæ à ſenatu Daniæ ad ſenatum Svecicum quales plerumque bellorum inter ea Regna prænuntiæ fuerant, quibus querebantur, *hoc bello Polonico multa incongrua orta, vaſtata Polonia & commerciis Maris Baltici turbatis, inprimis exacto ad littus Gedanenſe vectigali, ſimul poſtulabant, Regi ſuo ſuadeant, ne deinceps ejus urbis antiquam libertatem turbet, præſertim cum illa paci Bræmſebroënſi ſit incluſa.* Ad quas ſequenti demum anno Senatus Sveciæ reſpondit, refutatis quæ objiciebantur: ac Gedanenſibus nihil illatum, qui non ipſi cauſam præbuerint. Iſti Danorum motus Regem ádvertebant, ut nollet plus copiarum è Svecia in Livoniam mitti, juberetque in omnem eventum in Svecia adverſus Danum arma parari. Tum ut ſex naves bellicæ, quæ ad oſtium Viſtulæ excubituræ erant, domi manerent ob Belgicæ claſſis adventum. Ad Luneburgicos quoque miſſus David Mævius, ut eos Principes averteret, quo minus Danorum deſtinatis faverent. Aſt ubi Danis intellectum fuit, per Sveciam omnia, parandis armis ſtrepere, delectusque haberi, ſimul præſidia Calmariæ, Halmſtadii & Gothoburgi firmari, iſti quoque circa paratus ſuos trepidare, ac provincialem militem expedire, tum Lubecæ delectus agere, ſimul toto Regno ſocios navales conquirere. Tum haut paulo inſolentiores Regem ultro arguere, quod barbaricas nationes in orbem Chriſtianum pertraheret, quid ipſi apud Moſcos effeciſſent, immemores. Frigidam ſtrenue ſuffundebat Beuningius tam apud Amſtelodamenſes ſuos, quam apud Danos, queis perſuaſerat, Sveciam in præſens cum ſex militum millibus opprimi poſſe. Et quamvis victoria ad Warſaviam res Svecorum utcunque erexiſſet, utique tamen aliquando Regem temere ruendo ſuos juxta ac Brandenburgicos in exitium daturum. Unde & Dani jam de invadenda Hollandia & Bremenſi provincia jactabant, cujus incolæ imperium Svecicum pertæſi mutationem anhelent. Et cum de ſucceſſu tractatuum Elbingenſium nunciaretur, ægre id ferebant, aperto indicio, ipſis hactenus non commercia aut Gedanum cordi fuiſſe, ſed, ut Svecis Belgisque inter ſe commiſſis, in turbido piſcarentur, ad ſtatum minus formidabilem redacta Svecia. Et quia conſtabat Cromvellum, quem hactenus metuerant, in præſens ſeſe haut commoturum, gliſcente audacia decem naves bellicas emittebant, ad oram Gedanenſem Opdamo ſeſo jun- 27. Aug. cturas, inani animoſitatis oſtentatione, cum eo ipſo tempore Opdamus cum claſſe Belgica domum reverti juberetur. 1656.

§. 85. Cæterum poſtquam arctiore ſe fœdere Brandenburgicus Elector Regi illigaſſet, hujus inſtinctu, qui Dani amicitiam conſervare ſuis tunc rebus proficuum judicabat, circa pacem inter vicinos Reges ſervandam operam navare inſtituit. Eo fine in Daniam mittitur Evvaldus Kleiſtius, qui Dano de conjunctione armorum Electoris cum Sveco & arctiore fœdere ſignificaret, petens, ita Danus negotium inter Svecos Belgasque moderetur, ne in bellum inter iſtos erumpatur. Ad quæ Danus, non diſplicere ſibi factum Electoris, modo per id oppreſſio urbis Gedanenſis non quæratur. Addebat Kleiſtius, poſtquam Elector intellexerit, Regi Sveciæ cordi eſſe, ut tractatus ſuper fœdere ab ipſo propoſiti continuentur, eum officia ſua huic negotio abſolvendo offerre. Ejusdem utilitas ac neceſſitas gliſcentibus cumprimis Pontificiorum armis, magno ſtudio deducebatur, ac mutuam diffidentiam atque diſcordiam unicam fere cauſam eſſe, quare aliæ nationes iſtis duobus regnis leges præſcribere audeant. Id quod Daniæ Rex æque ac ſenatores vere dici agnoſcebant, ſed culpam penes Carolum Guſtavum Regem eſſe, quod non plus in fœdere profectum ſit. Cæterum gratias Electori pro oblata opera agere ac optare, ut ab ipſo negotium ad finem deduci queat. Mox tamen privato congreſſu Joachimus Gerſtorfius apud Kleiſtium querebatur, Danicam amicitiam hactenus in Svecia vili admodum pretio habitam. Statim poſt finitum noviſſimum bellum proprio auſu duas parochias ad Norvegiam ſpectantes à Svecis Jemtiæ adplicitas. Ingentia quoque detrimenta vectigali Oreſundico inferri in emolumentum Belgarum, nullo fructu Regni Sveciæ. Denique nuper duas naves Svecorum bellicas Danicam navem in freto inſultaſſe. Ad quæ reponebatur, *ſuper parochiis hiſce protinus per commiſſarios inquiſitum, nec de iisdem mentionem amplius hucusque factam. Regem Svecia præſtare non poſſe, quo minus* *Brandenburgicus reaſſumendo tractatui operam offert.*

Evvald Kleiſt.

1656. *minus fraudi à Belgicis nautis exerceantur. A Rege quoque circa hanc rem adhibita omnia idonea officia, qua tamen cesserint magis in damnum civium Svecicorum, quam usum Danie Regis, nec in amicitiæ specimen eadem fuisse accepta. Naves illas duas fuisse missas ad Joannis Casimiri Regis res intercipiendas, qua Gedano advehebantur, nec plus feciſſe, quam quod ex nauclero Danico quæsiverint, num Polonicas merces veheret, ac propter explosam in ipsas machinam duos unciales ipsum popoſcerint, quos tamen mox Durellius, navarcho restituerit. Contra Danos statim post finitum proximum bellum noxia Svecis pacta cum Belgis affectasse, & post conclusisse, è quibus pernicioſi Svecia juxta ac Dania effectus, confiscationes, vectigalium illegitima exactiones & similia promanarint. A Carolo Gustavo tamen initium factum arctioris fœderis quærendi, quod haut quaquam indecium sit spreta à Svecis Danorum amicitia.* 6. Sept. Mox tamen ſcripto declarabat Fridericus Rex, acceptari à ſe Electoris officium, ac placere ſibi inſtitutam ſuper arctiore fœdere cum Svecis tractationem continuari. Eam declarationem ægre ferebat Beuningius jactans, ſi ſuper mutuis querelis agatur, id à ſe ferri poſſe: ſed ſi ſuper Mari Baltico convenire quid velint, id Belgis fraudi cedere. Dani contra adverſus Durellium & Kleiſtium de ſtudio ſuo in amicitiam Svecicam ambitioſe teſtabantur, ut Belgas æmulatione accenſos eo promtius in rationes ſuas pertraherent.

Caroli Gustavi circa eum tractatum considerationes. §. 86 Kleiſtius accepto reſponſo propere in Boruſſiam remeabat, id Carolo Guſtavo communicaturus. Ex iis, quæ iſte ſuper rebus Danicis referebat, Rex colligebat Dano gratum fore, ſi quæ ipſe apud Cæſarem, Moſcos, Belgas adverſum Sveciam machinatus ſit, expiari queant. Præſertim cum conſilia ipſius non parum turbata fuerint, tractatu cum Belgis Elbingæ ſuccedente, & quia arma Cæſaris, quæ iſte in Svecos parari ſperaverat, in Italiam verterant, fractis etiam apud Warſaviam Polonorum viribus, & lubrica Moſcorum fide, ſimul doleret, ſe infeſta in Sveciam deſtinata præmature apricatum. Unde mox reverſum Hafniam Kleiſtium Daniæ Rex vultu in lætitiam compoſito audierat, eique velut ſecretum revelarat: Czarem ſibi de tractatu adverſus Sveciam ineundo propoſuiſſe oblatis opimis conditionibus, in quem ipſe certas ob rationes deſcenderit, nec dum tamen certi quid concluſum. Quod ſi intelligat Sveco cordi eſſe cæptos ſecum tractatus abſolvere, ſe diverticula inventurum negotiationi cum Moſco abrumpendæ, ſimul Sveco ſe adverſus Moſcos ſociaturum. Ac miſerat Danus formulam fœderis Regium montem, ut cito Caroli Guſtavi ſententiam ſuper ea cognoſceret. Quia igitur huic veroſimile videbatur Danum hac rerum facie renovationem amicitiæ quærere, ſancita ante actorum abolitione, placebat eidem tractatus iſtos inſtaurari, è quibus mox adpariturum erat, num ſerio res à Danis, an minus, ageretur. Interea tempus hac negotiatione extractum lucro cedere. Nec eo ſecius Guſtavo Hornio ac ſenatui injungebat, domi omnia probe obſervare, & arma repellendo Dano inſtruere. Porro Durellio Rex exemplum declarationis Kleiſtio datæ ſuper inſtaurando cum Danis tractatu transmiſerat, juſſo tamen non prius de eo movere, quam intelligat initium agendi à Kleiſtio factum, ſuamque declarationem Dano inſinuatam. Tunc & ipſe pro re nata teſtaretur, Regem ad propoſitionem à Brandenburgico factam ita declaraſſe, ut Danis conſtare queat, firmam ipſi ſedere mentem cæptum negotium abſolvendi. Inde vero diligenter exploraret, num Danis cordi ſit cum Svecis fœdus concludere, an vero tempus duntaxat extrahere, & poſt arridente occaſione in hoſtilia erumpere. Simul procuratorium Durellio mittebat, addito mandato, ut ſi Dani laxioribus duntaxat verbis affectum ſuum teſtarentur, nec diſerte & decenti modo Regis ſui ſtudium circa ordiendos tractatus oſtenderent, itidem non niſi langvidis verborum formulis occurreret ſibi mandata non defore, ubi rem ſerio agi ſenſerit. Sed ſi protinus ad negotiationem ipſos ſerio accedere velle perſpiciat, pari ſtudio iisdem reſponderet. Nolebat quippe Rex effuſum cum ipſis tractandi deſiderium oſtendere, ne iſtos formidare videretur, eorumque ludibrio ſeſe exponeret. Summa porro mandatorum quæ Durellio tunc mittebantur, hæc erat: *Demonſtraret Danis, Regi gratum fuiſſe*

1656.

1656. *fuiſſe è Kleiſtio intellexiſſe, Fridericum Regem ſinceram cum ipſo amicitiam excolere, eidemque arctiore fœdere jungi cupere, quo fine & tractatus ſuperiore anno captos abſolvi velit. Ipſum in id ſemper proclivem nec antea quid omiſiſſe ad id perficiendum, & nunc idem deſiderium perſiſtere, quo fine ſe mandatis inſtructum ad negotium id ſuſcipiendum & perficiendum, quod legati utrinque in loco tertio congreſſi modo ſolenni tractatum firmarent. Interea Regem uti velle oblato Brandenburgici officio, quantum eodem opus ſit, adornandis præliminaribus ſuper loco & tempore congreſſus legatorum.* Quod ſi Dani culpam tamdiu interruptæ tractationis in Svecos conjiciant, dextre ac modeſte id refutaret, ac oſtenderet, *eam remoram ab intempeſtiva Danorum objectione ortam, alias Respublicas huic tractatui admiſcere cupientium, quibus circa negotia horum regnorum & inprimis circa conſervandum Dominium Maris Baltici, quod fœdere potiſſimum ſpectatur, nihil juris competat. Id quod & Ovveno Julo Mariaburgi, cum de iſto tractatu moviſſet, demonſtratum ſit, rationes & commoda utriusque Regni non admittere, ut Angli & Belgæ velut partes contrahentes in eo concurrant, ſed quo minus honoris gratia & prout in fine tractatuum mos eſt includantur, penes Sveciam nullum dubium eſſe. Et Julium iſtum Regis ſui mentem circa hoc ignorare ſe faſſum, ac relaturum ad iſtum recepiſſe nullo hucusque reſponſo. Inde ipſum agnoviſſe, ob mutata interim tempora, claſſemque in Mari Baltico verſantem, & ferventes Elbinga tractatus intempeſtivum fuiſſe in Dania de iſto negotio agitare. Ex quo manifeſtum ſit, ipſos Danos in culpa eſſe, quod tractatus vado adhæſerint. De cætero incongruum eſſe extraneos Principes huic negotio innectere alio modo, quam quibusvis tractatibus, & ipſi Dani fœdere cum Belgis fecerint. Ac eo minus cauſa eſſe circa nos includendos ſatagere, quod nuper cum iſtis ſeparati tractatus ſint confecti, nec conſtet, an ipſi id deſiderent.* Aſt ſi Dani ad tractatus accedere, abnuant, niſi Belgis dicto modo incluſis, Durellius oſtenderet, ſi Belgæ hoc modo admittendi ſint, Regi quoque neceſſitatem adferri Gallos, Anglos & Luſitanos invitandi, id quod moras, pluresq; difficultates generaturum ſit. Et utique prius explorandum, num exteri illi hanc incluſionem affectent. Iſta tamen 1656. Durellius ſingulari cum dexteritate inſinuaret, ne Dani arguant Regem hoc negotium ultro difficultatibus implicitum ire, tum ne Belgis ſcrupulus injiciatur, Danisve anſa præbeatur Belgas ſuſpicionibus agitandi, & circa jus in Mari Baltico contradictiones movendi. Quod ſi Dani hac difficultate omiſſa ad tractatus accedant, Durellius priori formulæ inſiſteret, ac inprimis pacta Brœmſebroënſia fundamenti loco ſubſterneret, haut permiſſo, ut aliquid iſtis contentum in diſceptationem trahatur. Quod ſi aliqua probabilia gravamina à Danis proferantur, puta de abuſu certificationum, finibus non ſat exacte rectis & ſimilibus, iſta audiret ac ad Regem referret, qui operam daturus ſit, ut juxta tenorem pactorum corrigatur, ſi qua Dani revera læſi ſint. Caput de mutuo auxilio parum Regi curæ erat, ſi tamen id Dani proponant & affectent, Rex id acceptari conſentiebat, prout ipſi velint, terra, marive, modo id fiat reciproce, & cum hac cautela, ſi neceſſitas urgeat, & id expoſcatur. Et quia Moſcus dicatur hinc inde naves conquirere in Mari Baltico adhibendas, Durellius Danorum mentem expiſcaretur, quid ipſi hoc caſu agere conſtituerint. Et quia id Moſcorum conſilium altius penetrare, Belgisque ac Danis odioſum fore videatur, Durellius hoc caſu uteretur ad demonſtrandum, quantum periculi & incommodi in unum & alterum ex hoc negotio redundare queat, ut Danis oblique inſinuetur, quantopere ipſi in Regni ſui rationes peccent, ſi alias nationes in partem Maris Baltici pertractum eant. Denique quia Dux Gottorpienſis ſui mentionem fieri eo tractatu petierat, Durellius ex ipſius legatis ejusdem deſideria exquireret, & ut illis ſatisfiat operam daret. Cæterum jubebatur Durellius tractatus inſtauratos non extrahere, ſed quantum poſſit urgere, ut Dani perſpiciant, ab ipſo rem ſerio agi, ac ut mature intelligat Rex, quid conſilii capiendum ſibi ſit. Quod ſi Dani aliquas propoſitiones incongruas promant, inprimis de revocanda Hallandia, primum graviter demonſtraret, quantopere extra oleas vagetur hoc poſtulatum, ac adverſa fronte repugnet pacto Brœmſebröenſi, quod Rex inviolatum ſervare & hoc tractatu ſtabilire velit,

1656. cuique tanquam ſolido fundamento arctior amicitia ſit ſuperſtruenda. Si inſtare pergant, excuſet id extra mandata ſua eſſe, & ſe ad Regem relaturum.

Conſultatio ſuper negotio Danico.

§. 87. Enimvero quanquam Rex nihil eorum omitteret, quæ ad promovendos cum Danis tractatus facerent, tamen quia multis indiciis horum infeſta in Sveciam deſtinata pellucebant, idem ſenatus deliberandum „proponebat, cum per Danorum pra„vitatem bellum cum ipſis declinari „nequeat, utrum præſtet eos præve„nire, an priorem ictum excipere? „Equidem ad Dani mentem explo„randam ſibi cum Electore conveniſſe, „ut hic velut ultro in Daniam mitte„ret, & inſtauratis tractatibus Danos „ab infeſtis conſiliis diverteret. A quo „& res eo deducta ſit, ut utrinque ſcri„pto negotiationis reaſſumtio decer„neretur. Sibi animum his tempori„bus fuiſſe, Danum irritando in pra„vis conſiliis haut obſirmare, ſed per „Electoris officium omnem ipſi ſuſpi„cionem adimere, ac ſerium ſtudium „colendi cum ipſo amicitiam teſtari, ne „forte in hoſtilia adverſus ſe erumpat. „Sed ſi Danus hiſce ſpretis machina„tiones ſuas pertexere pergat, deſti„natis noſtris ſubertendis, ac condu„ctitio milite præter ſolitum ſe firmet, „omnibus indiciis arguentibus, Sve„ciam peti, accurate expendendum „eſſe, utrum præſtet tantiſper ipſius „molimina diſſimulare, nec prius in „eundem movere, quam primum is „ictum intulerit, an vero mature in „eundem oculos conjicere par ſit ve„lut proximum, & qui viſcera Sveciæ „invadere valeat, ni in tempore ob„viam eatur, numque adeo expediat „immobili Danorum pravo propoſito „in arma erumpere, nondum ad ple„nam maturitatem perductis eorum „conſiliis, viresque eorundem jam ma„xime coeuntes diſſipare, terrisque Da„nicis in emolumentum noſtri exerci„tus uti. Sane opus nunc eſſe iſta tem„peſtive diſcuti, quod utut Danus poſt „adventum Kleiſtii blandiorem indue„rit vultum, idem tamen Belgicis lega„tis ſignificarit, ſe vindicandæ Hallan„diæ & aliis forte provinciis actionem „intentaturum, quo ipſo pacti Brœm„ſebroënſis fundamentum convella„tur. Id porro pro certo habendum, „Danum his tam opportunis ſibi tem„poribus propoſuiſſe bellum Sveciæ 1656. „inferre ad recuperanda quondam „amiſſa, & novas in eandem pæten„ſiones formandas. Dein etſi ejusdem „conſilia aliquantiſper infracta ſint, „ut amicum ſimulans vultum ſpem ali„quam tranſactionis ſequeſtre Bran„denburgico oſtendat, poſtquam Bel„gæ fœdus cum Svecia renovarunt, „ac Cæſar arma contra Gallos in Alſa„tiam verſurus dicitur, Moſcusque „conſilio claſſis in Mari Baltico ſtruen„dæ ſcrupulum injecit, tamen facile „fieri poſſe, ut ratihabitio fœderis „Belgici impulſu malevolorum Hagæ „circa id ſatagentium impediatur, eo„que ipſo fundamentum noſtræ ſpei „his temporibus vel plane ſubverta„tur, vel aliquandiu ſine effectu ma„neat: tum & facta inter Galliam & „Hiſpaniam pace Cæſaris vires in nos „vertantur, ac Moſcus conſilia ſua cir„ca Mare Balticum exuat, Danusque „magis tum proprio odio, tum alio„rum impulſu in nos irritetur, quem „conſtat res ſuas domi probe diſpo„ſuiſſe firmatis munitionibus, ac do„meſtico, extraneoque milite coacto. „Ac metuendum eſſe, ne niſi iſti, deſti„nata ſua urgere pervicaci, mature ob„viam eamus, ejusdemque vires non„dum coalitas frangere inſtituamus, „antequam in provincias noſtras pe„netraverit, ultro viam ipſi ad ſubver„tendum ſtatum noſtrum aut corrigi „neſcia confuſione involvendum, mu„nire videamur. Hiſce probe expenſis ſenatus cenſebat *omnia quidem quantum datur ad vim repellendam paranda, non ante tamen in arma erumpendum, quam Danus prior vim intulerit, ut iſtius injuria toti orbi eo fiat conſpectior.*

Regis circa Danicos tractatus conſiderationes.

§. 88. Circa tractatus porro cum Danis inſtaurandos Regi quidem id adparebat, Danos noſſe cupere, quid ipſis à ſe expectandum foret, quod & nunc & antea admiſſa non pauca ſint, quæ ipſorum conſcientia dictante pro infractione pacis haberi queant, eoque ipſo Hallandiam vi pactorum commiſſam, aut alia via earum injuriarum ultionem ſumi poſſe, quo nomine & à fœdere non alieni ſint. Quod ſi & hoc rerum ſtatu in turbido piſcari, & per tractatus Hallandiam recuperare queant, inprimis rebus Svecicis in Polonia ſiniſtre cedentibus, inſignis id fortunæ juxta ac dexteritatis ſpecimen habituri erant. Perſpicere quoque Danum, in Bel-

1656. in Belgis propter inteſtina mala, diſcordiam & lenta conſilia non multum fiduciæ collocari poſſe, & haut temere cum Anglis eosdem collidi velle, quibuscum tamen ſerius ocyus ad manus ſit perveniendum. Diſplicere quoque tractatum Elbingenſem ipſis inſciis & invitis eousque promoviſſe, cui alia ratione, quam factum eſt, ſe incluſum iri putaverant. Quanquam autem acta priorum temporum, & inprimis quæ circa hunc tractatum fruſtra agitata ſunt, cauſam dubitandi præbeant de Danorum in fœdus hoc inclinatione, conſultum tamen videri circa idem nihil intentatum relinquere. Nam Rege hoc fœdus abnuente, Danos tamen congreſſum Commiſſariorum in limite regnorum poſtulaturos, probabile erat, quod hoc tempore incerto belli Polonici exitu aleam haut temere jacturi, eoque Svecis utique reconciliari velle viderentur. Quanquam etiam fieri poſſet, ut quo arctius fœdus ſtringitur, eo citius à parte Danorum abrumpatur, ſe tamen in præſens ſuſpicionibus è Dania urgentibus liberandum, & hoc rerum ſtatu milite indigena adverſus Polonos aut Moſcos interim uſurum, Svecia tantiſper à latere Danico tuta. Quod ſi Danis fœdus cordi non ſit, & ipſe quoque id refugiat, Belgas eo magis à Svecia averſos, Danis innexum iri. Tum & Danum anſam inde arrepturum Electorem ſibi Belgisque ſociandi, ſi fœdus, cui conciliando ipſe operatur, à ſe repudiari videat. Etſi expedire videbatur adverſus Kleiſtium ſtudium in fœdus iſtud aut ſpem haut minis oſtendere, ſed ſemper aliquid rationum dubitandi admiſcere, num Danis res cordi ſit. De cætero manifeſtum eſſe diffidentiam inter Svecos Danosque Anglis ac Belgis occaſionem præbere utrosque juxta deſpiciendi, legesque iisdem in Mari Baltico præſcribendi, ac utrosque ſibi mutuo inutilium impenſarum cauſam eſſe, dum ingenti armorum adparatu terra marique ſibi imminent, nullo alio fructu, quam ut mutuo vires ſuas atterant.

Tractatus cum Danis reaſſumitur. 17. Nov.

§. 89. Enimvero poſt reditum Kleiſtii inſtauratus cum Danis tractatus ſtatim exiguam ſpem boni ſucceſſus promittebat. Nam mox concluſo cum Belgis pacto Elbingenſi, Dani apud legatos Belgicos Hafniæ omnem lapidem movebant, ut iſtius ratificatio inhiberetur, promto cumprimis Beuningio, qui haut prius deſiturus erat omnia miſcere, quam Svecos Boruſſia excluſiſſet. Id quod ope Amſtelodamenſium effecturum ſe ſperabat, apud quos autoritate multum pollebat. Ac in prætextum ſufficere putabat, quod Gedanenſes incluſione ſui in eum tractatum non adquieſcerent. Qui & gaudebat quadrimeſtre ſpatium ratificationi interpoſitum, ſat laxum negotio turbando. Idemque Danos urgebat, ne amicitiam cum Svecis firmarent, minatus vim ſe oppoſiturum, ſi fœdus iſtud perficiundum adpareat. Unde & cum Durellius ſuper continuandis tractatibus moveret, Dani id ſtatim Belgicis legatis ſignificabant, oſtentando candori, velut ipſis inſcils nihil ſuſcepturi, an ut illos ad inhibendam pacti Elbingenſis ratihabitionem urgerent minati, hoc ni fiat, cum Svecis ſibi tranſigendum. Sed & altius penetrare videbantur verba quæ Daniæ Rex in declaratione ſua, qua inſtaurationem tractatus acceptabat, poſuerat: *etſi tempora interim non parum mutata ſint, ſe tamen tractatus non recuſaturum, ut his temporibus adaptentur, ac ut omnia è medio removeantur, quæ amicitiæ & mutuæ confidentiæ obſtare videantur.* Sed nec Durellius id ſibi ſtudium in Kleiſtio in Sveciæ res reperire videbatur, quod antea fuerat, eoque & ipſe tectius cum illo agere inſtituit. Præſertim poſtquam intelligebat, eundem nomine Electoris à Rege Daniæ petere, legatis ſuis Gedani injungeret eo conniti, ut Electori jus ſupremum in Boruſſiam ſalvum perſiſtat, vaſalli nexu abolito in eum caſum, ſi Sveciæ Rex Boruſſia cederet. Id quod & ipſi annuebatur. Et conſtabat Danos circa divellendum à Rege Electorem ſatagere, oblato ſuo fœdere pro ipſius defenſione adverſus quoscunque. Porro cupiebant Dani, ut Kleiſtius in anteceſſum Durelli procuratorium inſpiceret, id quod citra ſcrupulum hic admittebat. Ejus argumentum iſte notatum Gerſtorfio communicabat, qui ad vocabula *reaſſumere* & *perficere* hærebat, cauſatus tempora nunc mutata, ita ut ſi anno ſequente claſſis Belgica revertat, id à ſe prohiberi nequeat ob fœdus *guarantiæum* ſuper conſervatione

urbis

1656. urbis Gedanenſis, & quæ inde pendet Boruſſiæ cum Belgis initum. Qui ſcrupulus haut quaquam conveniebat cum declaratione Daniæ Regis Kleiſtio data, nec cum ſpe, quam iſte huic fecerat, & de qua idem ad Carolum Guſtavum retulerat. Oſtendebat quoque Kleiſtius, ſibi injunctum nomine Electoris monere, ut ne Principibus aliis ad Mare Balticum colentibus vetitum ſit claſſes eo in mari habere. Inde Kleiſtius monente Durellio poſtulabat, ut ſi eadem ipſis, quæ Sveciæ Regi circa inſtaurandos tractatus mens ſedeat, Commiſſarios ſecum acturos conſtituerent. Ad quæ Cancellarius Daniæ reſpondebat, Durellium ſat frigide de procuratorio ſuo apud ipſum moviſſe ac credidiſſe novis eundem fiduciariis literis inſtructum, ſed & ſine dubio mandata ipſius valde eſſe circumſcripta. Ita à Danis mora negotiationi injecta, quod magis jàm occaſionem matureſcere crederent, invadendæ Sveciæ ac provinciis aliquot recuperandis. Unde & ad undecimum diem Decembris ſenatores & Equeſter Ordo à Rege Daniæ convocabantur ad ultroneum tributum militare conferendum delectusque inſtituendos.

Dani ſuper procuratorio Durellii ſcrupulum movent. 30. *Nov.*

§. 90. Dani dehinc formulam novi procuratorii, quale à Durellio exigebant, per Kleiſtium huic exhibebant, ejusque ſententiam ſuper eo cognoſcere cupiebant. Is reponebat, ſatis conſtare Kleiſtio, aliud ſibi quam protulerit, procuratorium non eſſe. Unde noſſe cupere, num ad hoc procuratorium cum ipſi tractare velint, an vero utique novum à ſe exhiberi pertendant? Equidem illud utriusque Regis declarationi, ac ipſius Kleiſtii ad Carolum Guſtavum factæ relationi ſuperſtructum. Ac de illis, quæ nunc ſuper adaptatione ad præſens tempus moveant Dani, prius fuiſſe ſignificandum, præſertim cum iidem heic loci inſtiterint, ut procuratorium ſibi huc mittatur. Denique exquireret Kleiſtius, quid per adaptationem ad præſentia tempora Dani intelligant, & quænam illa ſint, quæ amicitiæ utriusque Regis obſtent? Quo facto ipſe mandata ſua inſpecturus ſit, num tractatus ſuſcipere poſſit, an ad Regem referre neceſſum habeat. Ad quæ Daniæ Rex declarabat, Quoniam ipſe Durellii procuratorium ita circumſcriptum videat, ut eo fundamento tractatus ſuſcipi nequeat, aliud ſe procuratorium deſiderare ſimile illi, cujus formula tradita ſit, vel aliud laxioribus verbis conceptum. Reliqua in ipſo tractatu ſignificanda. Quanquam autem Dani ſat frigide circa iſtos tractatus agerent, Durellio tamen viſum iſtos ſedulo urgere, ut eorundem mentem circa adaptationem iſtam & gravamina eliceret, tum ut oſtenderet, à Rege ſuo rem ſerio agi, num forte à perverſis conſiliis iſti revocari poſſent. Etſi revera ſpes boni ſucceſſus indies minuebat, ipſo Kleiſtio judicante, Danos tam idoneam occaſionem haut neglecturos. Et Roſenvvingius legatus Gedani Danicus in mandatis habebat, omni modo pacem inter Svecos & Polonos impedire, etiam ſpe hiſce facta, Danos in partem belli venturos. Paria & in Cæſaris aula agitabantur, ſimul cum Belgis ſuper arctiſſimo fœdere tractabatur. Ac jam exercitus parabatur duodecim peditum octo equitum millibus conſtans. Urgente dehinc Durellio Rex & ſenatus per Cancellarium id reſponſi dabant: ſe ſuper ipſius procuratorio tractatus ſuſcipere non poſſe, & quia tractatus heic loci cæpti ſint, idque utriusque Regis declaratio exprimat, velle Regem eosdem Hafniæ perfici & concludi. Cui autem fundamento tractatus ſuperſtruendus ſit, ipſe Durellius expendere jubebatur, temporibus tantopere mutatis, & fœdere cum Belgis interpoſito, qui quo minus denuo cum claſſe veniant prohiberi haut queant. Sed & non latere ipſum, quid querelarum ſuper vectigalibus heic movetur. Ita dum novum procuratorium ampliſſima forma citra exceptionem exigunt, deſtinata ſua utcunque tegebant, donec occaſio plene matureſceret.

1656. *Roſenvving.* 22. *Dec.*

Regis ſuper hac re declaratio. 16. *Dec.*

§. 91. Durellio cum primum ſuper iſto Danorum ſcrupulo ad Regem retuliſſet, hic reſponderat: Probari à ſe reſponſum, quod ipſe Danis dederit ſuper poſtulato ab hiſce novo procuratorio, novisque fidei faciendæ literis. Nam neque ſe primum ad Danos miſiſſe, nec novam ipſi commiſſionem injunxiſſe, multo minus aliam eidem dignationem circumponere vo-

1656. voluiſſe, quam hactenus geſſerit. Nec ſibi conſultum videri legationem in Daniam mittere ei negotio perficiundo. Ac rebus ſic ſtantibus illi velut ordinario in Dania Reſidenti per priores fiduciarias literas ſat autoritatis ad tractandum eſſe, ac eundem novo procuratorio munitum ad ſuſpenſam hucusque negotiationem continuandam. Quod Dani novum procuratorium ad formulam traditam expoſcant, veroſimile videri illos aliquid eo obtentu quærere, vel ut negotium extrahant, vel ut deſtinata ſua, quæ parturiunt, per id expromant. Unde ſicuti Kleiſtio recte demonſtraverit, Danorum inſtitutum non quadrare declarationi per Danum ſibi datæ, & ejusdem apud ſe factæ relationi: ita ſe credere procuratorium ſat idoneum eſſe, & cui tractatus tuto inniti queat. Sed quod Dani jactent, tempora mutata eſſe, ac inprimis dum tractatus noſter quieſcit, inter Danos & Belgas fœdus guaranticum concluſum conſervando priſtino Gedani & Boruſſiæ ſtatui, eoque ſe impedire non poſſe Belgas, ſi proximo anno claſſem in Mare Balticum mittere velint, caute heic procedere jubebatur, cum ea præcipua pars tractatuum ſit. Et quidem, quæ circa fœdus guaranticum hactenus acta ſint, claſſemque Belgicam, quantum liceret, ne tangeret, aut ſaltem eo nomine offenſam ne oſtenderet. Sed in univerſum Danis & Kleiſtio ac pro re nata etiam Belgicis legatis demonſtrare ſtuderet, Belgarum inſtitutum de claſſe in proximum annum iterum Mari Baltico immittenda Daniæ juxta ac Belgio nil utilitatis, ſed potius ſuperfluos ſumtus pariturum, id quod exemplo hujus anni pateat. Quæ usque adeo nihil ad ſecuritatem navigationis & commerciorum contulerit, ut potius Gedanenſibus animos addiderit ad exercendam piraticam, & variis injuriis inſultandos tam Svecicos cives quam alios. Peculiariter autem legatis Belgicis oſtenderet: Fœdus recens Elbingæ cum ipſorum Republica concluſum plus cauſæ illis præbere, ut commodis Sveciæ favere, quam ut obſiſtere iisdem debeant. Gedanenſes cum utrinque renovato fœderi includerentur, ſpe piraticam exercendi eam incluſionem rejeciſſe, eoque beneficio per Belgas oblato indignos ſe reddidiſſe, quibus & ſpes concepta ſit continuato piraticæ exercitio rem quærendi. Ad Gedanenſium inſolentiam compeſcendam non opus eſſe claſſe iſtorum portui admota, ſed aliam viam ſuppetere ipſis haut ignotam, quæ hactenus adhibita non ſit in gratiam civium Evangelicis ſacris addictorum. Id quod ipſe per legatos Belgicos Gedanenſibus denuntiarit, & nunc reſponſum expectet. Kleiſtio autem demonſtraret, Electorem vi fœderis Mariæburgenſis obligari ad aſſiſtendum Regi, ſi quis in Pomerellia, ac circa Gedanum invadere ipſum velit. Quin nupero fœdere Labiaviæ concluſo Electorem teneri in tractatibus cum Polonis inſiſtere, nec prius pacem inire, quam Rex Boruſſia, Pomerellia aliisque partibus potiatur. Quibus rationibus eo fine apud Kleiſtium uteretur, ut idem permoveatur ad operam apud Danos navandam, ne ulterius pro Gedanenſium commodis ſe obtrudant, quos nemo ſit qui lædat, & qui benigne in ſe facta haut æſtiment. Tum & multum ad pacem cum Polonis facturum, ſi nemo inveniatur, qui Gedanenſes præter neceſſitatem ſuſtulciat. Quod Kleiſtius oſtenderit, ſe apud Danos acturum, ut aliis quoque Maris Baltici accolis Principibus integrum ſit claſſem alere, id ab ipſo per errorem citra mandatum jactari. Equidem nupero tractatu Labiavienſi ab Electore poſtulatum, ut claſſem ſibi in Mari Baltico habere liceat cum ſuo ſucceſſorumque Sveciæ Regum conſenſu. Sed id à ſe repudiatum, & articulum illum ſepoſitum, demonſtrato. Electorem jam ſupremo Boruſſiæ Imperio potitum in locum Regis & Reip. Poloniæ ſuo in territorio ſuccedere, cui uti nunquam jus fuerit claſſem in Mari Baltico habendi, & ſi quando naves bellicæ ab ipſo prodire auſæ ſint, à Regibus Borealibus impeditum fuiſſe. Ita Electorem non plus accipere poſſe, quam Poloni habuerint, & ſi ulterius niti velit, idem quod Polonis contigit, expectandum ipſi eſſe. Eoque ſi Kleiſtius talia deinceps movere pergat, cum ut deſiſtat moneat. Sed ſi ſerio rem agat, ac id ab Electore ſibi injunctum pertendat, modeſte inſinuaret, 1656.

1656. eam prætenſionem abſurdam eſſe, ac à ſe in ſiniſtram partem acceptum iri. Scripſerat quoque Durellius, Danos nunc ſuper dominio Maris Baltici nolle in tractatibus tangere, cum tamen formulæ ſuperiore anno conceptæ ipſi inſeruiſſent, ne cui Principum aut Rerump. Mare Balticum accolentium in idem ulla autoritas concedatur, præterquam Sveciæ & Daniæ Regibus. Unde jam merito conſiderandum, quid cauſæ in præſens Danos permoveat ad id iterum omittendum. Equidem ſpem eſſe Danos non magis Svecorum quam hos iſtorum jus in dubium revocare velle. Belgas quoque anno 1640. tertio fœderis articulo dominium Maris Baltici agnoviſſe velut jus quod Sveciæ citra controverſiam competat, & cui ipſi derogare nolint. Igitur ſi Durellius animadvertat, Danos iſtud caput velut primarium in fœdere in Gedanenſium gratiam admittere nolle, protinus ad Regem & Senatum referret. Quod ſi & Dani nolint propoſitum fœdus abſolvere, ſed ſalvo per omnia pacto anno 1645. inito declarationem edere velint, qua omnia illa aboleantur, quæ utrinque adverſus idem hactenus patrata argui queant, non diſplicebat Regi à Durellio ejusmodi declarationem ibi concipi, ut tamen priora pacta ſarta tecta perſiſtant, nec quidquam illis contentum in controverſiam vocetur. Et ut ea declaratio utrinque probata ab utriusque Regis Commiſſariis in limite ſolenniter promulgetur. Quod ſi autem ſentiat, Danos aliquas prætenſiones pactis Bræmſebroënſibus adverſas expromtum ire, inprimis ſuper recuperandis provinciis tunc amiſſis, maſculo reſponſo, & quale poſtulati abſurditas requirat, eisdem occurreret.

Idem negotium is ad Senatum refert.

§. 92. Eo ſuper negotio ad Senatum Rex referebat: „ Ex actis circa „inſtaurandos Hafniæ tractatus, & „ex iis quæ in Belgio contigerunt, „perſpici poſſe, Danos negotium ex„tractum ire, obtentu procuratorii „Durellio dati velut imperfecti, & „propoſita nova procuratorii formu„la, qua ab articulis antea utrinque „conceptis & prope abſolutis diſce„dant, verbaque inſerant de inſigni re„rum mutatione, & ut tractatus hiſce „temporibus adaptetur. Quanquam „autem prius procuratorium ita for„matum fuerit, ut in eo nihil deſide- 1656.
„rari queat eorum, quæ ad autorita„tem Durellio circumponendam re„quirantur, ancipitem tamen adhuc „ſe hærere, an non Danis gratificari „debeat procuratorio ea forma con„cepto, quam ipſi deſiderant, ſi ſpes „ſit, eo removeri poſſe obſtacula, „quæ felicem ſucceſſum tractatus im„pedire queant. Sed quia metus ſit, „ne Dani aliud hoc obtentu quærant, „ac magis ſucceſſus rerum Polonica„rum ſpeculari, quam ſinceram in„tentionem fœdus cum Svecia jun„gendi teſtari velint, inprimis quia di„cuntur id ſpectare, ut aliquam Sveciæ „provinciam ſubtrahant, pacemque „Polonicam impediant, igitur ſe qui„dem neceſſarium judicaſſe Durellio „in omnem eventum procuratorium „mittere ampla forma conceptum, „quod tamen tamdiu ſecum retineret, „quoad Senatus ſententiam Holmia in„telligeret. Sibi quippe ſatius viſum, „ſi Danis non placeat fœdus perficere, „negotiationem ad procuratorium „adhæreſcere, quam ad aliud quid, „quod in curſu tractatuum incedere „queat, ſimul Durellio imperare, ut „poſt incaſſum tentata omnia citra of„fenſam Hafnia diſcedat, rejecto tam „fœdere quam gravaminum & con„troverſiarum deciſione ad congreſ„ſum in finibus, prout mos & pacta ho„rum Regnorum ferunt. Interim Durellius jubebatur de accepto novo procuratorio haut ſignificare, ſed Senatus ſententiam prius expectare, ad eamque ſe componere. Cæterum & bono animo Senatum Rex eſſe jubebat, velut ſat negotii Danis daturus ſi in bellum res erumpat. Simul Volcmannus Wismariæ præfectus intentus agere, & ab inſidiis ſibi cavere jubebatur. *Volckmann.* In Pomeraniam Wrangelius mittebatur ei provinciæ obſervandæ. Et quia metus erat, ne Dani cum Stralſundenſibus clandeſtini quid miſcerent, Rex Gerhardo Reenſchildio injungebat, ut *Reenſchild.* de gratia ſua in eam urbem teſtaretur, eandemque in officio conſervaret, ne quid ſibi forte eo loco adverſi ſurgat. Sub finem anni id Dani ſpecimen animi ſui in Svecos exhibebant, ut Gedanenſes monerent, venire navem Belgicam, quæ pulverem pyrium in Pillaviam vectura ſit. Qui & myoparonibus ſuis portu egreſſi deprehenſo nauta

pul-

1656. *Belgarum in Svecos machinationes.*

pulverem ademerunt, eumque cum reliquis mercibus Pillaviam dimiſerunt.

§. 93. Circa iſthoc bellum id cum primis Belgas Fœderatos anxios tenebat, ne Sveci Boruſſia potiti navigationi ipſorum ad ejus portus, quæ fundamentum commerciorum apud eosdem habetur, immedicabilem plagam inferrent, intenſis pro lubitu vectigalibus, uti Rigæ nuper factum erat, aut ad exemplum Anglorum non niſi propriis deinceps navibus merces ibi provenientes exportare inſtituerent. Unde & ipſi Svecis hoſtes hinc inde excitare ſtudebant, Amſtelodamenſium præcipue acerbitate eminente, & à Cæſare aliisque in Svecos ſtimulabantur. Neoportio ejus Reip. in Anglia Legato in mandatis datum, fœdus fabricari cum Cromvello ad defenſionem commerciorum Maris Baltici, ſed qui ambiguis reſponſis differebatur. Brandenburgicum ingentibus pecuniæ ſummis ſublevaturi fuerant ſuſtinendo adverſus Svecos bello, etſi, quod Belgæ iniquis admodum pignoribus caveri ſibi vellent, ſolutio extracta fuerit, quoad Electori cum Rege conveniret, Belgis valde indignantibus, ſe inconſultis id factum, eaque tranſactione magnam conſiliorum telam adverſus Svecos abruptam. Contra iſtorum animos utcunque placare nitebatur Haraldus Appelbomius ſub initium anni libello oblato, ubi inter alia memorabat, *dudum rem inter Regem & Electorem componendam fuiſſe, ni remora injecta foret per vicinos quosdam quietem tam hujus Reipublicæ, quam Electoris turbare ſtudentes.* Quæ verba ſuſpicione iſtos perſtrinxerant, ut per Deputatos ab ipſo exquirerent, quinam iſti vicini forent & quam viam turbarum movendarum inire inſtituerent, quo mature iſtorum conatibus obviam iri queat. Sed qui laxiore reſponſo captioſam quæſtionem eludebat. Aſt Belgæ libellorum ejusmodi ſecuri magno ſtudio legationem in Daniam parabant, cujus caput erat Conradus Beuningius, vir acerrimus, Svecisque infeſtiſſimus, cui præcipuum negotium fuit Danum arctiſſime ſuis rationibus innectere, eumque Svecis immittere progreſſibus horum diſturbandis. Tum & claſſis quadraginta octo navium bellicarum inſtruebatur, in Mare Balticum navigatura conſervandæ & firmandæ urbi Gedanenſi, ac ut pondus adderet tractatibus, quos miſſa legatione cum Rege ſuſceptum ibant, tum præcipue ut prohiberent, ne Rex capta è vectigalibus Boruſſicis pecunia bellum alere poſſet, uti Guſtavus Adolfus fecerat. Nam judicabant, Svecica arma argento deſtituta brevi ultro collapſura, haut ignari, quanta iſtius penuria Rex premeretur. Eam in claſſem tres florenorum milliones inſumti, quæ impenſa eo promtius fiebat, quod in Belgio Magiſtratus urbium ex adparatu claſſium lucrum ſoleant capere, quod cum in militia terreſtri ſecus ſit, ideo ad hanc augendam ſegnius ibi acceditur. Appelbomio ejus claſſis miſſioni intercedenti reſponſum, eandem nullius offenſam ſed ſolam commerciorum tutelam ſpectare.

1656.

§. 94. Nec eo ſecius legatio ad Regem deſtinabatur, verbo ut gratulatione de victoriis & nato filio defungeretur, tum officium inter ipſum ac Joannem Caſimirum Regem modeſte offerret. Cæterum ſecreta cauſa erat, res Svecorum in Boruſſia, ſtatumque urbis Gedanenſis penitius ſpeculari, tum ſuſcepto novo tractatu vim priorum fœderum, quæ præcipue adverſus Daniam directa erant, eludere, quo haut ratihabito credebant facultatem ſibi datam cuicunque adverſus ipſos Svecos auxilia ferendi. Eam legationem obibant Govertus Slingelandus, Fridericus Dorpius, Petrus Hubertus, Joannes Iſbrantius. Iſti cum Stetino terreſtri itinere in Boruſſiam tenderent, Lauenburgi Caſſubiæ oppido à præfecto prædii Svecici longius progredi vetabantur, quod ſibi ab Erico Oxenſtierna diſerte interdictum eſſet, ne quenquam illac tranſire permitteret. Adverſus id præfecti auſum etſi aeriter proteſtarentur legati, velut jure gentium violato, is tamen belli magis quam jurium callidus interpretari mandata ſua non ſuſtinebat & rem per curſores expeditos ad Oxenſtiernam Mariæburgum referebat. Qui ſtatim literis ad legatos ſcriptis factum excuſabat, ac ut omiſſo Gedano iter Elbingam recta ingrederentur rogabat, oblato milite, qui eos deduceret. Sed legati cum honorem deprecati mandata ſibi ſua ſequenda excuſabant, ac recta Gedanum tendebant. Ea legatorum detentio Hagæ ſiniſtris rumoribus differebatur.

Legatio Belgarum ad Regem.

Slingeland.

Lauenburg.

Ea ſiſtitur.

14. *April.*

1656. Nec deerant tamen qui meminiſſent anno 1627. Belgarum legatis, cum navibus recta Gedanum ire inſtituerent, id à Rege Guſtavo Adolfo haut permiſſum. Et ipſos Belgas durante bello Hiſpanico nulli legato per ditiones ſuas ad hoſtem tranſire permiſiſſe citra literas tuti itineris à ſe datas. Fuiſſe quoque ſpeciem contumeliæ prius adire civitatem alterius partis, quam Regem, ad quem præcipue miſſi erant. Literas quoque ipſorum fiduciarias nec oblatas nec lectas, eoque ipſos nondum pro legatis agnitos & receptos. In conſeſſu Ordinum Generalium initio decernebatur, graves eo nomine literas ad Regem ſcribendas, & præfectum Lauenburgicum ad ſupplicium depoſcendum, urgentibus præcipue Amſtelodamenſibus. Sed poſt cum eos ita honorifice receptos cognitum foret, in legatorum arbitrio relictum, conqueri ea de re apud Regem vellent, an minus, qui id plane diſſimulandum duxere. Quanquam autem eorum legatorum mandata ſat moderata eſſent, haut ideo tamen apud Belgas livor in Svecos ſubinde erumpere ceſſabat, inprimis cum de morte Regis & clado exercitus falſi rumores ſpargerentur, quos velut rem lætiſſimam ut Cromvello communicaret Neoportius, non ſine trepidatione audiri poſtulaverat, poſt non mediocri rubore ſuffuſus, cum malignitatem animi fruſtra apricatum ſe ſentiret. Tum & ſuper Electore Brandenburgico Svecicis partibus iterum abſtrahendo ſatagebatur, cui uti neceſſitas obtendebatur, facti cum Rege fœderis, ita & eandem obtentui fore à Svecis diſcedere cupienti. Sed & non ſuis ſolum civibus interdicebant, ne ad portus accederent, ubi Sveci vectigal capiebant, ſed & alios eodem accedere prohibituri erant, quod judicarent modo hoc anno impedire poſſint, ne pecuniam è vectigalibus Boruſſicis Rex caperet, arma ipſius in Polonia ultro peſſum itura. Iidem & Appelbomii querelas ob interceptam à ſocietate Indica Occidentali Novam Sveciam ſurda aure transmittebant, quod plus negotiorum Regi incumbere noſſent, quam ut curas ſuas in Americam transmittere vacaret. Inter quæ claſſis Belgica ſub Jacobo Waſſenario Opdamo verſus Oreſundam vela faciebat, contra quam Dani Hagæ dicis cauſa proteſtationem interpoſuerant, ſed quibus reſponſum, mandata jam eo nomine emiſſa, quæ revocari nequeant, ne timore agitari videantur. Opdami mandata huc fere redibant, ut ex judicio Regis Daniæ rem gereret. Porro legati Belgici initio de concilianda inter bellantes Reges pace levi duntaxat brachio movebant, pro urbe Gedanenſi acrius connixi, ne quid moleſtiæ iſti inferretur, & ut vectigalia ad antiquum modum redigerentur. Iis reſponſum, Regem Gedanenſibus obtuliſſe, ut idoneis & honeſtis conditionibus neutrarum eſſe partium poſſent, ſed illos hoſtilia induere maluiſſe. Unde vitio verti eidem non poſſe, ſi omnes nunc vires adhibeat terra marique claudendæ urbi. Et Belgis per pacta anno 1640. inita fas non eſſe, iſti auxilii quid ferre. Eadem per Appelbomium Rex Ordinibus Generalibus ingerebat, quomodo ſibi neceſſitas allata ſit Gedanenſes terra marique invadendi. Ei reſponſum: cum Sveci anno 1652. ab ipſis ſolicitarentur ad auxilia adverſus Anglos ex fœdere ferenda, iſtos abnuiſſe, & contra mercibus bellicis in Angliam advectis hoſtes ſuos ſublevaſſe. Unde cum à Svecis id fœdus primo violatum ſit, ſe quoque eodem non amplius ſtringi. Ac fas ſibi eſſe Gedanenſibus aſſiſtere, tum vi fœderis Hanſeatici, tum quod ea urbs pactis inter Svecos & Danos incluſa ſit, quod præſtandum ſibi incumbat. Si quando Appelbomius rei Evangelicæ mentionem injiceret, quæ iſto agendi modo detrimentum captura ſit, Belgæ id cum irriſu rejiciebant, cavillati, rem ſuam Evangelicam in commerciis & tumore loculorum ſitam. Ac ſatius iſtis viſum Opdamo injungere, ut è freto in Mare Balticum penetret, & anchoris ad littus Gedanenſe jactis prohibeat, ne urbs obſidio prematur, neu commercia ad eam inhibeantur. Tum ut militem eidem immittat, præſidii firmandi cauſa. Addebatur, ut Brandenburgicum permoveret, quo is ſuo duntaxat milite Pillaviam & Memelam cuſtodiat, & vectigalia ne intendat, utique junctis ſecum conſiliis commerciorum ſecuritatem tueri velit. Nam ut eos ſaltem portus liberos haberent, curæ erat, quod Haupto

Waſſenaer Opdam.

à Sve-

1656. à Svecis infeſſo per ſolos Gedanenſes commercia pro lubitu temperare non poſſent. Simul Moſcus ad invadendam Rigam & Revaliam, Danus ad ſuſcipiendam Gedani defenſionem incitabantur, promiſſa indemnitate, ſi quid eo nomine ipſi intentaretur. Audaciam addebat, quod Cromvellum ſeſe haut moturum noſſent, id quod certum indicium timoris atque exhauſtarum plane virium habebatur. Cum Gedanenſibus inde convenere, quod omnibus viribus prohibere velint, ne eorum urbs in Svecorum ditionem redigatur, ſtipulati viciſſim, ne Belgis plus ibi oneris, quam civibus imponatur, neu vectigalia augeantur, nec migraturi iniquis exactionibus emungantur. Legatis quoque in Dania injunctum, concluſionem fœderis pro commerciorum conſervatione, ac mutua evictione properare, & cum Rege agere, ut ſi opus ſit claſſis in Dania hibernare poſſit.

Tractatio cum Legatis Belgicis ſuſcipitur.

§. 95. Nec minus interea à Rege cum Belgarum legatis velut amicis tractatio ſuſcipiebatur. Ac officium quidem conciliandæ paci, quod offerebant, ab iſto hoc colore eludebatur, quod de inclinatione Joannis Caſimiri in pacem non conſtaret, & quo alii quoque ſequeſtres tunc excitandi forent, magnam negotio remoram daturi: Unde ſatius videri, ſi res ferat, circa ſequeſtres cum Polonis agere. Sed circa alium tractatum à Belgis propoſitum Rex Commiſſariis ſuis Erico
23. *Jun.* Oxenſtiernæ, Stenoni Bielkio & Guſtavo Banerio Caroli F. id mandatum dabat. Quia Belgæ aliquot abhinc annis à poſtremo fœdere diceſſerint, aliisque ſe innexuerint, nec conſtet, an quæ à Legatis jactatur ſincera amicitia, cordi ipſis ſit, quos tamen conciliatos hoc tempore haberi cupiat, igitur ſolide rem tractarent, ac dextre declinarent, quæ offenſam & diſſidia parere idonea ſint. Et quia hæc tractatio duabus partibus conſtare debeat, prioris pacti diſcuſſione, & novi formatione, paterentur Belgas primam propoſitionem edere, ut eorum deſtinata perſpici queant. Et quanquam Belgæ multis partibus à fœdere anni 1645. diſceſſerint, id tamen pro fundamento & norma admittendum eſſe. Ubi demonſtrarent, id fœdus proprie Daniam ſpectare, & ſub conſervatione jurium quorumcunque etiam continere ſtatuta, quæ Reges Sveciæ in ſuis ditionibus circa vectigalia condiderint, prout & Chriſtina Regina ea ſibi diſerte reſervarit. Qui autem jure ſuo utatur, injuriam non facere: ac Belgas in ſuis provinciis multa nova onera introduxiſſe. Circa novum fœdus explorarent, quid ipſos ad id quærendum moveat, & quid querelarum illis ſit, ac an non alia ratione quam per fœdus conſuli illis queat. Sveciæ commoda heic in eo verti, ut fœdus cum Anglia non imminuatur, ut novum fœdus non videatur dirigi contra Daniam, ſed laxioribus verbis concipiatur, ut tamen reipſa idem cum priore ſit, utque Regi jus ſuum circa vectigalia illibatum perſiſtat. Quod ſi Belgæ iſthæc impugnare inſtituant, ipſi dextre tractatus in autumnum ducerent, quo periculum ab eorum claſſe imminens declinetur. Sed ſi quæ proponunt, cum rationibus Sveciæ congruant, ad ipſum referrent. Et quia negotiatio ſtatim initio ad Gedanenſem cauſam adhæſura videbatur, ei urbi indulgendum, ut neutrarum partium hoc in bello eſſet, Belgæ contra de candore ſuo prolixe teſtari, & claſſem ſuam non ſpectare ad damnum Sveciæ inferendum, ſed ut navigationi ſuorum caveat. Ac ſolitum quondam dicere Axelium Oxenſtiernam, *frigere poſſe amicitiam inter Svecos Belgasque, vultusque in torvitatem componi, ſed ſeria in Bellum prorumpi invicem non poſſe.* Ac ſequeſtres quidem ſe declinari nullo offenſæ ſenſu acceptabant. Sed procedente negotiatione quinq; capita ſcripto concepta potiſſimum urgebant.

Circa Belgarum propoſita conſiderationes.

§. 96. Circa iſta capita Erico Oxenſtiernæ ita videbatur. Primo ne nova vectigalia alienis in portubus inſtituantur, Belgas impedire velle, ne Rex è portu Gedanenſi fructum capiat, nec ibi, aut in Pillavia aliisque ad Mare Balticum portubus novum vectigal exigere queat. Tertio & quarto, dum æqualitatem inter Svecicos & Belgarum cives ſervari poſtulant, Svecicam nationem navigatione & commerciis plane excludi, maximo cum detrimento Regis gentisque Svecanæ. Primo obtento per Boruſſiam parta fere infructuoſa reddi. Reliquis ipſos velut nervos Sveciæ præſcindi, ejus-

1656. ejusque incrementa intercipi, quibus promovendis per priores Reges non ſine magna horum gloria, Regnique ac civium emolumento enixe elaboratum ſit. Quo ipſo Belgas Sveciæ opes ſuæ libidini plane ſubjecturos. Si tamen præſens Regis ac Belgarum ſtatus reſpiciatur, intempeſtivum eſſe horum poſtulata abrupte repudiare, damnoſum eadem annuere. Regem bello potentibus cum hoſtibus implicitum hærere infidos ipſi vicinos, ſegnes amicos, quos inter Angli numerandi, qui auxilii parum polliceantur, & ipſi gravi bello diſtineantur. Belgas contra pace, opibus, viribus maritimis florere, à Sveciæ inimicis ac malevolis ſtimulari: ac ubi in arma eruperint non ſolum qui in præſens ſunt hoſtes firmaturos, ſed & novos excitaturos. Præterea claſſem iſtorum eo jam loci ſtationem cepiſſe, quem præcipua tractatuum pars ſpectet. Ea rerum facie in diverſas partes cogitationes diſtrahi. Tam multis hoſtibus implicitos rationis non eſſe plures in ſe irritare, ſi ullo modo declinari queant. In aperto eſſe, Belgarum in præſens conſilia ſpiritu Hiſpanico temperari, quæ præterquam, quod Sveciæ noceant, viam proprio exitio muniant alienatis omnibus amicis, qui eandem quondam adverſus Hiſpanos fulſerunt, Gallis, Anglis, Svecis. Nec eo minus Sveciæ rationes in eo verti, ut ſi ullo modo fieri queat, iſtorum offenſa ſedetur, iisdemque conciliatis Hiſpanorum & Auſtriacorum conſilia eludantur, & concordes retineantur partes, quæ hactenus junctis viribus iſtorum potentiam librarunt. Præterquam quod Sveciæ reſpiciendus ſit Danus, qui hac occaſione abuſurus ſit ad expromenda in Sveciam congenita odia, ac præcipuam cauſam præbuerit turbarum à Belgis in Mari Baltico motarum, cum tamen ob communes rationes circa maris ejus dominium iſtas potius impedire, quam permovere debuerit. Cui, dum veterem inter Svecos Belgasque amicitiam diſſutum it, conſilium fuerit amico Sveciam privare, & machinationes ſuas exſerere, eoque commodiorem viam non eſſe iſtum ulciſcendi, quam ſi res paulatim ad ſua principia revocetur. Equidem inter tam repugnantia invicem conſilia arduum eſſe remedia invenire, quibus id obtineri queat. Haut 1656. ideo tamen negligenda, quæ ullam adhuc ſpem oſtendant Belgas duplici via parta Regi in Boruſſia deſtructum ire, dum vel immunitatem vectigalium ſibi ſtipulari cupiunt in omnibus portubus Regi non ſubjectis, vel incluſioni civitatis Gedanenſis inſiſtunt, qua eam in libertatem collocare inſtituunt à nemine dependentem. Sed quia Regis rationes non permittunt iſtis abrupte negatis illos magis irritare, non omnem eorundem obtinendorum ſpem eſſe adimendam. Ac licet vectigalis maritimi exactio aliquantiſper ſuſpendi poſſit, quoad à Belgica claſſe nullus amplius metus ſit: id tamen cavendum, ne Regi expreſſe adimatur facultas vectigal in Viſtula ac ſuo territorio exigendi, quo ipſo urbem ad obſequium Regis aliquando compelli poſſe. Circa ſtatum autem urbis uti haut expediebat plenam ipſi libertatem concedere, velut perpetuam rixandi materiam præbituram illi, qui deinceps Boruſſiam poſſeſſurus ſit, ita eo facilius id declinari poſſe, quod ipſi Gedanenſes ad tractatus mittere abnuerint. Sed ſi Belgis ſuffecerit urbem ſub finem tractatus includi, id ſaltem obtentum iri, ut eadem hoſtilibus deinceps adverſus Svecos abſtineat. Rex contra optabat eos tractatus ad finem quamprimum deduci, & quæ obtineri nequeant, cedenda demum eſſe. Gedanenſibus ſi velint neutrum ſtatum indulgendum hac lege, ut durante bello nomine prædiorum ſuorum tributa exſolvant, & illius tractatus legibus adſtringantur, qui deinceps cum Polonis ineundus ſit. Cæterum quia ab Hiſpanis, Auſtriacis ac Danis infeſta conſilia in Svecos cudi conſtet, utique expedire, ut cum Belgis concludatur etiam durioribus conditionibus, & quæ in præſens ſervari nequeant, omittenda, quo Belgæ à reliquorum malevolorum conſiliis ſeparentur. Nam quæ ob præſentium temporum iniquitatem cum aliquo detrimento indulgenda ſint, in poſterum corrigendi occaſionem non defore.

Ejus tractatus difficultates. 1. Aug.

§. 97. Præcipuam difficultatem illi tractatui conciliabat incluſio urbis Gedanenſis, & æqualitas vectigalium, quam Belgæ cum Sveciæ civibus pertendebant. Ac Gedanenſes quidem

ut ad

1656. ut ad acceptandam incluſionem moverent, Slingelandus & Hubertus in urbem excurrebant. Quibus iſti reſponderunt: ſe anno ſuperiore, cum Poloniæ res conclamatæ viderentur, oblatum à Svecis medium ſtatum repudiaſſe, etiam ſalva fide in Principem & conjunctim cum regno Poloniæ. Eandem ſibi nunc mentem fixam ſedere. Sed & præter fidem ſalutis quoque ſuæ rationes in eo verti, ut à Polonia ne ſeparentur propter commercia & Viſtulæ fluminis opportunitatem. Eſſe quoque ſibi in Comitiis Polonicis *votum diſſenſivum*, nec invitos ullis vectigalibus & tributis onerari poſſe. Unde nihil ſe facturos, quod aliquam connexionem cum Svecia redoleat, aut quo aliquid fidei adverſus Joannem Caſimirum decedat. Præſertim cum & nulla nunc neceſſitas urgeat, Polonorum armis reſurgentibus, Svecorum langventibus. Nec incluſionem qualemcunque ſtare poſſe cum fide, qua ipſi regno Poloniæ obſtringantur. Placebat nihilominus civitatem tractatui includi, eique tempus aliquod concedi, num hanc conventionem acceptari, ac interim hoſtilibus adverſus Svecos ſuperſedere vellet. Ac Belgis ſufficiebat, Gedanum non plane opprimi, & in Svecorum manus inciderum modus ad annum 1640. reducatur, ac ſi neceſſitas id augeri requirat, par Belgarum atque Svecorum conditio ſit. Aſt Sveci oſtendebant, id nullo modo fieri poſſe, niſi navigationem ſuorum plane peſſumdare velint. Nam Svecicas naves ſumtuoſas eſſe, velut extructas, ut bello quoque inſervire queant. Belgarum leves ac tenui paratu. Ac Belgis ſuam induſtriam etiam vectigalium inæqualitate præ Svecis prærogativam conciliare. Ita iſta æqualitate nihil fore inæqualius, Svecis per eandem ad incitas redigendis. Sed & Anglos Danosque eandem poſtulaturos, ſi Belgæ obtinuerint, Anno quoque 1640. cum Belgæ pro eadem contenderent, eos demum agnoviſſe, integrum eſſe Principi plus favere ſuis civibus, quam extraneis. Denique ſi mercatores Belgicæ merces ſuas navibus Svecicis imponant, iisdem privilegiis fruituros. In Anglia quoque plus perſolvi ab extraneis, quam à civibus: & ab ipſis Belgis plus onerari manufacturas extraneas, quam quæ apud ipſos conficiuntur. Quibus rationibus convicti Belgarum legati, qui alias tota hac negotiatione valde moderatos ſe exhibebant, iis legibus fœdus concluſerunt, quæ rationes regni Sveciæ haut everterent. 1656.

§. 98. Quanquam autem tractatus Elbingæ cum legatis Belgarum amice admodum procederet, haut tamen deprehenſum, hoſce ideo aliquid de acerbitate animi ſui remiſiſſe. Beuningius Hafniæ in furias abire, quod iſti legati de Gedano extra belli conſortia ponendo ſatagerent. Qui & calida admodum conſilia Joanni Wittio ſuggerebat, ut claſſi Belgicæ injungeretur inſulam aliquam Maris Baltici occupare, & ibi hibernare, aut eandem Dano tradere, quo is in Svecos incitaretur. Quod tamen velut violentum nimis rejectum fuit. Idem quoque propoſuerat, ut Dano promitteretur, Svecos vectigali Oreſundico ſubjiciendos, ne horum immunitate Belgarum commercia onerentur, cum Sveci contra anno 1645. Belgis in eo freto immunitatem obtuliſſent. Cæterum Ordines Generales legatis ſuis in Boruſſia injungebant omnem lapidem movere, ut Elector Brandenburgicus Svecicis partibus abſtraheretur. Simul Viduam Arauſionenſem inſtigabant, ut apud generum *Belgarum conſilia ideo non alterantur.* *de Witt.*

1656. generum circa idem ſatageret, craſſe admodum jactantes, in proclivi fore ipſi fœdus cum Svecis abrumpere, poſtquam à fœdere cum ipſis inito diſcedere haut dubitaverit. Quæ tamen in præſens eam operam adſpernabatur. Suaſponte ſat infenſos Hiſpani quoque argento largiter Hagæ diſtributo, & Dani hortatibus ſtimulabant. Adverſus quod Appelbomius parum proficiebat, inter quosdam proceres ſex uncialium millibus penſionum annuarum diſtributis. Nam ante omnia habebatur, Svecos Boruſſia iterum expellere, cui rei expeditiſſima ſit via, Electorem Regi disjungere, Moſcos in Livoniam excitare, ſique Danus obtentu Litigii cum Hamburgenſibus arma paret, ac Bremenſem provinciam invadat, Belgis quoque operam ſimul navaturis. Quin & Kleiſtius Hafniæ differebat, expedire, ut Belgæ cum Electore expoſtulant, ob arma cum Sveco conjuncta, ac Electori propoſitum eſſe amicitiam cum Belgis conſervare. Tum omnia in priſtinum ſtatum reponenda, & Svecos utique Boruſſia expellendos. Sed & Hagæ differebatur, incongruum videri, Regem per Kleiſtium inſtaurationem cæptorum quondam cum Danis tractatuum proponere, negotiatione Elbingæ fervente, cum tamen tractatus Danici adverſus Belgas præcipue directi ſint. Quanquam autem tam Poloni

De Byt. per Nicolaum Byæum, quam Dani acerrime niterentur, ne tractatus Elbingæ concluderetur, juſſere tamen Ordines Generales, ut à ſuis legatis utique colophon iſtis imponeretur. Nam ſi Caroli Guſtavi fortuna ſiſti non poſſet, rationibus ſe ſuis caviſſe eo pacto videbantur, ubi iſta nutaret, inhibita ratihabitione omnia ſibi integra ſervaturi erant.

Elbingenſis tractatus contenta. 1. Sept. §. 99. Porro Elbingenſis conventio eum præ ſe ſcopum ferebat, ut fœderis anni 1645. initi vis ſtabiliretur, ac ſi quid præſens utrinque ſtatus requireret, id communi bono atque uſui adaptaretur. Idque fœdus nunc renovabatur ac confirmabatur, deinceps utrinque religioſe obſervandum, *cujus & ſcopus declarabatur, nunc & in poſterum fore contra turbatores omnes & quoscunque, qui adverſus perſpicuum iſtius ſenſum quidquam ſuſceperint. Et quia ejusdem intentio potiſſimum fuerit libertatem navigationis in Mari Balti-* 1656.
co & Septentrionali tueri, ideo nunc conventum, ut neque occaſione præſentium bellorum in Polonia, Boruſſia & vicinis regionibus, neque aliis de cauſis, quæ deinceps oriri poterunt, alteruter alterius ſubditorum navigationem & commercia libera iſtis in maribus ac influentibus ea fluminibus impediat. Et quia vectigalium moderatio quam maxime ad commerciorum incrementa facit, placuit, ut uterque fœderatorum ſalvis Regalibus ac juribus ſuis vectigalia ad parem circiter modum & taxam accommodet, qui tempore priorum fœderum initorum, & annis quibusdam proxime ſequentibus receptus fuit, idque tam in ditionibus in præſens poſſeſſis, quam deinceps adquirendis, ſic ut quam moderatiſſima vectigalia & onera navigationi & commerciis utrinque imponantur. Addebatur, ut neutrius fœderatorum ſubditi in alterius fœderati ditionibus circa vectigalium ſolutionem aliter habeantur, aut magis onerentur, quam conjunctiſſima quæque gens peregrina, quæ potiſſima fruitur ibidem, aut in poſterum fruetur à vectigalibus immunitate. Quod ſi vero contingat, certas ob cauſas & urgente neceſſitate, nova ac majora vectigalia in alterius fœderati ditione imponenda eſſe, eo caſu à fœderatis ſubditis non plus exigatur, quam proprii cives pendunt. Sub qua tamen æqualitate haut quidquam intelligi debeant peculiarium ſocietatum & ſubditarum perſonarum ſpecialia privilegia. Denique ut adpareat hoc tractatu nihil aliud quæri, quam obſervantiam priorum fœderum, & conſervationem ſuarum utrinque ditionum ac jurium, cum libertate commerciorum & navigationis, ſimul utrinque id agi, ut cum omnibus utriusque amicis ac fœderatis pax colatur, & conventa fœdera conſerventur, viſum, Reges Galliæ & Daniæ, Protectorem Angliæ & Electorem Brandenburgicum huic tractatui includere, ſi includi velint, nec minus civitatem Gedanenſem cum omnibus ſuis juribus, ſalva fide, quam Regi Poloniæ debet, & ſalva ejusdem incorporatione in Boruſſia, ita ut ab hoc die inter Regem eamque civitatem omnis hoſtilitas ceſſet, nec eorum quisquam ab alterutro fœderatorum circa navigationem & liberum commerciorum uſum in iſtis fluminibus impediatur, ſed contra ſincera cum ipſis ami-

1656 *amicitia colatur. Ratificationi utrinque exhibendæ quadrimestre spatium præfigebatur.*

Ejus conventionis triguus ill fructus.

§. 100. Enimvero Belgæ revera hoc pacto nil aliud spectaverant, quam ut tempus lucrarentur, & quo se res daturæ essent, specularentur. Quorum & legati aliqua pacto inseri passi fuerant, ad quæ concedenda in mandatis haut habebant. Quorum tamen existimationi datum est, ut isthoc pactum Hagæ probaretur, velut mandatis legatorum omni parte congruum. Unde non mirum Regem quem speraverat ex isto fructum haut percepisse. Equidem Rex Appelbomio injungebat ratificationem urgere, sed moderatis verbis, & citra trepidationem. Tum ut ratificatione permutata auxilium expeteret, adversus Moscos, qui portum ad Mare Balticum occupare ardebant, unde ingens incommodum commerciis ejus Maris creari poterat. Circa permutationem ratificationum id observare jubebatur, ut si Belgicam sentiat Haga jam missam esse, Regiam tradere ne dubitaret, ne forte per moram Belgis scrupulus injiciatur. Sed si isti permutationem Hagæ peragi velint, dextre eam declinaret, atque ex decoro esse declararet, ipsos eandem per suos ministros Regi tradere. Dum ratificatio traditur, adversus omnes injurias post concluſum pactum illatas protestaretur, ac ut Regi eo nomine satisfieret, tum ne in posterum talia patrentur. Sane Gedanenses in conspectu classis Belgicæ Svecis multa damna intulisse, abrepta inter alia Stippersbachii suppellectile, intercepto Kœnigsmarckio & Antonio Curtinio Secretario, id quod prohibere Regi in proclivi fuerit, ni respectus Belgicæ classis obstitisset. Discedens quoque ea classis quindecim centurias militum Gedano immiserat, pro arbitrio civitatis adhibendas, quorum præfectus Percevallius Svecis infestissimus consilio & manu rem in hos gerebat. Eludendis querelis isti in speciem civitati sacramentum dicebant, cum revera Belgarum stipendiis illigati manerent. Enimvero non obstante tractatus adprobatione publice facta ratihabitio extrahebatur, ac cumprimis Amstelodamensibus displicebant verba illa, *Salvis regalibus & juribus suis, item sub qua tamen æqualitate nullatenus intelligi debent peculiarium societatum & subditarum personarum specialia privilegia.* Hac enim exceptione addita æqualitatem illam inanem esse, cum pauca commercia in Svecia extra societates privilegiis donatas tractentur. Id quod & Minister Danicus fervide jactabat una cum Gedanensi circumcurrens, ut ratificatio inhibeatur, postquam Svecos jam eo redactos credebant, ut non amplius timendi viderentur. Sed & molestum erat Belgis, Regem ipsos auxilia ex fœdere adversus Moscos poscere, quod metuerent, ne inde commercia ipsorum apud Fanum Archangeli detrimenti quid caperent & ipsis sane lubentibus futurum erat, si Moscus Riga potiretur. Offendebat quoque vocabulum ad parem *circiter* modum. Sed & Gedanenses inclusioni suæ contradicebant, per quam sibi parum caveatur, & haut eo secius sumptus in militem alendum continuandos. Suspectos quoque per eandem se Poloniæ Regi fieri, nec de restitutione locorum sibi per Svecos ablatorum exprimi. Quanquam autem postquam libertati ac privilegiis ipsorum cautum foret, perinde iisdem esse videri posset, quisnam Borussia potiretur, nolebant tamen hanc incidere in manus Principis mari potentis, qui ea parte virium ipsis formidabilis foret, qua cum Polonus destitueretur, tantopere precario hujus imperio gaudebant. Sed nec Dani isti tractatui includi volebant, ne Czarem suspicione perstringerent, neu remoram injicerent consiliis, quæ tempus ipsum suppeditare videbatur. Cæterum in præsens Belgæ magnopere mutati erant ab iis, qui anno 1645. cum Svecis tractabant. Ibi enim cum legati ipsorum mandatum accepissent insistendi legibus tractatus Spirensis, cum jam omnia capita essent absoluta, nondum tamen subscripta, isti, neglectis mandatis, conventis insistebant, dicentes, verba sua non minus valida esse, quam subscriptionem. Nunc haut eo secius ratificatio abnuebatur, utut publico decreto declaratum esset, legatos per omnia mandatis suis satisfeciſſe. Ne tamen color deesset ab Ordinibus Hollandiæ movebatur, ut *Elucidatio* exigeretur, ac ut vocabulum *circiter* velut ambiguum, ut & de privilegiis peculiaribus societatum &

Curtin.

Percval.

1656

1656. perſonarum expungeretur, ſimul taxatio vectigalis ad modum anni 1640. revocaretur, ac *navium* quoque intuitu æqualitas ſanciretur. Extrahendo quoque tempori movebatur, ut hi tractatus à ſenatoribus Regni ſubſcriberentur, uti anno 1640. & 1645. factum fuerat. Ita Regi nihil conſulebatur per hos tractatus, quibus Belgæ ipſum ſtringere cupiebant, ſibi reſervata libertate agendi, quicquid è re videretur. Simul ut Brandenburgicum Svecis divellerent, evictionem ei adverſus Polonos promittebant circa ſupremum Boruſſiæ imperium amotis Svecis. Eo fidentius autem ita pro libidine omnia agebant Belgæ, quod perſuaſum eſſet, alios Principes per rationes ſuas obligari, ut iſtorum ſtatus conſervetur, non ſine inſolentia jactantes. *Fovete Principes, nam Europæ libertas labaſcit, hoc ſi vallum ruat.* Qui & ægre ferebant, tractatus Hafniæ inſtaurari, ſuſpecta Regum Borealium concordia, quos diſſidentes invicem, debilesque ac ſibi obnoxios malebant. Super concilianda autem inter Svecos ac Polonos, pace id præcipue legatis ſuis mandaverant, permoverent Polonos ut titulo Sveciæ & Livonia, Svecos ut Boruſſia cederent, ſimul Brandenburgicum ſolicitarent, ut ad idem Svecos induceret. 1656.

CAROLI

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM
A
CAROLO GUSTAVO
GESTARUM
LIBER QUARTUS.



Digitized by Google

EPITOME.

FAcies rerum ſub initium anni. 2. Rex Czarnecium perſequitur. 3. Regis cum Electore congreſſus. Tycozinum amittitur. 4. Steenbockii acta. 5. Joannes Caſimirus Gedano diſcedit. 6. Super pace cum Polonis incaſſum agitatur. 7. Regis circa pacis Polonicæ tractatus conſultatio. 8. Aggeres Viſtulæ perfodiuntur. 9. Ragozius in Poloniam irrumpit. 10. Brandenburgicus Ragozii rebus miſceri non vult. 11. Rex Ragozio obviam tendit. 12. Regis cum Ragozio conjunctio, & conſultatio. 13. Cracovia Ragozio traditur. 14. Rex & Ragozius trans Viſtulam in hoſtem eunt. Polonorum civilitas. 15. Acta Regii & Ragoziani exercitus. 16. Breſtia capitur. 17. Ragozius ambigue agit. 18. Rex in Boruſſiam tendit. 19. Rex Polonia excedere conſtituit. 20. Sveci à Ragozio disjunguntur. 21. Ragozius male rem gerit. 22. Rex culpam Ragozianæ cladis à ſe amolitur. 23. Legatio ad aulam Turcicam. 24. Negotiatio Ralambii hæret. 25. Wellingii acta apud Coſaccos. 26. Lilliecrona ad Coſaccos mittitur. Apud Tartaros proponenda. 27. Cum Chmielinſcio acta. 28. Brandenburgicus rebus Svecicis in Polonia diffidit. 29. Rex Electorem in partibus retinere ſtudet. 30. Elector neutrarum fit partium. 31. Elector cum adverſa parte tranſigit. 32. Amicitia inter Regem & Electorem paulatim diſſuitur. 33. Poloni pacem in præſens adſpernantur. 34. Regis circa pacem Polonicam conſiderationes. 35. Inanis circa eam pacem opera. 36. Cum Gedanenſibus acta. 37. Auſtriacorum in Svecos apud Moſcos, Polonosque machinationes. 38. Auſtriaci bello Polonico ſe ingerunt. 39. Cauſæ motorum ab Auſtriacis in Poloniam armorum. 40. Auſtriaci Cracoviam recuperant. Iidem in Boruſſiam tendunt. 41. Rex Leopoldi Electionem impedire ſtudet. 42. Conſultatio ſuper excludendis à faſtigio Cæſareo Auſtriacis. 43. Biærnclovius Francofurtum mit- 1657.

1657. titur. 44. Ab Ordinibus Imperii Regi nihil auxilii eſt. 45. Circa excludendos dignitate Cæſarea Auſtriacos fruſtra laboratur. 46. Gallorum circa res Svecicas ſtudium langvet. 47. Rex Auſtriacorum amicitiam affectat. 48. Ordines Imperii à Rege incaſſum in auxilium ſolicitantur. 49. Super fœdere Rhenano agitata. 50. Cum Moſcis fruſtra de pace agitatur. 51. Spes pacis cum Moſco affulget. 52. Armis in Moſcos acta. 53. Lithuani in Livoniam irrumpunt. 54. Cum Curlandiæ Duce acta. 55. Super bello Danico conſultatio. 56. Rex priorem ictum à Dano excipere mavult. 57. Tractatus cum Dano langvent. 58. Rationes Danorum pro bello. 59. Rationes pro pace. 60. Concluditur pro bello. 61. Novum procuratorium adfertur. 62. Tractatus continuantur. 63. Tractatus ad rupturam vergunt. Danorum extrema declaratio. 64. Durellius Hafnia diſcedit. 65. Brandenburgicus Legatus Danis bellum diſſvadet. 66. Dani in bellum ruunt. 67. Dani bellum ordiuntur. 68. Rex Danico bello alacriter occurrit. 69. Dani bellum Sveciæ indicunt. Manifeſtum Danicum. 70. Svecorum reſponſio. 71. Dani in Bremenſem provinciam irrumpunt. 72. Sveciæ Rex in Daniam movet. 73. Wrangelius Danos Bremenſi provincia expellit. Regis in Holſatia progreſſus. 74. Prælium navale inter Svecos & Danos. 75. Friderixudda expugnatur. 76. In limite Sveciæ adverſus Danos geſta. 77. Circa pacem cum Dano acta. 78. Regis circa pacem conſiderationes. 79. Cum Cromvello agitata. 80. Super fœdere Anglicano conſiderationes. 81. Cromvelli circa bellum Danicum mens. 82. Nova cum Cromvello negotiatio. 83. Negotiationis iſtius ſucceſſus. Regis de hac judicium. 84. Negotiatio Anglicana continuatur. 85. Legati Anglicani apud Regem negotiatio. 86. Aliæ Regis circa Cromvellum cogitationes. 87. Belgæ ratihabitionem pacti Elbingenſis extrahunt. 88. Belgæ elucidationem pacti Elbingenſis exigunt. 89. Regis ad petita Belgarum preſſior declaratio. 90. Belgæ ulterius circa elucidationem movent. 91. Regis ad iſta declaratio. 92. Belgarum in bello Danico adverſus Svecos habitus. 93. Lis ſuper interceptis Appelbomii literis. 94. Rex Appelbomium tuetur. 95. Belgæ Regi circa Appelbomium ſatisfaciunt. 96. Rex Belgarum mediationem repudiat. 97. Belgæ Danis favent.

Poſt

POst victoriam ad Warſaviam langvere iterum cæperant Svecica arma obtergiverſationes Brandenburgici copias ſuas jungere abnuentis, ut aliquando penitus contundi poſſent Poloni. Nec è re videbatur Regi copias ſuas per latiſſima Poloniæ ſpatia circumraptare, ac fugitivo hoſti perſequendo eas atterere, jam indies magis minuentes ob labores bellicos, & morborum contagia, queis ſupplendis facultas non erat deficiente pecunia, & quia jam omnes fere bellum Polonicum abhorrebant. Nova tamen ſpes à Ragozio ſurgebat, cujus irruptione in Poloniam putaverat Rex, maximam ſe ejus belli molem in iſtum, Coſaccoſque derivaturum; quo ipſo tanto erectius ſtringere licebat Boruſſiam, & quæ alia Sveciæ opportuna loca animo conceperat; ſimul facultas dabatur aliorum malignos conatus eludendi, aut oppoſita vi reprimendi. Ac ſpes erat bello Polonico propediem finem imponendi, quod ejus Regni Nobilitatem ingens belli tædium cepiſſet. Sed & Moſcus irriti obſidii Rigenſis labore fractus, & Polonorum ludibria ſentiens, Coronam ſibi oblatam Auſtriacis venditantium, ad pacem cum Svecia flexurus videbatur. Ex adverſo ſolicitudinem injiciebant Auſtriacorum conatus, indies infeſta magis ſpirantium, & Danorum in bellum prurientes manus, queis cæcos ſtimulos Belgæ ſubdebant invidia in Sveciæ incrementa; Gallis, Angliſque præter

Facies rerum ſub initium anni.

inania verba parum conferentibus. Eo major naſcebatur occaſio Regi magnitudinem animi per ipſas rerum difficultates expromendi, cui & conſilia pro captu rerum promta ac nunquam anxia prudentia ſuggerebat, quam fata viam his è difficultatibus eluctandi aperirent impigre ſecuturo. 1657.

§. 2. Initio anni Rex Czarnecium perſecuturus ex itinere Coniciam Pomerelliæ oppidum, quod Octobri menſe in Polonorum ditionem redierat, recuperare inſtituit. Id poſt langvidam defenſionem tertio die arbitrio ſe Regis permiſit. Præfectus cum ductoribus, & milite Polonico dimiſſus; trecenti pedites Teutonici cohortibus Svecicis admixti, ac multi ductores, nobilesque Poloni, qui nocturna nuper clade acceptis vulneribus curandis vacabant, capti. Inde Tauchelam verſus iter ſumitur, quod & ipſum oppidum Rex ſubigere cupiebat. Sed ex interceptis literis intelligebatur, Czarnecio propoſitum Viſtulam tranſire, & conjunctione cum Maſoviis facta Brandenburgici terras invadere, quem tunc per blanda, per aſpera partibus Svecicis avellere laborabant Poloni. Ac referebant Præfecti quidam ab Aſchebergio capti, Polonicam militiam belli pertæſam à Joanne Caſimiro contendiſſe, ut tractatus pacis cum Svecis ſuſciperentur, quod & hic facturum ſe teſtatus ſit, ſimul tamen demonſtrato; antequam ad pacem deſcendatur, opus ſibi eſſe vindictam prius de Electore ſumere. Igitur Rex omiſſa Tauchela Brombergam adproperat, ſi forte hoſtem improviſo obruere daretur. Aſt hic deſtinatis diſſimulandis ingenti circuitu facto per Cujaviam ſupra Breſtiam verſus Brombergam flexerat, centum viginti turmas equitum nullis impedimentis ſecum

Rex Czarnecium perſequitur.

1. Jan.

Tauchel.

1657. cum rapiens, ut commodum Viſtulæ tranſitum quæreret. Sed Czarnecius animadverſo Regis conſilio bis mille equites, qui jam Viſtulam tranſierant, revocat, ac raptim alio iter avertit. Unde Rex Electorem, ut ſibi ab iſto caveat, monet; ſimul Duglaſſio, qui ad Gedanum relictus erat, injungit, ut Salfeldam, & Hollandiam verſus moveat. *Salfeld Holland.* Electori, ſi opus foret, præſto futurus. Quo digreſſo Gedanenſes eruptione facta aliquot Pacmori equites in Inſula ſua incautius agentes oppreſſerunt. *14. Jan. Wladislau.* Intellectum inde eſt, hoſtem ſupra Thorunium apud Wladislaviam Viſtulam ſuperaſſe; cui ut ſe objiceret *Starogrod* Rex apud Starogrodiam idem flumen glacie tunc conſtrictum tranſierat. Sed hoſtis è Calmenſi diſtrictu jam Neumarcum properato itinere evaſerat, cum Goſievio, uti conjectura erat, ſe conjuncturus. Ubi & conſiſtere non auſus, quod catervas Svecicas circa Neumarcum animadvertiſſet, Lautenburgum, inde Moſcoviam verſus abiit, conſilio invadendæ Boruſſiæ tunc excluſus. Rex autem ad lævam Salfeldam verſus flexit, ut copias ſub Duglaſſio *11. Jan. Linau.* relictas ſibi adjungeret. Ipſe apud Linovam relicto exercitu Mariæburgum ſe conferebat, cura hujus in Steenbockium collata; cui injunctum Czarnecii conatus obſervare, ac Electoris terras ab invaſionibus Polonorum protegere: cujus copiæ, quæquinque millium numero ſub Ottone Chriſtophoro Sparrio non procul metabantur, quo loco ſe Svecis jungere vellent, in Electoris arbitrio relinquebatur.

Regis cum Electore congreſſus 15. Jan. §. 3. Rex inde invitatus ad Electorem ſe Hollandiam conferebat, conſilia cum eo formaturus ſuper promovenda pace, aut ſi hæc non ſuccederet, belli gerendi ratione. Summa ibi actorum huc redibat: Quia Gallici ac Belgici Legati referebant, Joannem Caſimirum, ac Senatores Gedani tunc præſentes teſtari, ſe pariter cum Sveciæ Rege, & Electore tranſacturos; fateri tamen ſimul, in promtu ſibi non eſſe, nec in præſens obtineri poſſe procuratorium Reipublicæ Poloniæ: igitur ut Rex & Elector oſtenderent, propoſitum ſibi eſſe bona fide ad tractatus deſcendere, inter illos convenit, ut deinceps quidem ſicuti antea exigere velint Reipublicæ Poloniæ procuratorium velut totius negotii fundamentum, tum & ſalvum conductum pro Ragozio & Coſaccis; admiſſuri tamen, ſi cum Polonicis ſuper loco, tempore, & ſecuritate tractatus conveniri queat, initium congreſſus ſtatim fieri: ſed ubi interim Reipublicæ procuratorium, & ſalvus conductus, exhibitus non ſit, initio tractatus, & antequam ad princeps negotium accedatur, iſta ut promantur urgendum. Ea res dum diſceptatur, tentandum, num Polonorum animi ad idoneas pacis conditiones admittendas permoveri queant. Circa locum tractatibus ſuſcipiendis haut placebat intra Gedanenſium territorium cum Polonis congredi; ſed ſi alius locus in Boruſſia, aut præcipue in Curlandia diſpici queat, ubi partes, & præliminarium conciliatores commode agere queant, eum proponendum, & curandum, ut partis utriusque Commiſſarii convenire ibi, & negotium ſuſcipere poſſint, non in loco tertio, ſed mutuis viſitationibus, ut Osnabrugæ factum. Hoc quippe modo omnes difficultates tolli, quæ congreſſum in loco tertio comitantur, ſimul occaſionem præberi rem ipſam abſque ſequeſtrium interventu diſceptandi. Eam declarationem Rex atque Elector ſcriptam Avaugurio tradebant, qui & eam Gedanum ad Regem Poloniæ deferebat. Circa actiones bellicas id quidem proponebatur, ut Regiæ atque Electorales copiæ bifariam diviſæ hinc Samogitiæ, inde Maſoviæ & Podlachiæ immitterentur. Sed quia neceſſarium videbatur Tycozino laboranti ſubvenire, nec conſultum erat vires dividere, placuit Steenbockium & Sparrium per Maſoviam verſus id oppidum progredi pellendis inde Polonis, eoque patrato in Podlachia conſiſtere, quoad alia mandata acciperent. Enimvero inane erat id deſtinatum, quod Tycozino hoſtis potitus eſſet, omni vi incumbentibus Lithuanis Sapieha Witepſcio, & Goſievio ducibus; quibus Dietericus Roſa cum quingentis præſidiariis acriter re- *17. Jan.* ſiſtebat. Sed cum hoſtes aſſultu facto in oppidum penetraſſent, obviis quibusq; cæſis, nec ulla repugnandi facultas ſupereſſet, Roſa, per deſperationem *Tycozinum admittitur.* in arce incluſus, pulvere incenſo ſe cum reliquis ſuorum, multisque hoſtium, ac parte arcis in aërem eliſit. Quo oppido amiſſo, & quia paucos poſt dies Birſæ, Radzivilianum itidem oppidum, deditione in Lithuanorum manus perve-

nit,

1657. nit, centum octoginta qui superfuerant præsidiariis cum octo machinis Rigam deductis, Sveci tota Lithuania expulsi sunt.

Steenbockii acta. §. 4. Tycozino expugnato Gosievius cis Memelam fluvium accesserat, ut Czarnecio junctus Borussiam Ducalem invaderet. Queis ut medium se interponeret Steenbockius conjunctioni impediendæ, Rex jubebat, alterutrum invasurus, prout occasio daretur. Sed si conjunctionem istorum prævertere non posset, apud Angerburgum consisteret, Brandenburgicis copiis sociatus. *Reden. Hasenberg* Is igitur Redena movens apud Hasenbergam Sparrio cum aliquot equitum & Dimacharum Brandenburgicorum legionibus jungitur. Hi Ma- *19. Jan.* soviæ fines ingressi Przasniciam pro- *Przasnitz.* perabant, ubi Czarnecium stativa habuisse cognoverant. Heic postremum istius agmen deprehensum, è quo non pauci cæsi fuerant; reliqui dispersi in diversa abierunt. Sed ipse Czarnecius pridie discesserat, cursu Gedanum intenso, ut Joannem Casimirum inde deduceret. Igitur isto omisso Fœderati Tycozinum versus progrediuntur, ut illud Polonorum obsidio eximerent; *Colno.* ac jam Colnam pervenerant, cum nuntius id jam amissum, simul Sapieham irruptione in Borussiam facta incendiis fœdum in modum grassari adferret. *9. Febr.* Unde & fœderati intra ejus provinciæ fines regressi Joannisburgum iter instituunt. Quorum ad- *Augustovva.* ventu cognito Sapieha propere Augustovam Lithuaniæ se recepit. Igitur Fœderati quoque Podlachiam versus tendunt, ut ex hostico alimenta quærerent. *17. Febr.* Mox tamen Brandenburgici mandatis ab Electore acceptis Steen- *Licca.* bockio disjuncti Liccam versus discedunt. Unde & Steenbockius trans Narevam fluvium subsistere tutum non judicans Joannisburgum retro vertit, per deserta Borussiæ iter Thoruniam jussu Regis suscepturus, quod jam certi nuntii de adventu Ragozii in Poloniam allati essent, qui cum jungi *Libov.* Rex magnopere cupiebat. Libovia Steenbockius Mariæburgum ad Regem excurrebat, cura exercitus in Henricum Hornium tantisper collata, *2. Mart.* qui & initio Martii cum Thorunii trans Vistulam ductum illis legionibus conjunxit, quæ Duce Douglassio è Borussia eodem accesserant.

§. 5. Czanecius interim converso repente itinere cum sex equitum millibus inter Golupum & Strasburgum per Culmensem districtum Gedanum advolverat, intra quartum diem quadraginta milliaria emensus, ut Joannem Casimirum in altiora Poloniæ deduceret, Ragozii progressibus sistendis. Qui & postera statim die *28. Jan.* urbe ista excessit, assumtis machinis ac peditatu, in Majorem Poloniam quantum poterat contendens. Iter ejus à Svecis intercipi haut potuit, quod Steenbockius tunc cum plerisque copiis in diversa Borussiæ parte abesset; cum aljas saltem machinis & peditatu istum exuere in proclivi esset, quam occasionem & Czarnecius captaverat. Et Joannes Casimirus, quo tutior incederet, secundum fines Pomeraniæ & Marchiæ iter sumebat. Quod tamen ne sic quidem citra turbas fuit. Nam cum præter Lauenburgum progrederetur, Aschebergius cum turmis ibi hospitantibus noctu impressione in Polonica castra facta ingentem terro- *10. Febr.* rem dederat, ut ipse Rex assumto equitatu relictis machinis ac peditatu per paludes Calisiam se proriperet. Peditum alii Gedanum regressi, non pauci ad Svecos transfugerunt.

1657. *Joannes Casimirus Gedano discedit.*

§. 6. Joannis Casimiri discessu spes pacis brevi obtinendæ evanescebat, circa quam conciliandam hactenus Legati Gallici & Belgici laboraverant, à qua & Poloni in præsens non alienos se ostenderant. Sed mox hisce insolentia & aversio à pace redibat ob conclusos cum Cæsare tractatus; & insalutato Rege ex aula Gedanum facessens Franciscus Lisola omnem lapidem movebat, ut Sequestrium opera inanis redderetur. Ac ipsi Poloni, cum Sequestres causam mutati animi scisciterentur, aperte fatebantur; tractatus inter Cæsarem & se interveniisse, per quos Joanni Casimiro Successor è Domo Austriaca dandus sit. Sed quia Cæsar insuper postularit, ut abolito jure Polonorum electitio Austriaca Domus æternum jus ad Poloniæ Coronam possideat, ac una cum Austriacis Dano in decennium obligata sit ad dandam operam, ut Sveci non Polonia solum & Borussia, sed & Germanicis provinciis ejiciantur, dissensisse Senatores; & qui Joanni Casimiro favebant svasisse, ut is Czenstochovam abiret, ac Senatoribus eodem evocatis super Austria- *Super pace cum Polonis incassum agitatur.*

1657. *dit. Livonia titulum utrinque Regem deinceps gesturum ob partem ejus provinciæ, quæ hactenus penes Polonos mansit. Vicissim decreta in Svecia contra Sigismundi familiam facta abolerentur.* Etsi Poloni clam innuerent, *si super aliis conveniri possit, circa decreta illa moram haut fore. Elector quoque abolita anteactorum memoria in amicitiam reciperetur, iisdem tamen quibus antea, legibus Polonia obnoxius futurus. Nam qua antea oblata fuerit abolitio provocationis è Borussia in aulam Polonicam, & annui canonis, quem Elector in recognitionem feudi quotannis præstare solitus sit, eam conditionem habuisse, si ipse arma adversus Svecos conjunxerit.* Cum Legati Gallici Dirschaviam congressus locum proponerent, ac confidere se, Regem Sveciæ consensurum, ut suum inde præsidium deducatur, oppidum ut interim Belgico milite, qui Gedani erat, custodiretur; Joannes Casimirus & Senatores id repudiabant, nec alia minus, quæ isto fine proponebantur, non sine trepidatione dissessum Gedano festinantes.

Regis circa pacis Polonicæ tractatus consultatio.

§ 7. His intellectis Rex Benedictum Oxenstiernam, & Biærnclovium cum Brandenburgicis Legatis Ottone Sverino, & Friderico Jena, qui Mariæburgi tunc erant, sermonem conferre jubet, quid præsenti rerum facie suscipiendum foret. Re expensa placuit, Legatis Gallicis, & Belgicis Polonorum iniquitatem, simul justitiam à Rege & Electore actorum demonstrare, ac præsens Polonorum responsum illusorium esse; petito ut denuo explorarent, num ea Polonorum extrema sit sententia, an vero moderatiora quædam in recessu habeant, post priora repudiata demum expromenda. Cum igitur Sveci Legatis, quæ circa pacem post Warsavienſe prælium cum Polonis acta forent, exposuissent, ab hisce quærebant; quia Rex nuperam Polonorum declarationem in vicem puræ tractatuum recusationis accipiat, an non & ipsis per eam negotiatio plane abrupta videatur? Responderunt Legati: agnoscere se rem hactenus ita gestam; simul Poloniæ Regem ad instituendum congressum permoveri non potuisse: ac difficultates motas non aliunde provenire videri, quam ex respectu auxilii à Cæsare ferendi, ac ad declinandam Moscorum suspicionem. Quia tamen Joannes Casimirus Rex, & Poloniæ Cancellarius summopere testati sint, sibi utique in votis esse cum Sveco & Electore transigere, responsum istorum pro simplici tractatuum recusatione à se haberi non posse; sed quod talem pacem desiderent, qualem commode admittere queant. Id tamen dissimulare non posse Joannem Casimirum æque atque Cancellarium sancte asseverasse: Borussia cedere se non posse, quicquid malorum sibi exhauriendum sit. Regi decretum erat istam propositionem alacri vultu acceptare, ut Polonis aliquam spem transactionis præberet: ita tamen ut nullo promisso aut liquida declaratione negotium præcipitaret, antequam perspiceret, quo res se daturæ essent, & quid super quæstione de cedenda Borussia Senatus Sveciæ responsurus esset, ad quem super eadem retulerat. Etsi ipsi Regi ut huc descenderet, animus non erat. Sed interim Regibus in diversa abeuntibus, & mutata rerum facie, spes pacis in longum elisa est.

Aggeres Vistulæ perfodiuntur.

§ 8. Porro Rex antequam in Poloniam adicenderet, acriore via Gedanenses compescere statuit; qui inclusionem in pactum Elbingense, quam Belgis acriter instantibus dederat, instinctu Danorum aspernati non tueri se satis habebant, sed & crebris excursionibus Svecos per vicina hospitia agentes infestabant. Inter alia Grebimum binis assultibus recuperaverant, quinquaginta qui inerant Finnis excepto præfecto cæsis, qui veniam vitæ petere adspernabantur; etsi & ipsi hac expugnatione ducentos amiserant. Non raro tamen eorundem catervæ vulnera prædæ loco demum reportabant. Sed & fictis relationibus, & in contumeliam Regis compositis libellis, fœdo male sanæ plebeculæ oblectamento, hujus animum asperaverant. Igitur Rex ferociæ isti castigandæ aquas Vistulæ in dextrum alveum derivare instituit, ut qui Gedanum præterlabitur alveus navigiis ferendis non amplius idoneus foret. Tum credebatur, languidiore impetu aqua in mare ruente, ostium fluvii arenis oppletum iri. Tentandum tamen prius judicabat Rex, num comminatione istius mali animos eorum flectere posset; eoque destinata sua Legatis Belgicis pandebat, ut Gedanenses monerent moderatioribus consiliis malum imminens antevertere. Qui & eam rem non sine horrore audiebant, sat gnari, periisse Gedanum

1657. num portu obſtructo. Gedanenſes tamen iſta inſuper habere, vel quod rem ſerio à Rege agi non crederent, vel quod conatus illos effectu carituros ſperarent. Igitur apud angulum Montavienſem, ubi in duo cornua primum Viſtula ſcinditur, ac cumprimis ad Hauptum in ſiniſtro alveo obliquus agger excitatur, demerſis compluribus cymbis ſaxo impletis, ut earum objectu aqua in dextrum alveum compelleretur; ſea tamen altitudine, ut glaciei fragmina ſupernatare poſſent. Inde cum Viſtula vernis aquis intumuiſſet, aggeres apud vicum Keſemarcum duodecim ulnarum latitudine perrupti ingentem aquarum vim fertiliſſimis Gedanenſis inſulæ agris ſuperfundebant, late quoque ædificiis prorutis. Et cum Gedanenſes eruptione facta hiatum iſtum utcunque reparaſſent, alio loco propius caſtellum denuo aggeres perfoſſi ſunt, quorum reparationem detonantes è vicino caſtello machinæ impediebant. Ita magnum ſane damnum agris Gedanenſium illatum fuit, minus tamen ſperato, quod glacies magno impetu ruens partem obſtructionum ſuſtuliſſet. Unde & Gedanenſis alveus navigabilis ſemper mare ingrediebatur, nec arenarum quid oſtio fluminis offuſum ſentiebatur.

Keſemarck.

Ragozius in Poloniam irrumpit.

§. 9. Poſtquam Joannes Caſimirus in tuta evaſiſſet, ac Regi jam certi nuntii de irruptione Ragozii in Poloniam veniſſent, ipſe quoque obviam iſti tendere inſtituit. Quo fine exercitum ſub Steenbockio Thorunium deflectere juſſerat, aliis ſimul turmis hinc inde ſparſis eodem evocatis. E quibus interim Arentſonius ſummus excubiarum præfectus quinque Polonorum ſigna apud Breſtiam Cojaviæ profligaverat, plerisque conciſis. Inde repente eos, qui Lovvicium obſidebant, diſſipavit. Eo magis autem in ſuperiora Poloniæ feſtinandum ſibi duxit Rex, quod Polonos omnes vires contrahere intelligeret, ne forte Ragozium repente ingruentes opprimerent, cui non ſine cauſa metuebat, ut pro alacritate hoſtium ſat vigilantiæ foret. Antequam è Boruſſia diſcederet Rex, Mariæburgum, & alia ejus provinciæ oppida fidem ſibi velut legitimo ſuo Regi jurejurando obſtringere juſſit. Cæterum Ragozium cum ab expeditione in Poloniam dimovere ſui non poſſent, id ſaltem contendebant, ne hiberna tempeſtate difficillimum iter properaret, ſed ad vernum tempus id differret, ratificatione pactorum à Rege interim adferenda. Quibus & aurem præbiturus iſte erat, ni Cracoviæ potiundæ deſiderium ipſius deſtinata præcipitaſſet; quod metueret, ne iſta urbs interim à Lubomirſcio, aut Cæſareis interciperetur. Erat quoque in itinere ad Ragozium Legatus Turcicus, expeditioni in Poloniam interceſſurus. Unde iſte in mandatis dederat præfectis ſuis domi relictis, ut eum Legatum per devia circumducerent, ne idem ipſum alibi quam in Polonia reperiret. Exiſtimabat enim Ragozius, Turcam re non amplius integra, & fortuna cœptis adſpirante, haut ſibi adverſaturum; prout iſti genti ſolenne eſt omnia eventu æſtimare. Ipſius porro exercitum, cui Janus Keminius & Gabriel Bacoſus præerant, componebant octodecim equitum, quinque peditum millia, quibus Coſaccorum viginti, Walachorum ſex millia accedebant, vaſtus numerus, & Poloniam jam ſat defeſſam plane oppreſſurus, ſi quantum Ragozio cupiditatis Coronæ potiundæ, tantum conſtantiæ ac peritiæ bello gerendo fuerat. Sed nec prudentiæ ipſi ſat, nec vigoris fuit, ad hoſticum ingreſſus multum trepidationis ac timoris ſubinde oſtendebat. Crediderat ipſe ſibi Poloniam intranti vicinos Proceres, & inter hos Lubomirſcium affinitate eidem junctum amice obviam progreſſuros. Cui fini omnibus Gratiam ſuam obtulerat, velut certatim in obſequium ipſius ruituris. Sed cum neminem in ſui favorem ſe movere ſentiret, præter ſingulos aliquos militum injuriis expoſitos, qui ipſius protectionem amplectebantur, conjunctionem cum Rege Carolo Guſtavo anxie affectabat. Abs qua divertere ipſum Poloni conati fuerant rumore ſparſo de tractatibus inter ſe & Sveciæ Regem jamjam abſolvendis, quibus ipſe excludendus ſit. Et Potocius eidem ſcripſerat: Ad extrema jam redactum Svecum compellente neceſſitate cum Polonis tranſigere velle, ac terrore Ragozii opimas ab ipſis conditiones extortum ire, quibus obtentis Principem ſine navi ac remis medio mari deſtitutum iri. Nec Svecis ſolitum cum ullo Principum ſinceram amicitiam colere, præterquam cum ſolo Gallo.

Kemini Janos. Bacos Gabor.

27. Jan. *Arentſon. Breſtia.*

12. *Febr.*

Quæ

1657. Quæ etſi animum Principis mire turbarent; iter tamen jam ingreſſo utique pergendum erat. Porro per Stryam verſus Leopolim progredienti hæc urbs obviam mittebat, qui cum ipſo tranſigerent, amicitiam promittens, at tamen præſidium admittere abnueret. In easdem leges Premislia quoque convenit. Apud iſthoc oppidum ipſum adiit à Cæſare miſſus Colonzæ Epiſcopus Hungariæ Cancellarius, ab iſta expeditione eum dehortans gravi proteſtatione interpoſita. Cui à Ragozio reſponſum; non amplius in ſua poteſtate eſſe retro vertere absque fœderatorum conſenſu, & cœptum luſum continuandum, exitumque expectandum: Miſſus tamen ab hoc viciſſim Legatus ad Cæſarem, qui factum excuſaret, ac de ſincera amicitia teſtaretur, nec ulla re ſe commodis ac rationibus Cæſaris obſtiturum. Ad 3. Mart. hoc oppidum dum ſubſiſtit, nuntius adfertur Lubomirſcium adventu ipſius territum Cracoviæ obſidium ſolviſſe, quod per quinque menſes extraxerat, multis ſubinde damnis à Wirtzio affectus: cui demum discedens per literas egregiæ virtutis teſtimonium dedit, additis precibus, ut ſalinis parcat. Idem Lubomirſcius cum Czarnecio, Potocio, aliisque Polonorum ducibus copias juncturus dicebatur, ut Ragozio ſe ad Sanum fluvium objiceret. Unde hic conſilio cum ducibus Coſaccorum & Walachorum habito ſtatuit in Polonos tendere, ac prælio confligere, viribus adhuc recentibus, ſi hoſtes copiam ſui facere audeant. Sed Sanum cum attigiſſet, tria duntaxat Polonorum millia invenit, qui velitationem primo auſi, mox multitudine territi retro ſe ſubduxerunt. Inde Cracoviam verſus proceditur, in cujus poſſeſſione ſummam rerum ſibi repoſitam iſte judicabat.

Stry. 13. Febr.

Brandenburgicus Ragozii rebus miſceri non vult.

§. 10. Aſt Rex, cum Ragozium hucusque progreſſum intelligeret, cui fallente ſpe de Polonorum ultronea deditione in ſola cum Sveciis conjunctione fiducia reponebatur; jam præclaram adveniſſe occaſionem cenſebat Polonorum pertinaciam uno impetu frangendi, belloque finem imponendi, Polonia inter ſe, Electorem, Ragozium, & Coſaccos diviſa. Quem in finem quoque acriter apud Electorem inſtabat: jam ad maturitatem rem perductam, & flectendos aut frangendos Polonos: igitur exueret languorem hactenus oſtenſum, & ſumma vi cum ipſo ad opprimendos Polonos conniteretur. Aſt hunc contra Poloni, aliique ſocietate Svecica avellere non minore ſtudio laborabant. Quos inter Liſola quoque circa id tempus Labiaviam ad Electorem profectus omnem lapidem movebat ad turbanda Regis deſtinata. Cui non pauci è Conſiliariis ſuccinebant, omnesque artes adhibebant animo Principis labefactando, & in Polonorum partes pertrahendo; quos inter accerrimus habebatur Hoverbecquius, & qui nuper à Polonis Lanciciæ captus fuerat Boninus, quem dimiſſum Joannes Caſimirus jurejurando illigaverat, ſe intra annum Poloniæ adverſi nil ſuſcepturum, ſimul ſecretis mandatis inſtruxerat. Accedebant Polonorum irruptiones in Boruſſiam, & male habitorum provincialium querelæ, pacem non ſine importunitate ingeminantium. Tot ſolicitationibus diſtractus Elector Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem ad Regem miſit, 6. Febr. conſilium ipſius præſenti rerum facie exquiſiturum, & quomodo ſe pacis negotium habeat, auditurum. Cui à Rege demonſtratum; uti Polonus ipſi inane ſpe pacis illuſerit, & poſt cum in rem præſentem veniendum eſſet, omnia abruperit, atque everterit. Tum & literis oſtenſis, de Ragozii & Coſaccorum adventu in Poloniam ipſi confirmat. Quæ Waldeccio mire ſatisfaciebant; qui Electori iſta læta fore cenſebat, Polonis ab iſtius provincia alio averſis, & nunc confundendis; qui adverſa Sveciæ ſuggeſſerant. Suadebat autem Electori Rex, ut quæ ad ſui defenſionem facerent, diligenter adornaret, validamque manum Samogitiæ ac Lithuaniæ immitteret, quæ adconfinia omnia vaſtaret atque ureret, ne Lithuanio prope ipſius provinciam ſubſiſtendi facultas foret, ſuisque adeo ſubjectis ab illo latere caveretur. Tum ut partem copiarum ſecum jungeret inſtabat. Id quod demum ægre quantumvis obtentum; ac in ſpeciem miſſus, Waldeccius cum aliquot turmis, non ut una cum Rege in cauſam communem niteretur, ſed ut hac occaſione hoſpitiis Majoris Poloniæ frueretur: donec poſt ſæpius ingeſta fœdera ipſi demum injungeretur, ut Regem cum copiis ſuis ſequeretur. Antequam iter ingrederetur Rex, è Gallia ſignificatum eſt,

1657. Danum à Cæſare in Sveciam ſolicite inſtigari. Sane tractatus in Dania hærebant, & omnia delectibus agendis perſtrepebant, ſic ut inde haut dubie novi belli procella immineret. Unde Rex Wrangelium à ſe dimittebat, rebus Germanicarum provinciarum curandis. Boruſſiæ ſupremus Gubernator Adolfus Joannes Dux, Regis frater, conſtitutus eſt, ubi & Steenbockius tunc relinquebatur cum legionibus Teutonicis. Rex ipſe ad Ragozium proficiſcebatur aſſumtis Svecis & Finnonicis legionibus, quæ triginta alis equitum, decem peditum phalangibus conſtabant, adjunctis duodecim levioribus machinis: ſed ſi Danus in arma erupiſſet, decretum erat protinus in Borufſiam regredi.

Rex Ragozio obviam tendit.

§. 11. Rebus per Boruſſiam diſpoſitis Thorunium Rex conceſſit, ubi poſt acceptas à Ragozio literas ob viam ipſi tendere conſtituit, ne is univerſa Polonorum turba forte obrueretur,

9. Mart. Sluſievvo.

Thorunio exercitus Sluſievam procedebat ducente Duglaſſio. Nam ipſe Rex tantiſper Thorunii ſubſiſtebat, quod nuntii adferrent, Joannem Caſimirum circa Czenſtochovam duodecim Polonorum millia contraxiſſe; eoque haut conſultum ducebat longum & periculoſum iter præcipitare antequam è Brandenburgico promiſſæ copiæ acceſſiſſent. Quæ & paucos poſt

11. Mart.

dies apud Lavvizegam Waldeccii ductu Svecis jungebantur, una dimacharum, quatuor equitum legionibus conſtantes. Ita juncti jam Brandenburgicis Sveci ſeptem bellatorum millia explebant. Briſcham Cujaviæ oppidum progreſſis Rex Thorunio profectus conjungitur. Breſienæ emiſſi circumquaque exploratores referebant, Joannem Caſimirum propius cum exercitu accedere, ut lateri Svecorum ingrueret, ſimul quatuordecim Polonorum ſigna Petri-

Briſch.

Petricovv.

coviæ præſidio impoſita eſſe. Igitur Rex ad hoc oppidum recta tendit, quo id expugnaret, ac hoſti, ſi lubidoo foret, pugnæ conſerendæ occaſionem præberet. Ac ſtatim Waldeccius cum quindecim equitum centuriis, & aliquot dimacharum turmis præmittitur eminus includendo oppido, quo & poſtridie Rex cum reliquo exercitu accedebat. Inerant oppido quadringinti Nobiles Poloni, præter oppidanos & agreſtes, omni inſtrumento bellico probe inſtructi, quibus Lonſcius præerat; qui & initio ſat acriter machinis ex oppido fulminabat, modico licet damno dato. Rex cum indecorum duceret oppido haut expugnato præterire, dimachas propius ſubire jubet, ac viam aſſultui ſternere: tum tubicen immittitur, qui deditionem imperaret. Ita territus præfectus oppidum honeſtis legibus dedit, ac cum ſarcinis & armis, ipſisque Nobilibus Czenſtochovam deducitur. In eo quoque operæ pretium factum, quod univerſis Nobilibus conductum foret ad id oppidum congregari; id quod hoc modo intercipiebatur. Digreſſis Polonis Brandenburgici præſidium impoſuere, velut in Siradienſi Palatinatu ſito, qui ex pacto ad Electorem ſpectabat. Rex conjunctionis cum Ragozio cupidus Petricoviæ haut moratus eadem adhuc die Wittovam proceſſit. Ubi ſequentem per diem exercitui quies indulta, ſimul emiſſarum catervarum reditus expectabatur, ſed quæ de Ragozio nihil certi referebant. Quæ res non parum ſolicitudinis Regi injiciebat, velut qui modica cum manu ita longe ſe Poloniæ immerſerat, ubi à præſidiis ſuis, & Viſtula facile intercludi poterat. Unde alacres ſuos ſemper agere jubebat, & quantum poſſint arcte metari, ne incautis aut diſperſis ab expedito hoſte damni quid inferretur. Wloſchevæ demum à Wirtzio literæ allatæ ſunt, quæ de Ragozii itinere liquido edocebant. Igitur Jendrezevvam ac Pinſchovam flexit Rex: quod oppidum, quia præſidium Polonicum diffugerat, Svecico ac Brandenburgico milite inſidetur. Sequenti die Raccoviam pervenitur, quo in oppido ante quatuordecim dies quadringenti Coſacci à Ragoziano exercitu excurrentes per Polonos oppreſſi, & ad unum cæſi fuerant, quorum corpora adhuc per plateas diſperſa jacebant, tetrum fœtorem exhalantia. Sed quia eo die exercitus quinque milliaria confecerat, neceſſario ibi pernoctandum erat. Sequenti die Jvaniſciam perve-

1657. *Lonski.*

23. *Mart.*

Wittovva. 24. *Mart.*

Wloſchevvæ. 26 *Mart.* *Jendrezevvo.* *Pinſchovv*

30. *Mart.* *Raccovv.*

1. *April.* *Jvaniski.*

nitur, ubi Rex noctem exigere conſtituerat. Sed quia id oppidum paucos ante dies à Coſaccis direptum, & magnam partem in cineres redactum erat, proximis vicis ſtativa capiebantur. Et quia multum adhuc diei ſupereat, Rex animi cauſa ad vicinam arcem Crziſtoporam, unde paulo ante præſi-

Crziſtopora.


Templ Parochiale
Convent S Francisci
Parmentier
Pont
Pont
Depot
Vistula Fluv.
Pont
Panorma

Digitized by Google

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Poludes

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

Tentoria

Digitized by Google

1657. præſidium Svecicum deductum erat, modico cum comiattu excurrebat; cum interim Wirtzius tribus legionibus ſtipatus acceſſit, qui Ragozium iſta adhuc veſpera adfuturum nuntiabat. Igitur totus mox exercitus in aciem diſponitur in Ragozii honorem, quem cum præſidio mille Hungarorum & Coſaccorum Rex per omnia benevolentiæ ſigna excipit. Exercitus adventantem diſplosis bis tubis, feſtivoque tubarum ac tympanorum clangore, ac ſubmiſſis ſignis ſalutat. Lætitiam illam non parum refrigerabat mors Adolfi Naſſoviæ Principis, qui dum ante legionem ſuam equeſtrem conſiſtit, globo caput ab aliquo ſuorum trajectus occumbit, fortuito caſu, an deſtinato ſcelere incertum. Dum Regem turmas ſuas oſtendentem comitatur Ragozius, paſſus aliquot poſt ipſum incedebat intecto ſemper capite; ſatellitibus quoque Principis pone Regios ſatellites ſequentibus. Nec minus in menſa ſingularem venerationem erga eundem præ ſe ferebat. Magna pars noctis inter lætitiam exacta, Princepsque digrediens equis duobus magnifice inſtratis, & acinace adamantibus ornato donabatur. Forte non indignum memoratu eſt, eo die ab *Dahlberg.* Erico Dahlbergio ſupremo caſtrorum præfecto, dum hoſpitia deſignaturus cum manu equitum agmen præcedit, in vico Kabolvvica Polonum conſpectum, ſupinum, binis globis cor trajectum, clauſis oculis, cruentam ſpumam ore ebullientem. Militaribus viris humanitatis officium viſum mortis cruciatus citra ſpem vitæ ſauciato abrumpere. Igitur unus eorum equo deſcendens tubum breviorem fronti admotum diſplosit, cerebro copioſe effluente; ad quod vulnus ſauciatus iſte dextram manum admovebat, digitosque in cerebro & Sanguine circumferebat. Unde alter quoque duobus ipſos inter oculos evibratis globis, ſuperiorem cranii partem plane collisit; nec eo ſecius Polonus utraque manu vulnus verſare perrexit. Svecus inde ter quaterque gladio cor tranſegit, ad ſingulos ictus Polono pedes attrahente, ac manum pectori admovente. Plures ictus repetebantur per totam corporis cavitatem à ventre ad jugulum. Tum & alii multis globis caput & cor trajicere, ſanguine è fiſſo cranio ebulliente; nec minus iſte pedes manusque attrahere, ac obſcuros ronchos ducere velut aliquid locuturus, omnibus ſtupentibus, quomodo ſenſus quid ſupereſſe poſſet tam crebris ictibus corde ac cerebro perforatis. Cum per ſemihoram id ſpectaculum attinuiſſet, nondum adhuc expirantem reliquerunt. 1657.

§. 12. Porro quia tantæ hominum multitudini haut licebat diutius conſiſtere locis per Coſaccos diſciplinæ neſcios plane vaſtatis, ſequenti die conſilio habito placuit; cum haut veroſimile ſit hoſtem tam validos exercitus conjunctos ultro laceſſiturum, aliquid ad ſummam rerum faciens ſuſcipere, ac ipſa velut præcordia iſtius petere. Quo fine idoneum viſum Viſtula apud Savichoſtam ſuperato Zamoiſciam expugnare. Nec mora, ſtatim præmittuntur, qui flumen ponte navali inſternerent. Ponte perfecto Savichoſtam acceditur, ubi denuo conſilium de ſumma belli habebatur. Heic primo Rex è Ragozio ſciſcitabatur, qua via ipſe ad deſtinata ſua tendere inſtituat, per favorem procerum, an per vim armorum; quarum hanc viam ſi inſiſtat, ſe ſtrenuam ipſi operam navaturum? Cui Ragozius; nulla ſibi in eam rem cum Polonis commercia intercedere, qui hoſtes ipſi ſint, ac glorioſius ſibi videri virtute armorum iſtos ad obſequium redigere. Rex qui experiendo mores hoſtium & rationem ejus belli didicerat, in cum finem multa prudenter differebat; tum Ragozio expendendum proponebat; utrum magis expediat prælio hoſtes laceſſere, qui tum apud Caſimiriam Viſtulam tranſierant; an vero validiſſima oppida invadere, eoque ipſo hoſtes ad prælium, aut ad proponendas pacis conditiones pertrahere. In eam rem duo ſibi oppida occurrere, Breſtiam Lithuaniæ, & Zamoiſciam, quarum hæc valida verberatione, illa haut operoſa oppugnatione ſubigi queat. In præſens tamen potius videri Breſtiam aggredi, munitionibus nondum perfectis, quæ alias abſolutæ, accedente ſitu & alluentium fluminum opportunitate, inexpugnabilem reddituræ erant. Ad eam quippe è Lithuania, Maſovia, & Ucraina itinera patere ſubvehendo commeatui, & pluribus Coſaccorum turmis evocandis. Contra Ragozius

Regis cum Ragozio conjunctio & conſultatio.

1. April.

Savichoſt.

5. April.

Caſimirs.

Breſtis.

ſatius

1657. ſatius judicabat exercitum hoſtilem inveſtigare, quo ſemel acie victo oppida facili negotio manus datura ſint. Id quod nec Regi displicebat, pugnam conſerere gaudenti, & quam maxime glorioſam rerum perficiundarum viam exoptanti. Sed quia nondum conſtabat, an hoſtis prælii copiam facturus eſſet, placuit Regi duobus pontibus Viſtulam ſuperare, altero apud Caſimiriam extructo, quo Ragozii copiæ uti poſſent, Svecis apud Savichoſtam flumen tranſeuntibus, inde junctim Lublinum tendere, ad quod oppidum Poloni hærere dicebantur. Quod ſi nulla detur occaſio manus cum hoſte conſerendi, commodum dein ipſis fore Bræſtiam, aut Zamoiſciam obſidere. Interim Steenbockium è Boruſſia cum majoribus machinis adventurum. Præter hæc Rex Ragozium monebat conjunctis tantis exercitibus militem accurata disciplina coërceret, ne per ſolutam licentiam alimenta brevi diſſiparentur; neu ipſe miles inter ſe colliſus diſſidiorum anſam præberet. Tum ut ſuos quoque adſuefaceret ad imitandum Svecici militis morem in agmine, in acie ſtruenda, in pugna conſerenda, in caſtris & ſtativis capiendis. Nam non poterat non Regi magnopere displicere confuſio apud Ragozii exercitum, quam antea auditam nunc coram inſpiciebat, eousque progreſſam, ut forte dum agmen incedit, ſurgente per campum lepore, aut alia fera, non ductores ſolum, ſed & integræ cohortes ac legiones confuſis ordinibus beſtiolam conſectarentur, aliquando quadraginta aut quinquaginta amplius vexillis leporem hinc inde ſequentibus. Id quod Svecico milti fœdum non minus, quam noxium videbatur. Finito conſilio ad Regem ſalutandi cauſa accedebat Dux Coſaccorum Antonius Zdanovicius vili admodum ſatellitio ſtipulatus, haut eo minus à Rege humaniſſime exceptus, lautisque donis mactus.

Zdanovitz.

Cracovia Ragozio traditur.

§. 13. Ibidem quoque Rex Ragozium urgebat, ut Cracoviam ſuo milite cuſtodiendam acciperet, velut per pactum ſibi aſſignatam, ut ipſe veteranum ſuum militem, quo valde indigebat, educere inde poſſet. Id quod hic variis rationibus eludere conabatur: nimis debilem eſſe ſuum peditatum, quam ut ſubtrahi inde poſſint, qui tantæ urbi tuendæ ſufficiant; nec ſuos homines propugnandis munitis locis 1657. adſuetos. Ac ſatis adparebat, Ragoziani militis animos per difficultates, quas præter ſpem in Polonia invenerant, valde exaſperatos ejus belli jam tædium cepiſſe, eoque ocyus defungi, ac in patriam reverti cupere. Quin & ideo Ragozio curæ haut fuerat ratihabitionem fœderis cum Legatis Svecicis initi permutare, aut indeciſa adhuc ibi capita perficere. Enimvero Rex imminente cum Danis bello militem ſuum utique Cracovia educere cupiebat, inprimis peditatum egregium; eoque per Wirtzium, quo internuntio in hoc negotio utebatur paulo commotior Ragozio denuntiabat: Si Ragozius Poloniæ Rex eſſe velit, neceſſum eſſe, ut ſuas urbes ipſe cuſtodiat. Id tamen temperamenti demum inventum, ut Rex Ragozio Fabianum Ferſenium tribunum, egregium manu & conſilio virum, concederet, qui Tranſſylvanico Cracoviæ præſidio præeſſet. Rebus ita transactis à Ragozio Cracoviam deſtinatur Janus Betlenus cum tribus peditum millibus, cui Wirtzius à Rege Cracoviam tradere jubetur, incolis juriſjurandi vinculo exſolutis, quod ipſi præſtiterant. Quo facto cum præſidio Svecico ſe recipere conaretur itinere terreſtri Petricoviam, inde in Boruſſiam, aut per Viſtulam, ſi id flumen per pluvias navigabile foret redditum, quo caſu equites, machinæque Cracoviæ relinqui poſſint, alia idonea occaſione deducendi. Enimvero Cracovienſes quidem jure jurando Svecico exſoluti in Ragozii verba à Betleno adacti ſunt. Sed Wirtzio haut facultas fuit, prout Rex juſſerat, in Boruſſiam evadendi, quod Czarnecius cis Viſtulam regreſſus Petricoviam intercepiſſet, dum Rex cum Ragozio Breſtiam tendit; ac per parciores pluvias Viſtula non ſatis intumuiſſet, ut prope Cracoviam navibus ferendis idoneus eſſet. Unde ipſi tamdiu Cracoviæ fuit ſubſiſtendum, donec ea urbs paulo poſt à Polonis atque Auſtriacis obſideretur.

Ferſen.

Betlen Janus.

Rex & Ragozius trans Viſtulam in hoſtem eunt.

§. 14. Aſt Rex ut eo validior hoſti ingruere poſſet, Waldeccium cum Brandenburgicis copiis apud ſe retinebat, aliquoties licet ab Electore avocatum, id factum huic facile adprobaturus, quod jam maxime tempus ſuaderet rem in hoſtem gerere. Quem & acribus hortatibus ſimulabat, ut reliquas

1657. quas copias ad Narevam flumen mo-
vere juberet, dum ipſe hoſtibus apud
Lublinum inſtat, ſi forte his in medio
interceptis bello finis imponi poſſet.
Enimvero uti jam tunc alia conſilia
Electori agitare cœperat; ita nec ardo-
rem Regis adminiſtratio Ragozii im-
plebat. Equidem pontem ad Savicho-
ſtam Sveci alacriter perfecerant, qui
ſtructus fuerat, qua inſula medium flu-
men interſtinguit, cui Savichoſtæ arx
paulo ante incendio vaſtata impoſita
erat. In eam inſulam cum Rex Ragozio
& aliis comitantibus acceſſit ſitum lo-
ci ſpeculaturus, ex adverſa ripa aliquæ
Polonorum turmæ ſtructuram pon-
tis prohibituræ acriter tubis in Sve-
cos fulminabant, hiſce non ſegniter
reſpondentibus. Unde qui comita-
bantur Regem monebant, ne pro-
pius intra teli jactum adequitaret. Aſt
cum ille periculi ſecurus haut eo ſe-
cius pergeret, Coriſcius tribunus, qui
Polonorum ad extremum fidem in Re-
gem retinuerat, ad ripam accurrens al-
ta voce populares ſuos inclamat, Re-
gem Sveciæ heic adeſſe, ac ne noxam
iſti inferant, eundem ipſis manu inten-
ſa demonſtrans. Poloni ut politos ſuæ
nationis mores oſtenderent, præfecti
cumprimis & Nobiles, protinus equis
delapſi apertis capitibus ter & amplius
ad terram usque inclinatis Regem ve-
nerabantur, mox equis iterum adſcen-
ſis turmas ſuas abducebant, non prius
capita tegentes, quam è Regis conſpe-
ctu abiiſſent. Quorum cum humani-
tate ut paria faceret Rex, inhibebat,
ne quæ in ipſos directæ erant machi-
næ diſploderentur. Capta inde in ad-
verſa ripa ſtatio, & Caſtellum tegendo
ponti excitatum, qui paucos intra dies
7. April. abſolvebatur, Ragozius interim in
Schmielo- caſtro ſuo Schmielovam tertio à Sa-
vam. vichoſta milliari reverterat, quo &
poſt Rex iſto invitante acceſſit, quem
7. April. ad dimidium milliare Princeps ſtipan-
tibus turmis nonaginta duobus ob-
viam progreſſus excepit, ac per totum
exercitum deduxit, ad plateæ inſtar
diſpoſitum. A dextris Hungari, Mol-
davi, Walachique à ſiniſtris Coſacci
conſiſtebant, qui feſtivis diſploſioni-
bus, variique generis inſtrumentis
Muſicis, ac immenſo clamore ſublato
Regem ſalutabant. Poſt magnificum
prandium Rex ſub veſperum in ſua ca-
ſtra regreſſus pontem perfectum in-
8. April. venit. Unde ſtatim ſequenti die ſuas

Polonorum civilitas.

& Electoris copias in alteram ripam 1657.
traduxit. Sed quia Ragoziani parem
diligentiam non adhibuerant, an quia
talium operum imperiti erant, iis-
dem quoque per Svecicum pontem
transeundum erat. Ea mora inter-
poſita pulcerrimam corrumpebat oc-
caſionem improviſo hoſtem oppri-
mendi. Nam integrum triduum abi- 9. 10. 11.
bat, antequam tanta multitudo pon- April.
tem ſuperare poſſet: quæ demum
juxta Svecicum exercitum conſedit.
Erat memorabilis facies eorum ca-
ſtrorum, ingens terrarum ſpatium
complexorum, queis ad ſeptuaginta
millia bellatorum capiebantur. Uni-
verſis poſt Principem imperitabat Ja-
nus Keminius cui ſuccenturiatum Im-
perium gerebat ſupremus Mareſcal-
lus Stephanus Petkius. Proximus *Petki.*
ab hoc dignatione Michael Miches
Cancellarius, ætate provecta Vir.
Hunc excipiebat Vicarius Generalis
Thomas Naigius, qui dextrum cornu, *Naigi.*
ac Balthaſar Keminius, qui ſiniſtrum
curabat titulo primarii Agaſonum
Magiſtri. Summi vigiliarum præfe-
cti munus obibat Stephanus Ebenius *Ebeni.*
Agaſonum vice-Magiſter, & Andreas
Poppa vice-Mareſchallus. Peditatui *Poppa.*
& Walachis præerat Sebeſſius, Su-
premus Capitaneus, Teutonicis Gau- *Gaudi.*
dius tribunus. Heidones & Siculos
Gabriel Bacoſus regebat. Viri o-
mnes egregii, ac forma conſpicui,
ſed plerique bellorum inexperti, ſic
ut Regi parum ſpei inſignium facino-
rum pollicerentur. Coſaccis poſt An-
tonium Zdanovicium imperabat So-
limannus quidam Turca natione, ſed
Linguæ latinæ & aliarum gnarus, ac
moribus ſat politus: Tum Trazfe-
rens, origine Thraz, & religione Ma-
humedanus, egregius bellator, &
manu ſtrenuus: Simul Quæſtor
exercitus Kritzkius, vir induſtrius *Kritzki.*
& aſtutus: Ab hiſce viris exercitus
ſexaginta millibus bellatorum con-
ſtans regebatur, quibus cum com-
parati Svecici atque Electorales etſi
modica manus forent, obſervatum
tamen eſt, toto conjunctionis tempo-
re Hungaros ab exercitu Sveciæ lon-
giuſcule digredi haut auſos. Et quan-
quam tantum apud multitudinem an-
nona difficulter expediretur, præſer-
tim Hungaris ſubinde vinum & pa-
nem album ingeminantibus, cui in
patria adſueti ſint; Rex quoque iden-

1657. tidem moneret, ut Ragozius ad quintum aut ſextum milliare à Svecico exercitu digrederetur, quod haut ita facile validior hoſtis ingruere queat, quin confeſtim conjunctio iterum fieri poſſet; abnuit tamen aliquoties id Princeps obtentu repentinæ ab hoſte irruptionis. Ad extremum id verbo quidem promiſit, revera tamen nunquam ultra integrum aut dimidium milliare ſtativa ſua à Regiis disjunxit; ſic ut modica Svecorum manus Ragozianæ multitudini præſidii inſtar foret. Ut autem communicatio cum Cracovienſi urbe eo facilius ſervaretur, Janovvitzæ arci miles immiſſus fuit.

Alia Regii & Ragoziani exercitus.

§. 15. Transgreſſis copiis Rex Ragozio ingerebat, haut indulgendam hoſti quietem, quotiescunque rei gerendæ occaſio ſit. Eoque Gabriel Bacoſus cum mille Hungaris, quibus quadringenti Sveci accedebant, præmittebatur tractui circa Zamoiſciam explorando. Ipſe exercitus à Viſtula movens Urſendovam proceſſit. Poſtera die Ragozius in caſtra Regis accedens nuntiat, Coſaccos exploratores retuliſſe, Sapiehamcum Lithuanis, & Potocium cum Majoris Poloniæ milite trans Wiepreſſum fluvium Lucoviæ conſiſtere, ubi & univerſa Nobilium turba conventura ſit. Igitur habito conſilio placuit Zamoiſciæ obſidium omittendum, ac raptim toto cum equitatu Lukoviam eundum, ut à latere Poloni invadi queant, antequam fœderatos Viſtulam tranſiiſſe intellexerint. Ac ut iter eo expeditius fieret, media nocte pars Svecicarum ſarcinarum, & omnia Ragozianorum impedimenta Lublinum mittuntur, quod oppidum paucos ante dies ab Hungarico tribuno Stanislafcio occupatum fuerat, proſequente Erico Drakio tribuno cum quindecim peditum Ragozianorum centuriis & trecenris equitibus Svecicis. Sed cum paulo poſt intellectum foret, Lublinum peſtilentia infectum, Rex impedimenta ſua ex itinere ad ſe revocabat: Ragoziana vehicula, quæ octonis aut denis boum paribus tracta tarde moliebantur, ſubſequi juſſa, adjuncto bis mille quingentorum Coſaccorum præſidio. Ita tres exercitus conjuncti incedebant, Regiis primum agmen obtinentibus. Apud Liſſabicam Wiepreſſus rapidus fluvius ſuperatur. Reverſus biduo poſt ab excurſione ſubtribunus Lubeckerus referebat, hoſtiles copias ad Bugum flumen diſceſſiſſe. Unde Rex eo magis ſibi properandum cenſebat, quod vereretur, ne hoſtis in Boruſſiam penetraret, aut alibi impreſſione facta ipſum diſtraheret, Bugo ac Viſtula fluminibus ſuperatis; quibus deſtinatis antevertendis mire manus cum eodem conſerere ardebat. Igitur iter continuatur per Okenzciam, ubi noctu oborto igne Regi in campum erat concedendum, aliqua impedimentorum parte flammis abſumta; poſt Stozcam & Latovvicam properatur, quod Rex hoſtem non procul Waingrovæ abeſſe judicaret, cui improviſus ingruere cupiebat. Sed quia exploratores referebant, Polonos citato agmine Warſaviam tendere, Viſtulam ibi tranſituros, ac in altera ripa cum Joanne Caſimiro Rege ſe juncturos, raptim conſilio habito decernebatur recta in hoſtem vertere, & qua Viſtula ac Bugus campos arctant eum opprimere. Igitur Minſcovvam itur, quo Rex circa meridiem pervenit. Sed quia hoſtis haut procul aberat, cui ſi quæ clades inferri debebat, omnis mora amputanda erat, tempus ibi terere non placuit. Et exploratores referebant, hoſtes repentino Regis adventu conſternatos conſilium de ſuperando Viſtula omiſiſſe, agmine ad Bugum verſo, quem apud Brocam tranſire velint. Solum Czarnecium cum modica Polonorum & Tartarorum manu Warſaviæ trans Viſtulam ad Joannem Caſimirum tendere. Igitur & Rex deſtinata ſua mutans impedimenta Minſcovæ relinquit. Waldeccæ comes, & Joannes Georgius Anhaltinus Princeps cum duodecim alis, Gabriel Bacoſus cum ter mille Hungaris & Coſaccis Warſaviam tendere jubentur, num Czarnecium, dum flumen ſuperat, opprimere poſſent. Ipſe Rex cum Ragozio Waingrovam verſus tendit; & quia ſuſpicabatur partem adhuc Polonorum ibi hærere, primum agmen ſub Schœnlebio tribuno quadringentis equitibus firmat, cui à Ragozio viginti millia equitum exundante multitudine adduntur. Enimvero Waingrovam progreſſi fœderati omnes jam Polonos apud Brocam Bugum ſuperaſſe deprehendunt. Ita longius elapſum ho-

1657. 17. *April.* *Lubecker.*

18. *April.* *Okenske.*

Stozca. *Latovvicc.* *Waingrova.*

20. *April.* *Minskovv*

Brock.

Schanlebius.

21. *April.*

Stanislafski. *Drack.*

15. *April.* *Liſſabica.*

Wiepret.

Lukovv.

Urſendovva.

13. *April.*

12. *April.*

Digitized by Google


A. Capitolium
B. Templum Jovis Optimi
C. Templum Minervæ
D. Templum Veneris
E. Templum Dei incerti
F. Templum Herculis

Digitized by Google

1657. hoſtem nulla ſpes attingendi erat, ac ſi Rex ipſe Brocam ſequeretur, miles incaſſum erat fatigandus, hoſtique ſpatium dabatur Breſtiam evadendi, ubi omnibus Polonicis copiis conventus erat indictus. Et quia Waingrovæ è quibusdam Judæis intellectum, Bugum Czremini quarto abhinc milliari aquis humilibus vado ſuperari poſſe, Rex rectum iter Breſtiam pergere cupidus Ericum Dahlbergium cum centum viginti equitibus Svecicis, ſexcentis Ragozianis eodem mittit vadi explorandi cauſa; qui & rem ita ſe habere cognovit, ſimul ad Czreminum turmæ Nobilium ſtationem agitanti improviſus ſupervenit, multisque cæſis undecim captivos abduxit, è quorum Relatione Rex ſpem conceperat, utique hoſtem ſuis manibus haut elapſurum. Nec minus cognitum trans Bugum aliam adhuc ſtationem quinque Vexillorum conſiſtere, ad quam compendioſa via pateat, Bugo apud Grudecam ſuperato. Igitur hiſce Bucvvaldus ſubtribunus cum valida manu immiſſus, fallente ſucceſſu, quod Poloni è nube pulveris Svecorum adventum conjectantes mature in tutiora ſe receperant, paucis duntaxat moratoribus à Bucvvaldo cæſis & captis. Referebant hi, triginta turmas ſesquimilliare inde conſiſtere. Huic alii falſo addiderant, univerſas hoſtium copias non procul metari. Igitur Rex rei gerendæ cupidus illa adhuc veſpera Czremini, Ragozius Grudecæ ſuos vado trans Bugum ducit, ſummo mane in hoſtem iturus. Mox tamen certiores nuntii retulere, triginta illas alas partem poſtremi agminis hoſtilis fuiſſe, quæ jam reliquum exercitum inſecutæ ſint. Sic igitur hoſte præter ſpem elapſo Rex copias cis Bugum reducit, quod impedimenta adhuc abeſſent, nec de Waldeccii actis quid conſtaret; ſimul ut per feſtinatum iter fatigato militi quietis nonnihil indulgeret. Ita pauculos dies, quoad certiora de hoſtibus allata forent, Rex Czremini, Ragozius Grudecæ conſidet. Drackio tribuno cum ducentis equitibus Janovæ, quæ arx ad Bugum quarto à Breſtia milliari ſita eſt, ſtatio aſſignatur, ut è propinquo de hoſtium conatibus cognoſci poſſet. Intellectum inde, hoſtem apud Breſtiam conſediſſe caſtris ibi poſitis, ut Goſievium cum validis Lithuanorum, Moſcorum, ac Tartarorum auxiliis ad ſe pertraheret; tum munimentis oppidum firmare, ut belli ſedem ibi figat loco valde opportuno, qui Lithuaniam à tergo, Bugum, Muchavvitzam, & Viſtulam fluvios ante ſe haberet, Svecis in medio interceptis, hinc ab exercitu ad Breſtiam hærente, inde à Joanne Caſimiro infeſtandis. Ad eum nidum diſturbandum Rex protinus ruebat, niſi Ragozii impedimenta expectanda forent. Interim reverterat Waldeccius deſtinatis ſuis haut potitus, quod Czarnecius pridie adventum ejus cum quindecim Nobilium centuriis Viſtulam nando ſuperaſſet; præcurſores tamen Waldeccii cohortem Tartarorum, & apud Czirſcam duo Quartianorum millia in Viſtulam compulerant, quorum magna pars aquis ſubmerſa fuit. Dum ibi fœderati metantur, impedimenta demum in caſtra perveniunt; ſimul Janova nuntiatur, hoſtem mutato conſilio Breſtia moviſſe, ac in diverſa abiiſſe, Sapieham quidem cum Lithuanis Caminiecam tertio abhinc milliari, Potocium cum Polonis adverſo Viſtula Sendomiriam verſus; Breſtiæ duo militum millia præſidio relicta. Eam ob causam cum & Regi deſtinata ſua mutanda forent, Ragozio proponebat, utrum placeat cum ſuo milite Coſaccis hoſtem Caminiecam ſequi, ſe interim Breſtiam oppugnaturo; aut ſi ipſe hujus obſidium ſuſcipere malit, ſe hoſtem perſecuturum. Sed quia Ragozius à Rege disjungi timebat, placuit ubi hoſtis ad Caminiecam pedem non fixiſſet, junctim Breſtiam invadere, quod ſpes ſit eum ad manum conſerendam compelli poſſe, ſi tanti momenti oppido ſubvenire inſtituat.

Czremin. *Grudeck.* *Bucvvald.* *Janovva.* 28. *April.*

§. 16. Ita demum Bugo ſuperato, Breſtia recta petitur. Ejus oppidi ſitui, qui Regi incognitus erat, explorando ſeptem cum millibus equitum præmittitur Waldeccius, & Jacobus Caſimirus Gardius; qui & ipſi viarum ignari inter denſas pluvias obtenebrante Cœlo ita improviſo Breſtiæ portis impinguntur, ut ad pontem foſſæ ante trabem traverſariam conſiſterent, antequam oppidum conſpicerent, vel qui intus erant eorum adventum perſentiſcerent; ut ſi loci conditio illis cognita fuiſſet, in proclivi foret oppidum

Breſtia capitur. 7. *Maji.*

1657. ſubito irrumpere. Tumultu igitur intus excitato cum ita prope ſub munimentis hoſtium Svecici conſiſterent, unde machinis ac tubis Poloni acriter fulminabant, Waldeccius hos extra teli jactum reducit. Poloni ignibus ſtatim ſuburbio injectis acrem defenſionem minari videbantur. Rex contra obſidium utique ſuſcipere ſtatuit, præſertim poſtquam allatum eſſet, hoſtem relicta Camienica in Volyniam conceſſiſſe. Ratio quippe Polonis fuerat, pugnas Svecorum declinare, quibus inferiores ſe norant, ſeque melioribus patriæ temporibus ſervare: interim tam numeroſos exercitus conjunctos fame & moleſtiis belli ultro dilapſuros, ſi in uno loco hæreant, aut celeribus itineribus peſſumdandos, ſi ipſos hinc inde ſequi inſtituant. Exercitu machinisque oppido admotis cum aliquandiu in mœnia fulminatum eſſet, per tubicinem deditio imperatur. Obſeſſi animis fracti protinus reſpondent: ſi obſides intro mittantur, à ſe venturos in caſtra, qui ſuper legibus deditionis cognoſcant. Ita factis induciis per duces Svecicos cum Rex nondum adveniſſet, in oppidum mittuntur Niemericius ſummus excubiarum præfectus, Putcammerus ſubtribunus, & Dahlbergius. Viciſſim ex oppido tres in caſtra accedebant. Svecici obſides, cum Polonos ſatis territos conſpicerent, omni ratione ad deditionem hoſce permovere ſatagebant. Ex urbe emiſſi petebant, ut honeſte ſibi diſcedere permitteretur, polliciti ſe Sapiehæ perſuaſuros, ut toto cum Lithuanorum exercitu Regis obſequium amplectatur. Hoſce Rex juſſit propoſitionem ſuam ſcripto conceptam exhibere. Ita iſti in oppidum recedunt, Svecicis obſidibus iterum in caſtra reverſis. Interea integri exercitus late oppido terribili ſpecie circumfundebantur. Et quia Regi haut veroſimile videbatur rem ab obſeſſis ſerio agi, ipſosque tempus duntaxat extractum ire, denuo miſſo tubicine declarationem ipſos poſcit. Unde ipſe Caſtellanus Savvizkius cum aliquot Nobilibus in caſtra Regis accedens ab armis ceſſari petit, quoad leges deditionis adornare ipſi queant. Cui fini Rex ad veſperam usque ſpatium ipſis indulget. Sed quia his oris diu morari haut licebat ob Danorum motus, urgendis Polonis ſuggeſtus ſtrui, viasque obliquas ad foſſam agi jubet, opere per noctem continuato, etſi nulla inſuper vi adhibita, quod obſeſſi capita deditionis nondum perfecta excuſarent. Sequenti die cum jam quatuor ſuggeſtus abſoluti eſſent, obſeſſi delegatos ſuos in caſtra mittunt, ut Regi cautum foret nihil fraudis ſubeſſe. His à Rege adjuncti eum per diem deditionis quidem pactum perficiebant, ſed quod ob ingruentem noctem ſubſcribi non poterat. Nec eo magis Sveci eum diem & ſequentem noctem munitiones excitare, & ad foſſam accedere ceſſabant. Sequenti mane ſubſcriptum fuit pactum, quo convenit, ut omnis paratus bellicus & annona, una cum militibus, qui antea ſub Rege Sveciæ, Brandenburgico, Ragozio, aut Radzivilio meruerant, in oppido relinquerentur, cæteri more militari oppido egreſſi Bruſaviam usque deducerentur. Ità Breſtia, magni momenti oppidum, defenſionem non auſa, in Regis ditionem pervenit, utut bis mille trecentis militibus, è quibus ſexcenti ſexaginta Germani, inſeſſa. Repertæ ibi quadraginta machinæ, ſeptendecim vaſa pulveris, & annonæ magna vis. Germanicus miles, & è Polonis non pauci ultro Svecica ſigna ſubibant, ut pauci præfectos Polonicos ſequerentur. Oppidum Ragozio traditum, qui validum ei præſidium ſub Gaudio tribuno imponebat; tum & opera per Dahlbergium deſignabantur, queis oppidum firmandum eſſet.

Putcammer.

Savvizki.

1657.

12. *Maji.*

13. *Maji.*

§. 17. Ad Breſtiam Regi certi nuntii dferuntur, Danum bello ſolenniter indicto in arma erupiſſe, ac jam Bremenſem provinciam invaſiſſe. Unde nova ipſi conſiliorum tela ordienda erat, ac Polonia tantiſper omiſſa proprias ditiones tueri prius habebatur. Quæ deſtinata etſi Ragozium laterent, is tamen incertum quid animo agitans, fœdus cum Regiis Legatis concluſum permutata ratificatione hactenus firmare neglexerat, utut quamdiu copiæ conjunctæ forent omnia communicato conſilio agerentur, Rege cum antea ſæpius, tum poſt captam Breſtiam ſuper ſtabiliendo fœdere monente, ac ratificationem ſuam promtam offerente. Qui & idem tractatus cum Electore Brandenburgico, prout in fœdere Svecico conventum erat, ſuſcipere abnuebat. Cujus rei duplex

Ragozius ambigua agit.

1657. duplex cauſa conjectabatur, vel quod ipſe integram ſibi Poloniam adquirere cuperet, haut permiſſurum, ut Rex, & Electorem tam inſignes eidem portiones decerperent; vel quod jam tum ſecreto transactionem cum Polonis meditaretur. Sane Stanislauſcius quidam ad ejusmodi conventionem cum Polonis ipſum ſolicitabat, prolatis literis manu Reginæ Poloniæ ſcriptis, quibus parariam ſe offerebat paci inter Joannem Caſimirum Regem & ipſum conciliandæ. Id quod Ragozius Regi communicabat, diſſimulato tamen reſponſo, quod Stanislauſcio dederat. Quod poſt tale fuiſſe intellectum eſt; ſe cum Polonis tranſigere velle, quod belli tædio capiatur. Quo fine & diplomate tuti itineris ampliſſima forma Stanislauſcio caverat pro famulis ipſius, & quibusvis ab eodem venientibus. Unde ſuſpicio oriebatur, amicitiam Svecicam Ragozio in ſpeciem coli, ac forte dicto citius cum Polonis ipſi conventurum. Qua de re per literas quoque ad Proceres Poloniæ amicos, ſuos aliosque qui ipſum inviſerant ſignificaverat. Sed & ſolicitum eundem reddebant quotidianæ rixæ ac cædes Hungaros inter & Coſaccos, quorum duces juxta ac Gregarii non obſcure jam ſeparationem & abitum minabantur, niſi in reos Hungaros animadverteretur. Unde & Rex monuerat, ut colluſionem iſthanc omni ſtudio caveret, ne Coſaccis intempeſtive abeundi præberetur occaſio. Nec tamen niſi uno & altero exemplo ſtatuto Ragozius ſuorum petulantiam compeſcuit; quæ ſocordia, ac diſciplinæ neglectus mox non parum ad exitium iſtius contulit, Coſaccis ad ſua faceſſentibus.

Rex in Boruſſiam tendit. Miltzke.

§. 18. Breſtia capta, cujus tutelam Ragozio diligenter commendabat Rex, Svecicus exercitus retro Miltzcam vertebat, Ragozio tantiſper ad iſtud oppidum hærente, ut de neceſſariis ei proſpiceret, ac novas munitiones excitaret. Heic intellectum Steenbockium cum legionibus aliquot, & machinis Thorunio profectum

Plotzco.

Plotzcæ propinquare. Unde Rex cum majore copiarum parte apud Ragozium manere ſtatuit: ſed Carolum Magnum Badenſem Marchionem cum aliquot equeſtribus legionibus ad Steenbockium raptim proficiſci jubet; ut juncti pontem navalem Plotzcæ extructum tranſirent, ac recta in Joannem Caſimirum Regem, ac Czarnecium tenderent, eosque improviſo opprimere conarentur, qui poſt recuperatam Petricoviam circa Lovvicium hærere dicebantur: tum ut Wirtzium cum ſuis Cracovia evocatum ſecum jungerent, ac Posnaniæ obſidium diſſolverent. Saltem ut hoc modo, quam Poloni minabantur, in Boruſſiam irruptionem averterent. Marchione digreſſo Rex Czreminum caſtra transferebat, ubi per ferias Pente- *16. Maji.* coſtales quieſcere decreverat, inde cum Ragozio ſeſe iterum conjuncturus. Sed pridie ejus feſti, veſperaſcente *17. Maji.* jam cælo, nuntius affertur, Joannem Caſimirum cum viginti quinque millibus apud Czerſcam raptim Viſtulam tranſire. Unde ratio belli exigebat, Marchionem horum ignarum, qui jam Waingrovam tranſierat, antequam de ejus itinere hoſti innoteſceret, è veſtigio ſequi, eundemque adverſus inſultus hoſtium protegere. Eoque Rex iſta adhuc veſpera movens per noctum Waingrovam quinque milliaria emenſus eſt. Eo de itinere Ragozio ſignificatum, poſtulato, cum ex iſthoc hoſtis motu non aliter judicari queat, quam hunc Porocio, aut auxilii Moſcicis obviam properare, ut is interim apud Melniccam, & Janovam *Melnisk.* conſiſtat, Bugumque fluvium tueatur, quaod ipſe Marchioni junctus hoſti à latere ingruere queat. Unde & Ragozius Breſtia Melniccam movebat. Sed cum mox rumor iſte falſus eſſet compertus, Rex Marchionem iter pergere jubebat; ipſe ob commodiorem pabulationem Czreminum ad Bugum regrediebatur, & quia nuntiatum erat Goſievium ad Harevam flumen movere, ut Sapiehæ ſe conjungeret. Enimvero quia ſatis animadvertebat Rex hoſtem tam diverſis rumoribus diditis id agere, ut ipſius conſilia turbaret, ac hinc inde fruſtra circumtractum delaſſaret, quo Danis laxius ſpatium fieret Svecicis provinciis infeſtandis: jam non amplius Ragozium celare conſtituit ſuper Danorum in Bremenſem provinciam irruptione, & quod multa Auſtriacorum millia Poloniam ingredi parent. Ac ſibi propoſitum in Boruſſiam abire firmando Electoris animo, ne is hac rerum mutatione terreri ſe patiatur. Eam ob cauſam in caſtra Regis invitabatur

1657. batur Ragozius, quo & Steenbockius Poltofsca excurreret. Ubi re in conſilio expenſa decernitur, ut ipſe Rex cum exercitu in Daniam abeat, Steenbockio cum aliquot legionibus penes Ragozium manente. Quia autem Rex perſpexerat, Ragozium diſceſſu ſuo valde conſternatum iri, velut ita longe in Poloniam progreſſum, ut citra periculum in ditionem ſuam vix regredi poſſet; generoſum ducebat oſtendere, invitum ſe, ac non niſi extrema neceſſitate compulſum ab ipſo digredi; ſimul offerebat ſe copias ſuas ipſi junctorum, & inveſtigatos Polonos non minus quam Auſtriacos prælio laceſſiturum. Eadem ſi ſententia ipſi ſtet, ſe Wrangelio mandata miſſurum, ut is bellum adverſus Danos ſummo cum Imperio adminiſtret. Sed maſcula iſta conſilia Ragozio repudiabantur per timiditatem, aut quia alia
23. *Maji.* ratione ſibi conſulere agitabat. Igitur Rex poſtquam inter multas benevolentiæ teſtationes iſti valedixiſſet, per Poltofscam iter Thorunium verſus cum aliquot legionibus properabat. Poſtero die Ragozius quoque Poltofscam verſus movebat; ſed iter jam ingreſſurus Steenbockio ſignificabat, Coſaccos tumultuari, nec Narevam flumen tranſire velle, quod metuant, ne forte in Moſcos ducantur, quod ſibi per fœdus cum hiſce haut integrum ſit. Unde Niemericius, & Sternbachius ad iſtos mittuntur, qui errore illo exemto ad iter ſuſcipiendum eos permovebant. Interea à Rege nuntius adfertur, Czarnecium cum auxiliis Auſtriacis inter Plozcam & Thorunium Viſtulam ſuperaſſe ad invadendum à tergo peditatum & machinas ad Sacrozinum conſiſtentes. Quibus ſuſtinendis cum ipſe par non ſit,
25. *Maji.* Steenbockius ocyus caſtra movere jubebatur, adductis ſecum Ragozio & Coſaccis. Qui & ſtatim iter ingreſſi
Nurr. Pievvno. præter Nurram & Brocam Pievvnam ſesquimilliari Poltofsca diſſitam attingunt; ubi ſignificante Rege intelligunt. Czarnecium quidem nonnihil tentaſſe, ſed adventu iſtorum cognito retroceſſiſſe. Igitur cum pabuli eo loco copia non eſſet, iſti nulla mora in-
27. *Maji.* terpoſita Poltofscam abeunt, inde Sacrozinum pergunt; ubi quod pons nondum perfectus eſſet, aliquot per dies ſubſiſtebatur, Steenbockio interim ad Regem, qui adhuc Plotzcæ agebat, excurrente. Pontem jam per- 1657.
fectum Ragoziani primum, inde Sveci 6. *Jun.*
ſuperabant. Et Ragozius quidem Viſtulam transgreſſus ſtatim Warſaviam tendebat jactans, ſe quoque ſpecimen editurum, non minus ſolertem ſe capiendis urbibus, quam Carolum Guſtavum eſſe; eoque urbe illa potiri cupiebat ante adventum Svecorum, qui Grucollæ ſubſtiterant. Enimvero *Grukoll.*
cum præſidiarii Warſaviæ acriter reſiſterent, ac eruptionibus non parum damni Hungaris darent, inter alios tribuno cum quatuor vexillis in urbem pertracto, Ragozius ſibi diffiſus per literas Steenbockium rogabat, ut machinas, deſultoresque ſubſidio ſibi mittat, quod poſtrema eruptione pedites ſui graviter multati animis collapſi ſint, adjuncto artium obſidionalium perito. Unde mox ipſe Steen- 8. *Jun.*
bockius cum copiis ſuis eodem acceſ- 9. *Jun.*
ſit. Obſeſſi adventu Svecorum cognito mox ad deditionem deſcendebant, ac ſequenti die urbe excedebant; etſi deditionis pactum Ragozius Steenbockio haut communicaret. Urbi aliquot Hungarorum centuriæ ſub Sebeſſio præfecto imponuntur. Sed quia mox deprehenſum numeroſo præſidio fame ibi pereundum, modicum hoſti prædæ ceſſurum, placuit partem murorum & turrium dejicere, ne hoſtis ibidem nidulari poſſit. Hungari tamen, qui urbem obtinebant, decretum iſtud exſequi omittebant, inſigni pecuniæ ſumma à civibus deliniti. Nec eo ſecius mox urbs plane per Coſaccos diripiebatur. Antea & gregarii quidam Sveci petulantiæ quid in urbe exercuerant; quod cum Ragozius graviter ferret, Steenbockius reponebat; cum Warſavienſibus nihil ſibi conveniſſe, eoque hoſtium eos loco ſibi haberi, præſertim urbe ſuis exoſa ob perfidiæ memoriam.

§. 19. Inter hæc Rex intellexerat, *Rex Poloniæ excedere conſtituit.*
Bremerværdam à Danis obſidio premi, qua expugnata Stada, totusque Ducatus periculo exponebatur. Ne igitur dum alteri Regnum adquirere laborat, de proprio periclitaretur, mature Polonia excedere conſtituit; præſertim cum metuerat, ne Auſtriaci Danis in Pomerania juncti ipſius iter intercluderent, quod Danus jam à Mechlenburgico Duce tranſitum per ſuam provinciam petiiſſet, ac ſum-

Pons
Naualis
TULÆ

Digitized by Google

Templ S Maria
Suburbium Arcustatum

Digitized by Google

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

1657 ne ſumma Conſiliorum hoſtilium huc ſpectaret, ut Svecos Provinciis Germanicis eliminarent. Id Conſilium Rex initio per Sternbachium Ragozio inſinuaverat, demonſtrata neceſſitate expeditionis ſuæ in Daniam; relicturum tamen idoneas copias in Polonia, nec id bellum plane abdicaturum. Interim ſi Auſtriaci ingruant, iſte circa Leopolim conſideret propinquis ibi Coſaccorum, Wallachorum, & Moldavorum auxiliis. Si Auſtriaci non veniant, ſedem belli circa Sendomiriam figi poſſe. Addebat Rex, ſi de ratificatione fœderis Ragozius moveret, Sternbachius obtenderet; oblatam eam à Rege, nec à Principe acceptatam, eoque ſi utique fœdus placeat, ſatius eſſe denuo id incudi ſubjici, expeditis pariter, qui antea ſepoſiti fuerant, articulis. Iſta denuntiata etſi Ragozium vehementer commoverent; tamen mox colloquio cum Rege apud Czreminum utcunque adquieſcere viſus eſt, poſtquam Rex Steenbockium cum aliquot legionibus apud iſtum ſe relicturum obtuliſſet. Sed nunc poſtquam copiis ſuis carere non poſſet, Rex Steenbockio injungebat, ut relicto Ragozio quantum poſſet verſus Notezam properaret. Ea mandata Ragozio per Joannem Georgium Anhaltinum Principem adjuncto Sternbachio ſignificabantur, addito conſilio, ut, „ſi Auſtriaci ingruant, „retro Bugum ſumto itinere protinus „in patriam faceſſat, ac inde pro ſe niteretur quantum vires ferant, Rege „ex ſua parte non ſegnius incubituro. „Neque enim Regem Polonicum „negotium pro derelicto habiturum, ſed Dano facto, quod intra „paucos menſes futurum ſperet, id „bellum acrius inſtauraturum. Interim Polonos è Tranſſylvania infeſtaret, Coſaccis arctius ſe illigaret, cum „Turcis, ac Tartaris in gratiam rediret; ſic ſpem eſſe Polonis tandem „belli tædium ſubiturum. Nunc utique Danum velut debiliorem Regi „invadendum ad ſervandam cum Svecia communicationem. Iſta Ragozius impatienter admodum audiebat, quiritatus; alta in quiete ſe provinciæ „ſuæ imperitaſſe; à Polonis magnifica „per promiſſa in Svecos ſtimulatum, à „Cæſare, Moſco, Tartaris minis retractum. Studio tamen in gloriam „Numinis, & amore Regis iſta omnia „inſuper habuiſſe; fœdus cum Rege „acceptaſſe, idque media hieme per „difficillimas vias effectui dediſſe. „Nunc cum Poloni tota mole, adſcitis Auſtriacorum auxiliis, ingruant, „ſe deſeri. Jam demum veras agnoſcere uxoris ſuæ & aliorum in Tranſſylvania prædictiones, à Svecis ſe „decipiendum; id quod & Hungariæ „Cancellarius à Cæſare miſſus aſſeverarit. Nunc demum ſentire, Svecos „non niſi propriam rem agere, ac ſe „medio in mari ſine navi & remis deſtitui. Quas, & multas ſimiles querimonias manantibus ubertim lacrymis evolvebat. Sed & exprobrabat, Steenbockii avocationem adverſus conventa fieri, quod Rex digreſſus utique promiſiſſet, ſe huncce cum legionibus apud ſe relicturum. Huic viciſſim demonſtrabatur: Keminium nupero cum Rege ſuper negotiis Polonicis Czremini colloquio Ragozii nomine propoſuiſſe, à Tartaris irruptionem in Tranſſylvaniam metui, eoque Ragozio cum exercitu propius ad fines ſuos accedendum hiſce tuendis, ac ſervandæ cum Cracovia communicationi; unde à Rege ſcire voluiſſe, num quid auxilii ſibi adverſus eam irruptionem ferre velit. Cui à Rege reſponſum: „Fœdus Poloniam duntaxat ſpectare, nec ſe ad auxilium extra Poloniam ferendum ipſi teneri. „Nec poſtulari à ſe poſſe, ut ſuus exercitus Ragozium comitetur, prioriis interim finibus hoſtium libidini expoſitis. Et ſi maxime copiarum quid ipſi ſocietur, haut adparere, quæ ad receptum via hiſce pateat. Igitur in præſens tutiſſimum „videri, ſi uterque fines ſuos tantiſper „tueatur, & ex illis Polonos, quantum detur, infeſtet, quoad majori „mole bellum utrinque inſtaurari „queat. Id quod demum Keminio „æquitati ac rationi congruere viſum. „Sed & antea Regem Ragozio denuntiaſſe; res ſuas non ferre, ut exercitus „ſuus ſemper ipſi junctus rem gerat: „ſed ſe pro re nata aliquas copias apud „eundem relicturum, ac interim Brandenburgicum permoturum ad aliquam exercitus partem ei comodandam, ut bellum undique acriter urgeri „queat. Sed quia Elector id abnuat, ſuasque copias propriis finibus tuendis „retinere velit, à ſe poſtulari non poſſe, ut diviſas copias huc illuc incaſſum raptan-

1657. „raptando atterat; multo minus ut „totum exercitum ipsius usibus con„cedat, propriis ditionibus interim „hostium libidini nudatis. Addeba„tur, cum præsenti rerum facie post „Austriacorum cum Polonis conjun„ctionem, ac deficientibus à Branden„burgico auxiliis, nec valida manu ita „promte à Cosaccis submittenda, haut „consultum videatur summam rerum „aleæ prælii exponere; tutissimum „esse, ut Ragozius mature sibi suisque „copiis caveat, ac tali loco stationem „capiat, ubi communicationem cum „Porta Ottomannica excolere, atque „excitis Walachis, Moldavis, ac Co„saccis se confirmare, negotiumque „majore mole aggredi queat. Quin „necessitate exigente sub Cosaccorum *Pinsk.* „præsidio tutum ipsi receptum Pin„sciam, aut ulterius ad fines Ulcrainæ „inde per Moldaviam in Transsylva„niam sine periculo patere, ubi cum „Chmielinscio aliisque consilia con„ferri, ac res stabiliri queant, quoad „Rex profligato bello Danico in Polo„niam reverterit. Ac ut Ragozio cau„tum sit, se à Rege haut destituendum, non solum Lovvicio præsidium impositurus, sed & Wirtzium cum suis Cracoviæ relicturus erat. Sed & præterea modeste exprobrabatur, Ragozium in causa fuisse, quod Rex militem suum Cracovia educere, alibique ejus opera uti haut potuerit. Tum & quod idem multa parum ad amicitiæ leges egerit, præter pactum varia postulando, ac oblatam à Rege fœderis ratificationem abnuendo; simul tot missitationes ac negotiationes inscio & inconsulto Rege cum hoste susceptas, ut huic parum constiterit, quid demum sibi ab ipso expectandum foret. Sed ut hæc omnia condonentur, rationem belli in præsens haut aliter ferre, quam ut Rex Danis ingruat, cui tamen interim res Poloniæ haut quidquam pro derelictis sint habendæ. Quibus dictis demum Ragozius utcunque adquiescere visus est, magis quia prohibere non poterat, quam quod destinatis suis satisfaceret.

Sveci à Ragozio disjunguntur. 13. Junii.

§. 20. Porro ne separatio Svecicarum copiarum Ragozianos & Cosacços in consternationem ageret, ita agmen disponebatur, ut Ragozius cum suis primo loco incederet, inde Cosacci sequerentur. Sveci agmen clauderent; tum ut iter versus superiorem Poloniam dirigeretur. Sveci initio intra dimidii milliaris spatium lento gradu sequebantur, quoad isti è conspectu abiissent; mox flexo agmine Thorunium versus tendebant, eadem die Poloniam, sequenti Sacrozinum delati; ubi accelerando itineri machinæ navigiis imponuntur, quibus Bertilus Skyttius tribunus cum quingentis peditibus præsidio additur. Petierat Ragozius, ut Steenbockius saltem ad quatuor aut quinque dies cum ipso proficisceretur, ne sui animis concidant; inde obtentu impressionis alicubi faciendæ ipsum discedere posse. Id quod Steenbockius abnuebat, ne quod Ragozius quinque milliaria in dies singulos conficere decrevisset, ipse longius à Borussia abstraheretur, ac ne libidine vindictæ, ac per animi mutabilitatem noxa sibi inferretur. Memorabile est de hoc discessu Militi Ragoziano nihil innotuisse, antequam factus esset, cum apud Svecos gregario militi de eodem constaret. Cæterum Ragozio digressus Steenbockius tribunum Drakium ad sinistrum latus dimittebat, ut omnia, qua pertingere posset ureret, simul pontes destrueret, ne hosti ipsum persequendi facultas foret. Quin & toto itinere Brestia Thorunium usque miles omnia ex utroque latere flammis involvebat, ne hosti ita facile foret in Borussiam ea parte irrumpere. Nec minus Brandenburgicæ turmæ omnia, quæ poterant, urebant ulciscendæ vastitati, quam Poloni, & Tartari Borussiæ intulerant. Steenbockius inde Pomerelliam versus iter dirigit, misso Lovvicium Arendsonio ad præsidium inde educendum, arcemque evastandam; id quod & circa alia Poloniæ loca fiebat. Costenum quoque cum arce inflammatum. Evocabatur inde ab exercitu Thorunium Steenbockius, ut in Sveciam abiret copiis adversus Danos præfuturus; in cujus vicem Jacobus Gardius exercitum deducebat. Krusevvitza quoque arx educto præsidio disjecta & incensa. Brombergam inde perventum, ubi ad exercitum Rex Thorunio accessit comitante fratre Adolfo Joanne, cui Rex summum Borussiæ Regimen commiserat, adjuncto Laurentio Lindano, rebus ejus provinciæ quantum dabatur dispositis. Dirschaviæ & ejusmodi minatis locis munitiones detractæ, Lauenburgo, Stargardiæ, & aliis præsidia

1657.

Skytte

14. *Jun.*

18. *Jun.*

22. *Jun.*

23. *Jun.*

Digitized by Google

Situs Op
POLT
In Cuius Ve
Sueticus dur
chalk Exer
in Ott Steenb
commoratus
Numen Harv
Ma
MONTIS
Redoute
Redoute
Redoute

Digitized by Google


Lacus Draheimius
N. Perelle sculp.

1657. præſidia educta: contra Thorunium, Mariæburgum, & Elbinga numeroſo milite & omnibus neceſſariis firmabantur, deſtructis quoque ſuburbiis ad obſidium eo expeditius ſuſtinendum. Cum Brandenburgico ante diſceſſum colloqui Regi haut licuit, iſto congreſſum declinante; nec Regi amplius moras in Polonia nectere conſultum viſum. Igitur poſtquam ſuos, quos in Boruſſia relinquebat, *26. Junii.* ad conſtantiam hortatus eſſet Bromberga movens poſtero die *Flatovv.* Flatoviam attingit, natura & opere munitiſſimam arcem, quam Roſa ſubtribunus cum quadringentis militibus inſidebat. Quanquam autem res non ferret, feſtinatum iter ejus arcis gratia ſiſtere, præſertim ſi à viro forti defenderetur; parum tamen decorum Regi viſum eam intentatam præterire. Igitur ſub veſperam oppugnatio per noctem ſuſcipienda ſimulatur, machinæque in nudo campo absque ſuggeſtu verſus arcem diriguntur. Quæ res præfectum adeo examinavit, ut ſequenti mane nullo ſuorum amiſſo cum quadringentis militibus arce excederet, quæ vel per ſemeſtre ſpatium obſidium ſuſtinere poterat. Ei immiſſus ignis, & munitiones dis- *Tempelburg.* jectæ. Inde Tempelburgum pro- *27. Jun.* ceditur, ac Draheimo præſidium edu- *Drabeim.* citur, quod toto bello inſederat, idemque igne vaſtatur. Ita relicta Polonia Rex per ulteriorem Pomeraniam Stargardiam prætergreſſus Stetinum cum exercitu pervenit, qui ad ſex bellatorum millia decreverat, laceris veſtibus, & armis ſat maligne inſtructus, ob continuos labores, ſed flos virorum, & laboribus duratus, cui novum bellum refectionis inſtar habebatur, non minore ardore in Daniam feſtinans, quam ipſe Rex, qui paucos intra menſes Danico ſe bello perfuncturum ominabatur.

Ragozius male rem gerit. §. 21. Cæterum Steenbockius, dum à Ragozio digreditur, perſuadere ipſi conatus fuerat, ut cis pontem apud Sacrozinum regreſſus commodis ſe locis teneret, hoſtiumque conatus obſervaret, unde exigente neceſſitate Breſtiam ſe recipere queat. Nam metum eſſe, ne Auſtriacæ copiæ tunc Poloniam ingreſſæ ipſi cis Viſtulam conſiſtenti ingruant. Tartaros autem huc penetraturos probabile non eſſe, quibus hinc Chmielinſcius, inde Walachi incumbant. Ac ſi neceſſitas urgeat, receptum ipſi comitantibus Coſaccis ad confinia Ucrainæ, inde per Walachiam in Transſylvaniam patere. Interim communicationem ipſi cum Chmielinſcio & aliis amicis exercendam; ac Regem Sveciæ confecto bello Danico in Poloniam brevi reverſurum, majore dehinc vi ad communia deſtinata perficienda incubiturum. Aſt, Ragozius uti iſta differi facile animadvertebat ad ſe in bello Polonico detinendum; ita ſuo ingenio uſus neglecto tutiore conſilio Cracoviam verſus iter facere inſtituit, quod jam dudum à ditionibus ſuis diviſus, quid ibi rerum gereretur, anxie cognoſcere cupiebat; tum ut auxilia ſibi jungeret, quæ inde ſubmitti ſibi juſſerat. Sed & de obtinenda Polonia deſperans cum Polonis transigere ſummopere optabat. Quo fine Stanislauſcium plenis mandatis inſtruxerat; ſimul Gaudio Breſtiæ præfecto injunxerat, ut eo oppido relicto per Moldaviam cum præſidio domum ſe reciperet. Aſt Sternbachius, quem Rex apud Ragozium reliquerat, ſubinde animum ipſius bello ſuſtinendo obfirmans, ut ſub Cracoviam loco opportuno ad Viſtulam caſtra collocaret, ſuadebat, quod Auſtriacæ copiæ haut ſint auſuræ obſidium ejus urbis tentare, aut prælii copiam facere, ac dum trans Viſtulam hæret Lithuanicus miles, ad Leopolim Potocius, ad Premislam Lubomirſcius, in proclivi ipſi futurum comitante Wirtzio ad Hungariæ fines pervenire. Et commodum acciderat, ut quatuor Auſtriacorum millia, qui obſidium Cracoviæ auſpicati fuerant, oſtendentibus ſe mille Ragozianis explorandi cauſa, inde faceſſerent, quod Ragozium toto cum exercitu adeſſe crederent. Enimvero hic non ſalutaria ſolum conſilia neglexerat, ſed & circa prava perſequenda fluctuabat. Nam cum utique Cracoviam ſibi eundum pertendiſſet, mox eam declinabundus, & velut viæ ambiguus ad Viſtulam flectebat, Coſaccorum auſpicia ſecutus, & quia Auſtriacum equitatum metuebat, qui Polonis junctus eodem tendebat. Cum per multos dies vadum Viſtulæ fruſtra inveſtigaſſet, tandem inter Savichoſtam & Sendomiriam Scaphis, lintribus, præſepibus, & quæ

1657. alia natando apta reperiebantur, mira trepidatione flumen tranſiit, cum triduo ante tria Walachica ſigna cum
20. Jun. præfecto ad hoſtes transfugiſſent. Sequenti die aliquot Lithuanorum vexilla adparebant, quæ poſt velitationem cum Ragozianis in fugam converſa ſuorum caſtra terrore impleverant; ac poterant iſti omnes nullo negotio profligari, ni Coſacci ante curſores falſo nuntiaſſent, Lithuanos jam Viſtulam tranſiiſſe. Inde iter fugæ ſimile properatur, quod Auſtriacus equitatus à tergo imminere crederetur; ac facillimum fuerat in tuta evadere, ſi rectam placuiſſet viam pergere. Sed is Coſaccos ſecutus in Volyniam evagari malebat, ubi receptus nihil, aut muniti loci erat. Duobus à Leopoli milliaribus intellectum, Czarnecium à ſiniſtris ipſum inſequi. Is quippe Coſaccorum carraginem poſteriorem ſine idoneo præſidio incedentem invaſerat, mille amplius Coſaccis trucidatis; quibus ſerum auxilium Hungari laturi veniebant, cum jam hoſtis præda onuſtus receſſiſſet, & quia Ragozianis curæ magis fuit fugam properare, quam hoſtem perſequi quotidie impedimenta & poſtremum agmen carpentem. Iter inde per Pallovam, Glinianum, Gologarium, Zborovam, Geziernam & Tarnopolim factum. Receperat ſe in arcem Tarnopolitanum Podladovius cum ſeptem vexillis Caminiecam Podoliæ tendens. Eam arcem, cum facili negotio expugnari poſſet, ne tentare quidem auſus eſt Ragozius, ut etiam ad Podladovii terriculamenta majore cum feſtinatione diſcederet. Hungari tunc famem aliquot per dies paſſi ægre ferebant à Coſaccis ſe per vaſta, ac Tartaris vicina loca duci; eoque Principem monebant, ut recta per
Halicz. Sniatin. Haliciam, aut circa Sniatinum Moldaviam ingrederetur, ac Tranſſylvaniæ fines occuparet. Aſt hic Coſaccis per omnia obtemperans tumultuantes, & magna voce, ut retro deducerentur, expoſtulantes maſcula allocutione ita repreſſit, ut ipſum per Zbaraſiam, & Orzebovam usque Miedzeboſam ſequerentur, niſi quod tria Hungarorum & Walachorum millia cæteris
11. Jul. relictis domum abirent. Huc ubi perventum foret, ducenti Poloni impedimenta Ragoziana nullo milite à tergo cuſtodita invadebant, quibus tuendis ipſe Princeps advolabat. Sed cum intelligeret, Polonis copiis auctos acceſſu Potocii, Lubomirſcii, Wiesnovicii, & Sapiehæ, quos Joannes Caſimirus cum aliquot legionibus Ragozii tergo premendo immiſerat, aciem inſtruebat, ſuosque ut conſiſterent jubebat. Aſt Coſacci Ucrainæ ſuæ jam vicini, nec de Ragozio amplius ſoliciti ex eo campo una cum Niemericio Duce ſuo recta domum faceſſebant, facinus quod hactenus ſubinde minati fuerant, jam repræſentantes; an quod metuerent, ne à Tartaris iter ſibi intercluderetur. Moldavi quoque & Tranſſylvani cum præfectis ſuis ne ſalute quidem Principi dicta aufugiebant. Nec in Hungaris multum præſidii erat per hortos palantibus, & equorum laſſitudinem cauſantibus. Ita deſtitutus Ragozius, nec cum paucis ſtipendiariis prælium committere auſus, ad pactum cum Polonis ineundum deſcendit, valde id quidem turpe. Ejus capita erant: *Ad renovandam cum Rege & Republica Poloniæ amicitiam propediem legationem mitteret anteacta deprecaturam: pari deprecatione apud Hungariæ Regem, & Portam Ottomannicam defungeretur: Tartarorum Chano ejusque primario Veziero honorarium daret: Regno citra noxam exiret, Polonis comitantibus; ac Reipublica ubi neceſſitas exigat cum parte exercitus adſiſteret: Breſtiam, & Cracoviam traderet, ac præſtaret, ut VVirtzius hac cum omnibus illatis exeat: Princeps hoc ipſo renuntiaret omnibus fœderibus adverſus Poloniam: ob damna illata ſolveret quadringenta uncialium millia, & prædibus datis ſuper ſolutione caveret: exules Polonicos à ſe dimitteret, etiam qui per deprecationem Regi & Reipublicæ conciliari nequeant; captivos, ac omnia bona & ornamenta templorum, quæ penes ſe detinet, reſtitueret.* Iſthæc conventio intra duarum horarum ſpatium fuit abſoluta, Czarnecio in acie aſſiſtente, ac jam jam irruituro, ſi moras necti animadverteret. Cujus culpa Princeps in hanc calamitatem præcipitarit, haut ita in aprico eſt. Equidem Poloni poſt factam tranſactionem affimabant, cum Coſaccis ſibi clandeſtina commercia interceſſiſſe. Id quod aliis probabile non videbatur, & à Polonis confictum, ut Ragozium in perpetuum à Coſaccorum amicitia disjungerent. Cæterum ipſos hoc iter ſuaſiſſe, ut

1657.

1657. ut Hungaris comitantibus eo tutius ad Ucrainæ fines pervenire poſſent, ac Niemericium Coſaccis adſtipulatum, ut per illos prædiorum ſuorum reſtitutione potiretur. Propius vero videtur, Ragozium à propriis miniſtris proditum. Indicio eſt, quod Polonici duces fere omnes per ingentia terrarum ſpatia ad loca famelica per difficiles viarum anguſtias cum quinquaginta quinque non amplius vexillis Ragozium aggreſſi ſunt. Ac jam ſub Warſavia Caſtellanus Sendomirienſis cum Cancellario Transſylvaniæ *Michæ* literas commutaverat. Stanislauscius quoque non ſemel famulos ad hoſtem miſerat, ac is ipſe è fuga ad Sendomiriam retractus non fuerat, cum tamen ipſo abitionis momento ea de re Keminio indicaretur. Sed & machinæ malores in conſpectu exercitus defoſſæ, pulvis accenſus, funiculi igniarii cum globis palam abjecti fuerant incerto adhuc hoſtium adventu. Simul numerum Polonorum qui ſex millia duntaxat explebant, apud Principem & Hungaros ad viginti millia extulerant. Denique tranſactio à Ragozio per tubicinem quæſita ſummo ſilentio, ac ſolo Cancellario, ac Keminio conſciis, ita brevi tempore concluſa parum ſinceri dehorum fide ſuſpicari ſubigit. Cæterum Sternbachius, qui Regis juſſu Ragozium comitabatur, hunc monebat, ut ſaltem pactum exſequi differret, quoad pax inter Svecos & Polonos concluſa foret, & eousque Breſtiam atque Cracoviam retineret, quarum hanc quoque Wirtzius absque mandato Regis traditurus non ſit. Poſſe quoque interim pacem inter Svecos, Moſcosque provenire, ac Turcam ipſi conciliari, accedentibus quoque novis à Walachis & Chmielinſcio auxiliis. Sed is animo fractus, bellique pertæſus etiam turpi ratione arma abjicere properabat, ab omnibus ſe deſertum cauſatus. Ea pacta ipſi Poloni violavere, direptis ſarcinarum vehiculis, & aliquot Hungarorum centuriis, trucidatis. Unde Ragozius Polonis diffiſus, & rumore adventantium Tartarorum territus cum præcipua Nobilitate magnis itineribus per Maramoruſiam in Transſylvaniam ſalvus evaſit, relicto apud Scalatam exercitu ſub Jano Keminio, commodiore via per Walachiam domum deducendùm, proſequente valida Polonorum caterva. Horum proditione Tartari latiſſima planitie Ragozianis circumfunduntur; qui initio ſubdole oblata tranſactione Keminium, & alios quosdam præfectos ad ſe alliciunt. Inter quæ bis mille pedites, Semienſes vocati. Tranſalpina Walachia oriundi, quos ante triennium Ragozius debellatos hac expeditione ſervorum loco habuerat, veterem injuriam ulturi Tartaris ſe aſſociant, eosque ad invadendos ſecum Transſylvanos permovent. Hi quantumvis duce, & præcipuis præfectis orbati, haut impigre pugnam capeſſunt, ac primo die iſtorum impetum ſtrenue ſuſtinent. Sed poſtera die confuſi turbatique in fugam compelluntur. Periere iſta pugna, Tartarorum ad ſeptem millia, Hungarorum quingenti cæſi, undecim millia in captivitatem abſtracta; evaſere octo millia ſexcenti. Huno exitum habuit Ragozii in Poloniam expeditio, qua id ſibi Regnum adquirere conſiliis haut rite digeſtis ſperaverat. Ejus ſpem ipſi primo fecerat Albertus Pramorſcius à Joanne Caſimiro ad ipſum miſſus pecuniæ petendæ cauſa, viciſſim nomine Regis adoptionem filio ipſius offerens ea lege, ut eundem in Polonia educandum traderet. Quod cum Ragozius adſpernaretur, ipſi Coronam obtulit, ſi Polonis adverſus Svecos auxilio adſiſteret. Sed cum ſuper hoc negotio inter partes conveniri non poſſet, invitatum, inde eluſum ſe expoſtulans, id ludibrium armis ulturum ſe ferebat, incaſſum intercedente Cæſare, Turca, Tartaro, omnibusque ipſius civibus. Nec ut hanc deinceps ignominiam eluere poſſet, incumbentia mox Turcarum arma permiſere, quibus imperium, inde & ipſam vitam amiſit. 1657.

§. 22. Erant eo tempore, qui rerum parum gnari Ragozium à Rege in fraudem inductum, ac in exitium præcipitatum arguerent; ac inprimis poſt Steenbockii diſceſſum multi Transſylvanorum Sternbachii legati Svecici aures acerbis exprobrationibus perſtringebant. A qua tamen culpa facile Regem abſolvebant, queis ſeries rerum, prout geſtæ fuerant, perſpecta erat. Quæ & juſſu Regis à Sternbachio concepta paſſim vulgabatur. Scilicet ingreſſus Poloniam Carolus Guſtavus de inſtituto ſuo Ragozium

Rex culpam Ragoziana cladis à ſe amolitur.

1657. per Legatos certiorem reddiderat. Hic probare id, ac dolere non prius indicium ſibi factum, quod idem promovendi affatim occaſionis ſibi fuerit. Nec mora Legatos ſuos ad Regem mittere, viam arctiori conjunctioni munituros. Cum ob rebellionem Polonorum ita cito Legati à Rege in Tranſſylvaniam iterum mitti non poſſent, Ragozius moræ impatiens repetitis literis conqueri; *ſe tamdiu ſuſpenſum teneri expectatione reciproca à ſe propenſionis, quippe cum apertus Orientis & Occidentis oculus, quam in lancem ipſe propendeat, circumſpiciat; eoque moleſtum eſſe, ſpem ac ſinceritatem ſuam impari viciſſitudine illudi. Nam & Regis intereſſe, & ditiones ſua inter vicinorum incendia proſpicienda curam efflagitare, ut pari affectu ſibi reſpondeatur.* Rex in ſocietatem belli Polonici Principem propenſum cernens, ac à ſe repudiatum Polonis ſolicitantibus jungendum veritus, oblatam amicitiam haut repudiandam duxit, Legatis fœderi contrahendo ad ipſum miſſis. Aderant tunc apud hunc Pramorſcius & Silnicius largis eundem pollicitis in Polonorum partes pertracturi: qui Svecicorum Legatorum adventu diſcedebant, lautiores uti ferebant conditiones allaturi, monito ante diſceſſum ſuum Principe, ne tractatum cum Sveco præcipitaret, ſed rem integram ad reditum ipſorum ſervaret. Unde Ragozius ad Svecorum propoſita ambigue differere, moras nectere, varias excuſare, Polonicorum Legatorum reditum expectans, Svecis indignationem ſuam ſubinde teſtantibus, quod Rex ad fœdus ultro invitatus nunc ita differatur; nec eum ita ab amicis & opibus vacuum, ut vana tractatuum expectatione illudi debeat; ſimul amice ſe dimitti poſtulabant. Venerant interim à Coſaccis Legati fœdus diu agitatum jurejurando firmantes, cujus capita tamen Legatos Svecicos celabantur, nec aliud dictum, quam ob mutuam defenſionem id initum. Verosimile tamen videbatur, cum Principi nullus, Coſaccis Polonus hoſtis foret, hunc bellum in Polonos agitare, ſi proximæ legatione ipſius deſideriis haut reſpondiſſent. Ac mox cum accedente à Polonis novo Legato vanitas promiſſorum magis pelluceret, Keminius juſſu Ragozii è Legatis Svecicis quærebat, quænam Caroli Guſtavi circa Poloniæ Regnum mens ſit? ipſe ſibi id adquirere, an alteri conciliare velit? Equidem id neminem ipſi invidere; nolle tamen Ragozium propter alios pacatam ſuam ditionem turbis exponere. Sveci quo iſta tenderent ſatis perſpicientes reponere: ſibi haut conſtare, num ſuper eo Rex quid diſpoſuerit; noſſe tamen ipſum nunquam id Regnum adpetiiſſe, ac forte non repugnaturum Ragozium eodem potiri, modo ſibi & Brandenburgico præjudicium non fiat. Cæterum ſuper hac re nihil in mandatis ſibi datum. Teſtari dehinc Princeps fœderis ſe cupidum, dum caveatur, ne Rex interim cum Polonis, uti fama ferat, tranſigat; quod id magno ſibi damno futurum ſit bellicos adparatus facienti, ac Polonos in ſe irritanti. Quæ & cauſa fuit, ut Rex ad tractatus Pacis Polonicæ pro Ragozianis quoque Legatis ſalvos conductus poſtularet. Fœdere abſoluto Ragozius denuo Regnum ſibi Poloniæ ſtipulari cupiit, quod cum præter mandata Legatorum eſſet, reſervationem ejusmodi pacto annecti paſſus eſt, qua niſi Regia dignitate potiatur Princeps præſente fœdere ſolutum ſe fore proteſtabatur. Inde ad executionem fœderis properatum, ut tamen omnia agerentur, non ut Regi ſuppetiæ ferrentur, ſed ut Princeps ſcopo ſuo, Corona Poloniæ, potiretur. Et tamen, quod deſtinatis ſuis maxime neceſſarium erat, conſenſum Portæ mature impetrare omiſit, etſi ſatis noſſet, invidos ibi omnem lapidem movere, ut iſta expeditioni ejus intercedat. Sed ſufficere exiſtimavit, ſi Cracovia potitus ex arce Regia literas Conſtantinopolin daret; quo facto Turcas fortunam ſequi ſvetos re non amplius integra facile ab ipſo acta probaturos. Sed & idem Tartaros pecunia ſibi conciliare neglexit, ipſo licet Chamo monente, in partem ejus donativi Regi quoque veniendum cavillatus. Cui negligentiæ cauſam dederat, quod is ſibi perſuaſiſſet, Polonos venientem haut invitos Regem admiſſuros; quo ſumtibus in aulam Turcicam & Tartaros faciendis parceret. Venerat paulo poſt concluſum fœdus à Lubomirſcio miſſus Stanislauſcius vexillifer Halicienſis, qui ad modum ordinarii Reſidentis apud Principem ageret, ad ſecreta identidem colloquia admiſſus. Is cum ingreſſo in Poloniam exercitu

1657. 7.30. Mart. 1656. Aug. 1656. 1657.

Ra-

1657. Ragoziano Coſaccis unito videret rem non ex voto ſuo procedere, ſumma cum indignatione fremebat: Principem de fœdere Svecico inficiatum, ac Poloniam ſe introire tuliſſe velut ad procurandam inter Polonos & Svecos pacem. Idem Stanislauſcius cum fœdus Coſaccicum Ragozii deſtinatis noxium dixiſſet, Ragozius reſponderat; à Coſaccis ſibi præbitum iri occaſionem, ut eadem arma in ipſos vertat. Ipſi Hungari palam differebant; Ragozium ad accipiendum à Polonis oblatum diadema proficiſci, ac ſe ipſum ſplendoris circumponendi cauſa comitari. Qui mox deceptos ſe videntes non prælia, ſed domuitionem ſubinde crepabant, non vulgus modo, ſed & ipſius aulæ familiares. Augebant ſuſpicionem emiſſæ à Ragozio literæ, & ſalvi conductus, ſimul cum Nobilitate Halicienſi, tum Leopoli, Samborio, aliisque urbibus inita pacta, quibus nulla Regis Sveciæ velut fœderati facta fuerat mentio. Accedebant Principis in limine Poloniæ cum Nobilibus habiti ſermones; ſe amicum venire, ac uti Polonis adverſus ipſorum hoſtes adſiſtat; quorum tunc nulli erant præter Svecos & Coſaccos ipſius fœderatos. Quem viciſſim Poloni ſubdola humanitate Regem & Dominum ſuum longe exoptatiſſimum ſalutabant. Cum
Jan. 1657. jam Stryam ad Tyram fluvium eſſet perventum, Legatus Svecicus ſubinde Ragozium monebat, ut nuntios ad Regem de adventu ſuo mitteret, quod & decebat, ac neceſſarium erat, quo Regi conſilia rite digerere liceret. Sed id quoque omiſſum, donec Pielicius Nobilis Polonus à Wirtzio Cracovia miſſus ſe ipſum perferendis in Boruſſiam literis offerret: qui tamen per
22. Febr. menſem detentus Przevvorcio demum dimiſſus eſt. Toto itinere etſi nullus in vicinia obſiſteret exercitus, ipſe ſexaginta prope bellatorum millibus ſtipatus licet, ab Halicia ad Cracoviam nullum locum expugnavit, aut præſidio firmavit, etſi oſtenderetur: ſi omnia iſta loca in hoſtium manibus relinquantur, non modo præſidio, quod Scolæ cuſtodiendis montium faucibus relictum erat, pereundum; ſed & Nobiles Haliciæ ac Ruſſiæ, qui de nova ipſi non inferenda jurejurando caverant, omni defenſione deſtitutos à reliquis hoſtilem animum retinentibus facile ad defectionem ſolicitari poſſe, ſimul omne cum Hungaria & Tranſſylvania, Coſaccisque ac Walachis commercium includi; nec ipſi, relictis à tergo omnibus intutis, rebus adverſis receptum patere. Sed prævalebant, qui molliora ingerebant: Oppidis fruſtra oppugnatis contumeliam accipi, ſi oppidis vi expugnatis cives trucidentur, invidiam ſanguinis effuſi parari, ſcævum auſpicium Coronam affectanti. Etſi contra reponeretur; ſat ignominiæ habere, haut fuiſſe id audaciæ ad oppidum aliquod mœnibus cinctum invadendum, nec Polonos aliquando data occaſione præſentis miſericordiæ memores fore. Ita Leopolis & Sambora fide ſcripto data, intactæ manſere. Premisla hoc pacto dedita, ut trecenti præſidiarii per tres ſeptimanas in arce manerent, inde gregarii ad ſtipendia Ragozio facienda exirent, præfectis ſuo arbitrio relictis. Quod pactum digreſſo Ragozio ſervatum iri ſtolide ſperabatur. Ad Tarnoviam grave inter Keminium & Coſaccorum ducem Antonium Zdanovicium jurgium exortum, quo iſte Coſaccos in malam rem abire juſſit. Quod etſi iſte interpretatione mollire conaretur, ſi Imperio nollent obtemperare; ex eo tamen tempore nunquam amicitia inter exercitus redintegrata eſt, frequentibus indies rixis, cædibus ac mutuis deprædationibus. Circa id tempus Wirtzius Ragozio denuntiaverat, Joannem Caſimirum Czenſtochovæ cum Senatoribus conſilio habito Nobilitatem omnem ad Solecziam in diſtrictu Sendomirienſi convocare, tria quatuorve equitum millia ſibi ſubmitti rogans, quibus arcere à coitione vicinos diſtrictus, aut pro re nata in ipſum Joannem Caſimirum tentare quid poſſit; tum ut ipſe Ragozius Sendomiriam verſus moveret, ibique ſtructo ponte deſtinata hoſtium turbaret. Utrumque hic abnuit, regionem annonæ inopem cauſatus, & ſuos pontium ſtruendorum imperitos. Igitur Cracoviæ ſibi Viſtulam eſſe tranſeundum, quo continuatis itineribus ſit properaturus. Nec minus tamen poſt ad Opatovicam Viſtulæ pons injectus; ſed exercitu transmiſſo ipſe Ragozius cum aliquot equitum millibus Cracoviam conceſſit, cui & ſtatim Wirtzius juſſu Regis urbem tradidit, Svecicum inde præſidium deducturus. Sed cum valde

1657. inſtaret Princeps, id præſidium in urbe diutius relinqui, eidemque aliquem è præfectis Regiis nomine Principis præeſſe; Wirtzium autem conſilio ſibi apud exercitum adſiſtere; hic etſi mandatis à Rege deſtitutis Principi obtemperavit, Fabiano Ferſenio Cracoviæ tantiſper curare juſſo. Is Cracoviam acceſſus rebus gerendis multum obſtitit. Nam dum Ragozius Cracoviæ hæret, Keminio in proclivi erat Lubomirſcium & Czarnecium ad Niddam conſiſtentes diſſipare, ni iſte ſe abſente pugnam ſuſcipi ſtrictiſſime vetuiſſet. Arriſerunt deinceps quoque rei bene gerendæ occaſiones, ſi monenti Wirtzio fuiſſet obtemperatum. Qui cum videret ſua conſilia negligi, omnia confuſe agi nulla militari diſciplina, nec in hoſtem recta duci; inglorium averſatus otium Cracoviam revertit Ragozio non repugnante, Keminio etiam volente, qui ferebat; ſuos exercitus haut ita comparatos, ut Wirtzii monita circa ipſos locum habere queant. Qui & diſcedens haut vanus augur prædicebat: ſi nunc præbente ſe occaſione in hoſtem res fortiter non geratur, ſpem ſibi de felici expeditionis fine periiſſe. Nec tamen à ſolito more diſceſſit Princeps, nec unquam pugnatum, niſi quando Hungari & Coſacci in oppidis ac vicis prædam cum Polonis dividerent. Conjunctione cum Rege facta Ragozius quidem omnia ſibi in armis repoſita jactavit; ac tamen ſæpe, quo minus res gereretur, per imperitiam, cunctationem, ambigua aut perverſa iſtius conſilia effectum; utque Czarnecius, & Potocius elaberentur. Suſpectum fuit & id, quod ſæpe licet monitus Ragozius ratihabitionem fœderis vario obtentu eluderet, modo tempus incommodum, modo tabularii defectum cauſatus; tum quæ inter Regem & Brandenburgicum antea convenerant, fœdere reſervata, peculiari inſtrumento firmare abnueret: etſi Rex præter conceſſa à ſuis Legatis multa inſuper eidem poſtulanti annueret. Talem cum ſe gereret Ragozius, nulla ſane obligatio Regem ſtrinxit, ut hunc perpetuo aſſectaretur, aut in ejus gratiam proprium Regnum Dano perdendum exponeret. Ac Svecis disjunctus idem non niſi prava conſilia ſecutus eſt, dum incaſſum iter Cracoviam dirigit, nec mature Viſtula ſuperato in tutiora ſe recipit. Mox cum Viſtulam transgreſſo recta via per agrum Premislienſem ad fines Hungariæ pateret, idem averſo ad ſiniſtram itinere ad loca famelica, multisque viarum anguſtiis difficilia, Tartarisque vicina deflexit, inſuper habitis Podladovii, arcis Tarnopolitanæ præfecti, monitis, qui multa Tartarorum millia imminere aſſeverabat, ni reditum in patriam occuparet. Quo terrore & aliquot Hungarorum ac Walachorum millia in patriam anfugerunt. Tanta porro vecordia iter factum, ut nulla militum cuſtodia extremum impedimentorum agmen clauderetur, Czarnecioque anſa præberetur tantiſper euntes morandi & carpendi, quoad reliquæ Polonorum copiæ aſſequerentur. Adverſus hos cum pugnam ſuſcipere Hungari haut auderent, laſſitudinem equorum cauſati, Coſacci abitum appeterent; rationis fuerat Ragozio, qui ſemper ab horum conſilio pependerat, inter extrema quoque eorum hortatus ſequi, & cum ipſis progredi, quod Chmielinſcius tridui duntaxat itinere abeſſet, quo juncto Tartaris juxta ac Polonis repellendis par erat. Nec Poloni impeditum flumen ad Medziborſiam, ſesquimilliare duntaxat diſtans, tranſire auſuri fuerant, longo ac feſtinato itinere feſſi, & qui eo ipſo momento, quo Ragozius transactioni ſe promtum offerret, agre à ducibus ſuis continebantur, quo minus retro veſtigia legerent. Acceſſerant fraudes miniſtrorum, qui ob communia ſacra, aut indigenatus in Polonia privilegium, aut tædio belli, ac deſiderio penatium turpem potius conventionem ſvadebant, quam fortem pugnam adverſus ſex duntaxat Polonorum millia, Hungaris numero longe prævalentibus. Ex quibus omnibus nemo non agnoſcere poterat, Ragozium per ambigua & vacillantia conſilia ſine ſibi fortunæ fabrum fuiſſe, nec quem præter ſeipſum accuſaret habuiſſe; cum ſalva ratione à ſocio non plus exigi queat, quam quantum proprii ſtatus conditio ferat.

1657.

§. 23. Iſthæc Regis cum Ragozio conjunctio in cauſa erat, ut Claudius Ralambius Conſtantinopolim mitteretur; qui, cum Cæſar diploma tuti itineris abnueret, diſſimulata perſona per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, ipſamque Viennam, & Hungariam in Tranſyl- *Legatio ad Aulam Turticam.*

1657. Transſylvaniam non ſine multis periculis penetravit. Conſtantinopolim delatum Purpuratorum Princeps Coproglius tum ipſe Imperator Achmetes IV. benevole excepit. Tum & Principum Chriſtianorum Legati ibi Reſidentes priores ad eum ſalutandi cauſa miſere, quod ibi moris eſt; ubi & Legatis ſe mutuo inviſentibus, vinum & bellaria apponi ſolent. Poſtquam poſtulata ſua ſcripto concepta exhibuiſſet, initio ipſius negotiatio ex voto ſucceſſura videbatur, Veziero confirmante; Imperatorem omnia annuiſſe, & grato cum reſponſo eum dimittendum, antequam ipſe in expeditionem proficiſcatur. De Tartaris quoque idem confirmabat; ſi Chanus Moſco fœdere junctus non ſit, de quo inquirere velit, ſe ipſi imperaturum, ut hunc invadat. Cum idem poſtularet, ut Tartaris injungeretur in Polonos arma ſtringere, Vezierus reponebat: Polonos veteres Turcarum eſſe amicos, nec in hos quid deliquiſſe: amicitiam cum Svecis recentem eſſe, ac jam nunc naſci, nec in novi amici gratiam veterem evertendum. De cætero Sveciæ Regi quantum poſſit ſatisfaciendum. In Ragozium equidem commotior videbatur; ſed cum Ralambius de ſincero Regis in Portam ſtudio confirmaret, reponebat iſte: veniam admiſſi eidem fieri, quin copias Turcicas Regis uſibus promtas fore. Reſponſum tamen ſcripto dandum differebatur, expectatione Wellingii; quem & ipſum Rex ad Portam proficiſci juſſerat, ſi forte Ralambio eo penetrare non daretur; quem novi quid allaturum Turcæ credebant, cum revera eadem ipſi, quæ Ralambio mandata eſſent. Ac interim Coproglius ad fauces Helleſponti proficiſcebatur Svecicum negotium Camaicano commendans. Ea mora interpoſita lætum initium in contrarium vertit, malevolisque ſpatium dedit Turcarum animos à Svecis alienandi. Quos inter præcipuus erat Simon Reningius Cæſareus ad Portam Miniſter, quem Ralambius non inviſerat, quod ab ipſo velut Reſidentis duntaxat characterem gerente is prior inviſi poſtularet; ſimul quia amicitia inter Sveciæ Regem, & Auſtriacos frigebat. Is Turcas ingenti ſuſpicione impleverat, velut Carolus Guſtavus inita cum Ragozio, Moſco, Coſaccisque ſocietate Imperio Ottomannico exitioſa agitaret, eo majorem apud iſtos fidem aſſecutus, quod Cæſaris magna tunc eſſet apud Portam autoritas, cui Turcæ adrepebant, quod ſperarent, eundem Venetos ad pacem cum ipſis, qualem optabant, ineundam permoturum, tum ut tranſitum ipſis per ſuas terras in Venetorum ditionem concederet. Saltem lucri inſtar Turcis habebatur, Cæſarem durante cum Venetis bello quieſcere. Sed & Coſaccius Miniſter Turcis ſcrupulum injecerat, quod negaret, Coſaccis negotii quid cum Svecis aut Ragozio eſſe, ac iſtis decretum Turcicam protectionem amplecti. Delato poſt Conſtantinopolim Wellingio cum ambo Legati negotium urgerent, Turcæ jam vacillantes differebant: ſi Ragozius mature de ſuis deſtinatis ſignificaſſet, ea ſe libenter fuiſſe permiſſuros. Sed nunc graviter ab eo peccatum tanti momenti negotio inconſulta Porta ſuſcepto. Cujus mutationis nonnulla quoque culpa penes Ragozii Legatos hærebat, qui parum candide cum Ralambio egerant, diſſimulato, à Ragozio ſibi injunctum, Portæ honorarium aliquod annuum ſexaginta millia aureorum nomine Poloniæ, ubi eo Regno potitus ſit, offerre; de quo languide & verbo duntaxat in cautione ſua tetigerant, quam iſto inconſulto ſat intempeſtive Turcis obtulerant; cum ſociato conſilio rem urgere debuiſſent, quando Sveciæ negotiatio bene ſe habebat. Nunc ſinguli ſeorſim haut ſatis inter ſe conſona moventes Turcis ſuſpicionem fraudis injiciebant. Sed & Hayus Legatus Gallicus, utut à Rege ſuo juſſus eſſet Ralambii negotio favorem accommodare, prout quidem in aula Gallica ferebatur, adverſum ſe potius gerebat, moroſitate ingenii, & male temperato in ritus Romanos Zelo, vix præter Monachos quopiam ædes ejus frequentante. Cujus & exigua tunc in Aula Turcica autoritas erat, quod occultas per artes multum pro Venetis laboraret, ſic ut Coproglius, ne iſtum inviſeret, Ralambio diſſuaderet. Cupiebat haut eo minus hic ſalutationis officio apud iſtum defungi; ſed cum veniſſet, morbum idem excuſabat offenſus, quod Anglicus Legatus Thomas Bendiſius prior Ralambium ſalutaſſet. Nam Ralambius in placitum Hayi contulerat, ante, an poſt meridiem inviſere ipſum mallet. Cum itaque hic horas pomeridianas ele-

14. Mart. Coproglii. 19. Mart. 27. Maji. Reninger. De la Haye. Bendyſſi.

1657. elegiſſet, Anglus ante meridiem ſalutationem occuparat, quod officium & priore loco reponendum fuerat. Sed & antea idem parum ſtudii pro Svecia oſtenderat. Cum Ralambius è Transſylvania per literas ab ipſo peteret, ut de adventu ſuo Veziero ſignificaret, ac quod nullis muneribus onuſtus accedat excuſaret, id obiter iſte, & per interpretem duntaxat fecerat. Cum etiam ſuper propoſitione Svecica in Divano conſultaretur, idem per interpretem ſuum iſtud monebat, in Svecos tunc valde proclive; à Svecis ſibi caverent; nam eam nationem hoc eſſe ingenio, ut ſi modo foramen nanciſcatur digiti capax, toto corpore penetrare nitatur; (ea verba erant.) Ipſos Poloniam jam oppreſſiſſe: hanc ſi retineant, facile libidinem ſubituram Walachos & Moldavos invadendi, ipſumque Danubium tranſeundi. Polonos commodiores vicinos, ac conſultius Turcarum rationibus ad expellendos Polonia Svecos operam navare. Cum etiam Ralambius ſcripto ad Vezierum de amicitia Sveciæ cum Gallia memoraſſet, hic ex Hayo de ea ſciscitabatur. Cui ab eo reſponſum; *olim quidem fœdus inter Galliam & Sveciam fuiſſe, ſed id expiraſſe, & nunc nil inter ea Regna commercii intercedere.* Idem quoque ſubinde à Ralambio monitus, ut in favorem ſuæ cauſæ aliquod loqueretur, aliquando id declinabat eo prætexto, quod ſpecies minarum ſit, ſi dicatur, Galliam ita arcte Sveciæ innexam, ut, quod uni infertur, alteram quoque tangat: aliquando obtendebat, ſe Cæſareo Miniſtro non poſſe ſuſpicionem injicere. Etſi contra Legatus Anglicus quantum dabatur pro Svecica cauſa niteretur. Varnerius Belgicus Miniſter ſtudio magis linguarum Orientalium, quam negotiis publicis vacabat; qui & Ralambium non inviſebat odio in nationem Svecicam, an ne Cæſarei & Gallici Legati offenſam incurrerent. Non parum ſcrupuli quo que Turcis injecerant progreſſus Regis in Polonia, quod vetus apud iſtos vaticinium jactaretur; Turcicum Imperium aliquando ab hominibus flavo capillo deſtruendum.

Negotiatio Ralambii haeret.

§. 24. Cæterum profecto Coproglio inter Miniſtros Turcicos muſſitari cœperat: Regis Sveciæ conditionem videri duriorem, quam initio jactatum ſit, ac in anguſto ipſi res hærere indicio eſſe, quod adeo ſolicite amicitiam Portæ affectet. Et quæ Ralambius propoſuerit, ſpectaſſe ad fucum ipſis faciendum, tempusque extrahendum. Quin jam cum contemtu differere; quam ſibi Sveciæ rationem habendam? Aut quid Sveci ipſis nocere queant? Redigendum in ordinem Ragozium, qui per Svecos ſeductus à debito officio defecerit. Et quia conceptum antea reſponſum ad præſentia tempora non quadret, nova conſultatione habita id refingendum. Interim Tartaris, ut verſus Poloniam & Transſylvaniam procedant, concedendum. Contra quo major indies apud Turcas animadvertebatur animorum mutatio, eo acrius Svecici Legati reſponſum ac diſceſſum urgebant. Sed incaſſum habebatur tempus, quod Caimacano ſat autoritatis non eſſet ad dimittendos Legatos, & Coproglius bello Veneto, ſimul quotidianis Janizerorum ſeditionibus diſtineretur. Quas inter moras à Polonis ablegatus adventabat, qui Cæſarei, ac Gallici Legati opera Svecorum negotio non parum difficultatis injiciebat. Cujus tamen machinationes multo cum labore à Svecis ſuperabantur, eoque demum res deducebatur, ut à Coproglio ad Caimacanum mandata pervenirent ſuper iſtorum dimiſſione; id quod hic iisdem indicabat. Abs quo & Ragozii Legato denuntiabatur; *Imperatori ſat cauſæ eſſe noxam ab ipſo admiſſam ulciſcendi, quod iſto inconſulto in Poloniam moverit; ſed ob interceſſionem Regis Svecia hac vice veniam ipſi dari. Addebantur hortatus, negotium cœptum ſtrenue perſequeretur Ragozius, & ita rem gereret, ut aliquod opera pretium faciat; quod Svecus, Brandenburgicus, Moſcus, Coſaccique jam præſtantiſſimas Polonia partes praripuerint.* Cum igitur negotium in portu eſſe videretur, & jam Legatis dies dicta eſſet Imperatori valedicendi, nuntius de Ragozii clade allatus repente omnia evertebat; qui magno cum gaudio Conſtantinopoli acceptabatur, gliſcente in iſtum indignatione ob ſumta citra conſenſum Portæ arma, quem tamen ipſius pater expoſcere non omiſerat, cum arma Svecis in Cæſarem ſociaret. Augebat invidiam, quod Polonicus Legatus tunc ad urbem perveniens quereretur, literas, quas ſecum attulerat, ad Sultanum, Vezierum, & Pontificem in Transſylvania reſi-

1657. 26. Jul.

1657. resignatas. Unde Ragozii ablegatus in carcerem rapi; ac eo magis Legati Svecici suspecti evadere, quo acrius antea pro Ragozio connixi erant, sic ut tota urbe rumor dideretur, ipsos quoque in custodiam trahendos. Sane intra tres septimanas ab omni communicatione excluſi desidebant, nec accessu ad Caimacanum potiri poterant. Eo molestior autem erat illarum rerum conversio, quod Sveci jam eorem deduxerant, ut Chano mandatum transmissum esset de regressu intra fines suos capiendos: quod eidem redditum fuerat postridie, quam Ragoziani cladem accepissent; qui & ideo statim retro vertebat. Sed Ragozio semel prostrato in proclivi fuit hostibus prohibere, ne resurgere iterum posset.

24. Aug. Venit tandem jussum Vezieri ad Caimacanum de dimittendis Legatis Svecicis, haut concessa tamen facultate Sultano valedicendi. Adversus quod Sveci protestationem interponebant, Anglo cumprimis connixo, ac indignum id esse demonstrante. Ac spes erat ipsis hoc satisfactum iri, ni qui hactenus fuerat Caimacanus, vir cordatus

15. Sept. ac moderatus, munere dimotus esset; in cujus locum alius sufficiebatur truculentis, malignis, asperisque moribus vir, qui Legatorum dimissionem extrahebat, ut pecunia istos emungeret. Idque eo fidentius faciebat, quod sub id tempus Imperator Adrianopolim proficiscceretur. Ita cum per duodecim septimanas fictis promissis ac prætextis differentur, consumta patientia ipso invito se Adrianopolim profecturos ferebat. Quo barbarus iste ita incanduit, ut capite se istos truncaturum fremeret. Unde ipsi interpretem suum cum literis ad Coproglium Adrianopolim mittebant, Anglo quoque eam causam diligenter commendante, ac quam mali exempli ista res foret demonstrante. Gallus, ut & ipse aliquid facere videretur in communi omnium Legatorum causa, ad aliquem suorum amicorum scribebat, exiguæ in aula autoritatis, non ad ipsum Vezierum. Contra Belgicus Minister ne id facerent dissuadebat, ut Cæsareo Residenti placeret. Post tamen pudore ductus & ipse scribebat, quæ tamen literæ Veziero traditæ non sunt. Ralambii interpres auditus statim, & remissus fuit cum mandatis ad Caimacanum; ut Legatos dimittat, ac omni modo ipsorum iter promoveat. Ita isti Constantinopoli digressi Adrianopolim pervenerunt. Adeuntes Vezierus benigne excepit, sed in Austriacos aliquid dicere parantes audire nolebat. Literarum, quibus obitæ Legationis fides fiebat, hic sensus erat: *Regis Svecia Legatos benigne fuisse admissos, sed Regis facta ab argumento literarum discrepasse, quod cum Ragozia Porta Vasallo conventionem inivisset, ipsiusque commentis aurem præbuerit. Ac à tempore missionis hujus tantam rerum mutationem contigisse, ut Porta ignoret, quid à Rege Svecia sibi expectandum sit; cui de cætero Sultanus amicus esse velit. Quid deinceps Rex facturus sit; in ipsius arbitrio positum esse.* Imperatori ut valedicerent, Legatis haut permissum; addito, si ipsi aut alii redierint, ac Portæ cautum sit, quid de Rege Sveciæ promittere sibi queat, omni modo iisdem satisfactum iri. Et literas semel scriptas retractari non posse. Ea sententia stabat, etsi Ralambius ostenderet, tali dimissione Regem permotum iri, ut omni deinceps communicatione cum Porta supersedeat. Dabatur diploma tuti itineris, ac Purpurato Budensi injungebatur, ut à Rege Hungariæ commeatum per provincias Austriacas ipsis procuraret. Nam ut per Venetias iter caperent, Vezierus concedere nolebat.

1657. 27. Jan. 1658. 8. Febr.

§. 25. Effecerat etiam conjunctio cum Ragozio, ut de Cosaccis arctius sibi innectendis Rex laboraret. Quo fine post conclusam cum Ragozio conventionem ad Cosaccos proficisci jussus erat Gothardus Wellingius. Cujus negotiatio tamen istos Sveciæ rebus magis alienaverat, quam conciliaverat. Ægre quippe tulerant isti, quod hic explorandis istorum animis licitatione rerum, quæ alias teneri non poterant, Regi Leopolim & Caminiecam, Podoliamque Barum usque reservare vellet; cum ipsi contra totam Russiam Rubam ad Vistulam usque prætenderent, nec absurde interrogarent; cui usui Svecis tam vastæ regiones, quas satisfactionis loco in Polonia affectent, & qua ratione easdem tueri velint? Ad quod Wellingius aculeato responso Chmielinscium protelaverat; ac cum istius Cancellarius Wiofscius mandata ejusdem inspicere postularet, num tam enormia postulare jussus sit, ista in conspectu ejusdem discerpserat. Unde & Chmielinscius virum aversatus ad ipsum Regem Legatos se missurum ferebat.

Wellingii acta apud Cosaccos.

§. 26. Quia tamen Regi ad res Po-

1657. *Lilliecrona ad Cosaccos mittitur.*

loniæ Cosaccorum amicitia utique opus erat, Gustavum Lilliecronam ad eosdem mittendum duxit, inde ad Tartaros quoque transiturum. Injunctum illi apud Cosaccos arctius fœdus concludere, super quo isti, irrita cum Wellingio negotiatione, ad absentes præfectos exercitus Zaproviani, aliosque socios rejecerant; simul cautionem Regis exigentes, quid præmii pro auxilio præstito sibi expectandum foret. Quia igitur sat spatii relictum istis fuerat cum sociis communicandi, nec hi quod opponerent habuerant, ac vero utriusque partis securitas ab ejusmodi conjunctione dependeret; Rex per Lilliecronam Cosaccis scriptam cautionem offerebat, etiam juramento in animam Regis firmandam, quod hic nil actionis servare velit in Partes Poloniæ, quas Cosacci sibi deposcebant; parem cautionem à Chmielinscio jurejurando sanciendam recepturus. Quanquam enim Cosacci Wellingio spem fecerint de Legatione ad Regem mittenda, quæ super infectis adhuc negotiis transactura sit, tamen quod periculum in mora esset, Regi ea res per hunc pressius urgenda videbatur. Quo ad ejusmodi fœdus istos impelleret, jubebatur causas belli Polonici deducere; & uti Rex nunquam ab æqua cum Polonis pace abhorruerit; ita eundem quoque nunquam aurem præbere voluisse Polonis super Cosaccorum internecione proponentibus. Tractatus quoque cum Joanne Casimiro Gedani ad id præcipue adhæsisse, quod Poloni diplomata tuti accessus pro Cosaccis & Ragozio abnuerint. Tum operam daret, ut Cosacci In Moscos irritentur, ostentato periculo, quod ipsorum libertati immineat Czare illis oris prævalido, cui displiceat liberos habere vicinos paria cum sibi subjectis sacra professos. Id si obtinere nequeat, viginti aut triginta Cosaccorum millia in auxilium petat, qui statim Brestiam versus tendant ex arbitrio Regis adversus Polonos aut Moscos adhibendi, quos bellum alere debeat nullo Regis stipendio. Quod si in Moscos rem gerere nolint Cosacci, saltem eosdem permoveret, ne istis adversus Svecos auxilia forent, ac cum Ragozio rem strenue in Polonos gerant. Opponeret quoque se Cæsaris ad Cosaccos ablegato, demonstrans, propter conjunctionem cum Polonis Cæsaris consilia non posse non in perniciem Cosaccorum tendere. Denique Chmielinscii consilium exposceret, qua ratione Tartari à Polonis abstrahi, Moscisque immitti queant. Quod si ad Tartaros penetrare daretur, Lilliecrona ista proponere jubebatur: Cum longo tempore missis literis & Legatis amicitia inter Svecos Tartarosque exculta fuerit, valde miratum Regem superiore anno multa ejus nationis millia apud Warsaviam adversus ipsum pugnasse; cum tamen Tartaricus Legatus ante biennium Holmiæ sub initium belli Polonici omnia amicitiæ officia Regi promiserit. Unde huic persuasum, Chanum hostilia non proprio motu sumsisse, quippe nulla ab ipso causa præbita; sed Polonorum, aliorumque malevolorum machinationibus, & commentis inductum. Istis destruendis se missum certa spe, à Chano prohibitum iri, ne quis ipsi subjectorum amicitiam tam sæpe promissam violet, quam coli utriusque interfit. Ei servandæ Regem omnia facturum quin arctius cum Chano fœdus initurum, super quo ipse mandatis idoneis sit instructus. Inprimis demonstraret, amicitiam inter ipsos cultam posse utrinque insignes fructus producere. Cum enim duo sint, quæ ad Principes inter se bona fide uniendos plurimum faciant, distantes invicem regiones, & ut his interjecti sint, quibus cum utrisque lis esse soleat; sane Sveciam longe versus Septentriones remotam, interjecto quoque Mari Baltico, ut tamen cis mare possideat Livoniam, Ingriam & Borussiam, Moscis, Polonisque conterminas provincias, quibuscum Tartaris multum soleat esse negotii. Unde Svecorum, Tartarorumque societate communes istos vicinos coërceri, ac si alterutrum invadere velint ab altero distrahi posse. Quam & causam esse, ut ipsi quoque Cosaccorum conservationi studere debeant. Demum id laboraret, ut Chanius in præsens à Polonis se disjungat, ac in amicitiæ specimen protinus Moscos invadat, quorum glisscens potentia Tartaris oppido quam sit periculosa, quibus & Polonos & Cosaccos opprimere libido sit. Addebatur, ut captivorum apud Tartaros liberationem procuraret, Ridderhielmi, Joachimi Engelii, Kochii, & Joannis Ulfsparrii.

1657.

Apud Tartaros proponenda.

Koch. Ulfsparre.

§. 27. Lilliecrona equitum caterva comitante Cracovia ad fines Hungariæ perductus, per Hungariam, Transylvaniam ac Moldaviam Cecherinum salvus pervenit, ubi Chmielinscium

Cum Chmielinscio acta. Jun.

fere

1657. fere infra privatum vili cultu agentem reperit. In eodem conclavi, quo iſtum audiebat, ipſe cibum capiebat, ac dormiebat, ſimul ejusdem familia haut ſane comta verſabatur. Adventantem interrogabat, an non alia atque Wellingius mandata haberet; alias ſe audire ipſum nolle. Is de Wellingii mandatis conſtare ſibi negabat. Negotiatione ſuſcepta in Moſcos hoſtile quid ſuſcipere abnuebat Chmielinſcius: operam tamen ſe daturum, ut iſti ad pacem cum Svecia inſtaurandam permoveantur; quorum amicitia ſibi colenda ſit propter metum à Turcis & Tartaris, qui aliquid infeſti Coſaccis meditentur. Ac ſtatim eo nomine certus homo cum literis ad Czarem mittebatur. Cæterum præmii nomine idem ſibi Coſaccisque depoſcebat, quicquid terrarum à Viſtula in Ucrainam porrigitur, viciſſim numeroſas Regi copias in auxilium promittens. Idem tamen Lilliecronæ diſſvadebat, ne hoc tempore ad Chanum proficiſcatur, qui nuper Ragozii & Walachiæ Principis Legatos in cuſtodiam datos male habuerat. Cui & mos ſit, quando in expeditione agit, nulli Legato ad ſe acceſſum dare, ſed venientes protinus paulo minus quam captivos ad Regiam ſuam transmittere, reditum ipſius ibi expectaturos. Spem tamen faciebat, ſe iſtum ad æquiora flexurum. Circa idem tempus è Polonica cum Ragozio expeditione domum revertebat Antonius Zdanovi ejus Regis erga Coſaccos humanitatem multis verbis extollens, ſed de Ragozio non parum queſtus, velut ab illo contemtim habitus, nulla ſecum communicatione facta, ac Hungaris impune inſultantibus; unde ingens adverſus hunc animorum exacerbatio orta eſt. Conſtabant tunc Coſaccorum copiæ ducentis bellatorum millibus; tum trecenta navigia in promtu erant plano alveo ad Pontum Euxinum infeſtandum. Enimvero cum iſte negotiationem ſuam vix orſus eſſet, ac Chmielinſcius viginti Caſaccorum millia parata oſtenderet ad rem adverſus Polonos è nutu Regis gerendam, Tartari repente terris ipſius infuſi magnam populationem faciebant, inimicos ſe declarantes eorum, qui Joanni Caſimiro hoſtes forent, quem Regno ſuo reſtitui volebant. Ita parum opportunum tractationi erat tempus, cum omnia tumultu perſtreperent. Accedebat Chmielinſcii morbus, quo paulo poſt extinctus eſt; cui cauſam præbuerat, quod, cum de clade Ragozii nuntiatum eſſet, per intempeſtivum Coſaccorum diſceſſum producta, cum horum duce Antonio ad ſe evocato expoſtulans ita excanduiſſet, ut apoplexia correptus amiſſa loquela die ſeptimo expiraret. Eum Antonium aliosque duces ob id flagitium capite pœnam luere juſſerat. Cum rebus confuſis aliquandiu nihil agi potuiſſet, tandem poſtquam Wioſcius Chmielinſcii ſucceſſor conſtitutus eſſet, datis Commiſſariis negotiatio cum Lilliecrona inſtaurata eſt. Proponebant hi de fœdere mutui auxilii adverſus quemlibet, Moſco excepto, cui juratam fidem infringere nequeant. Rex ipſos liberum populum agnoſceret, ac tuendæ eorundem libertati contra quosvis incumberet. Tum fines ſuos ad Boruſſiam usque extendere cupiebant, non niſi Majore Polonia Brandenburgico relicta, nec ſe deinceps Regem in Polonia laturos. Talia velut mandatis ſuis ampliora ad Regem ſe relaturum Lilliecrona recipiebat. Ad extremum declarabat Wioſcius, ſe quadraginta Coſaccorum millia Regi auxilio miſſurum; ſtatim atque audierit eundem in Boruſſiam revertiſſe. Quo nomine ingentibus verborum conteſtatibus plenas literas ad ipſum Rex dabat. Sed mutata rerum facie iſta omnia inania fuere. Nec ad Tartaros abire placuit, nulla ſpe operæ pretium faciendi.

1657. 27. Jul. *Wioſkii.*

§. 28. Cæterum judicabat Rex potuiſſe ſuas ac Ragozii res in Polonia tantiſper ſuſtineri, ſi Brandenburgico Electori placuiſſet eam cauſam omnibus viribus amplecti. Sed iſte novam è Dania tempeſtatem proſpiciens, ſimul quid Auſtriaci, Belgæque machinarentur, facile Carolo Guſtavo Poloniæ oblivionem ſubituram videbat, Ragoziique conatus fragili fundamento ſubnixos; eoque omnes ſuas fortunas ob aliena commoda, ſibi ubi ſucceſſerint prægravia futura, acipiti aleæ exponere temerarium cenſebat. Quem & Auſtriaci, Polonique blandis juxta aſperisque urgebant, ut partibus eundem Svecicis avellerent. Sane dicebantur Poloni promiſiſſe, huc ſi deſcenderet, ſtatim ſe hoſtilia omiſſuros, Elbingam ac Mariæburgum cum adjunctis inſulis daturos, Warmia quoque in pignoris vicem conceſſa, quoad Sveci per Cæſarem & Danum Germania ejecti forent.

Brandenburgicus rebus Sueticis in Polonia diffidit.

1657. rent. Simul Sapieha irruptione in Boruſſiam Ducalem magnam late populationem faciebat. Ac Liſola tunc in Electoris aula agens palam minabatur; ni Svecos deſerat, extremam vaſtitatem terris ipſius illatum irri. Unde & langvidius admittebantur hortatus Regis, adventante Ragozio ingerentis; jam tempus eſſe ſerio rem aggredi, hoſtesque vel plane opprimere, vel ad amplectendam pacem compellere. Et cum Rex conjunctioni cum Ragozio ſe accingens de copiis ſecum jungendis apud Electorem inſtaret, hic poſt multam tergiverſationem demum Waldeccium cum aliqua manu eo deſtinavit, non tam ut in Polonos pugnaret, quam ut hac occaſione hoſpitia per Majorem Poloniam recuperaret, donec poſt multas ſolicitationes, & pactorum exprobrationes iſte Regem ſequi juberetur. Paulo poſt cum Auſtriaci contractis copiis irruptionem in Poloniam agitarent, Rex acriter Electorem urgebat, ut illorum conatui junctis viribus mature obviam iretur. Ad quæ Elector ambigue; arma utique in Auſtriacos vertenda, ſed prius ſibi cum Rege ſermones conferendos; quo tempus extraheret, & ſucceſſus rerum ſpecularetur. Interim vertente indies rerum facie, cum inter tot ingruentes hoſtes aliquid ad ſummam rerum faciens Regi tentandum videretur, hic duodecim duntaxat equitum, quindecim dimacharum centurias Electorem poſcebat, quibuſcum adjuncto Ragoziano exercitu in Auſtriacos Poloniæ fines jam ingreſſos recta tendere conſtituerat, Electore interim cum reliquo exercitu intra proprios fines perſtituro. Sed quia huic haut placebat Auſtriacos ultro laceſſere, ea petita vario obtentu eludebat,

Gœrtzke. donec Gœrtzkius cum ſelectorum militum manu Poltofsciam mitteretur; qua cum Rex uti vellet, excuſabat, vetitum ſibi pontem tranſire, ac ideo ſe veniſſe, ut Regem comitaretur, ſi de communi cauſa cum Electore colloqui placeret. Aſt cum à Ragozio digreſſus Rex Strasburgum perveniſſet, Electori de adventu ſuo ſignificabat, & ipſius colloquium à ſe expeti. Quod cum Elector declinaret, ſimul omnes ſuas copias à Regis exercitu revocaret, fœdus ultra defenſionem Boruſſiæ porrigendum negans; omiſſa Polonia in Danum movere ſtatuit, Ragozio ſvadens, ut absque mora ad fines ſuos reverteret, ac tamdiu ibi hoſtem diſtineret, quoad ipſe molem rerum ſibi incumbentium profligaſſet. Id quod Rex Electori demonſtrabat non ſine querelis, ipſius cunctationem & ambigua conſilia hiſce malis cauſam dediſſe. Viciſſim Elector ægre ferebat ſe nunc à Rege deſtitui; nec vires ſibi tot hoſtibus ſuſtinendis. Ac ſe hoc modo ad talia conſilia compelli, de quibus antea in mentem non venerat. Unde & mox, cum Rex Polonia excederet, miſſo Brombergam Dobrzenio petebat, ut quia res ſuæ citra tractatum cum hoſte ſalvæ eſſe nequeant, eum pace Regis inſtituere liceret. Heic Rex primo fortia conſilia ingerere; non adeo deſperatas res ſuas ſimul opem, levamen, ac celerem è Dania reditum poſliceri. Sed cum is intenſis precibus urgeret, & anxietati ſubditorum Electoralium aliquid daret, pollicitus Electorem in fraudem Regis nihil facturum; Rex demum declaravit: *ſi Elector aliis auxiliis plane deſtitutus eo neceſſitatis redigatur, ſe tractatus ab ipſo ſuſcipi diſſimulaturum, modo nihil fiat, quod amicitiæ adverſum, aut ipſius rebus fraudi ſit.*

1657.

§ 29. Haut eo ſecius Rex miſſo Regium montem Slippenbachio tentare conſtituit, num forte Electorem in partibus ſuis obfirmare poſſet. Illi injunctum omnia expromere, quæ ullo modo ad iſtum ſcopum facere videantur. Sat virium Electori eſſe finibus ſuis defendendis; nec Auſtriacum militem trans Viſtulam in Ducalem Boruſſiam penetraturum, quod Svecicas res in Pomerania, & Boruſſia Regali ſubruerit. Quin & ipſam belli rationem dictare, Auſtriacos interiora Poloniæ haut petituros, ſed tantum in propinquo finium ſuorum rem geſturos. Legatum quoque Gallicum evulgato jam inter Auſtriacos, & Polonos fœdere declaraſſe; eo modo pacem Weſtphalicam ruptam videri, ac Gallum auxilium Regi præſto fore. Tum Gallum fœdus cum Sveciæ Rege initurum ad tuendas Electoris ditiones, easque ſalvas præſtare paratum eſſe, modo mature id requiſiverit, nec ab Auſtriacis ad ſiniſtra conſilia ſeduci ſe patiatur. Quæ Galli oblata Rex acceptaverit; nec dubitare Electorem ad ejusmodi ſolida conſilia impediendis Auſtriacorum deſtinatis animum applicitu-

Rex Electorem in partibus retinere ſtudet. 13. Jun.

rum,

1657. „rum, ſi de auxilio cautum ipſi ſit. De „quo ſubmittendo Galli confirment, ſi „res adverſus Auſtriacos in Polonia, „Boruſſia aut Germania geratur; ac „patere Gallicis copiis iter per Weſt„phaliam, Mindam, ac Bremenſem „provinciam, quas fulcire in proclivi „Regi ſit in vicinia verſanti. Sed & „ſi maſcula conſilia arripiantur, facile „Auſtriacos Polonia extrahi poſſe, ir„ruptione in hæreditarias provincias „facta. Quo caſu præter Gallos etiam „Angli in partes deſcenſuri ſint. Quod ſi hiſce conſiliis Elector aurem præbeat, ac de præda dividenda injiciat, declararet Slippenbachius; *Regem in Germania nihil affectare præter Oldenburgicum forte & Delmenhorſtanum Comitatum, & minuti quid illo tractu Bremenſi provincia opportunum, ad invidiam declinandam. Caterum è Dania ſatisfactionem petiturum, ac inprimis Norvegiam & Scaniam invaſurum, tum Dania Regnum in alium translaturum, qui maxime ſibi idoneus videatur. Simul Saxoni, & Brandenburgico ad Sileſiam adquirendam operam navaturum, hunc quoque locis quibusdam VVeſtphaliæ commodo ſitu mactaturum.* Atque iſta Electori jubebatur offerre Slippenbachius, ſi ſentiat, iſti Svecicas in Germania provincias per Liſolam oſtentari. Proponeret etiam Electori, tentari poſſe transactionem cum Polonis citra Auſtriacos hac lege, ut Boruſſia Regalis præter Gedanum, quod penes Polonos manere debeat, in Electorem transferatur, pro qua Regi Ulterior Pomerania, & quid terrarum in Lithuania, aut pecuniæ ſumma dari queat. Nam Polonos malle, ut Boruſſia penes Electorem, quam Regem ſit. Enimvero cum Slippenbachius animadverteret, Electorem præmiis hiſce incertis, & in longum præminentibus parum moveri, id cumprimis urgebat, ut ſi manum ſuſtinendæ communi cauſæ admovere nolit, ſaltem limites medii ſtatus in pactis, quæ tum cum Polonis agitabantur, ne excederet. Elector contra initio neutrum ſtatum à Polonis propoſitum ſibi haut probari oſtendebat, ac ſubinde de bello in Polonia continuando differebat; ac ſibi decretum in neutram partem quid ſtatuere, quoad Rex bellum Danicam profligarit. Nec eo minus ſecreta negotiatio cum Polonis, & Auſtriacis ſolius Sverini, & Somnicii ope-

Somnitz.

re inſciis plerisque conſiliariis fervebat. Quos ut ad expetitas ſibi conditiones Elector compelleret, ſubinde jactabat, ſe cum exercitu in Germaniam abiturum, caſtrisque inter Landsbergam & Cuſtrinum poſitis, ac pro captu rerum ſociatis cum Rege copiis, bellum adminiſtraturum. 1657

§. 30. Enimvero mox patebat, ſit per medio ſtatu Electori cum Polonis, atque Auſtriacis conveniſſe. Unde & cum Dux Adolfus Joannes Brandenburgicis oſtenderet, id copiarum à Rege in Boruſſia relictum, quod Electoralibus junctum provinciæ tuendæ ſufficiat, ſeque ubi res exigat, conjunctioni paratum; iſti nil hoſtilitatis ſibi adverſus Polonos ſupereſſe ferebant. Manebat tamen aliquantiſper in ſpeciem cum Svecis amicitia; & Elector per Kleiſtium operam ſuam conciliandæ inter Regem & Danum paci offerebat. Quod officium Rex velut ſuſpectum declinabat: ſociatis conſiliis armisque ſcopum pacis propoſitæ felicius obtineri differens. Cæterum Slippenbachius, cum eam efficaciſſimam judicare viam Electorem in partes retrahendi, ſi Rex quamprimum è Dania in Boruſſiam reverteret, de hoc ſubinde per literas inſtabat. Regi alias parum gratum erat, à miniſtris ſuis ultro conſilia ſibi ſuggeri; quippe qui ſimpliciter ab his ſibi referri volebat, quid alibi gereretur; quo intellecto ipſi velut in centro rerum poſito conſilia expedire in promptu erat. Igitur Slippenbachio fidentius obtundenti cordate admodum literis propria manu ſcriptis „reſpondere placuit: Ex utraque par„te periculum imminere; ſed quod „propius urgeat, ei primo occurren„dum. Ut vires diſtrahantur, ſanam „rationem non admittere. Nec exer„citum ita levi negotio hinc inde ra„ptari poſſe. In Polonia nil aliud effi„ci poſſe, quam ut miles inani labore „atteratur. Nec Electorem permotum „iri ad Zamoiſciam, & ſimilia loca ſi„mul oppugnanda, aut ad hoſtem Cra„covia depellendum; cui ſufficiat Bo„ruſſiæ ſuæ fines tueri. Eo fine ſat jam „copiarum in Boruſſia eſſe, quæ & aliis „turmis firmari queant. Præterea „anni tempeſtatem ingruere, qua „quam neque ſibi neque hoſti in cam„po rem gerere liceat. Quæ autem „commodiora ut tutiora ſibi hiberna „eſſe poſſe, quam Holſatiam, & Ju„tiam;

Elector neutrarum ſit patium.

9. Aug.

1657. „tiam; ad quas deferendas nulla ipſum „ratio ſubig ere poſſit, niſi vi inde ex„pellatur. Brevi ſe tamen ad loca Bo„ruſſiæ vicina acceſſurum, ubi Rex in „Holſatia diſpoſuerit, & cum claſſe „quid tentarit. Cæterum agnoſcere, „diu res ſuas in Boruſſia ſubſiſtere non „poſſe, quamdiu miniſtris Branden„burgicis perſuaſum eſt, incrementa „Sveciæ ipſis fraudi cedere, eoque ſuas „actiones ſuſpectant. Ea perſuaſione „perſiſtente in iſtorum amicitia nil fi„duciæ collocari poſſe, utut de hone„ſto Electoris animo ſibi ſatis conſtet. „Iſtos à ſe deſertos, quo prætexto „cumprimis utuntur, falſo jactari, cum „ipſe nunquam res Poloniæ pro dere„lictis habuerit. Quin nec ſe è Polo„nia fuiſſe diſceſſurum, ſi Electorales „conſilio ſuo obtemperare, ac ſecum „rem gerere voluiſſent ad Ragozium „in Polonia retinendum, & extrema „Poloniæ admovenda. Id cum per „iſtorum tergiverſationes ſit ſubver„ſum, Ragozium monendum fuiſſe, ut „mature ſe ſubduceret, ac ſibi quoque „alia conſilia capeſſenda, Danumque „tota vi invadendum. Nam in tot „hoſtes ſimul pugnare ſupra vires ſuas „poſitum. Ac ideo duntaxat Bran„denburgicos cupiiſſe ipſum aliquanti„ſper adhuc in Polonia detinere, „quoad pacem qualem cupiant confe„cerint. Ita poſtquam tot occaſiones „ſummam rerum ſtabiliendi per Ele„ctoris conſiliarios corruptæ ſint, ab„negato ſibi auxilio, nec illorum emen„datio in poſterum ſperanda ſit; bel„lum deinceps ſibi adverſus Polonos „perſequi minus utile eſſe, nec ad id „pari periculo ſe urgeri, quam in aliis „regionibus, & adverſus alios hoſtes. „Nam ſi utique partes mutare inſti„tuat Elector, nil ſibi gravius accidere „poſſe, quam ut Boruſſiam amittat. „Contra ſpem eſſe, ſe brevi res ſuas ita „diſpoſiturum, ut aliis laceſſendi ip„ſum libido deceſſura ſit, ſuaque ami„citia, juxta atque inimicitia haut exi„gui momenti habeatur. Et quia tam „parum ſolidi in aliorum amicitia re„periat, ſibi ipſi conſulturum. Suſpi„cari autem, ſi Poloni audiant, ſe in „Pomeraniam reverti, ac res contra „Danum præclare ſuccedere, eosdem „alia conſilia capturos, & Electorem „quovis pretio Svecicis partibus ab„ſtracturos, indultis quæcunque is „deſideret. Equidem ſi ad tractatus „cum Polonis perveniatur, rem bene „ſucceſſuram. Sed quod hi leges pa„cis in anteceſſum cognoſcere velint, „id perinde eſſe, atque totum nego„tium ipſorum libidini committere; „ac jam plus ſatis animi ſenſa illis pa„refacta. Si porro Elector ſerio, & ex „ipſius judicio rem gerere velit, Au„ſtriacos brevi Cracovia depellendos. „Verum ſat ibi conſtare, omnes iſtis „deſtinatis obluctaturos. In Boruſſia „ſat copiarum agere, quæ totam Po„loniam turbare queant; ſed quod ni„hil ſolidi conſilii capiatur, culpam „penes ſe non eſſe. Et quia ſibi co„gnitum ſit, quibus reſpectibus ibi „conſilia temperentur, & quam fragili „fundamento eorum amicitia nitatur; „haut prudentis eſſe, ſuos in Dania „progreſſus in iſtorum gratiam deſtru„ctum ire. Illis quippe ſemper viam ad „pacem patere, ſe medios inter ho„ſtes deſtituto. Si utrique bona fide „juncti maneant, nihil ipſis accidere „poſſe, cui remedium adferri nequeat. „Sed quod Elector ita anxie fortunam „ipſi ſuam admetiri, eamque exhibito „aut ſubtracto auxilio librare inſtituat, „id à ſe ferri non poſſe, ac ſperare par „aliquando ſe relaturum. Denique vi„res ſuas dividi in præſens à ſe non „poſſe, atque unum hoſtium plane „proterendum. Quæ cum ita ſint, Slippenbachio injungebatur, ut Ele„ctori perſvaderet neutrum ſtatum ma„ture amplecti, & quantum liceret eum porrigere, quoad ſatis prævideret, quo res ibi ſe daturæ eſſent. Ac ſi iſte ſtatus ad finem belli perſtiterit, pacta, quæ ſibi cum Electore intercedant, firmari aut mutari poſſe, prout pax cum Polonis concludenda id tulerit. Quod ſi autem Elector per conſiliarios ſuos ſeductus, ac illecebris Pomeraniæ citerioris ineſcatus infeſta Sveciæ conſilia capeſſat, id ferendum eſſe; ſperare tamen eam rem iſti lucro haut ceſſuram. 1657.

Elector cum adverſa partes transſilit.

§. 31. Enimvero ut neutrarum partium maneret Elector, Poloni, Auſtriacique haut quidquam patiebantur, minis juxta promiſſisque ipſum urgentes, ut media conſilia abrumperet; æque graviter Regem Sveciæ ſuſcepta neutralitate offendendum jactantes, & nullo contra hunc auxilio, ni adverſis eidem partibus penitius ſe illiget. Inprimis autem Electorem movebat, quod Carolus Guſtavus Danos ad præ-

lium

1657. lium compellere non poſſet, eoque bellum id in longum videretur extrahendum, quodque idem ſenatu rogante in Sveciam abiturus diceretur, projecta ſpe in Boruſſiam revertendi. Cujus & res in ruinam ire videbantur, Gallo & Anglis ſubſidii nihil conferentibus, ac Belgis infenſa agitantibus. Sed & ordines provinciales gravitatem onerum & imminens exitium magnis querimoniis differentes Electoris animum expugnabant. Cumprimis autem ſummum Boruſſiæ imperium cordi erat, in quo is ſecuritatem ſuam verti judicabat. Nam perſiſtente nexu ejusdem provinciæ cum Polonia neceſſum erat ipſum omnibus rationibus, motibus ac turbis ejus Regni involvi, nullo emolumento, cum auxilia ſua velut debita exigerentur: prout & eam ipſam ob cauſam funeſto hocce bello implicitus fuerit. Idque eo magis in futurum eſſe metuendum, quod poſt Joannis Caſimiri fata ſuper ſucceſſione lites videantur ſurrecturæ, hinc Moſco, inde Auſtriacis Polonicum diadema ad ſe raptaturis. Quin & pace facta non ſat cautum ipſi, ne Poloni aliquando obtentu adminiſtrandæ juſtitiæ eam provinciam ſibi eripiant, odio erga Sacra Evangelica profeſſos, & quia ſemper occaſionem captaturi ſint conjuncta nunc cum Svecis arma ulciſcendi. Sed & Liſola ab Auſtriacis miſſus citeriorem Pomeraniam oſtentabat, jactitans; „quamdiu Sveci in Pomerania hæ„reant, Germaniam nunquam incon„cuſſa pace fruituram. Nam Svecicam „nationem in arma proclivem pacem „ferre non poſſe: & Galliæ nunquam „libidinem deceſſuram Germanos la„ceſſendi, quamdiu à tergo immineat, „qui horum vires diſtrahere queat. „Quibus deſtinatis jam optatiſſimam „allubeſcere occaſionem, Sveco à tot „potentiſſimis hoſtibus circumdato, ſi „Poloni Auſtriacique Brandenburgico „juncti Pomeraniam invadant, eaque „diſtractione Dano anſam præbeant „cum Luneburgicis, & Weſtphalicis „Epiſcopis ſe ſociandi, quos omnes „Sveciæ viciniæ tædium jam dudum „ceperit. Ac in proclivi fore Pomera„niam Electori tradere, oppidorum „maligno proviſu, ac non paucis in res „novas pronis. Simul periculum ingerebatur à tot hoſtibus imminens, quibus reſiſtere nullo modo poſſit, ni à Svecis ſe disjunxerit. Ad eundem finem nitebatur Goſievius; qui & Electori inculcabat; perſvaderet Sveco, ut Boruſſia cedat, antequam Poloni Auſtriacis fœdere innectantur. Nam nunc protinus ea lege pace ipſos potiri cupere; poſt ſerum id fore. Huic conſilio ſi Sveeus aures obturet, Elector ſibi ipſe conſuleret, ne ſimul cum iſto in exitium trahatur. Aſperaverant quoque animum Electoris damna à tranſeunte Svecorum exercitu in ipſius provinciis velut de induſtria data, ut copiis ſuis alimenta ſubtraherentur. Sed & nonnihil ad rem faciebat, quod Neoburgicus Galliæ amicitiam occupaverat. Liſola iſte cum per menſes aliquot Regiomonte in arce immunis hoſpitatus eſſet, diſcedens aulicos, qui ipſi miniſtraverant, decem uncialium dono fœdat per ſordes proſecutus erat. In ſubſidium quoque vocabatur Electoris ſocrus Arauſionenſis vidua, quam multis blanditiis ac muneribus Legatus Hiſpanicus Hagæ demulcebat, ut ad Electorem Svecorum partibus dimovendum operam conferret. Quæ eam rem anxie trutinabat, inter alia concionatore ſuo Hornbeckio conſulto: qui id recte fieri poſſe affirmabat, ſi neceſſitas urgeat, & Elector prius à Rege deſeratur. His aliisque rationibus motus Elector Welaviæ cum Polonis tranſegit; ac nova amicitia tranſitu Electoris in Germaniam Brombergæ cum Rege Joanne Caſimiro confirmata fuit, pactis ſub nudo æthere utrinque jurejurando firmatis. Ingentis fortunæ inſtar habitum fuit, Electorem tunc Bromberga incolumem dimiſſum, quod à Polonis conſilia agitata dicerentur, ut manus ipſi injicerent, copiasque ejusdem opprimerent, niſi ſpem feciſſet, iſtas copias deinceps Polonorum uſibus inſerviturus. Iſto pacto cum Polonis inito rationis erat, Hungariæ quoque Regis, Danique fœdera amplecti. 1657

19. Sept. Welau.

§. 32. Manebat nihil ominus aliqua amicitiæ ſpecies, præſertim antequam pacta iſta Regi innoteſcerent; ac Rex per Wolfsbergium Electori metum adimere nitebatur, velut neutralitatem iſtius ægre ferret. Sane longe potius ſibi haberi Electorem neutri parti accedere, quam ipſius ditiones devaſtari. Ac ſatis experientia didiciſſe, ſe non ſemper Electoris auxilio frui poſſe: quin perſpi-

Amicitia inter Regem & Electorem paulatim diſſolvitur.

1657 perſpicere, haut expedire ipſius rebus bellum gerere, quamdiu gratioſi in præſens miniſtri, eidem conſilia ſua adprobent; per quos effectum ſit, ne Svecia idoneam ſibi pacem à Polonis Danisque obtinere potuerit. Qui & eo fidentius Regem ſpernebant, quod pecuniæ iſtum inopia premi noſſent; cujus ſi affatim fuiſſet, haut citra periculum fuerat eundem offendiſſe. Sed & per literas teſtabatur Rex non diſplicere ſibi ab hoſte obtentum neutrum ſtatum, nec ſe eo minus ad omnia amicitiæ officia continuanda paratum, ad paria eundem invitans. Aſt cum Regem frater moneret, profundius jam Electorem Polonorum partibus immerſum, id diſſimulare ipſum Rex jubebat, nec minus tamen accurate ſibi cavere, ne quid damni ex improviſo inferatur. 14. Oct. Ad eundem circa id tempus ab Electore miſſus veniebat Chriſtianus Albertus à Dona Comes ſciſcitatum, quibus legibus Regi pacem cum Polonis inire placeat, ac quid pro Boruſſia cedenda is ſibi depoſcat? Quam quæſtionem abſurde Rex proponi judicabat, cum adhuc in quæſtione eſſet, an ipſe utique aliud quid pro Boruſſia acceptare velit; nec decorum videretur Polonos aliquid poſcere, antequam noſſet, quid hi oblaturi ſint. Unde jubebatur Dux Adolfus Joannes ad iſta nihil certi declarare, ſed omnia ad tractatus pacis rejicere; tum & quod paci conciliandæ officium Elector offerebat declinare, ac in univerſum teſtari de Regis deſiderio pacem cum Polonis ineundi, ſiquidem ſerio ab his res agatur. Sed & deliniendo Electori Rex amice ad ipſum tam ſuper pace, quam inſtante Cæſarea electione ſcribebat, miſſo quoque Berolinum Slippenbachio; qui reverſus referebat; infeſta conſilia in aula iſta cudi, ac Brandenburgicos non niſi intolerandis Regi conditionibus auxilia ſua addicere velle, arguentes inſuper ab hoc ſe deſertos, eoque neceſſitatem ſibi allatam ſeparato tractatu res ſuas in tuto collocandi. 15. Nov. Et mox ab ipſo Electore literæ adferebantur, quibus exponebat, neceſſitate ſe compulſum cum Polonis tranſigere, quod ditiones ſuæ horum undique populationi eſſent expoſitæ. Quia vero iidem haut alia lege in tranſactionem deſcendere voluerint, quam ut portus Pillavienſis, & tranſitus per terras Boruſſicas juxta ac Pomeranicas copiis Svecicis occludatur, igitur Rex eum tranſitum ulterius petere, eove uti deſiſteret; præſertim cum ditiones ſuæ iis militum hinc inde itineribus miſere ſint evaſtatæ, velut qui nunquam ad modeſtiam legibus Imperii præſcriptam ſe compoſuerint. Idque ſperare Regem inevitabili neceſſitati tributurum. Inde multis memorat beneficia ſua, & auxilia Regi circa tuendas ipſius provincias exhibita; ſimul quanto ſtudio pacem tota præterita hieme ingeſſerit, quod hanc, quæ nunc eruperit, tempeſtatem eminus prævideret. Enimvero iſtam à Rege fiducia Ragozii & Coſaccorum repudiatam. Poſt cum Rex novos ob motus bellum Polonicum plane deſeruerit, ac ſe inconſulto toto cum exercitu in diverſa abierit, neceſſitate per periculum proprii Regni impoſita; nullum aliud remedium periclitantibus ſuis rebus ſuſtinendis ſuperfuiſſe, quam ut quovis modo cum Polonis in gratiam rediret; idque conſilium ab ipſo Rege ſibi ſuggeſtum. Diſtuliſſe tamen hoc, quoad intellexerit, Danum ita caute rem agere, ut ad prælium compelli nullo modo poſſet, ac ſenatum Sveciæ ita ſolicite ipſius in patriam reditum urgere, ut nulla ſpes ſuper ejusdem in Poloniam reverſione ſupereſſet. Præſertim cum poſt Cracoviam brevi recuperatam tota hoſtium turba in Boruſſiam properaret, ac Czarnecio Marchiam & Pomeraniam Goſievio Boruſſiam inundantibus, cives enixiſſimis precibus inſtarent, ne ipſe amplius Svecico fœderi inſiſteret, cujus nexu Rex ipſum ſuo diſceſſu exſolverit. Addebatur querela de Slippenbachio, qui propoſita permutatione Boruſſiæ Regalis cum Pomerania Ulteriore, & Minda eam ſibi perſuaſionem impreſſerit, Svecos ferre non poſſe à ſe ullam regionem poſſideri, quæ ſitus opportunitate ipſorum Regno blandiatur. Grave accidebat Regi culpam iſtorum ſibi impingi; quem & conceſſus Polonis tranſitus in provinciam Svecicam non parum aſperaverat, velut legibus Imperii & paci publicæ repugnans. Nam quod ſuis copiis ſemel atque iterum tranſitus ſit permiſſus, id factum adverſus extraneum, & ex jure per pacem Weſtphalicam quæſito, quod Polonis extra Imperium Romanum conſtitutis haut ſit indulgendum. Unde acriores repone-

1657. 6. Dec. reponebat literas in eum ſenſum: Quæ „abElectore ſibi præſtita ſint beneficia, „tanti non eſſe, ut exprobrari mereantur, quippe ex pacto debita, nec ſine „reprehenſione omittenda; ac ſe ſi non „majora, ſaltem paria exhibuiſſe. Quin „pro fructu, quem ex præſtatione mutui auxilii ſperaverit, maximam ſe jacturam ſenſiſſe, dum non contemnenda exercitus ſui pars ab Electoralibus deſtituta Tartarico ferro cæſa, „aut in ſervitium abſtracta ſit, contra „ab Electore multa ſuſpecta patrata. „Vix paucos per menſes pactum Regio monte anno ſuperiore concluſum „vim ſuam obtinere potuiſſe, cum interea tractatus ſuper ſociandis armis articulorum feudalium elucidatio proponeretur, ut hoc velut tentamine „abolitio nexus feudalis quæreretur, „ſuſpectis tunc non parum, quæ per Magdel. „Georgium Magdelium, & Goſievium „nomine Joannis Caſimiri apud ipſum „agitabantur. Poſt concluſum fœdus „unicum fuiſſe officium præſtitum „prælio Warſavienſi; poſt id prælium „ſe ita bellum adminiſtrare voluiſſe, ut „fructus victoriæ ſecure poſſet percipi. Sed viciſſe perſuaſiones Electoris, „ut in Boruſſiam ipſe regrederetur, ſpe „facta per equitatum Electoralem finis provinciæ tuendos, pedites oppugnandæ Weixelmundæ adhibendos; cum ſibi conſultius videretur ſedem belli in Podlachia, & circa Breſtiam conſtitui. Enimvero equitatum „à Tartaris vapulaſſe, pedites ad obſidium Weixelmundæ circumponendum nunquam miſſos. Poſt caſtigato „per Steenbockium Goſievio aliquot „turmas petitas ad coërcendum quoque Czarnecium. Sed Electorem ſemper excuſaſſe anni tempeſtatem, ac „imminentem finibus ſuis Goſievium; „qui cum clandeſtina commercia interceſſiſſe indicio fuerit, quod nec ſibi hoſtes inſectari cupienti auxilia „ſubmitterentur, nec ab altera parte „Electori iſti hoſtile quid inferret. Poſtulatum inde ſupremum Boruſſiæ „Imperium velut ex debito, ut priora „pacta novis ſemper deſideriis elide„rentur; quod demum à ſe indultum „cum perpetui fœderis vinculo. Nec „eo ſecius paulo poſt cum Warmienſi „Epiſcopo; & Goſievio negotiationem „ſuſceptam, ac armiſtitium concluſum „præter neceſſitatem, cum ipſe ſufficienti exercitu inſtructus præſto eſſet. „Secreta inde commercia cum hoſte „continuata, donec in præſentem ſtatum res devenerit. Ragozio adventante poſt multas ſolicitationes Electorem aliquid copiarum ſecum con„junxiſſe ſub Waldeccio Comite; cui „tamen injunctum non tam ipſum ſequi, quam Majoris Poloniæ hoſpitiis „frui. Eo tempore ſe conſultum duxiſſe, ut Waldeccius cum parte Svecicarum copiarum in Majore Polonia rem „gereret, inſigne, uti ſpes erat, operæ „pretium facturus; quo fine, ut copias „ſuas commodaret, Electorem rogatum. Sed per menſem reſponſum fruſtra expectatum. Mox cum de Auſtriacarum adventu copiarum ſpargeretur, ſe non niſi duodecim equitum centurias, mille dimachas ſubmitti poſtulaſſe, ut una cum Ragozio ſtatim hoſti occurrere poſſet. Sed „obtentu pacis cum Polonis procurandæ tempus extractum, oſtenſa etiam ad majorem temporis moram „colloquii ſpe, velut magni aliquid agitaretur, de quo ſua ſententia rogan„da ſit. Cui pollicito ipſe confiſus Ragozio & Coſaccis; domum alias diſcedere cupientibus, perſuaſiſſe, ut Warſaviam verſus deſcenderent, quibus „Steenbockium adjunxerit, quoad „certi quid de Electoris ſententia intelligeret. Sed loco expoſtulati auxilii „percepiſſe, inducias cum Goſievio in „mediam usque æſtatem productas, & „hoſtibus tranſitum Memelæ fluvii ultro permiſſum, cum absque eo à ſe ad „Breſtiam tunc rem gerenti facile hoſtes intercludi ac deleri potuerint. „Quin ſe, ſi Electori animus foret, pactis firmiter inſiſtere, in Polonia fuiſſe manſurum, belli Danici adminiſtratione in Wrangelium collata, quo „facto Ragozium in Poloniam retineri „potuiſſe. Sed cum affectatis effugiis, „& excuſationibus facile adpareret, Electori conjunctionem cum Ragozio „diſplicere, ac Goertzkius, qui cum „modica manu ad ſe in Boruſſiam deducendum venerat, oſtenderet, copias Electoris dividi non poſſe, ſimul „hic congreſſum ſuum declinaret; facile à ſe judicari potuiſſe, nil aliud præter moras quæri, ac ut ſibi auxilia negentur. Ea fluctuatione effectum, ut „Ragozius, dum in Polonia inferiori „diutius hæret, in tantam calamitatem „incideret, quam declinare in proclivi „fuerat, ſi prout initio conſtituerat, „ma-

1657. „mature ad ſua regreſſus foret. Unde „& ſibi id conſilii fuiſſe capiendum, ut „è tot hoſtibus in unum omnes vires „converteret; utut Elector Regium „exercitum in Polonia tantiſper reti„nere ſtuderet, quo lautiores à Polonis „conditiones ſibi ſtipularetur. Ante„quam tamen ipſe abierit, per Avau„gurium, & Slippenbachium Electori „obtuliſſe, velle ſe adhuc in Boruſſia „ſubſiſtere, ſi modo iſte prout ratio ſua„ſerit, ſecum in communem hoſtem „rem gerere velit. Sed cum nil certi „reſponſi referretur, id ſequendum „fuiſſe, quod præſentium rerum con„ditio exegerit. Id tamen copiarum „relictum, quod Boruſſiæ tuendæ ſuf„ficere queat, ſi Elector ſerio manum „negotio admovere voluiſſet. Poſt „ſuum è Boruſſia diſceſſum Electorem „à Duce Adolfo Joanne copiarum con„junctionem contra Goſievium petiiſ„ſe, qui & libenter annuerit: Sed mox „ſignificatum, iis opus non eſſe. Pe„tiiſſe poſt idem Ducem, ſed ab Electo„re negatum fuiſſe. Brombergæ ad ſe „acceſſiſſe ab Electore Dobrzenium, „qui ſignificarit, Electoris ſtatum per „nova Danorum & Auſtriacorum bella „eo redactum, ut abſque tractatu cum „hoſte ſubſiſtere nequeat, eoque roga„re, ut ipſe ſortem tam iniquam miſer„tus concedat, tractatus pace ſua cum „Polonis inſtitui. Cum fruſtra à ſe for„tia conſilia forent ingeſta, ſe demum „iſti ſummopere flagitanti & ſancte te„ſtanti, nil in fraudem Sveciæ actum „iri, ſignificaſſe; diſſimulaturum ſe, ſi „Elector ab aliis auxiliis plane deſtitu„tus urgente ſumma neceſſitate ad „tractatus deſcenderit, modo nihil „certi concluſerit. Poſt tamen ſe miſſo „Slippenbachio ultro indulſiſſe, ut e„tiam concludendo ſibi conſulere poſ„ſit Elector, modo ea concluſione nihil „committatur amicitiæ adverſum, & „quod veræ neutralitatis indolem ex„cedat. Ac Electorem pollicitum, ſe „tractatus cum Polonis & Auſtriacis „extracturum, quoad Rex bellum Da„nicum profligaſſet. Quæ cum ita „ſint, Electorem à ſe haut quaquam „deſertum, cum ſat copiarum præ„ſto fuerit, modo is defenſionem „ſui ſtrenue ſuſcipere voluiſſet, nec „ullam adhuc neceſſitatem eidem „incubuiſſe; ſed antequam aut hæc „appareret, aut ipſe auxilium po„ſceretur, Electorem cum communi„bus hoſtibus tranſegiſſe. Malle tamen 1657.
„culpam in pravos conſiliarios con„ferre. Addebatur hortatus, ut Electori „curæ ſit communis Proteſtantium „cauſa, utque leges amicitiæ & medii „ſtatus deinceps quoque ſerventur. „Paci ſe paratum, ſi rite à Polonis pro„cedatur. Nam præliminaribus non„dum abſolutis ſuper conditionibus a„gere præpoſterum eſſe. Inter iſtas querelas manebat tamen amicitiæ ſpecies, ac confirmabat Elector, in Regem nihil, quod ad ſummam rerum faciat, tentatum iri. Sed in præſens cum lupis ſibi ululandum, ac ſæpe de induſtria quædam ſpargi, ut uni & alteri ſatisfiat. Eo tamen anno in hoſtilia haut eruptum, niſi quod navem paratu bellico onuſtam, quæ Elbingam deſtinabatur, in Pillavia detentam Rex graviter quereretur.

§. 33. Cum igitur jam ad ſublevandos Polonos ſe accingerint Auſtriaci, Dani, Brandenburgicus, haut mirum erat ab iſtis pacem in præſens inſuper haberi. Ac ea præcipue ratio Auſtriacis fuerat ad fœdus cum Polonis ineundum, ut Sveci bello Polonico diſtracti plane attererentur. Quod cum Rex animadverteret, ac quod Poloni jam non amplius ſui juris, Auſtriacisque conſiliis plane obnoxii, omnem pacis viam reſpuerent, per Ragozium & Coſaccos ad incitas ipſos redigere laboraverat, ut non facile vires recipere poſſent, ipſe interim ad Sveciæ & Germanicarum provinciarum conſervationem intentus. Et ſane cupiebat Rex belli Polonici moleſtia exſolvi, quod qua ratione commode à ſe continuari poſſet haut perſpiciebat. Equidem Slippenbachius ingerebat, ut Rex cum Dano quacunque ratione decideret, ac Polonos Moſcosque in ordinem redigere ſtuderet. Sed Regi ſecus videbatur, quod Polonicum, Moſcicumque bellum Sveciæ longe majore cum moleſtia gereretur, quam Danicum; ac illo diutius extracto nihil aliud obtinebatur, quam ut incaſſum vires conſumerentur, ferocia earum nationum ne pluribus quidem præliis frangenda. Sed & exterus miles à Polonico bello jam vehementer abhorrebat. Aſt pace cum Polonis obtenta Moſcus quoque ceſſurus erat, cujus rationes non ferebant, cum Svecis ſimul ac Polonis bellum gerere. Pace autem cum utrisque obtenta in proclivi erat

Poloni pacem in præſens aſſequuntur.

Da-

1657. Danum ad conditiones Sveciæ proficuas compellere. Cæterum cum initia belli Danici egregie ſe darent, Regi opportunum nunc videbatur cum Polonis de pace agere. Eoque per Ducem Adolfum Joannem Avaugurio inſinuabat, ut negotium cum Polonis & Electore ad tractatus deduceret, excluſis Auſtriacis ac Dano; quam in rem rationes defuturæ non ſint, quod per Danicum bellum Poloni parum ſubleventur. Inter eosdem autem & Auſtriacos diſcordiæ ſemina ſpargi poſſe, ſi vetus Polonorum in eam Domum ſuſpicio refricetur, & quam turpes nupero fœdere leges ſubierint, perpetuum ipſis ſervitium parituras. Nec ſe difficilem fore circa idoneas conditiones indulgendas, ubi ad tractatus perventum fuerit. Ita tamen negotium hoc à Legato gerendum erat, velut mentio pacis ab ipſo, non autem à Rege proficiſceretur. Illas autem conditiones Rex propoſiturus erat, ut Elector acciperet Boruſſiam Regalem, data Regi viciſſim Ulteriore Pomerania, aut ſi id aſpernetur, Regi concederet loca ad Memelam, Schalavoniam, Tilſitam, Ragnitam, ac Mindenſem inſuper præſulatum. Poloni contra ſibi cederent totam Livoniam, Curlandiam, ac Samogitiam; Curlandiæ Duci pro ſua provincia Mindenſis ditio daretur. Ipſe porro Rex è Polonia diſcedens Commiſſario paci tractandæ cum idoneis mandatis relinquebat Benedictum Oxenſtiernam, & Slippenbachium, Boruſſia cedere certus, ſi aliunde ipſi ſatisfieret. Sed quo minus ea res effectum ſortiretur, malevolorum artibus effectum eſt, qui Polonorum animos plane obfirmaverant. Unde & hi Lumbrano ſuper pace cum Svecis proponenti tam inſolens reſponſum repoſuerant, ut is illud acceptare nollet, velut animos magis exacerbaturum. Cui tamen ſpes erat per Reginam moderatius reſponſum obtinendi. Poſt cum referretur, diſſenſionis quid Auſtriacos inter & Polonos ſurgere, ſpes naſcebatur, Polonos ad ſeparatos tractatus permoveri poſſe, excutiendo, quod ab Auſtriacis imminere videbatur, jugo. Qua occaſione utendum ratus Rex Slippenbachium, & Andream Gyldenclovium mandatis inſtruxit, ut prout res ſe dederint publicos aut ſecretos cum Polonis tractatus ſuſciperent. Sed cum Poloni ſententiam ſuam ſuper hoc tractatu declarare morarentur, & ante omnia Thorunium & Hauptum Sequeſtro deponi poſtularent ad liberandam Viſtulæ navigationem; Rex Akakiam Gallicum Secretarium ad Lumbranum mittebat, ut quid inde expectandum foret, cognoſceret, ſignificato, velle ſe Boruſſiam obtenta alibi ſatisfactione reſtituere, pacemque amplecti. Hic reverſus referebat, Reginam Poloniæ demonſtraſſe, Polonos in pacem prono, modo Auſtriaci, & alii ſocii ad tractatus ſimul admittantur. Nec eo ſecius innuebat, Polonos etiam absque Auſtriacis tranſigere velle, ſed cumprimis cupere Thorunium & Hauptum ſibi reſtitui, etſi reliqua Boruſſia certis legibus Svecis ſit relinquenda. Locus tractatibus deſignabatur Francofurtum ad Oderam. Rex hac declaratione accepta Akakiam in Poloniam remittebat, offerens ſe Legatos in Boruſſiam miſſurum, ac diplomata pro omnibus Polonorum fœderatis ad eos tractatus daturum, ut tamen iſtis duntaxat adſiſtant, non autem velut primariæ partes tractent: eoque in formula diplomatum vocabulum duntaxat *veniendi & commorandi* ponebatur, non autem *tractandi*. Tum ut ſolus Gallus ſequeſtris officium obiret. Communes autem tractatus ibi aut alibi inſtituere Regi haut placebat. Equidem judicaverat Akakia, maximam fore difficultatem, quod Auſtriaci iſtis ſe tractatibus ingerere, ac Poloni pacem à Rege cum omnibus ipſorum fœderatis iniri vellent. Sed quia Auſtriaci haut aliud deſiderabant, quam ut paci includerentur, Rex declarabat; facile ſe ferre poſſe, ut Polonorum adverſus ſe fœderatis integrum ſit tractatibus intereſſe intuitu ſolius belli Polonici, eoque nomine diplomata acquipiant; ſed non velut primarii paciſcentes, aut quibus facultas ſit princeps negotium proponendi, & cum ipſo diſceptandi, ſed duntaxat in Polonico negotio *aſſiſtentes*, non *intervenientes*, (quod Poloni velint,) habeantur. Tum ut de modo incluſionis intuitu belli duntaxat Polonici agatur, non autem de ulla lite, quæ alias iſtis ſecum intercedere queat. Tractatus quoque alibi quam in Boruſſia ſuſcipi nolebat. Ideo autem Rex ad *generales* tractatus deſcendere nolebat, quod Polonis per fœdus cum ſociis initum animus eſſet ipſum ad iniquas pa-

Akakia.

12. Nov.

Schalavonien. Tilſit. Ragnit.

Aug.

Gyldenclo.

1657. cis leges compellere, ac per communem inter ſe guarantiam ſeu evictionem ubique eundem conſtringere. Igitur Regi contra opera dabatur, ut nondum iſtum Gordium ſolveret, quoad impenſas belli ſolvendas adigi poſſet, qui extra pacem maneret. Sed & bellum Danicum ex longe diverſo fonte, quam Polonicum promanarat, eoque & alia ratione ea lis diſceptanda erat. Cæterum usque adeo non adhorrebat Rex Auſtriacos illis tractatibus intereſſe, ut potius judicaret, nullius opera facilius quam Auſtriacorum potiri ſe Boruſſia poſſe. Intellexerat quippe Rex ex Akakia, Polonos & Auſtriacos ſibi invicem diffidere, ac illos ſolitas horum artes ſentire, ac metuere; quo fine & Auſtriacos ſibi Moſcum Coſaccosque adjunctum ire, ut ſi forte Poloni in transverſum abeant, horum opera ad ſubigendam Poloniam uti queant. Sed & ſi Poloni pacem averſarentur, Auſtriacorum opera facillimum erat Regi pacem cum Moſco obtinere. Unde Slippenbachius jubebatur operam navare amicitiæ inter ipſum & Auſtriacos combinandæ, quod hiſce conciliatis, & amoto Moſco, Polonis Danisque ſat negotii daturus eſſet. Ac de cætero ipſi nil controverſiæ cum Auſtriacis intercedebat, modo ipſum laceſſere omitterent. Nam nec partem aliquam eorundem ditionis deſiderabat, multo minus in Germania quid terrarum amplius adquirere, ut bellum ibi gerere havebat, quod Germanicum bellum nil præter inanem defatigationem daturum ipſi eſſet; ac ne vicus quidem partis in Germania Svecorum ditionibus adjici poſſet, quin maxima inde invidia, ac ſuſpicio ſurrectura foret: cum quæ aliis vicinis eriperentur, tueri non adeo arduum videretur. Sed nec Rex prohibiturus erat, quo minus Auſtriaci pro lubitu bellum in alios gererent, modo pacis Weſtphalicæ limites ne migrarent.

Regis circa pacem Polonicam conſiderationes.

§. 34. Cæterum Rex negotio iſthoc probe perpenſo judicabat, ſub reſponſo ex aula Polonica allato, in ſpeciem haut abſurdo, anguem in herba latitare, quod omnes malignitatem ſuam ſub vocabulo pacis *generalis* occultatum irent. Equidem Regina Poloniæ videbatur ipſi occulto adrepere velle, ac candoris quid præ ſe ferre. Sed quia ſolenne iſti fœminæ artificium erat aliis fucum facere, modicæ fidei ejusdem verba æſtimabantur. Ac ſatis patebat, iis ſe difficultatibus implicuiſſe Polonos, quibus extricare ſe haut norint, ac utique ab Auſtriacorum libidine iisdem eſſe pendendum; quorum laqueis etſi iſti per aſtutiam ſeſe exſolvere laborent, ita arcte tamen ab hiſce ſtringi, ut incaſſum circa nodos illos moliendos deſudare videantur: Nam & ſacerdotem Græcum ad Coſaccos miſerant Auſtriaci, ut iſtos in partes ſuas pertraherent. Tum & Moſcos omni modo ſibi conciliare ſtudebant, eosdem in poſſeſſione Lithuaniæ tuituri. Ac ipſi Poloni metuebant, ne forte Auſtriaci cum Rege quoque in fraudem Poloniæ quid agitarent. Cum ergo Poloni indies plus inſolentiæ erga Svecos oſtenderent, ac Rex metueret, ne reſtituta licet à ſe Boruſſia in Auſtriacorum manus conſignaretur; ſimul haut dubitaret, rem aliquando Auſtriacos inter & Polonos ad manus venturam, quo caſu Polonos facile ſuccubituros, urgentibus inſuper Moſcis, Coſaccisque: igitur rebus ſuis in præſens maxime proficuum judicabat, ſi Auſtriacos amicitia amplecti poſſet, hique pacem cum Moſco, ac Boruſſiam ipſi procurare vellent. Præſertim cum nec ab Anglis ſolidi quid expectare poſſet: & Galli tunc de ſola Flandria viderentur ſoliciti, cæterarum rerum levi cura, qui & per dubitationes extracto tempore in eas difficultates prolabi Sveciam paſſi erant, ut ne ſi vellent quidem, iſtis deinceps amovendis ſuffecturi eſſent. Sed & Regina Poloniæ haut credebatur Svecos magnopere Boruſſia expelli cupere, quod recrudeſcente cum Moſcis bello, ac gliſcente cum Auſtriacis diſſidio vires Poloniæ haut pertingerent utrisque repellendis, ac metuendum eſſet, ne Boruſſia demum in Auſtriacorum manus incideret; id quod Poloniæ gravius futurum erat, quam ſi eadem penes Svecos maneret.

Inânis circa pacem Polonicam opera.

§. 35. Inter iſtas partium in diverſa tendentes machinationes pacis ſpes indies minuebat. Equidem Elector Brandenburgicus ad Regem ſcribebat, ſe Brombergæ, dum è Boruſſia in Marchiam tendit, Joannem Caſimirum ac Polonos reperiſſe pacis percupidos; ſed ad quam propter alia fœdera quibus impliciti ſint, deſcendere nequeant, niſi his legibus, ut omnes ipſorum fœderati ad hos tractatus invitentur, ac

12. *Nov.*

1657. ac cum illis ſimul tractetur, Moſcoque ſignificetur, tractatus *univerſales* eſſe inſtituendos: ut Rex nullam Boruſſiæ partem in ſatisfactionem poſtulet; ut iisdem quibus antea Sequeſtribus tractetur: denique Thorunium & Hauptum inter colloquia de pace in manus tertii deponantur, hiſce ſine fructu abruptis in priorem ſtatum reponenda. Sed cum ipſe difficultates oſtendiſſet, quæ has conditiones comitarentur, tandem circa poſteriores remittere viſos fuiſſe, ſed prioribus utique inſtitiſſe. Enimvero iſtas conditiones Rex neque volebat, neque poterat admittere, velut exiſtimationem ac ſecuritatem ſuam lædentes; quas à Liſola ſubjectas judicabat remorandis tractatibus, & ad Poloniam Auſtriacorum deſtinatis illigandam. 6. *Nov.* Unde Electori à Rege reſponſum; *è Polonorum declaratione ſerium in pacem ſtudium haut poſſe perſpici, velut qui ante expedita præliminaria varias conditiones ferant; id quod præpoſterum ſit, & ſuperbum. Abſolverent modo previam conventionem, ac idoneæ procuratoria expedirent. Ubi ad tractatus acceſſum fuerit, ſeſe æquitatem ſuam illis ſatis adprobaturum; nec ullam conditionem tam duram fore, quæ ſuperari non poſſit.* Galli contra Poloniæ Reginam ad ſeparatam cum Svecis pacem hortabantur, quod illa æquis jam conditionibus obtineri poſſet, ac ne forte Danus eam occuparet. Sed Joannes Caſimirus abnuebat; æterno & incomparabili beneficio Daniæ ſe, Remque publicam Poloniæ devinctam jactans, nec unquam ad tam fidum ſocium deſtituendum compulſum iri; nec ab eo ſe deſertum iri crediturum: Ac ſuſpectam reddiderant Gallorum negotiationem Auſtriaci, velut ideo bellum in Polonia componere niterentur, ut Svecum Auſtriacis provinciis immitterent. 22. *Dec.* Qui tamen ideo apud Polonos rem urgere non omittebant; ac reverſus è Polonia Akakia referebat; Reginam & multos in aula anxie expectaſſe Caroli Guſtavi ſuper pace ſententiam cognoſcere: ſed mox à ſe propoſita Auſtriacis, Danicis, ac Brandenburgicis Miniſtris communicata. Demum Trebitzcium Vice-Cancellarium, & Leſſinium Theſaurarium à Lumbrano poſtulaſſe, ut ſententiam Regis ſuper admiſſione Poloniæ fœderatorum ad tractatus planius declaret, quod exhibita ſalvorum conductuum formula ſcrupulum injiciat, velut quæ de Legatorum à fœderatis mittendorum acceſſu duntaxat, commoratione, & diſceſſu exprimat, non facta mentione tractationis cum iſtis pariter inſtituendæ: cum tamen Poloni ſemper declararint, absque ſociis ſe ad negotiationem deſcendere non poſſe. Simul ſcire cupiebant, num à Rege Belgarum Legati admittendi forent. Alias oſtendebant, modo fœderatis ipſorum ad tractatus accedere integrum ſit, ſe ob eorundem emolumenta concluſionem negotii haut declinaturos. Sed antequam non conſtet, à Rege ſerio rem agi, ſocios à ſe deſtitui non poſſe, ſimul optabant à Rege in univerſum declarari, ſe non cum Polonis ſolum, ſed & cum horum ſociis agere velle, quo anſa ipſis præbeatur citra Auſtriacorum offenſam ad tractatus cum Svecis accedendi, ſimul absque periculo ab iſtorum ſe rationibus disjungendi. Unde placebat Regi formulam diplomatum ita temperare; *quod Polonia confœderatis, eorumque Miniſtris ſeu ablegatis & Commiſſariis ad locum tractatus accedere, ibique tractare volentibus non ſolum liber pateat aditus, ſed etiam tuto ibi commorari, ac pro lubitu diſcedere queant.* Quo ipſoſpem faciebat Rex tractatus cum ipſis ſuſcipiendi, ut tamen non preſſe ad id obſtringeretur. Tum & Legatis Svecicis pro re nata integrum fore interpretari, quousque cum Poloniæ fœderatis ad tractatus deſcendere velint, nempe quatenus peculiares circa bellum Polonicum rationes habeant, non ſi ex alio fonte controverſiæ quid cum Svecia intercedat. Quo nomine Hungariæ Regem excludi non poſſe, ſecus quam Danum, qui haut quidquam obtentu belli Polonici Sveciæ bellum indixit. Belgas ſequeſtres Rex admittebat. Titulum ſibi utique idem depoſcebat, qualem Joannes Caſimirus jam ſemel per Legatos ſuos declaraverat, nec per eum præjudicii quid adferri ſibi paſſurus erat: ac ſi circa eundem difficultatis quid Poloni moverent, inde judicaturus erat, hiſce tricis eosdem negotium protractum ire. Eam declarationem Rex per Akakiam in Aulam Polonicam perferri curabat; ad quam nihil reſponſum; ſed potius nodi in ſcirpo quærebantur, ut duriora Sveciæ, ſibi

1657. opportuna magis tempora aucuparentur.

Cum Gedanenſibus acta.

§. 36. Inter hæc Gedanenſes & ante Regis è Polonia diceſſum, & poſt variis excurſionibus vicina loca perſultare, ac Svecos inquietare, aliquando prædæ nonnihil & captivorum in urbem referentes, aliquando non ſuperfunctorie vapulantes. Menſe Majo iidem valida cum manu erupere, Hauptum ſi poſſent ſubito oppreſſuri, & pontem juxta ſitum ſubverſuri, immiſſis cymbis igniario inſtrumento refertis. Sed cum ea deſtinata fruſtra fuiſſent, caſtellum in aggere poſitum, quod centum Svecici pedites tuebantur, invaſere, à quibus non ſine damno repulſi ſunt; ac cum Svecicas copias contrahi animadverterent, noctu in urbem faceſſiverunt. Aliquantum poſt iidem urbe progreſſi ad Stibeloam conſedere, infeſtandis Svecorum apud Dirſchaviam caſtris. Quos contractis copiis Dux Adolfus Joannes invaſit, ac poſt acrem pugnam profligavit, ſeptem machinis & quinque ſignis ereptis, trecentis quinquaginta cæſis. Qua clade non parum iſtorum ferocia refrixit, ut eo quidem anno nihil amplius tentarent, præſertim poſtquam Belgicus miles in ea urbe antehac relictus nunc in patriam revocatus eſſet. Ac conceperant iſti aliquam offenſam in Polonos, quod actione in Lauenburgum & Bytoviam cecidiſſent. Unde Rex jubebat occaſioni imminere, ſi forte iſti ſeparatos ad tractatus adduci poſſent. Et cum oſtendiſſent, ſe ſuper ceſſione Haupti caſtelli acturos, Dux Adolfus Joannes Guſtavum Sparrium, & Danielem Wiederum delegabat, qui iſtorum petita cognoſcerent, ſimul tentarent, num ad amplectendam neutralitatem permoveri poſſent. Sed quicquid rationum occineretur, ſurda aure transmiſſum, quod à Svecis per Auſtriaca ac Danica jam arma diſtractis parum ſibi periculi imminere judicarent.

14. *Maji.*

25. *Aug.*

Wieder.

Auſtriacorum in Svecos apud Moſcos Polonosque machinationes.

§ 37. Auſtriaci porro hactenus occultas per artes negotium Svecis faceſſere, aliosque hoſtes excitare ſategerant. Inprimis Moſcum ab iisdem in Sveciam irritatum ſupra memoravimus, cui novos, quos ille affectabat, titulos facile annuerat Cæſar, velut ſi audi ſibi non futuros; quos cum Carolus Guſtavus pari facilitate tribuere non poſſet, non poſtrema inde Moſco in arma erumpendi anſa arripiebatur. Cujus & Legati huic multis ingerebant periculum, quod ipſum è ſucceſſu Svecicorum armorum maneret, nec minus eidem illudebant tractatu Vilnenſi, oblata Polonica Corona, quæ eodem tempore & ipſis Auſtriacis, & Ragozio venditabatur. Sed mox cum Polonorum ludibria Moſcis pellucerent, pudor & indignatio, tum infauſti armorum adverſus Svecos ſucceſſus eorum animos aſperaverant. Fama quippe, quod Carolus Joſephus Cæſaris filius Poloniæ Rex deſignatus foret, ad Czaris quoque aures manaverat, Polonis id incaſſum inficiantibus. Nec omittebat Carolus Guſtavus Moſcis inſinuare; „ non eſſe „quod Czar ejusque filius ſpem ſibi „concipiat, unquam ſe Poloniæ diade„mate potiturum. Domum quippe Au„ſtriacam, à ſeculo jam & amplius „multo labore, magnis ſumtibus, va„riasque per artes eam Coronam am„biiſſe, ut juncta ſub uno capite Regna „Poloniæ, Hungariæ, & Bohemiæ „Monarchiæ ſuæ fundamentum con„ſtituerent. Quorum & deſtinatis „aliqui è Poloniæ proceribus velifica„ti ſint, titulis honorum per Auſtriacos „collatis ineſcati, ac ſpe vicarii regi„minis ſub Auſtriaco Rege; etſi plera„que Nobilium pars libertatis ſuæ te„naciſſima hactenus iis conſiliis oblu„ctata ſit. Nec eo minus continua „Coſaccorum bella, Moſcico & Svecico ſociata, eos demum quantumvis „invitos compuliſſe, ut in ſinum ejus „Domus confugerent, velut vicinam „& præſidiariam potentiam contra „tot hoſtes. Quæ & calamitatibus „ejus Regni in ſuum commodum cal„lide uſa ſit, dum jam ſub initium bel„li Svecici, & cum Joannes Caſimirus „in Sileſiam profugiſſet, occultis in„ternuntiis apud Palatinatus, & Quar„tianam militiam ſucceſſionem in Re„gnum Poloniæ poſt fata iſtius affe„ctarit, ſimul Pontifice Romano para„rio apud Epiſcopos & Clerum Polo„niæ ſua vota promoverit, hac cum„primis ratione adhibita, quod ſeu „Svecus ſeu Moſcus Polonia potiatur, „neuter Romanos ritus illibatos ſit „ſervaturus, ſed ſacra ſua utique in„truſurus; eoque duobus validiſſimis „vicinis potentiam Auſtriacam velut „præſidium Romanorum rituum oppo-

ponen-

Digitized by Google

1657. „ponendam. Unde Joannem Caſi-
„mirum de conſilio Senatorum Cæſa-
Sept. „ri cupitam ſucceſſionem obtuliſſe, ac
1655. „ſpopondiſſe, in eam rem acceſſura
„totius Reipublicæ ſuffragia, modo
„Cæſar ruentes nunc Poloniæ res ſu-
„ſtentare velit. Iſthunc autem, cum
„ſtatim in arma erumpere haut place-
„ret, interim conciliandis, ac deme-
„rendis Polonis ſequeſtrem ſe propo-
„ſuiſſe, componendo bello cum Mo-
„ſcis juxta ac Svecis, quo velut è pro-
„pinquo ſuum negotium eo commo-
„dius agere, ac emergentes occaſiones
„promtius occupare poſſet. Qui & Po-
„lonis autor fuerit, ut Czarem ineſca-
„rent ſpe Coronæ Polonicæ poſt fata
„Joannis Caſimiri, non quidem ea
„mente, ut iſta ille unquam potiretur,
„ſed ut hac ſpe lactatus Svecorum ar-
„ma diſtraheret. Enimvero cum jam
„Moſcos in Livoniam irrupiſſet, Joan-
„nem Caſimirum, ac Reipublicæ no-
„mine ſenatores, ac præcipuorum
„Palatinatuum in Majore & Minore
„Polonia Nobiles ſolenni Legatione
„Cæſari Coronam Polonicam obtu-
„liſſe; quam quidem publice in ſpe-
„ciem Cæſar recuſarit, privatim ve-
„ro, præſentibus tantum in concla-
„vi ſuo Rege Hungariæ, Archiduce
„Leopoldo Wilhelmo, Principe Aur-
„ſpergio, & Legato Hiſpanico una
„cum Legatis Polonicis eandem pro
„filio ſuo minore natu Carolo Joſe-
„pho acceptaſſe, certis ſuper eo ne-
„gotio pactis initis. Nec eo minus
„autoribus Cæſareis inter Vilnenſes
„tractatus Czari eam Coronam oſten-
„tatam; utut Joannes Caſimirus Ge-
„dani Legatis Gallicis dixerit, Com-
„miſſarios Polonicos eo facto manda-
„ti limites exceſſiſſe. Ipſos porro
„Polonos nuper Gedani ſperaſſe, ſe
„cum Carolo Guſtavo deciſuros ob-
„lata formula ceſſionis tam in Sve-
„ciam, quam Livoniam, ac inde pa-
„ce cum hoc facta eundem Moſcos
„immittere, communi in eum fœdere
„inito. Interim quoad deſtinata ſua
„perfecerint, Czarem per inania de-
„mulcere, decreviſſe, quo eum bello
„Svecico implicitum diſtinerent. Ad
„ſatisfaciendum autem Auſtriacis eam
„viam aptiſſimam judicari, ſi Ponti-
„fex Romanus authoritate & fide ſua
„apud Cæſarem interpoſita caveat cir-
„ca certitudinem ſucceſſionis Auſtria-
„cæ intentata pœna dirarum & quod
„decretum Comitiale pro Moſcorum 1657.
„pace Auſtriacorum juri neutiquam
„fraudi ſit futurum. Quo Pontifi-
„cis ſponſione ſi Auſtriaci contenti
„ſint, Polonos putare, ſibi cum
„Czare ſuper Corona agere, & ni-
„hilo ſecius poſt decretum velut in
„caſu neceſſitatis factum indulgen-
„tia Pontificis reſcindere fas eſſe. Au-
„ſtriacos denique jam diu Moſcis
„apud Turcas & Tartaros odia & tu-
„ma ſtruere, quo jam eminus Cza-
„ri obſtacula parent, ut ne is Polo-
„nicam aliquando Coronam invade-
„re queat, contra ſibi hoc modo
„via ad eandem arripiendam munia-
„tur.

§. 38. Per iſta igitur uti Moſco- *Auſtriaci bello ſe Polonico ingerunt.*
rum arma in Svecos flacceſcere inci-
piebant; ita viciſſim alii hoſtes ad-
verſus hos acrius inſurgebant. Ac
inprimis Cæſar, quod hactenus anxie
trutinaverat, jam aperte in Polono-
rum partes deſcendit, poſtquam Ra-
gozium quoque Poloniam irrupiſſe
intelligeret. Hoc enim, Coſaccis-
que Sveco junctis Polonos demum
utique ſuccubituros arbitrabatur. Ab
eo conſilio ut Cæſarem diverteret,
Rex per Miniſtrum ſuum Viennæ
quantum poterat laborabat, cui inter
alia injunctum fuit demonſtrare; cre-
bras inter Cæſarem & Joannem Ca-
ſimirum miſſitationes non poſſe non
ſibi ſcrupulum injicere, præſertim
cum norit, quid in ſui fraudem in
Aula Cæſarea quæratur. Inde quip-
pe ſecutum, ut Joannes Caſimirus
primo Gedanum adventu nonnullam
pacis cupidinem oſtenderit; ſed mox
cum à ſe propoſita plena æquitatis
forent, iſtius poſtulata indignitati-
bus ſcatuiſſe, ſic ut totum negotium
inde abruptum fuerit. Tum & Liſo-
lam, qui aliquandiu aulam ſuam co-
mitatus fuerat, ſe inſalutato diſceſſiſ-
ſe. Sed & præſentem Leſſinii Vien-
nam Legationem absque dubio in
fraudem Sveciæ ſuſceptam. Spera-
re tamen, Cæſarem ad infeſta conſi-
lia haut permotum iri, & quæ de auxi-
liis ex Auſtria ſubmittendis ſpargantur,
inanem à Polonis confictum rumo-
rem eſſe. Fœdus cum Ragozio & Coſac-
cis eum duntaxat finem ſpectare, ut
Polonis pax extorqueatur; ſibique
omni modo curæ foræ, ut pax Ger-
manica ſarta tectaque perſiſtat. Ad iſta
ſi nihil reſponſi daretur, proteſtatio-
nem

1657. nem Kleyus interponere jubebatur; Regi haut imputanda, quæ Cæsareis è destinatis mala proventura sint. Viennæ contra quid animo Cæsarei agitarent, apud Kleyum dissimulabant. Lisolam proprio instinctu tam propere discessisse, quod metueret, ne interposita mora functione vacante excideret, ad quam in aula adspiraverit. Quanquam autem inter hæc mors Ferdinandum III. rebus humanis eximeret; haut eo secius decretum ipso vivo bellum per filium Leopoldum Hungariæ Regem effectui dari placuit, instante vehementer Lessinio Poloniæ Thesaurario, qui Coronam Polonicam secum Viennam attulerat, ibi tantisper deponendam in cautionem promissorum à Polonis Cæsari factorum. Et qui Legationem illam comitabantur, de auxiliis istis velut re jam transacta loquebantur. Simul qui in Poloniam ad Ragozium missus erat Cancellarius Hungariæ, quo ab ea expeditione istum revocaret, quoscunque in itinere offenderat, ad fidem in Joannem Casimirum incitarat, certa spe auxilii à Cæsare facta. Sed & Viennæ tunc à Rege Daniæ missus agebat Seestedius, qui decem per septimanas personam dissimulaverat, Juliacensem se Baronem *de Hasselt* professus; cujus negotiationis nemo conscius erat præter Aurspergium, Comitem Oetinganum, & Sinzendorfium; ac Polonicus Legatus jurejurando se obstringere cogebatur ad id secretum silentio premendum. Idem tamen paulatim larvam deponere cœperat, cum propediem in arma erumpendum esset. Ac jam Austriacæ copiæ per superiorem Silesiam contrahebantur, ut fama erat in Poloniam ituræ non adversus Regem Sveciæ, aut Electorem Brandenburgicum, sed contra Ragozium; quæ septendecim bellatorum millia explere jactabantur. Quæ tamen antequam in Poloniam moverent, reditus cursoris in Hispaniam missi expectabatur, quod Ferdinandus jam moribundus inter extrema jusserat absque consensu Hispanorum nihil suscipere. In Daniam mittebatur Baro *de Goës*, ut super tempore, quo in arma erumpendum foret, conveniret; quod distrahendo Sveco expedire videretur; si pariter hinc Austriaci, inde Dani ingruerent. Evocabantur etiam Viennam Hungariæ Ordines, ut ad bellum Ragozio inferendum permoverentur. Cujus valde cupidos sese ostendebant Clerici; sed Magnates, ac reliqua Nobilitas, nec non civitates liberæ refragabantur, Ragozium fautorem sibi, ac fulcrum libertatis ipsorum, fidumque nationis Hungaricæ amicum prædicantes. Cum post de ingresso in Poloniam Austriaco exercitu Kleyus quereretur, Ferdinandus Curtius Comes respondebat; „sibi quoque dolere, „Hungariæ Regem Polonicis turbis „implicari; quod declinare non potuerit; præsertim cum Ferdinandus „Cæsar Polonis jam in eam rem fidem dederit, & quia tam multis periculosis sibi confœderationibus cingatur, præter Svecos, Moscо, Cosacis, Tartaris, Ragozio vicinam Poloniam persultantibus, ipso quoque „Turca in partes solicitato. Ac postpositis de pace cogitationibus nil nisi „servitium Poloniæ quæri. Insuper „tot inter exterarum nationum confusiones, infestasque multorum machinationes Austriacis finibus haut „satis cautum, Ragozii armis jam intra „viscera sua penetraturis, ni obviam „eundo ista antevertissent. Sed nec „prægraves copias diutius in suis provinciis alere potuisse; ac consultius „duxisse, in alieno quam suo belli sedem figere. Neque vero lucrum aliquod à se captari, sed id unice quæri, „ut par in Polonia acceleretur, & exterorum arma eo facilius ab Imperio „Romano avertantur; prout & ipsi pacem cum Rege Sveciæ in Germania abrupturi non sint: quam ut „idem Poloniæ quoque indulgere velit Rex in votis sibi esse. Paulo post Viennæ Gubernator Trautsonius Comes Kleyo ad se evocato denuntiabat: haut congruere ipsum amplius in aula versari, postquam Rex Hungariæ ad auxilia Polonis ferenda compulsus sit, ac domitionem ipsi parandam. Indulgebantur tamen dies aliquot ad res suas componendas. Cum expendiendæ pecuniæ aliquot septimanæ elapsæ essent, idem Gubernator diploma tuti itineris in hospitium ipsius mittebat, faustum iter adprecatus, molle monitum maturandi discessus. Qui tamen ad mensem usque Decembrem Viennæ morabatur, quoad dissoluto ære alieno discederet.

1657.

23. *Mart.* — *Curtz.* — *Seested.* — *Aursperg. Oetingen. Sinzendorf.* — 30. *Jul.* *Trautson.* — 19. *Aug.*

Causæ motorum ab Austriacis in Poloniam armorum.

§. 39. Istas porro causas susceptæ in Poloniam expeditionis Austriaci edito

1657. edito ſcripto vulgabant. „Quare „durantibus adhuc induciis arma Po„loniæ à Svecis illata ſint, inter alia „cauſam fuiſſe adductam Cracovii in „Pomeraniam, & Boothii in Livo„niam irruptiones à Polonis haut „prohibitas; cum tamen quicquid „ejus facti fuerit; per incluſionem „Poloniæ in pacem Weſtphalicam „abolitum fuerit. Ad reſtinguen„dum in vicinia ſurgens incendium „Cæſarem miſſo Legato ſequeſtrem „ſe obtuliſſe, adjuncta Moguntini, „& Saxonis Electorum in eam rem „opera. Eam à Polonis acceptatam, „à Svecis repudiatam, poſtquam Le„gatus quatuor per menſes non ſine „ludibrio detentus fuerit, adducta „hac ratione, quod cum antea Sve„cis Polonisque placuerit tractatus „citra ſequeſtrium operam ſuſcipere „ſi nunc Cæſaris officium admitta„tur, alios quoque prius adhibitos „advocandos non ſine magna nego„tii remora. Ita bellum magna cum „atrocitate continuatum, & aliquo„ties per excurſores Svecicos intra „Sileſiæ limites non parum damni „datum; quam ob cauſam tuendis „finibus magnas copias à Cæſare „fuiſſe parandas. Intellectum dein„de Cæſari, eam Regi mentem fuiſ„ſe, ut bello Polonico finito arma in „ditiones Cæſaris transferret, quem „in finem Gallos pecuniam ac mili„tem promiſiſſe. Ragozium inde, „nequidquam dehortante Cæſare, „Poloniam ingreſſum belli flammas „Regno Hungariæ propius admo„viſſe. Ita omni ex parte pericu„lum finibus ipſius propius advo„lutum; ac metum fuiſſe, ne & „Turca tandem huic negotio impli„citus in Hungariam incitaretur. Gal„licos inſuper Miniſtros, qui circa „pacem inter Svecos Polonosque „conflandam ſatagant, non obſcure „ſignificaſſe; ei paci Cæſarem, ejus„que ditiones hæreditarias haut in„cludendas. Unde non potuiſſe ſe „Polonorum repetitis precibus au„rem non præbere, ac viam diſpice„re, per quam ſalva pace Germanica „Poloniæ auxilium ferri, longiusque „ſubinde ſerpens flamma extingui „queat, Svecis ad amplectendam pa„cem compulſis. Nec aliud præſen„tius remedium viſum anteverten„dis malis, quæ oppreſſa ac lacerata „Polonia productura erat. Alias ſi„bi haut propoſitum Svecis terra„rum quid eripere, aut è Polonia „ſibi quid decerpere; ſed omnes co„natus ſuos in eo verti, ut Polonia „imminenti exitio eripiatur, ſimul „ingruens Germaniæ periculum a„vertatur. Cæterum conſtabat, cum apud Cæſarem ſuper hoc negotio conſultaretur, Aurſpergium Princi„pem cenſuiſſe; ſummam neceſſita„tem ſuadere, ut auxilia iſta in Polo„niam expediantur ad progreſſus Ca„roli Guſtavi, & Ragozii ſiſtendos; quorum illius vaſta conſilia, hujus turbulentæ machinationes ſatis no„tæ ſint: ac par Auſtriæ periculum imminere, Svecus an Ragozius Po„lonia potiatur, quod & hic veteres in Domum Auſtriacam conatus ſit repetiturus. Tolli quoque hoc mo„do Turcæ prætextum Tranſſylvaniam invadendi, pacemque Hungariæ tur„bandi; ex quo fonte & Germania quiete ſua, qua poſt tot exhauſta mala quam maxime opus habeat, evolven„da ſit. Quibus rationibus Ferdinandum permoverat, ut triduo, antequam fa„to concederet, pactum demittendis in Poloniam auxiliis ſubſcriberet.

1657.

§. 40. Ita Auſtriacus exercitus Melchioris Hazfeldii, & Raimundi Montecuculi ductu Poloniæ fines ingreſſus eſt. Præmittebatur valida cum manu Sporckius, qui Viſtulam ſupra Cracoviam vado ſuperans ad ſalis fodinas, inde propius Caſimiriam ſuburbium ſubiit. Ad hunc Wirtzius Fabianum Ferſenium mittebat, cauſam adventus quæſiturum. Is negabat ſibi cum Svecis quid hoſtilitatis, ſed cum Ragozio eſſe. Auditum ſibi, Cracoviam à Svecis Ragozio traditam, atque hunc multis cum Coſaccorum millibus in Sileſiam & Bohemiam irrupturum; eoque ſatius viſum iſti longius occurrere. Idem cum aliquot per dies ad Wilitzam conſtiſſet, eis Viſtulam regreſſus eſt, quoad univerſus Auſtriacorum exercitus accederet, omnesque aditus ad urbem intercluderet, ne quid ſuppetiarum inferri poſſet. Quanquam & harum nullibi copia erat, Rege jam in Holſatiam penetrante, & Ragozio fœda clade fracto: qui inter alia pactus erat, ut miles à ſe Cracoviæ impoſitus ad fines Hungariæ deduceretur. Qua re intelle-

Auſtriaci Cracoviam recuperant.

Sporck.

1657. ſta Wirtzius, ne iſte fortem hoſtem ſimul in urbem admitteret, eundem non ſine dexteritate ex arce Cracovienſi dimoverat, & in ſuburbium Caſimirianum diſpoſuerat, Svecis eorum vice in arcem immiſſis. Iſtis cum mox promiſſa itineris ſecu-
4. *Aug.* ritate ad Hungariæ fines abeundum foret, Poloni tamen ferociæ ſuæ imperare haut poterant, quo minus egreſſos male haberent eſſe exſpoliarent, non paucis quoque trucidatis. Aſt Wirtzius Ragozianis digreſſis, cum dudum à Rege juſſus eſſet Cracovia militem Svecicum deducere, (bis mille quingenti pedites, ſexcenti equites erant) qui vaſtis ac ſemiperfectis munitionibus tuendis haut ſufficiebat infenſos inter & numero longe ſuperiores oppidanos, ad tractandum ſuper deditione cum Auſtriacis deſcendit. Cupiebat is primo, ut Wittenbergius, & alii, qui Zamoiſciæ captivi detinebantur, Cracoviam deducti una cum præſidio liberi dimitterentur. Sed eo negato, in honeſtas conditiones ſuper dedenda urbe convenit. Et quia Poloni fidem fere decoxerant, Wirtzius poſtulabat, ut non ſolum Joannes Caſimirus Rex, & qui aderant Senatores, ac proceres nomine totius reipublicæ pacta firmarent: ſed & Hazfeldius peculiari ſcripto ſe obſtringeret, eadem Germana fide ſervatum iri. Poſt confectam transactionem Caſimiria ſuburbium, & porta à S. Flaviano dicta Auſtriacis tradita eſt, ſeptemque dies Wirtzio indulti adparando diſceſſui. Hic antequam digrederetur à Joanne Caſimiro benigne auditus, & ab Hatzfeldio magnifico epulo exceptus fuit, cui ipſe duas machinas majores, quas avehere ſecum commode non poterat, donavit. Urbe excedebant ter mille centum milites egregii & veterani, ſub tribunis Fabiano Ferſteno, Forgello, Henrico Vickio, & Yxculio, queis præſidio additus Garnierius Tribunus cum mille equitibus Germanis, ducentis Polonis. Iter facienti à latere ſubinde imminebat valida cum Polonorum manu Czarnecius, multum deteſtante eam in pacta violanda libidinem Hazfeldio. Sed vigilantia Wirtzii, ac fides Garnierii iſtos conatus eludebant.

Vick. Yxul. Garnier.

Cum Landsbergiam perveniſſet Wirtzius, præſidii cauſa comitatos Auſtriacos demiſit, Garnierio bis mille aureis, & pretioſis equis donato; inde propere trans Wartam fluvium ſe recepit ita opportune, ut vix horæ ſpatio Czarnezii adventum ibi præverteret, ac deſignatum flagitium eluderet, incolumis cum ſuis Stetinum delatus. Czarnezius tamen iſte poſt nando Oderam tranſiens circa Stetinum Uckermundam usque incendiis & rapinis magnam populationem fecit; ſed coëuntibus mox Svecicis ea provincia copiis eadem via ſe iterum ſubduxit. Poſt captam Cracoviam ſex Auſtriacorum millia Boruſſiam verſus Duce Montecuculo deſcendebant, cui injunctum fuerat, conſervando militi ſtudere, ac nullius validi oppidi obſidio ſe implicare. Is in itinere Poſnaniam recepit: Inde Viſtula apud Plozcam ſuperato vim Golupo ſubito admovit, idque expugnavit, ducentis ibi peditibus ſua ſub ſigna redactis. Inde improviſos Thorunio circumfuſus non paucos ſecurius palantes intercepit, qui de adventu hoſtium nuntiantibus fidem haut adhibuerant. Molendinum quoque viginti quatuor peditibus inſeſſum expugnatum fuit, ac eruptionem ex urbe tentare auſi non ſine damno profligati. Cupiebant Poloni Thorunio obſidium circumponi. Sed abnuebat Montecuculus, anni tempeſtatem in hyemem præcipitem, aliaque incommoda excuſans, ac mox eo oppido deſerto, ad quod levibus aliquot velitationibus certatum, in hiberna militem deducebat. Jam tum gliſcente inter Polonos ſuſpicione adverſus Auſtriacos, quod recuperatis locis ſuum militem præſidio imponeret. Sed nec ulterius eo anno in bellum deſcendere cupiebant Auſtriaci, utut Daniæ Rex per Seeſtedium Pragæ acriter inſtaret ſex militum millia fœdere promiſſa ſibi ſubmitti. Quem blandis verbis Auſtriaci differebant, electionem Cæſaream nondum factam, & hiemem excuſantes. Revera tamen ab iſta tunc conjunctione abhorrebant, quod ad eandem commoda via non pateret, ac nondum oblivio ſubierat, quam parum Gallaſius ſuperiore bello in Holſatiam progreſſus à Dano ſublevatus

1657.

Auſtriaci in Boruſſiam deſcendunt.

Plozka.

1657. vatus fuerat. Sed utique opus judicabant, antequam & ipsi in Svecos erumperent, ut Brandenburgicus hisce disjunctus in suas partes transiret.

Rex Leopoldi electionem impedire studet.

§. 41. Vicissim Rex ut infensa sibi Austriacorum destinata eluderet, omnem lapidem movebat. Ac inprimis spes erat interveniente morte Ferdinandi III. istorum consilia haut parum turbatum iri, Leopoldo nondum majorenni, nec de Cæsarea Corona adhuc certo. Unde Slippenbachius velut proprio instinctu ad Brandenburgicum proficisci jubebatur, eum ad consilia communi causæ proficua stimulaturus, non quidem ut Protestantium quispiam ad id fastigium promovendus susciperetur, id quod omnibus Pontificiis necessitatem se conjungendi impositurum erat; sed ut alter idoneus ex horum numero Cæsareo diademate mactaretur. Quo fine ostentabatur, Bavarus, cui ut suffragium suum daret, simul eidem animos adderet ad eam dignationem affectandam, rogabat. Insuper cum Collegis suis operam daret, ut futuro Cæsari idoneæ leges præscribantur, quibus paci Westphalicæ caveatur; simul ut Ordines Regibus fœderatis ejusdem evictionem præstent, ne hisce necessitas adferatur suo sibi ex arbitrio cautionem quærenti. Per Georgium quoque

Snoilsci.

Snoilscium Moguntinus Elector ad fortia consilia capessenda incitabatur; qui tamen & ipse eam rem velut proprio motu tractare jubebatur, ac simul quid iste animo agitaret expiscari, addita asseveratione, Regis arma in Polonia in fraudem Germaniæ haut tendere. Quod si autem hunc circa electionem in Austriacos inclinare animadverteret, ipsi demonstraret; quidnam Austriaci in Svecos machinati sint eo tempore, quo Joannes Casimirus in Silesiam profugerat, ibique vires collegerat, quas Svecis objiceret. Ipsos quoque Polonos confessos, se cum Austriacis in decem annos adversus Svecos fœdus iniisse ea lege, ne intra id temporis spatium cum hisce pacem facerent; quæ & causa fuerit; quare Rex Cæsarem Sequestrem repudiaverit. Eosdem Moscum in Sveciam concitasse, tractatus Vilnæ Polonos inter ac Moscos in fraudem Sveciæ conciliasse, Danum obfirmasse, Ragozii conjunctionem pro virili impediisse; cujus conatibus etiam apud Portam remoram injecerint. Denique validas jam copias in finibus Silesiæ consistere ad auxilia Polonis ferenda. Hisce Austriacorum conatibus uti se cum reliquis Ordinibus opponat, Moguntinus monebatur. Paria apud Trevirensem, Bavarum, Palatinum, Colonienſem, Wurtenbergicum idem exponere jubebatur; palam tamen eam missionis suæ causam laturus, ut Electores, Principesque de bello Polonico edoceat, ac uti Rex Polonorum pervicaciæ frangendæ arma cum Ragozio sociare coactus fuerit: quæ societas tamen solam Poloniam spectet, non Germaniam, qui cum Rex pacem colere sit paratus, utut multis à Cæsare injuriis lacessitus: quibus ut remedium adferre velint Ordines Imperii postulare, ac ut pacem Westphalicam sartam præstent tectamque. Cæterum occasione data, ubi de futura Cæsaris electione mentio inciderit, expiscaretur, in quem quisque studio inclinaret. Si quem Austriacis aversum animadverteret, ei succineret, demonstrato, uti Germanica libertas à longo jam tempore per istos pressa sit, quorum consilia semper Ordinibus non immerito suspectanda fuerint. In recenti memoria esse conatus Ferdinandorum, & quantum malorum Germania toleraverit ob immodicam ejus Domus ambitionem: quam varios isthæc colores invenerit arripiendis armis, ac inter se diffidendis Imperii membris; quantoque pretio prisca libertas ex parte redimenda iterum fuerit; quo & ægre res fuerit perventura, ni exteri Reges manum admovissent. Quanquam nec leges pacis executioni datæ fuissent, ni Svecici Duces arma usque ad conclusionem pacti Noribergensis retinuissent: ac ibi non impleta deinceps infecta mansisse. Nupera quoque Comitia dilata, quoad Electio Regis Romanorum pervinceretur. Quo obtento querelis Ordinum medicinam haut allatam, plerisque ad *Deputationem* rejectis, ubi & parum profectum sit: & si quæ heic suscepta fuerint, non spectasse Ordinum postulata, sed privatas Domus

1657.

1657. Auſtriacæ rationes, opesque. Eandem diuturna Cæſarei faſtigii poſſeſſione id autoritatis ſibi comparaſſe, ut quævis deſideria ſua pervincere potuerit, perruptis omnibus, quæ obſiſtebant, utque nulli Ordinum ſat audaciæ aut virium ſit deſtinatis ejusdem contra nitendi. Denique ut intelligant Ordines, quantum periculi Germaniæ immineat, electo Auſtriaco Cæſare, demonſtraret Auſtriacorum, in Polonia adverſus Sveciam machinationes, quæ, ni Ordines iisdem obſiſtant, facile nova belli flamma Germaniam involvere queant.

Conſultatio ſuper excludendis à faſtigio Cæſareo Auſtriacis.

§. 42. Cæterum quia Pontifex, Hiſpanus, aliique conſilia ſua Proteſtantibus infenſa fere dignitati Cæſareæ tanquam fundamento ſuperſtruere hactenus ſueverant, Regi ea res tanti videbatur, ut à ſenatu curate diſcutiendum judicaret, cujusnam potiſſimum in Electione Cæſareæ ratio foret habenda. Id negotium ut Regis nomine ſenatui proponeret, in Sveciam Petrus Julius Cojetus miſſus eſt. Regem ut de excludendis Auſtriacis cogitaret, multæ rationes ſtimulabant. Agitaſſe infeſta in ipſum conſilia „Ferdinandum, excitato Moſco, Danoque ad arma in Sveciam ſtringenda, paceque inter Moſcum ac Polonos Vilnæ, conciliata, Ragozio quoque à conjunctione cum Rege deterrito. Qui & aperte in bellum Polonicum deſcenſurus fuerat, ni mors „interveniſſet; cujus tamen deſtinata „ſine dubio ſecuturus ſit filius, ſic ut „Sveciæ nunquam ab iſta Domo cautum ſit, quamdiu eadem faſtigium „Cæſareum inſidiat. In negotio quoque Bremenſi Auſtriacorum in Sveços animum ſatis perſpectum, velut „queis nulla occaſio prætermittatur, „qua his ægre facere queant; idque „tunc luculentius fuiſſe erupturum, ni „Ferdinandum IV. Regem Romanorum mors abripuiſſet. Aperte quoque „in leges pacis Weſtphalicæ à Cæſare „peccatum, ſubmiſſis Hiſpano auxiliis „adverſus Gallos; id quod facere haut „omiſſuri ſint Auſtriaci, quamdiu diademate Cæſareo potiantur; unde de„mum & Sveciam bello implicandam „ob debitam paci Weſtphalicæ evi„ctionem: Intereſſe porro Domus „Auſtriacæ diſſidiis Ordines Imperii „diſtrahi, quo occaſio naſcatur unum „poſt alterum opprimendi, ac inter „perpetuas Germaniæ turbas prærogativa, quam obtendit, ad Cæſaream „dignitatem magis ſtabiliatur non ſine periculo proruendæ publicæ libertatis. Igitur propter provincias, „quas in Germania poſſidet Svecia, hujus plus intereſſe, quam cujusquam „alterius extranei Regis, ut caput Imperio eligatur, cui ob privatas rationes pacifica conſilia ſint ſequenda. „Nec periculum aut moleſtiam declinari, ſi ipſa quieta eventum expectet „in neutram interim partem ſtudio „oſtenſo. Nam nec minimum quidem fructum cepiſſe Sveciam è favore, quem Chriſtina circa electionem „Ferdinandi IV. oſtenderit. Ordines „quoque Germaniæ, quos fortaſſe libido jam ſubitura ſit Auſtriacis ſeſe „opponendi, ipſo quieſcente animos „collapſuros, Electoribusque neceſſitatem naſciturum Auſtriacas partes „ingratiis ſequendi. Eo caſu hoſco „ſcopo ſuo potituros, nec eo ſecius ſilentium & quietem ipſius deincepa „offenſæ invicem accepturos. Igitur „tutiſſimum videri, mature per omnia „licita remedia Auſtriacorum ſe deſideriis opponere, & quod amantem „libertatis Principem Imperii deceat „impeditum ire, ne in præſens quis ex „ea Domo Cæſar creetur. Præſertim „cum Sveciæ magis periculoſum ſit, „Leopoldo nunc ad eam dignationem „provecto, cui vegeta ætas, & pro captu annorum ſat ſolertiæ, quam ſi „patri vivere contigiſſet annis & morbis fracto, & qui repreſſurum ſe „videbatur, quoad ſuffragia Electorum filio conciliaſſet. Inter remedia porro excludendis à faſtigio Cæſareo Auſtriacis præcipuum videri „ſtrictius fœdus cum Gallia, ad quod „Angli quoque ac Belgæ invitari queant, aliudque cum ipſis Electoribus, ac „Proteſtantibus Ordinibus pro defenda libertate Germaniæ, & conſervanda pace in Imperio contra quemcunque qui adverſus libera Electorum „ſuffragia ad Cæſareum faſtigium Craſſari inſtituat. Fœdus Gallicum facile obtineri poſſe, velut quod Gallia „ſæpius quæſierit adverſus Domum „Auſtriacam; id quod in triennium „concludi poſſit ſine jam dicto, ſi Auſtriaci liberam Electionem impedire, „aut alia via pacem Germaniæ turbare aggrediantur; aut ſi eligendus Cæſar Polonicis & Italicis turbis immiſcere

1657.

1657. „ſcere ſe velit in fraudem Sveciæ ac „Galliæ. Ejus fœderis utilitatem in „aprico eſſe, per opes Gallicas ſub„levanda onerum parte; ac ob reſpe„ctum ad conjunctionem horum Re„gnorum haut temere aliquem alte„rutrum invaſurum, præſertim ubi „Angli, aliique ei fœderi accedere „velint. Animum quoque Electo„ribus additum iri ad alium eligen„dum, ubi intellexerint, ab utroque „Rege ſuffultum ſe iri, ſi Auſtriaci „horumque clientes ipſorum ſuffra„gia vi extortum eant, aut inſuper „habito ſuffragiorum numero digna„tionem Cæſaream vi rapere ag„grediantur. Poſſe quoque à junctis „Coronis efficaciora conſilia forma„ri, ut illius ratio in electione ha„beatur, in quem ipſæ inclinent, ob„latis auxiliis adverſus omnes pacis „ac libertatis Germaniæ turbatores. „Tum hoc fœdere eligendum Cæſa„rem confirmatum iri ad eam digna„tionem acceptandam, tuendamque „adverſus Auſtriacorum potentiam. „Denique ſi præter ſpem Leopoldus „Cæſareo faſtigio potiatur, facto fœ„dere alterutri Regum haut ita noce„re eundem poſſe, quam ſi iidem ad „mutua auxilia ex fœdere non tene„rentur. Videri quoque Angliam ad „hoc fœdus facile permoveri poſſe, „quod Protector bello cum Hiſpanis „implicitus ſit, & jam Pariſiis ſuper fœ„dere contra Hiſpanos tractet; quem „& rationes ſuæ obligent, ut omnibus „viribus ad imminuendam Auſtriacæ „Domus potentiam connitatur, ſiqui„dem ipſe ac ſucceſſores ſui dignatio„ne recens parta ſecure frui velint. Cui „ſtabiliendæ cumprimis faciat, ſi iſta „Domus Imperatorio faſtigio exclude„tur, aut ſaltem impediatur, ne Leo„poldus ſimul Cæſarea dignitate, & „Hiſpanorum Regno potiatur; quod „alias facile fieri queat vel per nuptias, „quæ cum infante Hiſpaniæ agitantur, „vel Philippo citra prolem maſculam „defuncto. Unde & Cromvellum ſæ„pius ſe fœderi adverſus Auſtriacos „pronum teſtatum, ac duntaxat circa „ſubſidia difficultatis quid moviſſe, „quæ nunc facile removeri poſſe vi„deatur. Apud Belgas equidem mul„tos ſtudio in Hiſpaniam imbutos ad „clavum Reipublicæ ſedere: haut ta„men veroſimile videri Ordines Gene„rales ab ejusmodi fœdere abhorrere, „ſaltem illos qui Arauſionenſi favent; 1657.
„quorum & rationes hoc requirant, ne „Hiſpania forte per matrimonium „Mariæ Thereſiæ cum Leopoldo, aut „alio caſu cum faſtigio Cæſareo con„jungatur, reliquis tunc potentia præ„gravis futura. Ac ſi ultro accedere „nolint, metu conjunctionis inter „Sveciam, Galliam & Angliam com„pelli poſſe. Quos & Ferdinandus „nunquam liberos populos agnoſcere „voluerit Præter iſthoc fœdus Gal„licum ad arcendos Cæſarea dignitate „Auſtriacos plurimum facturum fœ„dus eo fine cum ſingulis Electoribus, „aut collegiatim ferire, ad quod „omnes Germaniæ Principes Auſtria„cis non obnoxii, ut nomina dent, „invitandi ſint. Quo fine Snoilſcio in„junctum Electores hortari ad curam communis libertatis futura electione habendam, ac ne hanc feſtinent, quoad inter Ordines ſuper idonea Capitulatione convenerit, ac Sveciæ Galliæque, quarum maxime interſit, ſecuritati fuerit proſpectum, efficaci cautione interpoſita pace Weſtphalica ſancte obſervatum iri. Ad tale fœdus amplectendum ejusmodi cauſis Electores Principesque moveri poſſe, quæ vel univerſas Ordines, vel Proteſtantes omnes, aut ſingulos duntaxat peculiares ob reſpectus tangant. In univerſum illis demonſtrandum, quanto præjudicio ſit libertati Germaniæ, dignitatem Cæſaream tamdiu in eadem Domo permanere, continua cumprimis & non interrupta ſerie uno alterum excipiente. Unde conſvetudinem eidem naſci ſemper dominandi, ac facultatem Imperium demum in hæreditatem vertendi. Idque deſiderium ipſi ſedere crebris indiciis fidem feciſſe, dum quoties occaſio tulit, operam dedit, ut vivo adhuc Cæſare vel filius vel frater Rex Romanorum crearetur. Quo ipſo Electoribus libera ſuffragia ademta, ſimul occaſionem ſublatam per idoneam, omnibusque Ordinibus probatam Capitulationem futuri Cæſaris potentiam circumſcribendi. Sed & iſtud libertati Ordinum grave eſſe, talem Cæſareo faſtigio potiri, qui quinque aut ſex è potentiſſimis Imperii Principibus opibus præponderet, quique adeo deſtinata ſua ingratiis Ordinum pervincere valeat; inprimis ſi diuturna tanti faſtigii poſſeſſio eam domui Imperatrici autoritatem

1657. tatem conciliet, quæ reliquis libidinem aut animum adimat poſtulatis ejusdem etiam à ratione abhorrentibus ſeſe opponendi. Porro caput quidem in Imperio eligendum, cui opes ſint absque moleſtia Ordinum ſplendori Cæſareo ſuſtinendo; ut tamen ipſius rationes in eo præcipue vertantur, ut Imperii pax & tranquillitas conſervetur, Ordinumque ſalus & concordia inter ſe ejusdem ſecuritas, robur, ac defenſio habeatur; cujus & peculiaria commoda ipſi anſam haut præbeant diſſidii aut belli cum extraneis Principibus, unde Imperium non poſſit non turbis implicari. Quæ omnia in Domo Auſtriaca ſecus ſe habeant. Quod ſi nunc è manibus amittatur occaſio ſucceſſionem Cæſaream interrumpendi, Auſtriacos eandem hæreditatis in vicem ſibi vindicaturos, electione inter inanes ceremonias relata, & quæ electo ex iſta Domo non plus juris tribuat, quam in aliis Regnis hæreditariis Ordinum declaratio Principi hæreditario dat, quando is legitimus Rex poſt fata ultimi ſucceſſoris renuntiatur. Saltem eam Domum haut ceſſaturum, quoad ſucceſſor ex eadem deſignetur, qui ægre, nec citra periculum ab Electoribus recuſari queat. Tantam inſuper potentiam eſſe Domus Auſtriacæ tam intra quam extra Imperium, ut illa ad Cæſaream dignitatem promota nemo Ordinum, qui ullo modo læſum ſe putet, eidem ſe opponere auſurus ſit, aut ullum jus amplius prætendere, quam quantum Cæſar ultro & ex gratia indulgere velit. Id quod è diuturnis Ordinum gravaminibus liquido conſtet, per omnes Imperii conventus infinities agitatis, ſed nunquam deciſis. Imo nuperos Cæſares propriis confiſos viribus, ac Imperatoria autoritate ſuffultos, ſæpius deſtinata ſua perviciſſe, quicquid ad iſta avertenda Ordines moverint. Ejusdem porro Domus opes extraneis quoque valde ſuſpectas eſſe, velut cujus magnopere interſit Hiſpanicas vires gliſcere. Unde omnibus, quibus jam eſt, aut deinceps futura metuitur controverſia aliqua cum Domo Auſtriaca, neceſſitatem adferri contrariis momentis hujus potentiam librandi, easdemque adhibendi artes, quas ipſi Auſtriaci in Germania exercent, ſeminibus diſcordiæ, inter Ordines ſparſis, quo inter horum perpetua diſſidia adverſus omnes evaleſcere queant. Quo ipſo extraneis Regibus occaſionem præberi offenſos Cæſari Ordines in partes ſuas trahendi, atque adverſus eundem obfirmandi, aut ſaltem opes Auſtriacæ Domus diſpendio ipſius Germaniæ temperandi: unde nullo modo Germaniam bellum declinare poſſe, Auſtriaco Cæſare electo. Ferdinandum quippe recens defunctum, cujus veſtigia ſine dubio filius lecturus ſit, pacem tam pretioſe partam haut ſervaſſe, dum integras legiones Hiſpanis auxilio in Belgium miſit, ac Italicis ſe turbis immiſcuit in fraudem Galliæ; quas injurias non poſſit non hæc ulciſci, præſertim ſi Auſtriaci per novam electionem eandem iſti nocendi facultatem nanciſcantur. Ex anteactis quoque liquido conſtare, Sveciam nihil amplius tuti ab iſta Domo expectare poſſe. Unde maſcula ſibi conſilia capeſſenda, ac primo quidem conandum, ut eadem in præſens Cæſarea dignitate excidat. Id ſi obtineri nequeat, ab Ordinibus Imperii poſtulandum, ut in poſterum prohibeant, ne talibus injuriis Svecia laceſſatur. Id ſi ab hiſce præſtari non poſſit, & Auſtriaci cœpta conſilia perſequi inſtituant, Sveciæ una cum Gallia & aliis ſociis, queis Auſtriaca potentia formidatur, novam belli telam in Germania ordiendam, & ſecuritatem ac ſatisfactionem ſibi debitam per arma quærendam, quam amica via obtinere haut conceſſum. Igitur Ordinibus demonſtrandum, quam perniciosum ipſis hoc bellum ſit futurum, cujus onus magna ex parte iisdem ſit incubiturum: & quo omnes Ordines involvendi ſint vel per peculiares cum Domo Auſtriaca rationes, vel ob contraria ſtudia. Unde in partes ſciſſa Germania confuſionem ſecuturam non minorem, quam noviſſimo bello fuerit, cujus qui finis futurus ſit, animo proſpici nequeat, ſtatu Imperii vel converſo, vel Germania in partes lacerata. Saltem tantiſper privatam juxta ac publicam fortunam in ancipiti fore, proculcatis plane legibus, ac recrudeſcentibus litibus vix pace Weſtphalica utcunque ſopitis. Aſt omnia hæc facile evitari poſſe, ſi Electores excluſis Auſtriacis in præſens concordibus ſuffragiis eligant Catholicum Principem, cui idoneæ quidem opes ſint iſti dignitati ſuſtinendæ, nec tanta

1657.

1657. tanta tamen potentia, ut invitus Ordinibus quid obtrudere queat, & à quo intentatus ipſi injurias repellere, eundemque intra limites officii coërcere valeant. Eo fine duos proponi poſſe Principes, Bavarum, ac Sabaudum. Enimvero hunc extra Germaniam ſitum, peregrina lingua & moribus, tum aliorum Regum rationibus implicitum huic negotio parum idoneum videri. Contra Bavarum opulentum, provinciis intra Germaniam ſitis, exterorum ſtudiis haut obnoxium, præ omnibus Coronæ Cæſareæ maxime commodum habendum. Opes ei haut ſpernandas, ſed non tantas, ut aliorum Ordinum libertatem infringere queat: nec rationes cum extraneis ita ipſi contractas, ut turbæ inde in Germania expectandæ ſint. Eidem quoque metuendum, ne per Auſtriacos nova dignitate depellatur, ni aliorum Ordinum favorem exacta Capitulationis obſervantia, & æquabili juſtitiæ adminiſtratione ſibi pignoret, atque conſervet, velut fundamentum, cui potentia & ſalus ſua unice innitatur; id quod inſigni Germaniæ incremento ceſſurum ſit. Porro niſi à Cæſare privatum ob commodum diffidentia inter Ordines ſeratur, ſat validam eſſe Germaniam ad ſeſe tuendam adverſus omnes, qui ipſius quietem turbare aggrediantur. Ejusdem autem potentiam utut ingentem exteris Principibus haut ſuſpectam eſſe, velut cujus genuinæ rationes, unice propriam conſervationem & tranquillitatem ſpectent. Unde nec vicinis damnum è proſperis Germaniæ rebus expectandum, ſed iſtorum potius intereſſe hanc felicitate ac pace florere, Sveciæ cumprimis, quæ inter Germaniæ quietem provinciis ſuis tranquille fruitura ſit. Sed nec metuendum eſſe, ne Auſtriaci repulſæ dolore recens electum Imperatorem, aut Electores armis invadant. Nam & ipſos hoc caſu ingenti ſe periculo expoſituros, ac univerſos Ordines, à ſociis Regibus ſuffultos, ſat validos eſſe iſtis compeſcendis: omnes quoque alios gaviſuros eam Domum hac occaſione ad modeſtiæ limites redigi, & autoritate, qua hucusque enormi fere floruit, exui. Idque eo facilius effici poſſe, quod Auſtriaci in præſens non alia dignatione haberi debeant, quam reliqui Ordines, quippe exuti illo reſpectu, quo Ferdinandus tanquam imperii caput proſequendus fuerit. Unde quemlibet Ordinum ſalva conſcientia novo Cæſari adſiſtere, ejusque dignitatem propria cum libertate per noviſſimam pacem ſtabilita tueri poſſe. Id quoque Domui Auſtriacæ parum commendationis ad dignitatem Cæſaream addere, quod ipſius ditiones in limite Germaniæ ſitæ difficulter defendi queant, ſublata ab eadem autoritate Cæſarea. Tunc enim illum ipſum poſitum provinciarum Auſtriacarum ſecuritati & quieti Imperii inſerviturum, quod Auſtriacis ob imminens à Turca periculum neceſſitas incubitura ſit amicitiam colendi cum novo Cæſare, & univerſis Ordinibus, poſtquam non amplius integrum ipſis fuerit obtentu belli Turcici tributa pro autoritate exigere, ſed auxilia non niſi à volentibus impetranda ſint. Nec dubium eſſe, quin deinceps non minus quam antea, ubi neceſſitas jubeat, univerſum Imperium avertendo barbaro hoſti libenter militem & pecuniam collaturum ſit, etiamſi ex ea Domo Cæſar imperio non potiatur. In majorem quoque Ordinum ſecuritatem cedere, ſi cui ob vicinos hoſtes validæ ſunt ſemper copiæ alendæ, ſimul Imperii caput haut habeatur; nec occaſione arridente alio ſub prætexto militia firmata ex improviſo armis opprimere queat, qui ad ipſius placitum ſeſe componere adſpernentur. Inter rationes autem, quæ univerſos Proteſtantes ad ejusmodi fœdus permovere queant, hanc præcipuam eſſe, quod noviſſimi Cæſares Auſtriaci ipſorum circa ſacra libertatem impenſe turbarint, eo graviore cum effectu, quod privatis eorundem opibus autoritate Cæſarea ſubnixis haut facile contra iri potuerit. Id quod Bavaro electo ceſſaturum ſit, qui, utut forte ſuperſtitionis non minus tenax, Proteſtantes laceſſere haut facile auſurus ſit, viribus quippe Auſtriaca Domo longe inferior. Et quanquam idem proximo bello Auſtriacis innexus Proteſtantibus prægravis fuerit, id tamen in poſterum metuendum non eſſe ob æmulationem ipſi cum Auſtriacis ſurrecturam. Ante omnia autem Proteſtantibus perſuadendum, ne in præſens de Imperatore ſuis ſacris addicto cogitent, quod iſthoc nonniſi diviſionem inter Electores & Principes excitaturum,

1657.

1657. rum, multosque ab ipsis alienatum sit, Gallos cumprimis & Electores Catholicos; qui nunc facile ausuri sint Austriacis sese opponere, si cautum ipsis sit, Bavarum omnibus Protestantibus probari. Peculiariter autem Palatino Electori persuadendum, ut privatas offensas reipublicæ condonet; ac confidere ipsum posse, Bavarum ejusdem suffragio Cæsarem dictum occasionem & voluntatem habiturum ipsi satisfaciendi. Glorioſum quoque Domui Palatinæ fore in illam, uno Rege, tribus Electoribus fulgentem, nunc quoque Cæsareum fastigium inferri. Et quanquam ingentes à Bavaro injuriæ Palatino sint illatæ; illum tamen fere instrumenti vices sustinuisse, præcipua malorum origine ab Austriacis promanante, in quos & ideo horum invidia redundare debeat. Nec dubium esse, quin Bavarus istius cupidine decoris ultro tangatur, acrius inflammandus, si de Regum auxilio cautum sibi sit, ubi Austriaci negotium eidem facessere aggrediantur. Quæ & causa erat, quare Rex circa litem inter Bavarum & Palatinum super vicariatu Imperii tunc surgentem, medium se teneret, declinandæ Bavari offensæ, eamque amica via componi optaret; eoque legato suo non ad singulos Electores, sed ad universum Collegium literas fiduciarias daret. Non deerant tamen vicissim, qui judicarent, vel ideo Sveciæ expedire, ut Austriacus fiat Cæsar, quod hoc casu Gallis amicitia Sveciæ opus sit futurum; cui & semper commercia Gallorum cum Bavaro fuerint suspecta.

Biærnclovius Francofurtum mittitur.

§. 43. Ut igitur Austriaci Cæsaris electionem turbaret Rex, Matthiam Biærnclovium Francofurtum mittebat, tentaturum, quid circa isthoc negotium proficere posset; simul ut Ordines Imperii ad evictionem pacis Westphalicæ præstandam permoveret. Et quia Gallus quoque fastigium Cæsareum affectare ferebatur, hujus Legatis Antonio Gramondo, & *Lionne.* Hugoni Lionnæo testari jubebatur: se quidem istud eidem haut invidere, considerandum tamen prius esse, quid commode effici queat, & num omnes Electores aut majorum eorum partem suis destinatis adjunxerit, numque adeo solido fundamento ea res innitatur. Cumprimis autem cavendum, ne princeps ipsorum scopus Austriacos dignitate Cæsarea dejiciendi multitudine Candidatorum evertatur. Iisdem & dissuaderet, ne Palatinum Neuburgicum proponant, quod Brandenburgicus ob causam Juliacensem ei parum amicus hoc ipso promovendus sit ad suffragium suum Austriacis addicendum; utque adeo junctim malint pro Bavaro conniti. Referebatur quoque, Gallos matrimonium inter Leopoldum Wilhelmum Archiducem, & Aurelianensem virginem meditari, isthunc quoque ad Cæsareum fastigium evecturi. Id quod Regi parum probabatur; cum communis boni ratio id exigat, ut Austriaci plane in præsens excludantur. Quia tamen mox innotescebat, Gallos cum Neuburgico pactum iniviſſe, ut ipse in Cæsarem permoveretur, ubi Bavarus ad acceptandam Coronam persuaderi nequeat; eo casu communicatis consiliis cum Gallis agere jubebatur, ac inprimis operam dare, ut Brandenburgico idonee caveatur, ut ipsius in fraudem haut cessurum. Ita tamen hoc negotium tractaret, ut idem à solis Gallis profectum videretur; ac testaretur unice id à Rege quæri, ne Austriaci Imperio potiantur, velut qui id machinentur, ut Germania iterum bello involvatur. Præter ista autem Biærnclovio injunctum, ut Ordinum Legatis Francofurti demonstraret præsentium temporum conditionem & periculum, ac inprimis Austriacorum machinationes, quas ab initio belli Polonici adversus Sveciam expromserint, dum non solum hostibus in suis provinciis receptum dederint, indulto simul ut data occasione Poloniam irrumperent, Svecisque damnum inferrent: sed & omnes occasiones, ac probabilem spem tractatuum impedierint, donec tandem occupata Cracovia in apertum bellum eruperint. Tum quid periculi malorumque id bellum ipsi Germaniæ generare queat, perrupta jam manifesta pace Westphalica: quibus antevertendis Ordines idonea remedia dispicerent. Et quia iidem morte Ferdinandi sui juris facti sint, eo curatius occasionem arriperent amovendi omnia, quæ tranquillitatem Imperii turbare queant. Inprimis cum Domus Austriaca in-

1657.

1657. ea insatiabilem ambitionem longo jam tempore multis documentis aprieata sit, id agerent, ut Cæsar creetur pacis amans, & qui externis se turbis ingerendo belli flammam in Germaniam haut attrahat; sed qui legum publicarum tenax tranquillitatem juxta, ac libertatem Ordinum conservet. Et quia Deputati Imperii ab Ordinibus primitus eo fine instituti fuerint, ut præsentibus periculis medicinam adferant, ubi per angustias temporis Comitia convocari non possint; illos velut totum Imperii corpus referentes moneret, mature ingruentia mala, ac per moram invalitura avertant, utque ex legibus pacis Westphalicæ Regi adversus Austriacorum ausa caveant, eosque permoveant, ne ulterius bello sese Polonico immisceant, ipsi pro illatis jam injuriis satisfaciant, cautione de non amplius lædendo præstita; utque statim exercitum suum è Polonia revocent, eumque exautorent, Cracovia quoque Polonis restituta, quam quod suo milite insideant, longius penetrare. Tum & demonstrandum, quam dilutum colorem pacis Westphalicæ abs se commissæ violationi obtendant; quod Svecos non in Germania, sed in Polonia invaserint, qui & ipsi Polonos paci Westphalicæ inclusos armis priores aggressi sint. Nam inanes esse istas argutias, cum pax utique tam intra quam extra Imperium cum Austriacis inita sit: nec eam vim esse inclusionis Poloniæ in pacem Germanicam, ut hujus violatæ reus sit, qui istam ob alias idoneas rationes armis petierit; quæ nec ulterius valeat, quam ut Polonia æque atque aliæ nationes pace cum Germania frui queat. Ac Polonos utique pacem æternam cum Svecis Osnabrugæ haut iniisse, aut pacis ibi conclusæ ratificationem misisse. Leopoldum autem bellum jam ordiri non ut Regem Hungariæ, quippe cum ejus Regni Ordines in id bellum haut consenserint, sed ut Regem Bohemiæ, & Archiducem; eoque cum manifesto pacis Germanicæ infractore negotium esse, ac ni Ordines remedium adhibeant, Regi necessitatem adferri, junctis cum Gallia consiliis, viribusque sibi ipsi evictionem præstandi, id quod sine molestia Ordinum futurum haut sit. Sed & indignum esse, Austriacos inter alias eam rationem adduxisse armorum in Poloniam translatorum, quod suis copiis alendis propriæ ditiones non sufficerent. Id quippe ne latius porrigatur in fraudem Ordinum metuendum esse. Ac si eo jure uti fas sibi Austriaci ducant, Regi vitio verti non posse, si & ipse expediendis alimentis copias suas vicinorum Ordinum provinciis immittat. Simul quia Daniæ Rex, qui Holsatiæ intuitu Imperii membrum est, itidem pacem infringere ausus sit, ut adversus eum è dictatis Pacti Westphalici, aliisque Imperii legibus procedatur. Enimvero quanquam Regi fat causarum esset, ut talia in Austriacos strueret; non tamen adeo aversum istis animum gerebat, ut non mallet iisdem amicis uti, prementibus undique hostibus; & quia ipsi neque id opum erat, ut sat validas istis copias opponere posset, & qui amicos se profitebantur Galli, Anglique languide admodum ad auxilium ipsi ferendum accingebantur. Unde Biærnclovius jubebatur amicitiam suam ac societatem istis dextre offerre, siquidem honestam ipsi à Polonis pacem, & idoneam satisfactionem procurare vellent. Præsertim cum Austriaci, utut exercitu suo Poloniam ingresso, negarent bellum sibi adversus Sveciam susceptam: id quod & Lisola literis ad Ducem Adolfum Joannem, & Montecuculus ad Butovium Thorunii præfectum professus erat. Ac eo facilius amicitiæ cum istis instaurationem processuram, quod Regi cum Gallis, Anglisque res integra foret, nullo adhuc fœdere concluso. Caute tamen id negotium tractandum erat, ne Gallis & Anglis intempestive suspicio injiceretur, neu Protestantes animis minuerentur. Nec opus videbatur novum cum ipsis tractatum suscipi, sed sufficiebat anteacta silentio & oblivione sepeliri, ac ministros utrinque in aula deinceps munia sua obire. Eo magis autem Rex Austriacis honesta ratione conciliari cupiebat, quod satis perspiceret, Gallos nil aliud agere, quam ut Svecos cum Austriacis committerent, & hosce per bellum Polonicum à se diverterent, ipsi necessitate interim exsoluti exercitum in Germania alendi, ac subsidiis Regem sublevandi.

1657. *Ab Ordinibus Imperii Regi nil auxilii eſt. Volmar.*

§. 44. Aſt Biærnclovius Francofurtum delatus, querelas ſuper Auſtriacorum injuriis apud Deputatos prolixis quidem ſcriptis exponebat, refutatis, quæ ſuper Svecorum negotiis ab Iſaaco Volmaro ſecus tradita erant; ſed quorum fructus inter inania verborum fere ſtabat. Ac initio ipſos inter Ordines diverſæ ſententiæ emergebant. Quidam enim cenſebant, durante electione omnia alia Imperii negotia quanticunque momenti quieſcere debere. Alii tempore interregni non ſoli electioni vacandum judicabant, ſed & alia negotia expedienda, quæ moram non ferrent, atque ad Reipublicæ ſalutem facere viderentur. Auſtriaci tamen, qui præcipue Sveciæ deſtinatis contranitebantur, tunc quoque acriter repugnabant, ne à Biærnclovio propoſita acceptarentur, jactantes; imminente jam electione alia tantiſper ſeponenda, nec Deputatorum autoritatem ad talia porrigi. Moguntinus tamen Elector ob imminens Germaniæ periculum eo rem deduxit, ut Deputatis congreſſus indiceretur. Et quanquam primo conventu res paulo confuſius ageretur & fervidos eorum clamores, qui autoritatem Deputatorum in dubium revocabant: pervicit tamen Moguntinus, ut Biærnclovii libellus acceptatus per dictaturam legatis communicaretur. Idemque literis ad Collegas prolixe Deputationis continuandæ neceſſitatem demonſtrabat, & quantum periculi Auſtriaci Germaniæ conciliatum eant, non ſolum Dano & Polonis in Germaniam pertractis, ſed & copiis adverſus Gallum in Flandriam, & Italiam miſſis, de quibus hic dudum queſtus ſit, parum ſecuritatis in Pacis Inſtrumento ſibi inveniri, eoque ſi ita pergatur alia ſibi remedia circumſpicienda. Unde utique neceſſum eſſe in præſens talibus medicinam adferri, idque commode absque præjudicio Collegii Electoralis, & electionis fieri poſſe. Nam electionem à negotiis Deputationem ſpectantibus plane differre, nec dum alii Ordines circa negotia totum Imperium ſpectantia ſatagunt, Electorum autoritatem imminui. Enimvero uti verbis quidem magnificum quid minabatur Moguntinus, ita ſolidi nihil concluſum; ac ſuſpicio erat, profundæ prudentiæ Principem omnibus artibus id agere, ut tempus extraheret, quoad Leopoldus expleta juſta ætate per legem Aureæ Bullæ idoneus fieret Cæſareo diademati capeſſendo, aut circa Svecorum arma in alterutram partem aliqua mutatio fieret, interimque per fœdera ita ſe firmaret, ut ipſe aliique ad Rhenum Electores Gallum tuto contemnere poſſent, ſi electio non ad ipſius placitum cecidiſſet. Unde ita ſe gerebat, velut Auſtriacis æque ac Gallis ſatisfacturus eſſet, quo periculum à Gallis imminens Germania averteret, ſtudiumque in Auſtriacos occultaret, culpa in unum & alterum è ſuis conſiliariis conjecta, ſi quid fieret, quod hunc aut ipſum offendere poſſet. Simul inſtante electione alia quædam negotia expedienda proponebat, de concilianda inter Gallos, Hiſpanosque pace, ac fœdere inter Gallos, Principesque Rheno adſitos feriendo, ad quod etiam Rex Sveciæ velut Dux Bremenſis & Verdenſis, una cum Domo Luneburgica ac Haſſica, ipſeque Galliarum Rex invitabatur; jactans, hoc fœdus pro captu præſentium temporum inſervire poſſe ad mutuam defenſionem. Et quia Guarantia in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ haut ita perfecta ſit, uti res exigat, per ejusmodi fœdus fieri poſſe, ut iſta in pleniorem formam redigatur. Hæc atque talia differendo Moguntinus inani negotio Ordines diſtinebat, ut tamen ad penitiores animi ſenſus nemini penetrare daretur. Et quia Gallici Legati ſummam fiduciam in iſto collocaverant, Rex per Biærnclovium eos monebat, circumſpecte cum viro callidiſſimo agerent, ne decipiantur; ac ante omnia Regi ſuo ſvaderent, ut ſi amica remedia incaſſum cadant, ejusmodi conſilia capeſſeret, quæ utriusque Regni commodis & conſervationi inſerviant. Id quod à Gallis benevole acceptum, qui & diligenter cum Biærnclovio communicabant, ac itidem ſuas querelas adverſus Auſtriacos ſcripto exhibebant. Cæterum Moguntinus uti cum Gallis lubrice agebat, & longe ſecus, quam iſti antea ſibi polliciti fuerant: ita & ſubinde quædam ab ipſo fiebant, quæ eundem Auſtriacis haut obnoxium arguebant. Cum enim Legati Bohemici prolatis procuratoriis collegium Electorale ingredi cuperent adornandæ cum reliquis

1657.

Capi-

1657. Capitulationi, Bavarus quidem, Saxo, & Brandenburgicus pro iſtorum admiſſione ſuffragium tulere: ſed contradixerunt tres Eccleſiaſtici Electores, & Palatinus, quod ad Bohemum præter ſolam electionem nihil negotiorum Imperii ſpectet. Id quod aulæ Pragenſi non parum diſplicebat, ita ut jam de proteſtatione ſuper eo negotio interponenda ibi agitaretur. In fœdere porro Rhenano eo minus ſecuritatis Rex ſibi collocandum cernebat, quod Catholici, & aliqui ex Evangelicis aperte jactarent; ſe nolle Svecicis provinciis in Germania adverſus Danicum, & Polonicum bellum cavere, ſed duntaxat ſi in poſterum quis illas alio prætexto impetere audeat. Ac ſatis perſpiciebat Rex, Ordines etſi manifeſto Germaniæ periculo ita defixos velut ſtare, ut nullo modo ad fortia conſilia deſcendere auderent. Ac parabat quidem Moguntinus nonnulla Capitulationi inſerere ſenſu ſat egregio, ſed quibus haut ſatis efficaciæ futurum erat apud potentiores, ubi propria commoda, ac temporum opportunitas diverſum ſvaſerint. Viciſſim eodem in conventu Poloni miſſo legato petebant, ne Ordines in ſiniſtram partem acciperent, ſi ipſi belli jure uſi Svecicas provincias, & Brandenburgicos in Germania velut hoſtes habeant; præſertim cum Svecus juxta ac Brandenburgicus inconſulto Cæſare bellum Poloniæ intulerint. Cui Volmarus Auſtriacus Miniſter omni ſtudio ſuccinebat.

Circa excludendos Cæſarea dignitate Auſtriacos fruſtra laboratur.

§. 45. Sed quod negotiatio circa excludendos faſtigio Cæſareo Auſtriacos incaſſum caderet, ejus rei non una erat cauſa. Nam à Gallis circa eam rem ſat ſolida, ac ſibi conſtantia conſilia haut capta videbantur. Fovebant iſti Neoburgicum magis quam Bavarum Candidatum, cui ſe Bohemiam procuraturos pollicebantur, id quod ſine bello in Germania fieri non poterat. Eoque Regem ad pacem cum Polonis ineundam urgebant, ac ut Boruſſia decederet, quam ipſam & Cromvellus, amiciſſimum ſe quamvis profeſſus, ipſi invidebat; ac ut alibi emolumentum ſuum quæreret volebat. Tum ſe operam daturos, ut fœdus noviſſimum inter Auſtriam & Poloniam aboleatur, ac ſi Auſtria paci utique ſit includenda, id duntaxat fiat intuitu belli Polonici; circa Germanicum bellum Regi res integra maneret, cui ipſum implicare magnopere cupiebant, eodem haut levius id averſante. Contra Neoburgico Bavarus, Saxo Brandenburgicus, & Palatinus refragabantur. Moguntinus Leopoldo Wilhelmo Archiduci Coronam offerebat, pollicitus ſe apud Pontificem effecturum, ut ipſi ditiones, quas poſſidebat, ſacras retinere liceret; ſed qui eam ob pacta ſuæ familiæ recuſabat. Bavaro ſat ſpirituum erat dignitati iſti acceptandæ; ſed diſſvadebant plerique conſiliarii in Auſtriacos proni, quod neutri fratrum tunc ſobolis ſpes foret, eoque honorem iſtum in Bavarica Domo tranſitorium duntaxat futurum; qui & multis ſumtibus ſit ſuſtentandus, ac Bavariam bello cum Auſtriacis impliciturus, aditu verſus Auſtriam aperto facile ſubvertendam. Nec in auxiliis Ordinum, aut Galliæ multum fiduciæ reponendum. Unde dum fluxa dignitas captatur, propriæ ditionis jacturam poſſe fieri. Contra ſi ipſe ſuffragium ſuum Auſtriaco addicat, ab hoc amica omnia expectanda. Venerant Monachium à Moguntino, & Colonienſi Electoribus miſſi Joannes Chriſtianus Boineburgius, & Wilhelmus Furſtenbergius, exploraturi, num Bavarus cupidine diadematis Cæſarei tangeretur. Sed omni ex parte qui Auſtriacis favebant eum Principem circumdederant, ac Mater ita omnes aditus obſepſerat, ut iſtis cum ſolo Electore copia colloquendi haut fieret. Et cum aliquando Boineburgius Electori forte fortuna occurrens ea de re diſſeruiſſet, atque hic non adeo ſe abhorrere oſtendiſſet, id tam ægre Principis matrem, reliquosque Conſiliarios habuit, ut iſtum per duodecim dies in hoſpitio deſidere nullo inviſente paterentur. Equidem cupiebant iſti, ab Electoribus Coronam citra conditionem Bavaro offerri, ſic ut in arbitrio ipſius poſitum foret, eam acceptare, an repudiare vellet. Sed Moguntino haut placebat tanto honore Bavarum dignari, ut is è repudiato ſummo faſtigio gloriam ſibi quærere poſſet: nec ignotum ipſi, quam arcta commercia Bavaro cum Auſtriacis intercederent. Cui nec alii Ordines ſatis favebant ob aſperitatem

Boineburg. *Furſtenberg.*

1657. & avaritiam ab ea Domo ſuperiore bello exercitam, quæ deinceps acrius eruptura metuebatur, ſi iſta opibus aucta fuerit. Ita re infecta iſti abierunt. Creditum fuerat, ſi Galli primo ſtatim ſuo in Germaniam adventu Monachium iviſſent, potuiſſe eos obtinere quod quærebant. Sed nunc ſero nimis Gramondus demum eodem excurrebat, ob diffidentiam re cum Moguntino haut communicata, nec rite prius digeſta. Bavarus tamen, ne Gallorum in ſe ſtudium parum æſtimaſſe videretur, cauſam recuſatæ Coronæ in reliquos Electores conferebat, quod de iſtorum in ſe inclinatione certus non eſſet. Et primarius Bavari Miniſter Maximilianus Curtius Comes, penes quem ſummum conſiliorum moderamen erat, à Gallicis conſiliis plane abhorrebat, Gramondique operam eludebat. Id prævidens Moguntinus Gallos dehortatus fuerat, ne circa Bavarum promovendum ſatagerent; ac ut potius circa Leopoldum Wilhelmum operam ponerent. Hoc enim modo interrumpi ſucceſſionis ſeriem, ob quam Auſtriaci pro Leopoldo velut primogenito defuncti Cæſaris nitebantur. Ac ante aliquot menſes Auſtriaci in Leopoldum Wilhelmum potius conſentire decreverant, etſi refragante Hiſpano, quam Corona extra domum ipſorum migraret. Sed cum Gallica Legatio iſtum repudiaret, & Coronam utique tota Domo Auſtriaca dimovere inſtitueret Auſtriaci jam unice pro Rege Hungariæ nitebantur; cui ſe plane addixerant Treverenſis, Bavarus, Saxo, ac demum Brandenburgicus, ac ipſe Leopoldus in proximum annum iter Francofurtum parabat, comitante Pegneranda Legato Hiſpanico, velut jam de Corona Cæſarea certus. Cæterum & ipſi Legati Gallici rem non parum confuderant, dum ab initio aperte nimis pro excludendo Bavaro, ac creando Neoburgico contendebant, cui tamen opes non erant ſplendori iſtius dignitatis ſuſtinendo. Nam crediderant, excluſis Auſtriacis ac Bavaro, ac repudiato tenues ob facultates Neoburgico, Galliarum Regi ad Coronam Cæſaream viam munitum iri; à quo cum rationes Reipublicæ Germanicæ plane abhorrerent, ſuo agendi modo Auſtriacorum deſtinata non parum promovebant. Et in quo omnem ipſi fiduciam collocaverant, Moguntinus longe alia conſilia animo agitabat, quam ipſi proſpicere poſſent. Regis autem hoc in negotio autoritas eo minor erat, quo magis averſum Sveciæ animum plerique Ordinum gerebant; quorum & plurimi arma à Rege Polonis illata improbabant, nec obſcure fremebant, graviſſimas Cæſari fuiſſe cauſas Poloniæ ſubveniendi, inprimis obſervandos ritus Romanos. Et è Catholicorum re eſſe Galliam à Svecia ſeparari, atque huic alas circumcidi. Sed in univerſum Catholicorum favor in Danum eminebat, niſi quod ab eo Bremenſem provinciam impeditam nollent, quo ipſo Regi Sveciæ anſa præbita ſit in Germaniam regrediendi. Simul optabant Svecos è conſultationibus Imperii excludi poſſe, quo cum ſolis Ordinibus Evangelicis negotium ſibi foret, quorum aliqui corrupti erant, multi plus juſto meticuloſi, aut ob privatas rationes in partem Catholicorum proclives. Sed præcipue deſtinata Regis inde turbabantur, quod Brandenburgicus tunc ipſius ſocietate abdicata in partes Auſtriacorum concederet. Moguntinus porro tempus electionis data opera extrahebat, ut Leopoldus interim expleto anno ætatis decimo octavo conclave ſimul introire poſſet; utque inter has moras Gallorum fervor tepeſceret, & contra ipſos conſilia formarentur. Interim adpariturum, quem ſucceſſum Gallica juxta ac Svecica arma ſint habitura, ac inprimis num Belgæ & Moſci Daniæ ſubventuri ſint, de quo multa Auſtriaci ſparſerant: ſimul quam in partem Turca accepturis ſit Auſtriacos in bellum Polonicum deſcendiſſe, ac num quid ex Oriente in gratiam Svecorum movendum ſit. Galli contra cum facile animadverterent, nullam ſpem Regi ſuo ſupereſſe Cæſarea Corona potiundi, teſtari cœperant, ſe eandem non ſibi ambire, ſed optare à Bavaro eandem acceptari. Ac jam aperte differere, non ſolum Auream Bullam ſed & nationis Germanicæ averſationem ſibi obſtare. Neque in conſilio Regis Galliæ ſatis ad liquidum fuiſſe deductum, num conſultum ſit ipſi eam dignitatem affectare: quod vix fieri poſſe videretur, ut unum caput duabus tam validis nationibus præſit. Judicabant porro iſti, tres Electores Eccleſiaſticos, & Palatinum ſibi utique addictos, quibus ſi Bran- 1657.

1657. Brandenburgicum adjungere poſſint, in præſens ſeſe Auſtriacos Cæſareo faſtigio dejecturos. Quos tamen Biærnclovius monebat; ita negotium de Auſtriacorum excluſione tractarent, ut Electores in partes diſcedant pluribus uno Candidatis propoſitis; eo quippe modo neminem horum Corona potiturum. Cæterum cum Palatino Electore ejusmodi conventionem iniverant Galli, quæ apud Biærnclovium ſequeſtro deponebatur: *ſi è præcedentibus ipſum Electoribus tres ſuffragium dent alicui, qui Gallis placeat, ſe quartum additurum: ſi quatuor præcedentes uni ſuffragium dent, ſe quintum additurum: quod ſiiſte quinque ſuffragia ferat, antequam ordo ſuffragandi ipſum tangat, liberum ſibi fore ſuffragium ſuum Auſtriacis dare. Contra Gallus Palatino ſtatim ſexaginta uncialium millia exſolvat, & quadraginta millia proximis ab electione diebus; & quidem ut ſexaginta illa millia retineat, utcunque res cadat; ſed ſi alius, quam ipſi cupiant, Cæſar fiat, quadraginta millia non ſolvenda.* Gallus quoque per ab- *Blondel.* legatum Blondellum Brandenburgico centum uncialium millia obtulerat, ſi ſuffragium ſuum ad ipſius placitum temperare vellet. Sed opera ludebatur, ac ferebant Auſtriaci, à ſe ſexaginta millia uncialium in miniſtros Electoris erogata, ut Gallorum & Svecorum ſolicitationes eluderent. Unde Gallici Legati Friderico Jenæ perſvadebant, ut ad Electorem profectus ipſum ad ſimile cum Palatino pactum ineundum permoveret, promiſſo inſigni præmio. Cui & multis rationibus perſvadere conabatur Lionnæus, Brandenburgicum citra exitium non poſſe Gallicis ac Svecicis partibus ſe disjungere, ac Svecos à Gallo nullo modo deſerendos; Sed ſi Elector in partes Sveciæ adverſas deſcendat, Gallos non ſolum Svecis in Pomerania auxilium laturos, ſed & Clivicas Electoris ditiones invaſuros. Inter quæ ſpecioſis dictis Gallos lactabat Moguntinus; ſibi decretum eſſe facta ſuper querelis Regem ad Ordines propoſitione tempus ducere, non in favorem Leopoldi, ſed ut Bavarus interim permoveri queat ad eum honorem admittendum; ac ſi hic recuſet, ut Corona ad alium, ac ſorte ipſum Gallum transferri queat. Quæ omnia ab intimis ipſius ſenſis abhorrebant, queis utique Leopoldum Cæſarem creare deſtinaverat. Præcipue eidem Miniſtri erant Boineburgius, & Mee- *Meel.* lius, quorum ille apertum ſtudium in Gallos, hic in Auſtriacos profitebatur. Unde ſi quid contigiſſet alterutri Regem diſplicens, in hunc aut illum culpa conferebatur. Interim idem Regios blandiſſimis verbis demulcere, ac audita Polonorum in Pomeraniam irruptione graviter indignari, præſertim cum crederetur Auſtriacos eodem penetraturos. Quod factum & alii Ordines deteſtabantur, ſed ut indignatio intra verba ſtaret. Cæterum Bavarus, & Saxo electionem Principis Auſtriaci urgebant: Eccleſiaſtici rem extrahebant metu appropinquantium armorum Gallicorum, interim opportunam occaſionem captantes ex improviſo electionem Principis Auſtriaci peragendi, in eum caſum fœdus cum Ordinibus in promtu habituri, ut conjunctis Imperii viribus, exteros Reges impune contemnere poſſent. Moguntinus quoque per majorem ſuffragiorum partem concludere conabatur, ut ante electionem pax inter Galliam & Hiſpaniam perficeretur, tantum ut tempus ſpecioſo prætexto extraheret, cum jam Leopoldo de Corona Cæſarea caviſſet; qui & ea fiducia itineri Francofurtum ſeſe accingebat. 1657.

Gallorum circa res Svecicas ſtudium languet.

§. 46. Porrò cum omnium adverſitatum, queis Rex premebatur, origo ab Auſtriacis promanaret, qui plures ipſi hoſtes immittebant, ac ne pace potiri poſſet impediebant, ut, quæ Monaſterii deſtinata ſeponere coacti fuerant, inſtaurarent, Svecis Germania ejectis; Regi neceſſitas imponebatur auxilia utique circumſpiciendi, & quia eadem cum priori fabula agenda videbatur, Gallorum fœdus affectandi. Iis jam ante annum ſignificarat, ſe paratum eſſe arctiore ſocietate ipſis jungi; quo fine & formulam in Gallias miſerat è priori fœdere fere expreſſam, paucis duntaxat ad præſentia tempora accommodatis, ſimul Gallos æque & Anglos ſubſidia popoſcerat, ne ſub tanto onere propriis duntaxat ſuccinctus viribus fatisceret. Qui multis quidem amicitiæ conteſtationibus perſtrepebant, ut tamen ſolidi auxilii nil repræſentarent, Rege interim graviſſimis cum difficultatibus luctante. Ac ſatis patebat ipſos hoc

1657. agere, ut Rex ſuo nomine cum Auſtriacis in bellum deſcendat, poſtquam hi ipſum jam in Polonia invaſerant, ac cæpta ſine dubio longius perſecuturi ſint: cui ſi aqua hæreat, exigui quid clam ſubminiſtraturi ſint nullo ad ſummam rerum momento, tantum ne plane ipſius res peſſum eant, emolumenta itidem ſcrupuloſe eidem admetituri, ac ut ab iſtorum nutu ſemper dependere cogeretur. Sane Rex Claudio Tottio in Galliam profecto injunxerat, ut acriter inſtaret, quo reliqua è priore bello ſubſidia exſolverentur, demonſtrato, quam perniciosum cauſæ communi futurum ſit, ſi Rex ad turpes tractatus compellatur, & quid conſiliorum Hafniæ, & Viennæ cudatur. Enimvero quæ iſte ſuper reſiduis monebat, ſurda aure transmittebantur; ſimul negotium Polonicum ſibi parum cordi eſſe præ ſe ferebant, Etſi Rex judicaret, eos frigus iſtud erga Tottium oſtentare, magis ut declarationem ſuper arctiori fœdere exprimant, quam quod poſtulata ſua plane rejicere velint. Satis quippe Gallos intelligere, quantum oneris ipſe Galliæ detrahat, magna parte virium Auſtriacarum in ſe averſa, quæ alias ipſis incubitura erat. Quod ſi ex eo onere ſuæ res detrimenti quid caperent, id communi cauſæ, ac inprimis Galliæ non modicæ fraudi futurum, cui deinceps à ſe præſidii nihil præſtandum ſit. Contra ſi ipſe hac tempeſtate mature ſublevetur, ut ex voto præſentia negotia ad finem perducere queat, Galliæ viciſſim ingens firmamentum à ſe expectandum. Enimvero cum iſta frigidius à Mazarino exciperentur, Rex eum jubebat Gallia excedere, quod non eſſet à dignitate ſenatoria hoc modo in aula iſta hærere; tum ne adverſarii ſuſpicarentur gravius quid ab ipſo ibi agitari. Ad extremum tamen à Gallis ducenta uncialium millia offerebantur, quæ poſt longas demum moras exſolvebantur, moneta Gallica in Teutonicam mutata ad offenſam Polonorum vitandam. Ac trajecta quidem erat iſta pecunia Francofurtum; Gramondus tamen priusquam Svecis ſolutio fieret, Bavari mentem ſuper acceptanda dignitate Cæſarea explorare jubebatur. Quo Cæſare facto Svecis nihil dandum erat; quod Gallis ſpes foret, Bavarus ſeu Neoburgicus Cæſar fieret, horum ope ſe res Germaniæ pro lubitu temperaturos, haut indigos opis Svecicæ; quo caſu & vetus inſtitutum Proteſtantes in Germania colendi omiſſuri erant, Catholicorum Ordinum amicitia affectata. Sed cum Bavarus dignationem Cæſaream recuſaret, jam manus crumenæ admovebant Legati Gallici; ſimul mandata ſibi concludendo fœderi in promtu eſſe ferebant, mox & ipſi in bellum erupturi. Et poſtquam à Moguntino os ſibi ſublitum animadverterent, majorem Biærnclovio fidem adhibebant, qui de iſto ſæpe prædixerat. Simul operam ſuam componendo bello Polonico, & Moſcico offerebant: oſtentato quoque fœdere offenſivo & defenſivo adverſus Auſtriacos. Ad quæ Rex per Tottium Mazarino demonſtrabat: ſuas quidem rationes ita comparatas eſſe, ut de ſeparatione à Gallia ne cogitandum quidem ſibi ſit, cui & arctioribus ſeſe vinculis innectere meditetur: res tamen ſuas in præſens non ferre, ut directa id via tentari queat. Sed & quæ ab ipſo nunc agantur, utile Galliæ levamentum præſtare, dum huc converſi hoſtes, hanc interim omittant; quo nomine par eſſe à Gallis ſe pecunia ſublevari. Inter quæ Turennius agnatum ſuum Orgium Comitem Regi commendabat ad ſummi excubiarum præfecti munus in exercitu Svecico obeundum. Id quod Regi parum arridebat, quod Gallorum ingenia à noſtratibus diſcrepent, diverſo quoque bellandi, ac militem conducendi genere: & Gallos fere ſub finem militiæ ingentia merita, ac enormia poſtulata crepare: Poſt manifeſta jam Auſtriacorum in Poloniam invaſione, ac erumpentibus Danorum armis, Rex per Antonium Curtinium Gallos monebat, ut jam evictionem pacis Weſtphalicæ, & Bræmſebroënſis præſtarent, ſimul Belgas à favore in Danum retraherent. Unde iſti jam ſerio magis rem acturi videbantur, policiti Seneterram Mareſcallum cum duodecim millibus ad Moſellam paratum conſtiturum, ac quo Rex voluerit progreſſurum. Tum Avaugurius teſtabatur, ſi Auſtriaci Pomeraniam, & alia Regis in Germania loca invaſerint, Galliæ Regem iſtis bellum indicturum, ac in eam litem quicquid habeat Sociorum & amicorum in Germania pertracturum; idque ipſum

1657.

l'Orge.

Sauveur.

tum

1657. tum evictioni debitæ, tum præcipue benevolentiæ in Regem daturum. Et ſane acriter inſtabat Rex, ut Galli quamprimum cum copiis ad limitem Germaniæ accederent, ac ſi Ordines evictionem pacis præſtare nollent, in eorum Principum ditiones irrumperent, qui ab Auſtriacorum partibus ſtarent. Et quia Regem quam maxime argenti penuria premebat, Hugoni Terlonio declarabat, ſe pro idonea pecuniæ ſumma Borusſiam in Gallos translaturum, ut poſt fata Joannis Caſimiri Andegavenſis Dux eo facilius Regno Poloniæ potiri queat, circa quod Regina Poloniæ ſatagebat. Quin & licet Dux iſte id Regnum non affectaret, eam tamen provinciam malebat Gallis vendere, quam concedere, ut eadem in Auſtriacorum manus incideret. Enimvero circa guarantiam pacis Weſtphalicæ Galli multas ambages quærebant, nec ſerio manum rei admovebant, eadem agitante invidia, quam toto bello Germanico oſtenderant, qua Sveciæ inſignia incrementa accreſcere nolebant. Et optabant quidem Regem in bellum contra Auſtriacos ruere, ut tamen ſubſidiis ad ſummam rerum profecturis tempeſtive ipſum ſublevare negligerint. Tum & pacem Polonicam ſubinde ingerebant; quaſi per abſurda hoſtium poſtulata eadem potiri in Regis poteſtate fore, aut quaſi par eſſet, ab ipſo omnia commoda, quæ jam manibus teneat ad ſecuritatem ſtatus ſui, iterum amitti, & in Gallorum gratiam bellum ſumi, ex quo in hos ſolos fructus, ad ſe nil præter inanis fatigatio redundatura ſit. Cum Regi longe ſatius videretur compoſito bello Polonico domeſticis rebus ordinandis vacare, ac Germaniam turbis ſuis relinquere; cujus Principes aliquando pudore ſuffundendos ſperabat, quod tantopere ſeſe ipſius commodis objeciſſent, ubi ſe libidini Auſtriacorum nullo vindice expoſitos deprehendiſſent. Præſertim poſtquam adpareret, Gallis ſummam conſiliorum in eo verti, ut è ſua natione Polonis Regem imponant, cujus ope vires Auſtriacorum à tergo diſtinere queant, Svecis inſuper habitis, quos & ad qualemcunque cum Dano pacem compellere ſtudebant.

Terlon.

§. 47. Rex igitur amicorum tor- 1657.
pore ac invidia perſpecta, conſerva- *Rex Auſtriacorum amicitiam affectat.*
tioni ſuæ proficuum judicabat, haut diutius ſe inanibus promiſſis illudendum præbere, ſimul quantum ſalva exiſtimatione poterat, Auſtriacis inſinuare; non adeo infenſo ſe in ipſos animo ferri. Quæ hactenus facta ſint, fere ex errore & ignorantia mutuæ intentionis promanaſſe; quæ facile aboleri, & componi iterum queant, ſi Miniſtrum Svecicum diutius apud ſe ferre velint, ac ſuum iterum in aulam Regiam mittere, quo ipſo amicitia inſtaurata intelligi queat. Idque eo facilius ſucceſſurum ſperat, quod Rex ſuam amicitiam Auſtriacis haut adeo ſpernendam aut nullius momenti viſum iri duceret; cum præſertim nihil aliud poſtulaturus eſſet, quam ut deinceps alter alterius commodis ne obſtet, nec alterius ſe negotiis ingerant, noxamve inferant. De quibus Biærnclovius Francofurti apud Plettenbergium quondam Cæſareum Holmiæ Miniſtrum, ſibique notum velut ultro familiariter jaciebat, tecte tamen, ne quid Gallis ſuboleret, neve Proteſtantes animis caderent, & ad abſurda conſilia capeſſenda devolverentur. Plettenbergius id negotium diligenter ad miniſtros Auſtriacos relaturum ſe recipiebat, improbans Liſolæ à Rege diſceſſum: ac poſt jactabat, non ſine fructu id fuiſſe, & exercitum Auſtriacum nunc in Germaniam è Polonia contra Svecos haut iturum, uti quidem antea in Conſilio decretum fuerit. Sed quia iſta à Plettenbergio haut ſatis ſecreta habebantur, ac magis magisque Auſtriacos inter Miniſtros didebantur, ad ipſius quoque Moguntini aures permanantia; Biærnclovio è re viſum huic ſeriem rerum exponere, quæ in Polonia Regem cum Auſtriacis colliſerint; atque hunc ita ſemper ſe geſſiſſe, ut manifeſto deprehendi poſſit, ipſum Auſtriacorum amicitiam, & Imperii tranquilitatem æſtimaſſe. Enimvero judicabat Rex, Auſtriacos, ſi vel maxime pauliſper præſentium ſe temporum conditioni accommodent, Svecicamque amicitiam haut adſpernentur; nunquam tamen penitus priora conſilia abdicaturos, ſed obtentis quæ nunc deſiderant, ad priſtinas artes redituros. Fuiſſe tamen

Plettenberg.

1657. tamen ſibi ad hoc conſilii deſcendendum, ab amicis deſtituto, ne ita præcipitanter magno ac diuturno cum Auſtriacis bello implicaretur, ac ne hi tam multis hoſtibus diſtracto nunc in Germania nocerent. Interim tempus labi, & fortaſſe aliquid futurum. Eum autem utrinque fructum fore, ut & Auſtriaci quod maxime optant, rationes ſuas in Polonia ſe haut obſtante obtinere queant, ac ſibi honeſta occaſio præbeatur ſalva exiſtimatione inviſa regione excedendi, ac ſuas alibi res firmandi. Eosdem quoque paci cum Moſco conciliandæ utilem poſſe operam navare; quo ipſo & Brandenburgicus in partibus retineri queat. Saltem tempus extrahi, ut opportune cum uno aut altero pax concludi, hisque turbis exiri queat. Tum ex hiſce Moguntinum perſpicere, haut quaquam Regi animum eſſe pacem cum Germania abrumpere. Denique quia Galliæ & Angliæ magnopere intererat Regem adverſus Auſtriacos firmo talo ſubſiſtere, partesque Proteſtantium in Germania fulcire, quorum multi tutoribus opus habere videbantur; præſumendum eſſe, ſi per diffidentiam aut arrogantiam Auſtriacorum nil amice ab hiſce obtineri poſſit, iſtas eo magis obfirmandas ad retinendum ſuis in partibus Regem, ac ad promtius expedienda ſubſidia, quam hactenus fecerant. Hucusque enim Mazarino artificium fuerat Svecos blandis verbis delinire, ac Principes Rheno adſitos, Belgasque ſibi conciliare, ſic ut nil fiduciæ in ipſo collocari poſſet, præſertim Catholicis magis quam Proteſtantibus adrepenti: Sed & alia via tentare Auſtriacos conſtituerat Rex, juſſo Slippenbachio, ut velut privato auſo Chriſtianum Habbæum Pragam ad aulam Leopoldi mitteret, qui per Comitem Svvartzenbergium, cui is notus erat, id negotium inſinuaret. Hic Dresda ad Comitem ſcribebat, offenſam Svecorum ſe incurriſſe, & magni momenti ſecreta revelaturum, ſi tuto in aulam accedere liceat. Inde miſſo tuti itineris diplomate Pragam delatus apud Svvartzenbergium ſermone ſuper diſſidio inter Svecos & Auſtriacos orto pro mandatis ſibi commiſſis differebat conſpirantia cum illis, quæ Francofurti Plettenbergio Biærnclovius propoſuerat. Interrogatus num eo nomine expreſſe à Rege miſſus eſſet, id negabat; ſed privati negotii cauſa huc profectum, ac à Slippenbachio talia juſſum proponere, quæ ad bonum publicum tendentia ipſi ſecreto commiſerit: ac ſi ita videatur, hunc idoneis mandatis inſtructum diſſimulata perſona ei negotio conficiundo huc venturum. Iſti, velut qui legationis ſuæ fidem facere non potuiſſet, reſponſum, ſi ſerio rem agat Sveciæ Rex, poſſe per Biærnclovium tractari, ubi Leopoldus Francofurtum acceſſerit. Et quia à Biærnclovio, & Habbæo propoſita congruebant, Volmaro injunctum, ut per Plettenbergium Biærnclovio ſignificaret: probari iſta Regi Hungariæ; ac ut Plettenbergius gliſcentem amicitiam excolere pergeret. Revera tamen Auſtriacis haut perſuadebatur ſerio rem à Rege agi oblata ipſis ſua amicitia. Ac ſuper hoc negotio conſulti Hiſpani, à quibus tunc iſti plane pendebant, cenſuerant; Sveciæ rationes ita cum Gallia implicitas eſſe, ut illa ab hac ſeparari non poſſit; eoque haut expedire Auſtriacis, ut Sveciæ plura commoda ad Mare Balticum, & in vicinia Auſtriacarum provinciarum accreſcant, ſed potius aliquid eidem detrahendum. Contra Moguntinus ferebat, ſe vehementer Auſtriacis ſuaſurum, ut amicitiam Sveciæ amplectantur, ac circa eam conciliandam ſibi curæ fore. Sane per Regem non ſteterat, quo minus ſibi cum Auſtriacis conveniret. Cum Plettenbergius ſub initium belli Polonici ex aula Svecica revocaretur, Rex ipſi dixerat: ſine dubio ſe Poloniam ingreſſo ejusmodi negotia incidere poſſe, ut ſibi ac Cæſari utrinque fidis ac prudentibus Miniſtris opus ſit futurum, qui ſincere unius & alterius mentem interpretentur; cui fini ut Plettenbergius adhiberetur, quem cordatum virum judicabat, Rex optabat. Aſt contra Poettingius, ac præcipue Liſola, vir ad res turbandas natus, inter Regem & Auſtriacos omnia confuderant: & Volmarus Deputationi Francofurtanæ Auſtriæ nomine adjunctus non Germaniæ civem, ſed Poloniæ advocatum agebat, quoties de negotio Polonico mentio incideret. Contra querebantur Auſtriaci, haut bene feciſſe Carolum Guſtavum repudiato Cæſaris circa pacem conciliandam

1657.

Schwarzenberg.

1657. dam officio. Nam ſe facile ferre potuiſſe Polonos aſperius depecti, ac non ſuperfunctorie multari; velut qui à Gallis ſeducti in bello Germanico nihil eorum præſtiterint, quæ ex fœdere ſibi debuerant. Nec ſe in bellum id deſcenſuros fuiſſe, ni Ragozius interveniſſet; quo accedente Leopoldum diutius quieſcere non potuiſſe, quod Tranſſylvanus ipſi formidabilior ſit Svecis, Gallisque, ſi idem Polonia quoque potiatur: quippe quæ januam aperiat omnibus barbaris, queis Auſtriacas provincias infeſtare libido eſſet. Aſt Rex repudiati officii Cæſarei haſce rationes Ordinibus exponi jubebat: Auſtria„cos ſemper magis ſtuduiſſe Svecos „inter & Polonos diſſidium alere, „quam pacem promovere, idque ip„ſos è re ſua judicaſſe. Collatis quo„que inter ſe literis à Cæſare ad Re„gem Sveciæ, & Poloniæ ſcriptis, „tum è ſententia à Volmaro in Senatu „Deputatorum dicta, ac è reſponſis Kleyo datis peculiarem in Polo„nos propenſionem pellucere. Pæt„tingium ſuper concilianda pace lan„guide tractaſſe, ac ita ſuſpecte egiſ„ſe, ut dubitares, paci commen„dandæ, an Polonis in Svecos irri„tandis venerit. Literas Cæſareas „imperioſas plane fuiſſe. Porro à „Cæſare pacem inter Svecos, & Po„lonos ſemper impeditam id indicio „eſſe, quod profecta in Sveciam le„gatione Polonica Cæſar Legatos in „Moſcoviam miſerit, qui quid ma„chinati fuerint, eventum docere. „Cum tractatus Stetini, & poſt War„ſaviæ indicti non ſucceſſiſſent, & Jo„annes Caſimirus Polonia profugus „diploma pro Legatis peteret, id ſta„tim à Rege transmiſſum; ſed loco „Polonicæ legationis Cæſaream ve„niſſe. Ex quo tempore placitam u„trinque abſque ſequeſtribus tracta„tionem, & communicationem plane „ſublatam fuiſſe. Poſt prælium Warſa„vienſe Joannem Caſimirum, & Sena„tores Lublini ſat pronos in pacem ſe „oſtendiſſe: ſed reverſo Vienna nuntio „ita ſuperbum reſponſum reddidiſſe, „velut Regem atque Brandenburgi„cum plane debellaſſent. Cum præ„terita hieme Joannes Caſimirus ope„ram navantibus Gallis & Belgis cu„pidum ſe pacis declaraſſet, ob tracta„tum inter Regem & Belgas conclu„ſum & quia res cum Moſcis haut ex „voto ſuccedebant, Liſolam, qui an„num amplius aulam Regis ſecutus „erat, omiſſa valedictione clam Geda„num ſe proripuiſſe; quo facto ſtatim „congreſſum Commiſſariorum, qui „tunc agitabatur, evanuiſſe. Porro cir„ca id tempus Pragæ conſultatum fue„rat: an non Svecorum jam in Germa„nia provinciæ invadendæ forent, „quod Auſtriaci auxiliis in Poloniam „miſſis ita Carolum Guſtavum offen„derint, ut hic vindictam alta mente „repoſitam data occaſione ſumere „non ſit omiſſurus, etſi eam forte in „præſens declinare detur? Ubi majori „parti placuiſſe, jam commodiſſimam „eſſe occaſionem adjuncto ſociorum „auxilio Svecos commodis ſuis evol„vendi, præſertim cum non Catho„lici ſolum, ſed & multi Proteſtan„tium iſtos Germania dimoveri op„tent velut turbulentos, ac crebro ex„ercituum tranſitu vicinis moleſtos. „Sed Aurſpergium, & Porciam, adſti„pulante quoque Leopoldo, contra „plurium ſententiam concluſiſſe, rem „eam tantiſper in ſuſpenſo relinquen„dam, ſaltem quoad electio peracta ſit; „cum tanti momenti negotiis eodem „tempore vacari commode nequeat. 1657.

Sane & Wenceslaus Lobcovicius Princeps cum è Moguntino intelligeret, Svecum à tranſactione cum Auſtriacis alienum non eſſe, magno id cum gaudio accipiebat. Qui & judicabat, Auſtriacorum & Danorum rationes non bene inter ſe convenire. Quo fundamento Lionnæus Chriſtianum Ranzovium Comitem Regis Daniæ Legatum ad pacem cum Svecis ſtimulabat, velut Dania ab Auſtriacis, & Polonis utique deſtituenda. *Lobkowicz.* *Ranzov.*

§. 48. Inſtabat quoque Biærnclovius apud Deputatos Ordinum, ut auxilia Regi præſtarent adverſus Danum, Bremenſem provinciam ingreſſum, quam Ferdinandus in præmium abruptæ cum Svecia pacis iſti promiſerat; quod ipſi utique ad ejus evictionem per tabulas pacis Weſtphalicæ teneantur. Sed &, quos propius id negotium tangebat, Saxoniæ Inferioris Ordines in auxilium ſolicitabantur, ac inprimis Duces Luneburgici, quos præter communem Ordinum obligationem fœdus quoque Hildeſienſe ſtringebat. Ad *Ordines Imperii à Rege incaſſum in auxilium ſolicitantur.*

1657. Gengel. quos eo nomine Joannes Wilhelmus Gengelius tribunus mittebatur. Cui à Ducibus reſponſum; grave ſibi adverſus Danum in bellum deſcendere. Simul iidem alium Legatum ad Regem mittebant, cujus literæ fiduciariæ, quia vocabulum *Potentiſſimi* inſcriptione haut exprimebant, acceptatæ non ſunt. Unde iſte, cum alias ſibi literas procurare debuiſſet, non auditus diſcedebat. Ex quo colligebat Rex; Duces poſtulata ſua interpoſitis morarum ambagibus eluſum ire. Rex igitur viciſſim ad eosdem Davidem Mævium ablegabat, qui declararet: non eam ſibi mentem eſſe, ut auxilia ſibi in Holſatia, & Dania ferre debeant; ſed ut fœdere Hildeſienſi conventas copias exhibeant, quas Rex in limite provinciæ ſuæ diſponere queat, ſuo milite ex oppidis in campum deducto. Tum ut quæreret, quid ad defenſionem Ducatus Bremenſis, & Verdenſis ex Guarantia pacis Weſtphalicæ præſtare velint? Cæterum reſponſo in futurum prominente lactari ſe non ſineret, ſed puram declarationem ſuper ea Guarantia exigeret; ſi tergiverſentur, proteſtaretur ipſos in pœnam incidiſſe eorum, qui evictionem non præſtant, ac ſibi ſumtus in recuperandam Bremerverdam faciendos reſervaret; teſtatus Regi alia via ſecuritatem ſuam quærendam, & excuſatum eum eſſe velle à malis inde proventuris. Dudum quippe eundem monuiſſe, ut conventus Circuli convocaretur, & arma pararentur antevertendis Dani conatibus. Poſt conventu Saxoniæ Inferioris Luneburgi habito id negotium diſceptatum fuit; ubi ſuper literis ad Danum ſcribendis decretum eſt hoc argumento: *talem viam Danus iniret, per quam belli moleſtiis liberaretur Circulus, ac Bremerverda evacuaretur. Viciſſim pollicebantur Ordines, ſe apud Carolum Guſtavum interventuros, ut Svecica copia Holſatia educantur. Addebantur minæ, ni ultro faciat, vi ſe ipſum expulſuros.* Quas literas parum curabat Danus, quod noſſet, illos ultra verba non proceſſuros. Simul iisdem alias literas reponebat non ſine aculeis: *ſe perſpicere non poſſe, quomodo ipſi Holſatiam à Svecis purgaturi ſint, qui in Jutiam penetrarint, nec aliam communicationem niſi per Holſatiam habeant. Ac ſi Svecis fas ſit è Germania ipſum in Jutia invadere, quare ſibi nefas ſit è Julia Svecos in Germania invadere? Et quam cautionem præſtituri ſint, conventa ſervatum iri?* Sed & Brandenburgicus fœdere jam cum Auſtriacis concluſo eosdem dehortatus fuerat, ne Svecis adverſum Danum aſſiſterent. Ita hiſce literis, tum illis, queis Saxo velut Imperii Vicarius Dano turbatam Germaniæ pacem exprobraverat, nihil aliud profectum, quam ut juſtitia cauſæ Svecicæ adverſus Danum probaretur. Nam quæ ſub finem anni copiæ Circulares contrahebantur obſidendæ Bremerverdæ, ob importunum bello tempus re infecta iterum diſſolvebantur. Nec quam Circuli iſtius Ordines interpoſitionem offerebant, Regi curabatur. Ad Meclenburgici querelas eo conventu propoſitas Rex reſponderi juſſerat; „ ejus rei culpam „penes Danum eſſe, à quo reparatio „damni accepti quærenda ſit; & cur „Ordines non mature res Circuli di„ſpoſuerint, ut Dani conatibus ob„viam iri potuerit? Lubecenſes quoque & Hamburgenſes Rex auxilia poſcebat; ſed qui neutrarum ſe partium malle eſſe teſtabantur. Atque Hamburgenſibus quidem Rex per Vincentium Mœllerum, & Stephanum Gambrotium obtulerat, ſi loco Guarantiæ per Leges pacis præſtandæ ſummam pecuniæ dare velint, ſe Dani actionem in ipſorum urbem aboliturum, ſoceroque perſuaſurum, ut ſuam quoque partem remittat; tum ipſorum territorium auctum, & nonnulla commoda circa commercia in ſuis ditionibus indulturum. Sed his omnibus nihil profectum. Nec plus Francofurti obtentum, ubi Biærnclovius apud Moguntinum de invaſione Dani propoſuerat, ac ut Ordines debitam Guarantiam repræſentarent, deque eo negotio ad Deputatos referretur. Ubi aliquandiu dubitatum fuit, ad Collegium Electorale, an ad Deputationem id ſpectaret. Demum tamen apud Deputatos res propoſita fuit. Qua in conſultationem deducta aliqui defectum mandati excuſabant, alii ad ſuperiores relaturos ſe ferebant, alii verbis incaſſum altercabantur; Auſtriaci palam renitebantur, Volmaro jactante; non deberi Svecis ab Imperio evictionem adverſus Danum, quod iſti pacem priores infregerint abolito Capitulo Bremenſi.

Proteſtiren. Möller. Gambrotius.

Alii

1657. Alii clamabant; Ordines nihil feciſſe, cum Brandenburgicus Neoburgico, & Sveci Bremæ urbi bellum inferrent; ac dubium eſſe, num hoc interregni tempore decerni quid ac ſuſcipi queat. Alii tamen contendebant, Dani invaſionem ferendam haut eſſe, quod incendium id, ni mature ſiſtatur, latius ſit diffundendum. Sed quibus acriter renitebatur Volmarus, qui & impediebat, ne ſuper hoc negotio ſententiæ perrogari poſſent. Inter iſtas altercationes Miniſtri Moguntini Melius, & Joannes Philippus Vorburgius ſilebant, ac utrique ſe parti venditabant, id quod Elector in ſpeciem improbabat. Quia tamen Rex minas ſparſerat, ſe ubi ab Ordinibus plane deſtitutus fuerit, ſibi conſulturum, ac militi ſuo hoſpitia per Ordinum ditiones aſſignaturum; Gallici Legati ne id fieret diſſvadebant, auxilia, ac ſubſidia polliciti. Qui & verbis acrius pro Svecis certare cæperant, poſtquam Biærnclovii cum Plettenbergio commercia animadverterent, & hic teſtaretur, nil hoſtilitatis Leopoldo adverſus Svecos eſſe; quod metuerent, ne forte Svecis clam cum Auſtriacis conveniret.

Vorburg.

Super fœdere Rhenano agitata.

§. 49. Poſt mortem Ferdinandi III. Electores Eccleſiaſtici inter ſe, & cum Palatino Neoburgico fœdus iniverant, mutuæ defenſionis gratia, ad quod poſt Luneburgici, ac Caſſellanus, tum Gallus, Belgæque invitabantur. Luneburgici tamen, & Caſſellanus, ei nomina dare abnuerant, niſi adſcito quoque Rege Sveciæ, & Brandenburgico: de quo initio Catholici dubitaverant, ne ipſi hac occaſione bello Danico involverentur. Regi ea res haut ſpernenda videbatur; eoque Snoilſcio in mandatis dabat, ut quid ſolidi ſubſit, & quo iſtud ſpectet, exploraret, ac ſuper conditionibus ageret, quas non alias admittere volebat, quam ut provinciæ ſuæ à ſociis defenderentur adverſus quosvis, etiam ipſos Auſtriacos. Contra reliqui nolebant teneri ad defenſionem provinciarum Regiarum contra hoſtes in præſens exiſtentes, & quidem duntaxat Ducatus Bremenſis, non item Pomeraniæ. Id quod demum Rex admittebat, modo communis guarantia omnium ipſius in Germania ditionum ſalva perſiſteret. Tractatione ſuſcepta reliqui bello Danico & Polonico miſceri conſtanter abnuebant; Bremenſem tamen ditionem incluſuri, ubi Bremerverda recuperata fuerit, quam poſt contra ipſum Danum tuituri ſint, ac deinceps forte ſurrecturos hoſtes, Belgas, Brandenburgicum, Auſtriacos. Ac multum differre hoc fœdus à guarantia Tabulis pacis ſancita, ad quam æque ac alii Ordines pro rata teneri velint, peculiari obligatione ex hoc fœdere non velint. Ac eſſe hoc fœdus viam ad accuratius adornandam guarantiam, quæ in Inſtrumento Pacis paulo laxius concepta ſit. Electores autem hoc fœdus ſibi velut præſidium circumponere inſtituebant, quod hactenus ſe inermibus, aut nullo circa rem militarem idoneo vinculo Cæſar prævalente potentia leges pacis parum obſervarit; unde & ipſos nunc arma velle parare, iisque ſubnixos ad formandam Capitulationem progredi, quam pro re nata, & prout ſalus Imperii requirat, ſint adornaturi. Sane Moguntinus ferebat, ideo ſe electionem extrahere, ut prius hoc fœdere præſidium ſibi comparat, ac inde Cæſarem pro lubitu creare queat. Contra id fœdus valde diſſvadebant Auſtriaci Miniſtri, velut ſupervacuum, quod nullam aliunde periculum immineat. Brandenburgici quoque frigide id negotium tractabant, quod negarent, Electorem cum Neoburgico poſſe eidem fœderi innecti propter controverſiam, quæ ipſi cum eodem ſuper directorio Circuli Weſtphalici ſit. Ac cum poſt Elector partibus Auſtriacis plane acceſſiſſet, ejus Miniſtri paulatim iſti ſe negotio ſubtrahebant. Regi quoque fœdus iſtud haut magnopere cordi erat, poſtquam ſocii utique bellum Danicum & Polonicum excipere vellent, à quo provinciis ſuis maximum periculum imminebat. Ne tamen quid in ſui præjudicium concluderetur, Snoilſcius jubebatur diverſis conditionibus propoſitis tempus extrahere, prout res ſe darent, id ſubiturus, aut repudiaturus.

1657.

Cum Moſcis inceſſum de pace agitatur.

§. 50. Cum Moſcis eo anno bellum langvide trahebatur, quod iſti ſuperiore autumno vires ſuas ad Rigam non parum attriviſſent, plurimis quoque per aggreſtes è ſylvis ac paludibus procurrentes trucidatis. Ac

1657. ſcripſerat Ragozius Regi; pœnitere Czarem, quod aliorum inſtinctu contra Sveciam arma ceperit. Sed quia diſpares plane Moſco Svecorum vires iſtis in oris erant, nolebat Rex Magnum Gardium ſuas copias fruſtra fatigare, ſed ut ſatis haberet vim hoſtium propulſare, eorumque excurſiones coërcere. Quanquam & alias miſera erat ratio belli in ea provincia gerendi, vaſtis ſylvis ac paludibus interſtincta, ac tectis agreſtium late ſparſis. Sed nec placebat Regi plures copias huc, & in Careliam mittere, ne Svecia viris exhauriretur, ibi famæ conficiendis; quæ & hoſtem deſtructura erat, ſi numeroſo cum exercitu ingrueret. Et quia à Dano bellum imminebat; Rex Gardium jubebat nullam cum Moſco tractandi occaſionem negligere, etiam ubi pax cum Polonis ſuccederet, quod cum utrisque tranſigere idem optaret. Quo in negotio affectus ſuos ſeponeret, & quæ damna provinciæ noſtræ paſſæ ſint, potius iniquitati temporum adſcriberet, quam circa iſta ulciſcenda ſatageret, contentus veteres limites recuperaſſe. Quin ne ab induciis quidem alienus erat Rex, modo Legati ſui prius dimitterentur, ac ſi ullo modo fieri poſſet, Kakenhuſa & Dorpatum reſtituerentur. Ac ut Moſci eo facilius ad tractandum permoverentur, iſtis indicabatur, Polonos Corona ſua Cæſari oblata ipſos illuſiſſe. Enimvero Moſci verbis quidem ſtudium pacis teſtabantur, ut tamen eandem iis parum eſſe cordi adpareret, ſpe Polonicæ Coronæ potiundæ nondum depoſita, & quia Vilnenſi conventione promiſerant, ſe abſque Polonia cum Svecis haut tractaturos. Sed & coquebat adhuc ipſos deſiderium portum aliquem ad mare Balticum nanciſcendi. Simul Kakenhuſæ novum vocabulum à Czaris filio Demetriagorodam indiderant, ut ipſa exiſtimatione ad eum locum retinendum obſtringerentur. Eo majore autem cautione opus erat, quod negotium eſſet cum Naſſokino, mortalium aſtutiſſimo, Kakenhuſæ præfecto, qui ad Ducem Curlandiæ procuratorium ſuum tranſmiſerat, Gardii colloquium Mitaviæ expetens, quo fine certum diem dici volebat, ipſe quoque eodem acceſſurus. Qua de re cum Gardius Duci ſignificaret, hic declarabat; ſe in hoc negotio ſequeſtris vices obire haut poſſe, nec conventum Mitaviæ permittere ſibi integrum eſſe, niſi & è Polonorum parte aliquis interveniat, prout pactis inter Polonos & Moſcos Vilnæ conventum ſit. Id quod cum Gardio diſpliceret, omiſſo Curlandi officio quod impediendis magis quam promovendis tractatibus futurum erat, Albertum Bulovium ad Naſſokinum miſit percontatum, num Czar ſolus cum Sveciæ Rege tractare poſſit, an minus? Priori caſu ipſius procuratorium inſpicere cupiebat, legatosque liberos dimitti poſtulabat: ſimul de induciis proponebat, dum tractatus idoneo loco in finibus inſtituuntur. Quanquam & alias tunc in Livonia utrinque ab actionibus bellicis ceſſabatur, quod nec operæ pretium fieri poſſet, nec crabrones irritare expediret. Aſt Naſſokinus qui hactenus plena ſe tractandi facultate inſtructum jactaverat, nunc cum Svecos citra ambages ad rem accedere velle perſpiceret, apud Bulovium excuſabat; nova ſibi à Czare mandata expectanda, quæ intra menſem affutura ſint. Ex quo ſatis patebat, fraudulenter ipſum tempus extractum ire, præſertim poſtquam Danus per literas Czarem ad invadendam denuo Livoniam invitaſſet, confirmans Belgis ſe arcto fœdere jungi, ac valida impreſſione Svecos diſtrahere conſtituiſſe. Cæterum tractatus cum Moſco ad titulum præcipue adhærebant, cujus recentia augmenta Moſci in anteceſſum ſibi cupiebant tribui, qua conditione & Legatis Svecicis dimittendis paratos ſe ferebant. Sed Sveci, quod iſta inter cauſas belli adducta erant, nonniſi prævia conventione, aut per tractatus pacis eadem dare volebant. Haut eo minus ſimulabat Gardius, ſibi perſuaſum à Moſcis candide rem, & ſerio agi, ut Polonis ſcrupulum injiceret. Tum alliciendis Moſcis ad Pleſcoviæ præfectum ſcribebat; ſi pax placeat, Regem ſeſe obſtricturum ad tuendas regiones, quas hoc bello Czar Polonis eripuerit: tum à Cæſare Coronam Polonicam pro filio Carolo Joſepho acceptatam fuiſſe. Id quod ab ipſo ſcriptum Regi diſplicebat, quod inde Ragozio ſuſpicio poſſet oriri, qui cum conventum fuerat, ne Rex cum Moſco paciſci poſſet circa terras ab hoc Poloniæ ereptas: ne maluerat iſta per alium

potius

1656. potius in Moſcorum notitiam perveniſſe, quod hi ſine dubio iſtius literas in aulam Cæſaream transmiſſuri erant. Cæterum cum Gardio ſpes de induciis facta eſſet, quoad ſuper præliminaribus conveniret, Bulovium ad eam rem abſolvendam Kakenhuſam remittebat. Sed qui à Lithuanis in itinere interceptus Polonos non modica ſuſpicione perſtrinxit tractatuum inter Svecos & Moſcos ſecreto agitatorum. Nec minus tamen per alios id negotium perſequi inſtituebat, præſertim poſtquam Moſci cognita Coſaccorum cum Svecis conjunctione ad molliora viderentur flecti, Naſſokino quatuor aut ſex Septimanarum inducias petente, quo ſpatio ad Czarem profecturus ſit novis mandatis obtinendis, etſi ſcripto ſuper his cavere nollet. Quod cum ab ipſo propoſitum adpareret tempori duntaxat extrahendo, Gardius vicißim poſtulabat, ut initium armiſtitii eſſet, quando Svecici Legati intra fines noſtros pervenerint; id quod ſolido indicio futurum ſit, ſerio rem à Moſcis agi. April. Sed poſtquam curſor Danicus cum literis Kakenhuſam in Moſcoviam transiſſet, non exigua apud Naſſokinum mutatio adparebat, ut tot conteſtationes ſuper pace factas vario colore retractaret. Unde & Gardius aliquandiu ſcriptione ſuperſedebat, ne nimio pacis deſiderio oſtenſo Moſci inſolentiam augeret. Ita aliquandiu cupido pacis apud Moſcos velut ſopita jacebat, quoad demum Richardus Bradſchavius à Cromvello miſſus Mitaviæ adpelleret, ſequeſtris munus inter Svecos Moſcosque ſuſcepturus. De cujus adventu cum Naſſokino ſignificaretur, is hujus admiſſionem differebat, quoad à Czare mandata acciperet, quæ celeribus nuntiis petiturus ſit. Sed quo minus Legatus iſte à Moſcis admitteretur, per Danos, Belgasque, ipſiusque Curlandiæ Ducis artes effectum eſt. Quorum & hic Anglo de communibus tractatibus ingerebat, in quos quicquid controverſiarum quibusvis cum Rege intercederet compingeretur; ut huic pro libidine hoſtium leges præſcribi poſſent, collapſura penitus ejusdem autoritate, ſi ad arma exuenda compelleretur. Cauſam non admiſſi Legati Moſci vitium circa Czaris titulum obtendebant. Traditum tamen eſt, literis ipſius fiduciariis non de pace, ſed commerciis duntaxat expreſſum fuiſſe. Unde ſuſpicio erat, privati duntaxat negotii cauſa veniſſe, pacis conciliationem obtentui ſumtam. Quicquid ejus eſſet, ſane literas ipſius Moſcoviæ odioſis verbis exceptas conſtabat, nec reſponſi quid ad eas à Czare, aut Naſſokino redditum. Unde iſte demum moræ pertæſus re infecta Mitavia Hamburgum iterum diſceſſit. 1657.

§. 51. Poſt tamen cum manifeſte à Polonis ludibrio ſeſe habitum Czar ſentiret, ſimul initia belli Dano male darent, ſerio ad tranſigendum cum Rege animum adplicuit. Qua inclinatione uſi Legati Svecici ſcripto exhibito Czari demonſtrant; quomodo Auſtriaci Polonis exercitum auxilio miſerint; ac uti bellum primo Svecos inter & Moſcos conflaverint, & adhuc foveant, quo iſtos eo facilius è Boruſſia ejicere valeant; & quod Poloni iſtis coronam ſuam promiſerint, in cujus cautionem jam Cracoviam Regni metropolim milite ſuo inſideant. Unde Moſcis potens admodum atque formidandus hoſtis ſurrecturus ſit, cui iſta perſuaſio ſedeat, hæreticis fidem non eſſe ſervandam. Cujus ſpecimen & in ipſis Svecis nuper dederint, abrupta pace tam ſancte firmata. Quibus ruminatis cupido pacis non parum apud Moſcos gliſcebat. Quæ nec minor penes Regem erat; qui promovendo iſti negotio, & quia res in Polonia ingentem mutationem ſubierant, non amplius dubitabat Czari ultro deferre augmentum tituli *Lithuaniæ* & *Albæ Ruſſiæ*. Reliqua tamen vocabula, *Orientis*, *Occidentis*, ac *Septentrionis*, item *auscultatorum ſucceſſor* haut alia lege tributurus erat, quam ut Moſci ſcripto ſibi caverent, ſub illis nihil denotari, quod jam ad Coronam Sveciæ pertineat. Sed & circa conciliandam pacem Rex non amplius utendum ſibi judicabat Curlandi opera, aut Brandenburgici velut ſuſpecta; ac ſi Anglus à Czare non admitteretur, à Gallo petebat, ut eo fine legatum in Moſcoviam mittat iſti operæ obeundæ; qui, ut eo acceptior eſſet, circa novos Czaris titulos difficultatis nihil moturus erat, velut qui Galliam nullo modo tangebant. Nec arduum videbatur eam pacem conciliare, cum Rex nil aliud poſtularet, quam ut omnia in priorem locum reſtituerentur, remiſ-

1657. remissa quam postulare poterat satisfactione. Cæterum Moscis illud adhuc scrupulum injiciebat, quod Magnus Gardius, postquam hactenus tam ample de studio pacis jactasse, haut eo secius Dorpatum & Augdoam aggressus sit. Ad quod Legati reponebant: Regi pacem utique cordi esse; sed Gardium cum ad oblata abs se pari studio responsum non esset, militari more fortunam tentasse, quæ anceps esse soleat. Ad quæ Mosci declarabant; si serio rem agat Rex, se in pacem pronos esse: simul permisere Legatis, ut ad Regem Cupradum Bernerum cum literis mitterent, ipsius sententiam circa locum tractatuum, & Commissarios scisciturum. Ipsi Legati à Czare dono mille aureorum mactabantur, necessariis victui rebus è mensa Czaris affatim subministratis. Contra Poloni, ut eos tractatus redderent difficiliores, actionem suam in Livoniam Moscis cesserant. Iisdem Curlandus quoque omni arte resistebat; qui & navibus suis Moscicum Legatum una cum Danico ad Czarem Hafniâ Libaviam trajecerat. Ad eundem tamen cum Czar ratificationem fœderis cum Dano icti cistulæ inclusam misisset, inde navi Hafniam curandam; Dux uti ferebat eam Czari remiserat, mare intutum causatus. Id quod Svecis imputabat, velut fœdus inter Moscos ac Danos hoc modo retardaverit. Cæterum spes pacis cum Moscis, quæ nunc affulgebat, eo liquidior habebatur, quod hi antea à Polonis velut fascinati jam manifeste deprehendebant sibi ab hisce illusum; & quam in Danis collocaverant, fiducia fere evanesceret continuis horum cladibus vulgatis. Ac utique demum aliquando statuendum ipsis erat, cum Svecia, an cum Polonia habere pacem malint; cujus spem apud Polonos ipsis adimebat recens horum cum Cosaccis conjunctio. Et simul translatam nunc in Austriacos Coronæ Polonicæ spem sibi antea promissam, Czar usque adeo ægre tulerat, ut altera vice adventantes Legatos Austriacos haut admissos iter relegere jusserit. Ac metuendum ipsi erat, si Poloni vires receperint, eorumque cum Austriacis amicitia radices egerit, validissimum ea parte hostem sibi oriturum, qui nunquam jacturam Lithuaniæ, & Russiæ Albæ digesturus

Augdo.

15. 08.

Bernet.

sit. Quo casu Svecorum eidem amicitia utilissima erat futura, nullo à fœdere Danico robore accedente. Sed & internæ turbæ Czari erant metuendæ ob damna in Livonia accepta, Moscorum natione in res novas proclivi. Excitatum ipsum ad arma in Sveciam sumenda Polonorum promissis, Austriacorum stimulis, à Dano ingentibus auxiliis ostentatis; quæ nunc in contrarium verterint, aut cessârint. Infaustum quoque fuisse id bellum absumto exercitu, impeditis commerciis; ac metuendum subesse, ne portus Archangeli ab Anglis plane obstruatur. Esse insuper multo majoris momenti, quæ in Lithuania & Russia Alba ipse occupaverit, quam quæ in Livonia: ista autem tueri arduum fore, ni cum Svecis transactum sit. Ad Turcam quoq; oculos reflectendos, qui ipsius progressus suspectos habeat. Videri insuper tam Polonos quam Moscos pronos ad arma iterum in se mutuo stringenda, ubi induciæ proximis Kalendis Ianuariis expiraverint. Deniq; ideo Moscos citra sequestrium operam tractare velle, ne forte per hosce negotium magis turbetur, quam promoveatur. Non tamen deerant rationes, quæ istiusmodi haut nimium fidendum suadebant, velut quæ infestissima quæque animo fovere soleat, quando blandissimos ultus ostentat. Eandem nunc occasionem datam sibi credere oppida mari adsita occupandi, per pestilentiæ atrocitatem milite ac civibus fere exhausta. Dum è suo ingenio alios judicat, haut credere Svecos tantam offensam condonaturos; eoque haut temere concessuram, ut isti vires reparent, ac mala accepta cum fœnore remetiantur. Czarem Svecos sibi formidandos magis hostes, quam Polonos habere: eoq; male cum Polonis in Svecos, quam cum hisce in Polonos jungi. Sed nec dum Danus atq; Curlandus stimulos adversus Svecos subdere cessabant. Desiderium pacis in speciem sumtum, ut querelis suorum satisfacerent, quibus se datis facile esse dicere; per Svecos stetisse, quo minus pax coaluerit. Suspectum quoq; esse, quod majores machinæ riondum Kakenhusa abductæ fuerint, & captivi equuleo subjecti sint, ut conditio castelli Dunemundani explorâretur. Inter ambigua ista hic annus incassum elabebatur, donec sequenti pax Danica Moscis quoque cum Svecis amplius bellandi cupidinem eximeret.

1657.

§. 52.

1657. *Armis in Moſcos acta.*

§. 52. Inter hæc ſubinde bellicarum quid actionum exercebatur, etſi modico ad ſummam rerum momento. Sub initium anni juſſu Magni Gardii apud Waſchnarvam equites, dimachæque Svecici contrahebantur, è quibus caterva trecentorum equitum Adercaſio & Glasnapio ducibus apud Axelam in mille ducentos Moſcos incidens, impetu eos in fugam conjecit, aliquot centuriis cæſis, duobus ſignis ereptis. Ea ſtrages peditibus præcipue incubuerat, quod equites Moſci ſtatim fugam arripuiſſent. Et quia tractatus cum Moſcis lente procedebant, Gardius expedire judicabat, junctis cum Guſtavo Hornio copiis in Moſcoviæ fines irruptionem facere, quamdiu flumina paludesque glacie obductæ tranſitum ubique darent; quo præda ſuos reficeret, & ex hoſtico ſuſtentaret; ſimul belli malis amorem pacis apud iſtos excitaret. Ac jam Erici Kruſii ſummi excubiarum præfecti catervæ Moſcoviæ fines irruperant, vicosque aliquot inflammaverant. Sed & Tollius tribunus ex improviſo valida cum caterva Lithuaniam irruperat, apud Creutzbergam retro Moſcorum præſidia flumine Duna ſuperato, ubi nemo Svecorum adventum ſuſpicabatur; ac in Vilcomirienſi diſtrictu magnam populationem fecerat, oppidis Rakiſcio, Uſpola & Obola vaſtatis, multis Nobilibus captis, terroremque late circumfuderat. Idemque in reditu aliquot cohortes Moſcorum Kakenhuſam tendentes profligaverat magna parte cæſa. Emiſerat inde Naſſokinus Kakenhuſa tres equitum, octo peditum cohortes, ut Svecos intra hoſpitia improviſo opprimerent. Sed hi iſtorum adventu mature cognito contractis turmis repente Moſcos invaſere, pulſosque Kakenhuſam refugere coëgerunt, ducentis quinquaginta cæſis, duobus ſignis ereptis. Inde ipſe Gardius Petzuram verſus impreſſionem intra Ruſſicos fines faciebat, centum amplius vicis eo tractu in cineres datis, ac duodecim hoſtium turmis fuſis, quæ in finibus ipſius occurrebant, è quibus quinque vexillis ipſe potitus eſt, ſuorum militum non niſi duodecim deſideratis. Quia excurſione facta ad Embeccam fluvium ſtationem cupiebat, inde Adzelam aggreſſurus, quæ Moſcis communicationem inter Dorpatum & Kakenhuſam præſtabat. Ea tamen hiberna expeditio Regi diſplicebat, quod Gardius copiis contractis, dum poſt dubitabundus Lithuaniam an Ruſſiam peteret, ſubſiſtit, Regis ditionem exediſſet, ſimul copias non parum afflixiſſet, dum eas tamdiu uno in loco continet, inter iſtas moras glacie ſoluta, quæ acceſſum in hoſtica deinceps intercludebat. Cæterum emiſſæ à Gardio Catervæ quantum poſſent Moſcos carpebant, quarum una ſub machinarum jactu ad Kakenhuſam centum quadraginta equos abripiebat, cæſis triginta Moſcis, viginti captis. Biſtramus quoque tribunus apud Dorpatum aliquot navigia commeatu onuſta incenderat, occiſis qui comitabantur. In Ingria quoque ſubtribunus Reckius centum equitibus, quinquaginta dimachis non amplius ſtipatus ſedecim Moſcorum centurias profligaverat, multis cæſis, unoque ſigno erepto. Inter hæc Svecorum copiæ, quæ ſedecim equitum centuriis, quingentis ſexaginta dimachis conſtabant, Adzelam obſederant ſub Friderico Levvio. Quas inter moras & Moſcos caſtello, cui Caſter vocabulum, ad Embeckam fluentum, qua id lacui Peipis infunditur, expulerant terrore magis quam vi, dum omnia aſſultui dando parata oſtentabant. Ad iſtos porro Adzelæ obſidio dimovendos, ſimul ut quod reſtabat Livoniæ popularetur, Scheremetofius decem Moſcorum millia inter Plescoviam & Petzuram contraxerat. De quorum adventu cum Levvius cognoviſſet, omiſſa Adzela apud Walcam oppidulum hoſtem inſtructis Ordinibus expectabat. Quo ingruente atrox prælium commiſſum eſt, cujus initio Tollii tribuni legio repellitur, ſed Glasnapii, Ponti Gardii, & Chriſtiernii Hornii legionibus ſuccurrentibus, hoſtis ſtrenue licet aliquandiu reſiſtens in fugam conjicitur, magna cumprimis cæde ad viæ anguſtias edita, qua fugientibus tranſeundum erat. Cæſorum mille quingenti numerabantur, præter eos, qui ab agreſtibus per ſylvas trucidati ſunt. Triginta duo ſigna erepta. Ipſe Moſcorum Dux Scheremetofius, aliique primorum graduum duces cecidere. Svecorum pauciſſimi ſunt deſiderati. Inde ab obſidium Adzelæ reditum

1657. 6. *April.*

Waſchnarva.

Adercas. Glasnap. Axel.

Febr.

Biſtramus.

Kruſius.

Tollius.

Creutzberg.

Reckius. 18. *Jul.*

Rakiſki. Uſpola.

Levvius.

Sclaremetof.

Mart.

Walca.

28. *Mart.* *Petzura.*

Embeck. Adzela.

Aug.

1657. reditum fuit, quod tamen demum Levvius deseruit, falso rumore inductus, velut hostis majores prioribus copias apud Petzuram contraheret nuperæ cladi ulciscendæ. Dorpato inde Gardius copiis admotis deditionem imperabat. Sed cum Mosci ad isti succurrendum accederent, iterum discedebat, his paulisper insequentibus, mox tamen intra fines suos regressis.

Wittenstein. Gardius inde castra Wittensteinam transferebat, Narvam progressurus, ut cum Gustavo Hornio se conjungeret. Sed enixis precibus instabant Livoni, ne provinciam copiis nudatam hostibus prædæ exponeret.

Pip. Igitur ipse plerasque copias sub Friderico Levvio apud Pipam relinquebat tegendæ Livoniæ. Ipse cum paucis Narvam excurrit inspiciundis munitionibus, simul tentaturus, num ibi incursione facta hostis distrahi posset.

Wendem. Interim in Livonia apud Wendam turmæ Kakenhusensium irruptionem tentaverant. Sed primo agmine à

Armfeld. nostratibus sub Armfeldio vigilum præfecto pulso, triginta cæsis, reliqui retrocedebant. Supplicaverant alias Mosci impense Czari ut hoc anno expeditione in Livoniam supersederet, quo à belli oneribus respirarent provinciæ, & quia in diversa parte Tartari intra Moscoviæ fines irruperant. Sed Dani acriter instabant, ut invasio in Livoniam repeteretur, ostentata Riga velut facili negotio expugnanda, ubi præsidiariorum numeros immanis pestilentia valde imminuerat. Difficiles tamen domi res, & vacillantia consilia efficiebant, ut Mosci omissa insigni expeditione excursionibus tantum Svecos carpere instituerent.

Margenburg. Inter alia apud Margenburgum quingenti Mosci pecora abigere conabantur, postquam Dorpato subvenissent. Sed Sveci re cognita in insidias compositi istos circa pecora compellenda satagentes invadunt, cæsis ducentis, tribus vexillis ereptis. Isti tamen qua pertigerant, omnia misere vastaverant. Adercasius quoque Moscos, qui apud Erlam se munivierant, extra munitiones pertractos mutabat, centum amplius occisis. Mox tamen Czar à Nassokino persuasus ingentem iterum exercitum Livoniæ infundere parabat, triginta militum millibus apud

Druina. Druinam contractis. Sed cum præcursorum catervæ Kakenhusam pervenissent, ac regionem à pestilentia misero vastatam conspexissent, territi retrovertebant, quod isti genti id malum valde formidetur. 1657

Sept. Ast Gardius Marvam delatus apud Waschnarvam, ubi flumen ponte stratum erat, antepositio castello, in hostilem terram irrumpere decrevit Augdoam versus, commodo ad id usque oppidum itinere, quo ex loco totus districtus Sommersensis, Naugardiensis, & Plescoviensis in prædam patet; quo & Fridericum Levvium cum omnibus copiis evocaverat, paucis relictis ad Dorpatensium excursiones inhibendas. Præcipua ratio fuerat, ut copias ex hostico aleret, penumque inde strueret, quo Regia provincia sublevaretur; si valentior hostis ingrueret, omnia flammis evastaturus. Ita Moscoviæ fines intrat octodecim equitum, duodecim dimacharum centuriis instructus nullo peditatu, & sub Augdoam usque accessit. Qui in oppido erant per astutiam metum simulabant, ac tractatui super deditione paratos se ostendebant. Unde Sveci securius agere voluit nullo ab hoste periculo. Sed triduo elapso Moscorum copiæ Plescovia evocatæ primo mane improviso ingruebant, ac jam in conspectum Svecorum accesserant, viribus longe potiores. Unde cum nulla hisce salutis via nisi celeri in receptu foret, agmen repente retro vertitur, Moscis semper imminentibus, & cum postremo agmine velitantibus, quoad pons ad Waschnarvam attingeretur. Eo ponte dejecto Sveci Narvam properarunt, copiis haut modice inani expeditione afflictis. Qui damnum elevabant, è Moscis quadringentos, Svecorum non nisi centum quinquaginta cecidisse ferebant. Ipsi Mosci septem millium numero duobus intra Waschnarvam milliaribus superato fluvio in Wirriam irrumpebant, quam ferro flammisque populabantur. Inde tres parochiæ in Alentakia vastabantur. Tum lento itinere Narvam usque procedebant, cujus suburbia urebantur, incolis Moscicæ nationis omnia hosti subsidia ferentibus, qui & deinde cum hoc abibant. Infra Narvam Mosci superato flumine in Ingriam pergebant, quæ superioris anni vastationi superfuerant urentes; ac ita ingente populatione fa-

1657. ne facta intra ſuos fines regreſſi ſunt, aeri ultione ob Svecorum irruptionem ſumta. Per reliquas quoque provincias Moſcoviæ contiguas pauca eo anno geſta ſunt memoratu digna, niſi quod Julio menſe Narva exiens caterva centum quinquaginta equitum apud Jamam ſedecim Moſcorum centurias in provinciam irruptionem meditantes in fugam compulit, centum amplius occiſis. Cæterum iſtis oris ſat habebatur hoſtem utcunque propulſaſſe, quod miſera admodum eſſet ejus provinciæ facies ob peſtilentiam, quæ Revaliæ cumprimis magnam ſtragem ſederat, civibus æque ac militi infeſta. Guſtavus Hornius in Ingria agebat paucioribus copiis ſuccinctus, quam ut in Moſcoviam irrumpere poſſet, quod Moſci omnes aditus validis catervis cuſtodirent, ac quo minus hinc inde incurſiones facerent, tam modica manu prohiberi haut poſſent. Iidem quoque Kexholmenſem diſtrictum impetebant, quo dum Hornius adproperaret iisdem repellendis, jam Ericus Kruſius eos abegerat, modico duntaxat damno illato, quod ſub propinquum ſe caſtellum reciperent, unde noctu in tuta ſe ſubducebant. Immiſſæ tergis fugientium catervæ aliquos tardius molientes concideruut. In Cajania denique conglobati provinciales trecentos, qui irruperant, Moſcos occiderunt.

Revel.

Lithuani in Livoniam irrumpunt.

§. 53. Quaſi dira lues, Moſcorumque immanitas evaſtandæ Livoniæ haut ſufficeret, jam tertium quoque malum accedebant Lithuani, qui Duce Goſievio poſt neutralitatem à Brandenburgico acceptatam relicta Boruſſia in Livoniam vertebant, dum in diverſa parte Gardius agitat. Spes iſti fuerat, caſtellum Cobronianum trans Dunam ſitum ſubito impetu opprimendi; tum ingenti ſe favore à provincialibus excipiendum. Sed eo conatu fallente Duna ſuperato inter Rigam & Kakenhuſam conſidebat eminus includendæ Rigæ; cui fini & caſtellum ad Kerchholmiam inſtaurabatur. Ac initio captandæ benevolentiæ ab agreſtibus injuriæ prohibebantur. Ad Cobronianum caſtellum circumſidendum ſexcenti relicti fuerant. Ad eos disjiciendos Helmfeldius Alfendelium ſubtribunum miſit, qui Lithuanos utut munitionum nonnihil ſibi circumpoſuiſſent, invadebat, & poſt modicam pugnam oppreſſos cædebat, ut vix viginti evaderent. Potiebantur Sveci iſtorum ſarcinis, quinque vexillis, uno centurione, duobus vicariis, & ſexaginta gregariis captivis, reliqui trucidati ſunt. Inde hoſtis interiora provinciæ petere, ac Ronneburgum atque Wolmariam occupare, tenuia oppida, ſed quibus tamen communicatio interrumpebatur. Iſta nullo negotio in poteſtatem redigebantur, quod præſidiarios contagioſa lues abſumſiſſet. Ac majus operæ pretium videbatur facturus, ſi grandiora audendi animus fuiſſet. Sane Revalia adeo viris exhauſta erat, ut vix ſupereſſent, qui portas clauderent. Quod malum & totam provinciam ita afflixerat, ut pecora ſine cuſtode vagarentur, ſeges in campo periret nemine metente, domus inſepultorum cadaveribus fœterent. Ac jam manum equitum ſuperſtitem antea ſat tenuem lues invadebat, quæ hactenus ſub dio ab ea immunis egerat. Agreſtes qui ſupererant fere in hoſtium partes tranſire. Quin & conductitius miles, ubi occaſio dabatur, catervatim deſerere. Lithuanos duo millia Moſcorum affectabantur, qui omnia flammis involvebant, cum iſti per humanitatis ſimulationem animis adreperent. Rigenſes quoque, & Nobiles animis fere concidere; pecuniæ nihil, parum militis, miſeriæ affatim. Ægre tamen hanc irruptionem ferebat Naſſokinus, qui & Goſievio denuntiabat: quia Czar prior Livoniam tantis ſumtibus erogatis invaſerit, ſe non conceſſurum ab iſto oppida occupari; hoc regerente; Poloniæ antiquius jus ad hanc provinciam eſſe. Nec eo ſecius verſus Dunam retrocedebat, ne à Moſcis ex improviſo opprimeretur. Cæterum malignis heic gaudebant ſucceſſibus Lithuani, hinc inde vapulantes. Pernaviam usque progreſſi cum aſſultum tentare auſi forent, non modica cum ſtrage repulſi ſunt. Non procul Riga Tollius tribunus quinquaginta ſecurius agentes oppreſſit. Huc quippe tota demum vi vertebant, urbem fame ſe ad deditionem compulſuros ſperantes, cum & inſuper peſtilentia florem virorum conſumſiſſet. Iſtos tamen ſubinde ex urbe erumpentes catervæ pulſabant; quarum una in Novo Molendino ſexaginta occidebat, vi-

Oct.

Alfendeel.

Ronneburg Wolmar.

Pernav.

5. Dec.

1657. 7. Dec. 8. 9. Dec. Helmfeld.

cario cohortis & tredecim gregariis captis. Alfendelius quoque, & Rosa centum quinquaginta equitibus ſtipati ad Aam fluvium quinque hoſtium turmas, quæ ibi conſederant, invaſerunt; è quibus quatuor turmæ penitus conciſæ, quinta per fugam ſalutem quæſivit. Poſtulabat inde Goſievius, ut Helmfeldius ad ipſum prodiret cum duobus Conſulibus, & aliquot civibus. Sed Helmfeldius unum & alterum è præfectis militaribus emittebat; apud quos iſte nomine Joannis Caſimiri Regis deditionem civitati imperabat, conſervationem Privilegiorum oppidanis ſpondens, tergiverſantibus extrema interminatus. Cui reſponſum: Svecos haut ita perfidum hominum genus eſſe, uti Lithuanos. Et ut talibus poſtulatis deinceps ſuperſederetur, Helmfeldius ſtatim tubas diſplodi jubebat, ſi quis tubicen aut tympanotriba ab hoſte urbi propinquaret. Ita ad finem usque anni iſte incaſſum Rigæ adſidebat.

Cum Curlandia Duce alia.

§. 54. Inter hæc Curlandiæ Ducis à Svecis averſio indies eo magis pellucebat, quo minus ſpei huic de horum in Polonia rebus ſupererat. Frequentes ipſi ad Naſſokinum miſſitationes, ac crebra cum Danicis præfectis, qui militem ibi conducebant, commercia. Per iſtum ſubinde infauſtæ relationes de rebus Svecicis vulgabantur, queis allatis ipſe ſibi temperare non poterat, quin gaudium ſuum palam expromeret. Ei in rectam viam reducendo Gardius aliquoties expetitum colloquium, cum non amplius à Duce citra manifeſtam offenſam declinari poſſet, demum in inſula Dunæ fluminis ſuſcipit; quo multa de affectu Regis in ipſum teſtabatur, ad paria referenda eundem hortatus, Regem pronum eſſe ad concedenda ipſi omnia emolumenta, quæ olim tractatu Lubecenſi obtinere optaverit. Animum ad priora tempora reflecteret; quantopere Polonos ſemper metuere neceſſum habuerit; adverſus quos præſidium ipſi apud Svecos quærendum fuerit; quo etiam ante ſeſquiannum adverſus Moſcos fruitus ſit, qui tunc ejusdem ditioni ſolius Sveciæ reſpectu pepercerint. Oſtendebatur exemplum Electoris Brandenburgici, & quid iſte è re ſua judicaverit: ac uti res Evangelicorum in Polonia Svecicis armis utique fulciendæ ſint. Ipſum quoque Ducem Polonorum machinationes proprios apud Miniſtros quotidie ſentire. Igitur tandem aliquando ſolidi quid conſilii capeſſeret, quamdiu arma Svecica adhuc ſubſiſtunt. Equidem Regem ſatis noſſe difficultates & reſpectus, qui retrahere ipſum queant ab armis in Polonos protinus arripiendis. Eoque in ipſius judicio relinquere, qua ratione commodiſſime poſſit ac velit in cauſam deſcendere. Ac ſi arma ſociare nequeat ſaltem tecte Svecicas res fulciat, ac pecunia ſublevet, ac cumprimis tractatus cum Moſco promoveat. Tum naves octo Regi concedat, ſuper quibus cum ipſo tranſacturus ſit. Spem inde facicbat Præſulatus Piltenſis, & aliarum fortaſſe ditionum, ſi revera operæ quid navare velit. Tum ad querelas devolutus oſtendebat, ubi hactenus ab ipſo acta Regi non modicam ſuſpicionum cauſam dederint, ipſiusque nobiscum communicatio nunquam plene ſincera, ac fiduciæ firmandæ idonea fuerit. Quotidie inſpicienda nobis fuiſſe hoſtium noſtrorum in ipſius aula ſecreta commercia, de quibus aliqui mira referant, quæ Rex tamen falſa eſſe malit. Præterea hoſtes ipſius neutralitate in magnum rei Svecicæ damnum frui; per ipſius portus armis paratuque bellico potiri; cujus aliunde facultas non fuerit; ſimul Danos per ipſius provinciam militem ſcribere; ac relationibus Mitavia ditis hoſti animum addi, noſtrarumque rerum conditionem prodi. Ipſo interveniente literas inter Moſcum, Danumque commeare non ſine gravi Regis ſuſpicione. Ne nunc memoretur, quantum præjudicii commerciis per ipſum inferatur. Quibus omnibus facile medicina fieri queat, ſi bona fide amicum agere, ac ſerio manum negotio admovere velit. Ad quæ Dux poſt ampla honoris verba Regi „gratias agere quod „ſibi liceat extra conſortia belli remo„to degere, quod præſentiſſimum ſibi „remedium adverſus potentiam Mo„ſci, ac Lithuanorum rabiem fuerit, „citra dubium omnibus fortunis e„volvendo, ſi præterito autumno Regi ſe fiduciario vinculo innexuiſſet.

1657. Piltens.

A Re-

1657. „A Rege oblata quod ſpectet, inficias „ire haut poſſe, à Cæſare ſeſſionem ſe „ſuffragiumque in Imperio conſenſu „Poloni obtinuiſſe, ac ampliori jure in „ordinem ſuum equeſtrem potiri poſ„ſe, abolitis quoque provocationibus „ad aulam Polonicam, quæ multum „moleſtiæ, nec minus ſumtuum ſibi „dent. Nec abnuere optandam ſibi „ſummi Imperii dignationem etſi non „citra conjunctionem cum aliquo Re„gno, cujus protectione frui queat. „Cæterum fortunæ ſuæ incrementa „ſibi quærere haut integrum violata „fide Polonis jurata. Ad quæ Gardius; meminerit, quantæ injuriæ ipſi ſæpius à Polonis fuerint devorandæ; ac metuendum haut immerito, ne aliquando ab iſtis ſua ditione plane exuatur. Id quod Dux agnoſcebat; ſed in „futurum majorem ſecuritatem ſpe„rare. Ac utut graviſſimæ rationes „ſint, per quas huc deſcendere poſſit, „obſtare tamen ſibi regionem aper„tam, quæ ſtatim ab hoſte vaſtari que„at, nullo lacu aut flumine Lithuanis „diviſa, & terris Moſco recens partis. „Nec fiduciam ſe in ſubjectis collocare „poſſe, ubi contra Polonos res agen„da ſit. Quin deſtinata ſua à Nobili„tate odioſis ſermonibus, ac ſuſpicio„nibus differri non ſine minarum ja„ctatione. Tum Ordines fere divi„ſum cum ipſo imperium habere, à „quibus & miniſtri omnes velut in„digenæ magis quam ab ipſo depen„deant. Ita facultatem ſibi haut fo„re juſtas vires comparandi, ſed tan„tum irrito conatu animi ſenſa pro„diturum, exitiumque ſibi accerſitu„rum nullo Regis fructu. Denique „vires ſibi valde tenues. Electori fa„cile fuiſſe fortunam tentare, cui plu„res ditiones Principis dignationi ſu„ſtinendæ idoneæ ſint. Nobiles ſuos „antea nullo modo ferre voluiſſe à ſe „arma parari, quamdiu perſuaſum iis „fuerit, iſta contra Polonos pro Sve„cis adhibenda. Sed nunc eadem ul„tro urgere; quod ſpes ſit ſe cum Mo„ſcis, & Lithuanis adverſus Sveciam „pugnaturos. Id quod nunc ipſe „concedere nolit evitandæ Svecorum „offenſæ, aut ne iſti forte armis ad„verſus ipſum utantur, ac ditione „ejiciant, uti Parenti ſuo fecerint, „qui in exilio mortuus ſit. Quin „Nobiles Curlandos maluiſſe à Lithua„nis & Moſcis evaſtari, quam ut ali„quid armis adverſus Poloniam ten- 1657.
„taſſe videri vellent. Igitur ſperare, „ac orare, ne Rex in ſiniſtram par„tem capiat, à ſe conſilia tutiora fo„veri, ac conſervationem ſui quæs„cendo quæri. Nam quo minus ſe „cum Rege conjungat non voluntа„tem ſibi, ſed vires deeſſe, & quod „conatus ſui in herba opprimi que„ant. Denique tot hoſtibus, tamque „validis in Regem ſurgentibus metum „tum eſſe, ut is in Polonia ſubſiſtere „queat. Cum inter alia Gardius jaceret, ſe cum copiis ſuis in vicinia ipſi adfuturum, ut provinciales vi in ordinem redigere poſſit; Dux innuebat; aliud quod ipſe ageret in Livonia oriturum, de vaſta Moſci potentia ſiniſtre Svecis ominatus. Ad extremum tamen fidam ſe Regi operam navaturum pollicebatur, pro re nata opis quid laturus; ſed in præſens facultates ſuas valde exhauſtas eſſe. Tum literarum commercia candide nobiſcum exerciturum, ac moniturum, quæ noſtræ ſcire interſit. Denique ſuper tractatibus cum Moſco pro virili ſe connixurum; ac nuper ab iſto literas accepiſſe, quibus is deſiderium ſuum in pacem ſignificarit. (quas tamen hactenus ſuppreſſerat.) De navibus abnuebat, ne Dano ſuſpicionem injiceret. Sed ſi Regi cum ſolis Belgis lis oriatur, fideliter ſe ipſi operam ſociaturum, velut à quibus atrocibus nimium injuriis ſit laceſſitus. Cæterum ſvadere Regi, ut paci cum Polonis animum adplicet, ad quam promovendam ipſe quoque incubiturus ſit; ac ſperato faciliores fore eos tractatus, ubi ſerio utrinque ſuſcipiantur. Inter quæ dixerat Gardius, eos à Rege concludi non poſſe, ni Boruſſia ipſi relinquatur. Quod dictum Regi valde diſplicebat, cui ſummam rerum ſuarum a Boruſſia ſuſpendere haut ſedebat; ac incongruum videbatur, de conditionibus jam tangere, cum ſuper præliminaribus nondum conveniſſet. De objectis quoque diligenter ſe purgabat Dux: nil ſe in fraudem Regis feciſſe, ac literarum commercia propriæ conſervationis gratia ali. Ita tunc amica ſpecie diſceſſum. Nec eo ſecius Curlandus ne tractatus cum Moſcis procederent, clam impediebat, quibus promovendis alias multum conferre poterat; Quod è re ſua

1657. duceret hoſtilia cum Moſcis manere, ne Carolus Guſtavus Poloniæ res è voto ſuo componere poſſet. 1657.

Super bello Danico conſultatio.

§. 55. Perduxit jam nos ſeries rerum, ad bellum Danicum, quod uti intentatum fuit ad Regem extrema ruina involvendum; ita Numinis favore eo vertit, ut & is honeſto modo Polonici ſe belli moleſtia explicare poſſet, ac ſolidum laboris ſui fructum caperet. Id cum parari dudum Regi conſtaret, ſuperiore anno ad ſenatum retulerat: cum Danus validas copias ſine dubio in Sveciam colligat, num prior iſte invadendus, an vero primus ictus excipiendus ſit? Sane de infeſto Daniæ Regis animo indicium faciebat non ſolum adparatus armorum, ſed & quia cum Belgis obtentu ſervandorum in mari Baltico commerciorum conſilia Regi adverſa cudebat; tum Senatus Daniæ literæ ad Senatum Sveciæ nuper ſcriptæ altius penetrantes paulo minus quam belli denuntiationem habebant. Inierat quoque nuper Danus conventionem cum Belgis ſuper defenſione urbis Gedanenſis, cujus vi iſte novem naves claſſi Belgicæ ad eam urbem naviganti conjunxerat. Nec fauſti quid Sveciæ portendebant Legationes inter Moſcos, Danosque hinc inde miſſæ. Inprimis Dano animos addebat occaſio, quod Moſcus Livoniam & Ingriam irrupiſſet, ſimul fama eſſet, Leopoldum Wilhelmum velut Magiſtrum Ordinis Teutonici in Boruſſiam actionem intendere, ad quem ſcopum copiæ Cæſaris in Sileſiæ finibus conſiſtentes collineare dicebantur, progreſſibus Regis in Polonia metam fixuræ. Unde in proclivi ſibi rebantur Dani amiſſas quondam terras non ſine fœnore recuperare. Ita rationis quidem fuerat in tempore Danorum conatus occupare, priusquam plene diſpoſiti forent; modo ſat virium eſſet cum probabili ſucceſſus ſpe periculoſæ pleno aleæ operi tam iniquis temporibus exequendo. Enimvero jam Rex moleſtiſſimo bello, aliisque difficultatibus involutus erat; tum ingens pecuniæ juxta militisque penuria premebat cœpto bello urgendo. Ac anceps, quin exitiale erat eodem tempore cum tam potentibus hoſtibus diverſo loco decertare: eoque honeſta licet belli cauſa optati exitus malignam ſpem præbebat. Equidem Regem valere prudentia, animique magnitudine Heroë digna, cujus victricia arma omnibus vicinis formidentur: iſta tamen magnis deſtinatis non ſufficere, ni aliis rei gerendæ adminiculis fulciantur, milite, pecunia, paratu bellico, validis ac tutis fœderibus, amicis, auxiliaribus, quorum omnium inſuperabilis defectus in præſens Sveciam urgeat. Scaniam inſuper, Bleckingiam, & Norvegiam longe validioribus munitionibus firmari, quam Sveciam, quæ ex omni parte Danis è facili acceſſum præbeat, nunc quoque exercitato milite penitus exhauſtam. Ac quæ in limine poſita ſint loca, validæ oppugnationi ſuſtinendæ haut eſſe idonea. Nec in Belgis quid fiduciæ collocari poſſe, fœdere licet jam utcunque renovato, qui ipſi nondum certam conſiliorum rationem iniſſe videantur. Nam dum tantopere circa æqualitatem vectigalium cum civibus Svecicis contendunt, quam à Rege concedi non poſſe ſatis intelligunt; magis videri cum Dano adverſus Sveciam ſocietatem inituros, ipſa injuriarum memoria ad plures inferendas ſolicitante; & quia non poſſunt non odiſſe quam tantopere læſerunt. Sane iſtos nuper legationem in Moſcoviam decreviſſe, Czari ſtimulando ad Revaliam & Rigam occupandam, ſuo quoque auxilio promiſſo, niſi Rex ad eorum libidinem componere ſe velit. Quod ſi igitur Belgæ rationes ſuas à Dano, Moſcoque disjungere nequeant, vix terra marique Dano parem Sveciam futuram; qui ſi claſſem ſuam huic jungerint, facile communicationem cum provinciis transmarinis intercipi poſſe. Igitur ſatius videri hoſtilia, quoad licet, adverſus Danum inhibere, ac velut minus è duobus malum expectare, quoad Danus ipſe erumpat: interim arma, quantum datur, paranda, ut hoſtis ubi ingruat acriter repelli queat. Tum operam dandam, ut plene cum Belgis tranſigi poſſit. Nam his Dano disjunctis haut facile eidem libidinem ſubituram aliquid in Sveciam tentandi. Interea faciem rerum mutari poſſe, pace cum Polonis facta, aut Moſco vapulante, ut Danus gaviſurus ſit, ſi ipſe non invadatur. Expedire autem, ut tractatus cum Dano continuentur ſaltem ad extrahendum tempus, ut ſi is utique

in

1657 in transversum abire velit, omnia bello commodius possint parari. Ita quidem Senatus censebat. Contra Benedictus Skittius per literas ingerebat, ut Rex Dani conatus anteverteret. Id quippe juste fieri posse, quod Danus contra pacta, ac toties repetitas testationes extraneæ classi bellicæ in mare Balticum accessum dederit firmandis Sveciæ hostibus, suasque isti naves adjunxerit. Etsi id inter causas belli publice promulgendas referri haut sit opus, quod ea res Belgas quoque tangat, quorum secius in Sveciam facta dissimulanda sint, operaque danda, ut quocunque modo à Dano abstrahantur. Scripsisse præterea Senatum Daniæ asperas literas, clarigationis vim habentes etiam nostro exemplo, cum ante novissimum bellum pariter ad Senatum Daniæ scriptum sit sensu adhuc modestiore. Tum Regis procuratorium Durellio datum ab ipsis rejectum, quod tamen in conservatione pactorum inter utrumque Regnum initorum fundatum fuerit: id quod indicio sit, Danos pacta conventa haut diutius servaturos, quam occasionem nacti sint Sveciam invadendi, cum pluribus hostibus luctantem, quos ipsi excitarunt. Sane constare, ab iisdem Moscos in arma solicitatos; Belgas, ne fœdus Elbingense ratum habeant, inhibitos; Polonos missa solenni Legatione à pace nobiscum ineunda retractos. Ac semper Danis morem fuisse, fidem suam temporibus accommodare, ac Svecos impetere pluribus bellis implicitos. Ac nunc spem ipsis esse aliquid terrarum extorquendi à nobis, bello Polonico & Moscico distractis; cum tamen rationes Sveciæ exigant, quibusvis potius aliquid concedere, quam Danis, queis ob situm terrarum plurima facultas, nec minor voluntas sit Sveciæ nocendi. Arma denique præter solitum domi & apud exteros parari, quæ non possint alium, quam Svecum spectare, cum adversus neminem tam infensos se ostenderint. Unde & ipsam necessitatem id nobis consilii suggerere. Nam si tamdiu desideamus, quoad Danus terra marique se confirmarit, arduum nobis fore vi eidem resistere, multo minus honestos tractatus obtinere; præsertim cum persuasum ipsi sit, Moscum & Polonum ineunte æstate magna mole rem gesturos, ac ita Regem inter duos exercitus terrestres, ac Danorum classem à Belgis suffultam velut indagine cingendum. Unde bellum juxta, ac pacis tractatus totsimul hostibus ingruentibus Regi difficillimos, contra Dano admodum faventes fore. Sed ne obviam periculo eamus, facultatem defensionis in angustum nobis redactum iri, provinciis limitaneis à Dano plene jam instructo ita evastandis, ut exiguo deinceps usui nobis futuræ sint. Sed nunc si molientem prævertamus, posse belli sedem in ipsius terras devolvi. Conandum igitur, ut Electori Brandenburgico hæc consilia probentur, eique interim idoneis copiis instructo bellum Polonicum in Borussia propulsandum relinquatur, fide data Regem brevi reversurum antequam Poloni universas Regni vires excire queant. Aut operam dandam, ut interim cum Polonis induciæ fiant obtentu tractatuum pacis promovendorum; ac inde in Holsatiam, hinc in Scaniam cum exercitu irrumpendum. Ut justitia facti tanto plenius orbi probetur, haut parum profuturum, si paulo ante, aut etiam dum iter versus Daniam intenditur, solennis Legatio in Daniam mittatur, postulatura, at Danus denuo se obstringat ad priora pacta observanda, omissis imposterum novationibus, simul haut necessario, nobisque suspecto armorum adparatu supersedeat, aut idonee caveat, se eo adversus nos haut usurum. Cui vicissim caveri queat, arma nostra in alios vertenda, ac pari pactorum observantia illi respondendum. Prolixos tractatus è re non esse, nisi sub clypeo, quod per ipsos Danus occasionem nanciscatur nostra arma eludendi, seque bello acrius sumendo præparandi. Hoc modo Dani consilia subverti, tantumque terrorem eidem incuti posse, ut Regi commodas conditiones offerre haut sit omissurus. Et hoc modo evitari posse, ne cum Dano ad arma perveniatur. Ita Gustavum Adolfum, quando omnia ad trajectum in Borussiam parata erant, Gabrielem Oxenstiernam Hafniam misisse, Regi Christiano IV. certas conditiones ad subscribendum oblaturum, paucis diebus ad deliberandum concessis; cui Decretum fuerit, Danum tergiversantem 1657

1657. citra moram impetere. Qua conſtantia Danus fremebundus licet ad ſubſcriptionem compulſus ſit.

Rex priorem ictum à Dano excipere mavult.

§. 56. Enimvero Regi dubium quidem non erat, quin Danus proximo vere in arma erupturus eſſet, qui & Henricum Roſenvvingium Gedanum miſerat, tractatibus inter Svecos & Polonos ſufflaminandis. Et quanquam Rex per Durellium nihil omiſiſſet ad conſervationem amicitiæ facturum, quantum ſalva dignitate & jure ſuo, ac citra proſtitutionem fieri poterat; incaſſum tamen omnia cecidiſſe, nec rationi locum amplius concedi intelligebat apud animos odio, vindictæ cupidine, ac malevolentia penitus imbutos. Unde initio conſtituerat Boruſſiæ defenſionem alteri delegare, ac domum ſe conferre, indigenæ militis opera hoſtium irruptionem inhibiturus; quod conſilium tamen

15. Jan. Roſenvving.

23. *Jan.* poſt omiſſum fuit. In eo tamen Senatus ſententiæ adſtipulabatur, à Dano hactenus in nos patrata magis proveniſſe è metu noſtri, quam quod nos invadendi libidine agitaretur. Nec tamen huic opinioni nimium fidendum, ſed defenſionem ſedulo adparandam, prout negotia Daniæ ſvadere videantur. Cum verendum ſit, ne ob mutationem rerum in uno & altero loco factam ſimul inſtigantibus Auſtriacis ac Beuningio, iſte brevi in hoſtilia flectat. Unde domi nihil diſſoluti habendum, ne Danus imparatis ingruere queat. Sed ſi is quieſcat, in ipſum nihil tentandum; quod deinceps ratio ſit habenda fœderis cum Belgis renovati, nec hiſce occaſio præbenda ad infeſta in nos conſilia ſumenda.

16. *Febr.* Abrupta autem à Dano pace Belgis omne prætextum adimi in Svecos quid tentandi, velut qui ex pactis Brœmſebroënſibus evictionem pacis præſtare teneantur. Intreim Rex aliquot legiones è Boruſſia Philippi Palatini Sultzbacenſis ductu dimittebat, quæ una cum Wrangelio erumpentes Danos coërcerent. Quod ſi Danus ſocerum Regis Fridericum Holſatiæ Ducem invaderet, Wrangelius ipſi copias auxilio ſubmittere jubebatur; id quod tam per pacem Brœmſebroënſem, cui Domus Holſatica incluſa ſit, quam per Weſtphalicam fas ſit. Is quippe cum à Daniæ Rege petiiſſet, ut orto bello ſibi extra partes agere à moleſtiis armorum exemto liceret, rejectus fuerat. Inde cum idem officium ſuum circa ſervandam inter ea Regna pacem offerret, ea lex dicta fuit, ut irritis tractatibus, ac ubi Dano ex æquo ſatisfactum haut fuerit, ipſe ad ferenda huic auxilia teneretur. Quod cum Dux adſpernaretur, variis moleſtiis idem à Danis affici cœperat. Suadebat tamen Carolus Guſtavus ſocero, ne prior in arma erumperet, aut anſam hoſtilitati præberet. Nam hoc caſu ſe non poſſe citra violationem pacis militari auxilio ipſi ſubvenire, ſed interpoſitionem duntaxat ſuam offerre. De cætero temporibus ſe accommodaret, illatas à Dano injurias muſſitaret, querelasque ad Saxoniæ Inferioris Principes deferret, quo vel adverſus Danum auxilia ſubmitterent, aut ſi id negligerent, Regem quoque deinceps excuſatum haberent, ſi Dani exemplum imitaretur, invidia facti in hunc devoluta velut omnium turbarum autorem. Inprimis munitionibus ſuis probe proſpiceret; ſimul arma movere omitteret, quoad appropinquante exercitu Svecico locus vindictæ ſumendæ panderetur. Nam ita cum duce iſto agebat Danus, ut ad ferrum ſtringendum utique eundem irritare vellet. Interea Regi ſpes erat, pacem cum Moſco coituram, aut Ragozii 12. *April.* ope Polonos in ordinem redigendos; ſimul novi delectus, quos ipſe inſtituerat, abſolvebantur. Præterquam quod conſultum haut erat, cum duobus potentibus hoſtibus implicito novum bellum ordiri; quod ſi declinari non poſſet, ſaltem invidiam ejusdem in Danum devolvi expediebat. Præſertim cum hanc id quærere adpareret, ut, Rege prius in arma erumpente, Belgas ad auxilia ſibi ferenda obſtringeret velut pacis Brœmſebroënſis ſponſores. Id quod & hi optabant, quo prætextum eſſet huic bello ſeſe immiſcendi. Wrangelio autem, qui vehementer in Danos erumpere ardebat ad novos ipſorum delectus diſſipandos, Rex reſpondebat; id ſibi conſultum haut videri, ne Catholici Principes, ac Luneburgici cum Auſtriacis hanc occaſionem arripiant bello ſe adverſus Sveciam immiſcendi, ipſumque hoſtem Imperii declararent, velut qui Dano in Holſatia impetito pacem Weſtphalicam violarit. Sed & Anglos,

1657.

1657. & Anglos, aliosque amicos forte credituros, haut ſat cauſarum ſibi fuiſſe ad bellum inferendum. Sed ubi Danus prior pacem abruperit, arma ſua juſtitiæ favorem univerſum apud orbem comitaturum, nec malevolis anſam fore deſtinata ſua ſiniſtris ſuſpicionibus exagitandi.

Tractatus cum Dano languent. 17. Jan.

§. 57. Inter hæc Rex ne quid intentatum relinqueret, quod declinando bello faceret, Durellio injungebat, ut Hafniæ de ſuo in pacem ſtudio teſtaretur; tum & amplius procuratorium produceret: idemque apud Ordines Daniæ conventu Ottonienſi exponeret, ad pacem & ipſe proficiſci jubebatur. Tum Belgarum Legatis demonſtraret, falſum eſſe, quod Dani perſuadere ipſis conati ſint, velut Sveci ſecretum fœdus cum hiſce meditati fuerint ad Belgas Mari Baltico excludendos. Nam de armatis duntaxat claſſibus actum fuiſſe, non de navibus onerariis. Nec Regem Belgarum incluſionem in id fœdus abnuiſſe, ſed quæſtionem duntaxat fuiſſe de modo includendi: de quo & cum ſuperiore æſtate Ovvenus Julus ad aulam Regis accedens interrogaretur, ſuper eo nihil ſe in mandatis habere excuſaverat. Eninvero in Dania, omnia parandis terra marique armis perſtrepebant; tractatus ſuper fœdere languide procedebant, quibus & mora proveniebat à novo Durellii procuratorio, de quo ut Senatus Sveciæ ſententiam prius, quam ederetur, cognoſceret, Durellium Rex juſſerat. Mox & conventus Ottonienſis interveniebat. Ac Dani haut præcipuam armorum ſuorum cauſam jactabant, quod haut crederent, Svecis tractatus cordi eſſe ob Durellii procuratorium tam arctis limitibus circumſcriptum, & quia novum tamdiu expectatum nondum adparebat.

Odenſee.

Rationes Danorum pro bello.

§. 58. Cæterum Danicus Senatus in duas erat partes diviſus, aliqui pro bello, plures pro pace ſervanda contendebant: etſi in eo omnes conſentirent, arma utique inſtruenda eſſe. In eam rem Conſilium conceptum fuerat rationibus in utramque partem adductis, quod ſingulas per provincias diſceptari debebat, ut Ordines eo paratiores ad conventum Ottonienſem accederent. Queis bellum arridebat, oſtendebant; „ Carolum Guſtavum bello Polonico, & „Moſcico ita viribus exhauſtum, ut 1657.
„recentibus, & vegetis Danorum armis ſuſtinendis in Svecia nec virorum ſatis ſit, nec opum; ſed nec aliunde auxilia obtinendi ſpem affulgere. „Cum itaque Svecia jam ad incitas redacta ſit, arripiendam eſſe occaſionem nunquam forte redituram, „recuperandis provinciis proximo „bello amiſſis, Danicæque in eum ſtatum reponendæ, ut ne ex libidine Svecorum pendere neceſſum „habeat, uti poſtremis undecim annis factum ſit. Hiſce deſtinatis exſequendis Daniam præcipue inniti „poſſe rationibus Belgarum, qui Sveciam paululum caſtigari optent, ne „per vectigalia, aut aliis modis facultas ſit, iſtorum commercia in Mari „Baltico turbandi aut onerandi. Unde plane Daniam confidere, ſe omni auxilio à Belgis fruituram, navibus, viris, argento. Flagrare præterea ſummos & imos in Dania cupidine belli Svecici, qui & ideo „magna alacritate pecunias eum in „uſum collaturi. Eſſe quoque jam „conceptam fœderis arctiſſimi cum „Belgis formulam, unde ſpem naſci „pro captu rerum hos quoque ad „faciendum Sveco bellum deſcenſuros, aut ſaltem largiter auxilia „ſubminiſtraturos. Quod ſi Svecus „bello Polonico ſe extricaverit, circa quod ſatagere ipſum adpareat, „nunquam inulta laturum, quæ hoc „bello à Danis patrata ſint, quantumvis arctos tractatus oſtentet; „unde prudentiæ dictamen ſubigere, „prævenire potius, quam prævenири. Quod ſi & Dania pro conditione temporum conſultum ducat „cum Svecis tractatus inire, commodius id futurum ſub clypeo; ac eadem opera Hamburgenſes poſſe „compelli ad homagium Regi dicendum, quod hactenus abnuerunt. Denique moto à Dania bello non ſolum „magnam partem militis Svecici alli„ci poſſe velut labore & inopia fatiſcentis; ſed & Pomeraniam, Bremenſem provinciam, & Hallandiam ad „defectionem ſolicitari, quæ ſub jugo „Svecico gemant, inter continuas exactiones nullo pacis fructu guſtato.

Rationes pro pace.

§. 59. Sed qui bellum diſſuadebant, has rationes jactabant: „ occaſionem „quidem videri ſpecioſam, animos„que civium promtos; ſed facultatem

„tem

1657. „tem deficere tam proficuis Daniæ „destinatis exequendis. Publicas opes „sat modicas, ærarium insuper sex mil„lionum ære alieno oneratum; ac „præcipuos Coronæ reditus inter „Nobiles divisos feudorum vocabulo „cousque, ut & olim & nunc ab uni„versis militaribus & togatis, ipsius„que aulæ ministris querelæ agitatæ „sint, salario se suo haut potitos. Olim „jam promissas pecunias non bellum „movendum, sed defensionem Re„gni spectare, si opus sit. Unde in „istum casum privatos ægre ad pro„missa repræsentanda descensuros, „præsertim cum multi supra facultates promiserint jactantia affectus in „Regem. Huc accedere, quod intra „hos septem annos, ex quo promissa „facta sint, multorum promittentium „cum ipsa vita obligatio quoque ex„piraverit. Ad hoc porro bellum haut „mediocri adparatu opus esse, quippe „ubi tres exercitus terrestres parandi „sint, in Jutia, Scania, & Norvegia, „& valida insuper classis. His insti„tuendis à capite ad calcem omnia „deficere; genium Reipublicæ, in„dolem Regis à bello abhorrere; su„premos belli duces, tribunos, præ„fectos, gregarios nullo bellorum „usu. Classi deesse Thalassiarchum, „& navarchos, milites & socios nava„les bonæ frugis: nec sat machina„rum, classi, exercitibus, & omni„bus munitionibus instruendis. Sed „& æmulationem inter duces me„tuendam. Pactis porro repugnare, „haut præsciis & consentientibus Bel„gis ita repente bellum suscipere, „coque minus auxilii Daniæ ab istis „expectandum. Quorum & com„mercia hoc bello in Mari Baltico „haut promoveantur. Ac fortasse „iisdem posse persvaderi, Svecum pa„cta Elbingensia bona fide servatu„rum, quibus sat libertatis ipsorum „commerciis concedatur, & qua fa„cile adquiescere queant. Esse quoque „prius hanc rem disceptandam apud „singulas Belgii fœderati provincias, „ubi facile apud unam & alteram ob„stacula inveniri queant, sic ut Dania „periculo se exponat loco recuperan„darum provinciarum plures amit„tendi. Neque vero Belgas magis „quam Danos exitum belli Polonici „posse providere, cum novi, & in„expectati casus occurrere queant, „forte & Gallis Anglisque se moturis. „Quod si res male succedant, Da„niam novissimo bello expertam, op„pidanos & agrestes reflante fortuna „sat faciles esse ad alienum imperium „subeundam, Unionem quoque, quam „inter membra unius Reipublicæ da„ri oportebat, sat laxam esse, Rege „ac Nobilibus invicem suspectis ac „suspectantibus, reliquis Ordinibus „Nobilitati infensis. Totam quoque „Daniam, aliquando metu belli à Sve„cia semper imminentis liberari ga„visuram vel imperii mutandi pretio. „Qui ad clavum Reipublicæ sedeant „pacatiore esse ingenio, ipsum Re„gem, Proregem, Cancellarium; „plerosque Senatores in pacem incli„nare, qua floreant, bello autem „non possint non male habere. In „aperto quoque esse omnes Evange„licos hoc bellum improbaturos, ejus„que causam haut agnituros sufficien„tem; ac ab Anglia cumprimis me„tuendum, ne nuperi cum Belgis bel„li offensam ultum eat. Munitiones *Copenha-gen. Rensburg. Helsin-burg.* „insuper Hafniæ, Rendesburgi, Hel„singburgi nondum perfectas, reli„quas ruinosas. Delectus militum „extra Daniam difficiles esse, nisi „quæ forte manus è desertoribus Sve„cicis corradi queant: domi militis „gregarii juxta ac præfectorum exi„guam copiam, eosque omnes belli „inexpertos. Cum porro super arctis„simo cum Belgis fœdere jam agitetur, „Daniam videri tuto quiescere posse, „parta per id securitate, nec necessum „habere ad offensionem descendere; „ad quam nec Belgæ ita facile induci „queant, diversis studiis agitati, & in „factiones divisi. Quo successu etiam „classis Danica tempore belli in ma„re deduci queat, ostendere classem „novissimo bello Anglico instructam, „ac decem naves superiore æstate at„matas. Ammiralium imprudentem, „ignavumque, ac nullo rerum usu: „milites ab aratro recentes, nautas „fecem plebis vi compulsam, naves „impuras, & hinc inde laceras; sic „ut omnes ultro agnoscerent, expe„ditionem illam in speciem factam. „In Dania quoque modicam reperiri „pecuniæ vim. Nam omnem fere „apud Nobiles fœneri expositam, qui „illam peregrinationibus suorum fi„liorum, aut emendis domi prædiis „impendant. Illo casu pecunias extra

1657.

regnum

Digitized by

1657. »regnum exportari; hoc ſortem in »fundo jacere, quæ belli tempore haut »ſtatim in pecuniam verti queat; quin »uſuras juxta ſortemque periculo ex»poni. In aprico quoque eſſe, cœ»ptum à Dania bellum in hoſtico geri »non poſſe; unde bene an ſecus ce»dat, certum privatis damnum fore, »dubio in publicum lucro. Caven»dum denique Nobilitati, ne Rex bel»li tempore exercitu ſuccinctus legi»bus ſolutum invadat Imperium; cum »præſertim hic Fridericus arctioribus »quam priores conventionibus ſit »circumſcriptus, ut dubium non ſit, »quin is primam quamque occaſio»nem ſit acceptarus hiſce vinculis ſeſe »exuendi; quæ maxime commoda »futura ſit, ſi Dania bello implicita »ipſe Imperium in exercitus nanciſca»tur.

Conſulditur probello. §. 60. Enimvero potior his rationibus erat ſpes recuperandi amiſſas quondam provincias, & Svecicam nationem immunitate in freto Oreſundico privandi, eamque huc redigendi, ut non amplius Daniæ formidanda foret; ad quod occaſio cumprimis idonea videbatur affulgere. Præterquam quod multa cæcis machinationibus tunc in iſta aula miſcebantur. Ipſum Regem ad arma ultro ſtringenda præcipue animaverant Ulricus Chriſtianus Gyldenlævius turbidi vir ingenii, ac nonnulli è junioribus Senatoribus, qui privata emolumenta iſto è bello aucupabantur. Sed Seniores Senatorum laceſſi Svecos nolebant, defenſionem ex indigena milite ſuadebant. In eadem ſententia pars Nobilium erat, ſed quam aperte expromere non audebant metu offenſæ Regiæ. Ac Senatus juxta & Nobiles Regem ſuſpectabant: ne ex bello anſam arriperet conventa cum Ordinibus abolendi. Interim Durellius ac Kleiſtius operoſe demonſtrabant, nil obſtare, quo minus ex vetere procuratorio tractatus agitentur, quoad novum adferatur. Sed ſurdis narrabatur fabula, quod ſibi perſuaſiſſent Dani, Sveciæ Regem, ſtatim atque cum ipſis transegiſſet, laudis conditionibus cum Polonis deciſurum; quas cum ipſi inviderent, nil niſi tempus extrahere ſtudebant. Sed & in Kleiſtio mutatio aliqua obſervabatur, poſtquam Dani omnibus modis Electorem in ſuas partes pertrahere nitebantur. Et cauſabantur Dani, ſibi non amplius integrum eſſe fœdus cum Svecis inire circa dominium & defenſionem Maris Baltici ob mutata tempora, quod guarantia jam inter ſe & Belgas concluſa, ac ſtrictius cum hiſce fœdus ſub incude ſit. Ac commodiorem de fœdere agendi locum fore poſt pacem cum Polonis factam; qui Roſenvvingio promiſerant, ſe cum Svecis non prius pacem concluſuros, quam Danis ſatisfactum ſit. Simul Belgici Legati ipſis perſuaſerant, Elbingenſe pactum non prius ratihabendum, quam pax in Polonia confecta ſit, aut ſaltem quousque Rex declaraverit, ſe Boruſſia deceſſurum. 1657.

Gyldenlev.

§. 61. Cæterum quo minus in tractatibus progredi vellent Dani, procuratorium haut ſat ampla forma adornatum prætexebatur. Unde Regi placuerat aliud ad Danorum mentem formatum transmittere, ut tamen Senatum prius conſuleret Durellius, utrum id Danis foret exhibendum. Qui negotio perpenſo cenſebat, id utique edendum, quod nullum in eo Regis præjudicium verſetur. Ac ſi Danus deinceps in arma erumpat, plus favoris noſtræ cauſæ conciliatum iri velut omni pacifice tranſigendi ratione à Dano repudiata. Contra Regem toti orbi cauſam ſuam adprobaturum, velut qui nihil conſervandæ amicitiæ omiſerit. Sed & ſupprimi non amplius id commode poſſe, quod Dani jam intellexerint, novo procuratorio Durellium inſtructum, Kleiſtio profitente, ei facultatem eſſe tractatum præſentibus temporibus adaptandi. Unde ſi id edere tergiverſetur, accuſatum iri, velut ſtudio negotium abrumpere inſtituat. Quin ſi Ordines Sveciæ intelligant, Senatum editionem procuratorii diſſuaſiſſe, culpam belli deinceps orituri in hunc redundaturam. Electori quoque diſpliciturum, ſi negotium heic adhæreſcat, cum iſto interveniente in tractatus conſenſum ſit. Quod ſi autem negotiatio ob enorme & à ratione abhorrens poſtulatum abrumpenda ſit, eum in culpa futurum, qui iſtud propoſuerit. Igitur omnes decernebant procuratorium edendum, niſi novus, qui id inhibeat, caſus emergat, aut à Rege interdictum interim veniat. Sed qui id utique exhiberi volebat, ut tamen Durellio ſtricte injungeret, ne

Novum procuratorium adfertur.

1657. hilum quidem à Brœmſebroënſibus pactis diſcederet, ſed illa immotum fundamentum totius negotiationis haberet: ac ſi Dani quid jactare inciperent paci iſti adverſum; ſtatim offenſam oſtenderet, & liquidam declarationem exigeret, num ſerio iſta moveant. Sic igitur novum procuratorium promit Durellius, ac per Kleiſtium Danis denuntiat; etſi non perſpiciat, quare ipſi ad prius procuratorium tractatus continuare nequeant; Regem tamen Sveciæ in eorum poſtulatum conſenſiſſe, ut eo clarius ſerium ipſius ſtudium ei negotio perfi-
11. Febr. ciundo perſpicere queant. Ita ad com-
mutationem procuratoriorum proce-
12. Febr. ditur. Congreſſu mox inſtituto Gerſtorfius è Durellio ſciſcitabatur, num commercia in priſtinam libertatem iterum reſtitui poſſint, quæ nunc oppreſſa jaceant; ac num iſthoc tractatu caveri queat, in aperto mari vectigalia haut exactum iri, uti hactenus factum ſit. Ad quæ Durellius: optandum eſſe iſta ſuo loco reſervari, nec ſe aſſequi, quid iſtæ quæſtiones in receſſu habeant. Noſſe tamen Regi ſuo cordi eſſe commerciorum libertatem tueri, nec eidem propoſitum aperto in mari vectigal exigere. Sed Dani frigide id negotium agere, tempus extrahere, quoad bello parati forent. Armorum hæc ratio jactabatur, quod tota Europa bellis perſtrepente ſibi inermibus deſidere haut liceat; ac ſi ad pacem res deducatur, Svecos conductitio ipſorum milite potiri poſſe. Ac jam ſpe Hallandiam, ac Bremenſem provinciam devoraverant, offenſæ Svecorum ſecuri, quos huc redactos putabant, ut impune contemni poſſent. Interim venerat tempus conventui Ottoniam deſtinatum: ad quem num ſibi quoque proficiſcendum ſit cum Durellius ſciſcitaretur, primo reſponſum; id in ipſius arbitrio poſitum. Nil tamen circa tractatus ibi ſuſcipi poſſe, ac delegatos brevi iterum Hafniæ adfore. Satis tamen conſtabat, ipſos nolle Durellium & Kleiſtium Ottoniam proficiſci, etſi Belgarum Legati eſſent invitati, hoſpitio quoque parato. Cum igitur Durellius inſtaret, ut & ſibi eodem liceret accedere, Rex omnibus exterorum Miniſtris, ne eum conventum adirent, denuntiabat. Idem per Kleiſtium è Durellio ſciſcitabatur, num Sveci Hallandiam ſint reddituri? Id quod hic abrupte negabat. Aſt Ottoniæ non niſi circa bellum ſatagebatur, cujus præcipue cupidus erat ipſe Rex; quod ipſius intereſſet armis inſtrui, parandæ apud Nobilitatem autoritati: è Senatoribus Otto Kragius, Ivarus Krabbius, Axelius Uropius, Gundæus Roſenkrantzius, tum præ cæteris Gyldenlœvvius. Nobilitatem & ipſam inſtinctu quorundam libido bellandi ſubierat, qui jactabant, jam tandem gloriam Danicæ nationis vindicandam, Sveciæque faſtum contundendum, ne deinceps ſibi tam formidabilis ſit. Tum & ſuperiore bello amiſſa recuperanda, Regique pro Bremenſi Præſulatu ſatisfaciendum. 1657.

Kragg. IvarKrabbe. Urop. GundeRoſenkrantz.

§. 62. Conventu iſto ſoluto tractatio cum Durellio inſtaurabatur. Ubi difficultas ſurgebat, quod Dani poſtularent, ut Durellius itidem formulam fœderis exhiberet cum ſua formula permutandam, id quod hic recuſabat, ſed notas duntaxat iſtorum formulæ adponere volebat, quod ipſe poſteriore loco formulam conceptam edidiſſet. In Danico ſcripto obſervabatur, Danum velle unioni cum Belgis inhærere, ac ut Sveciæ Rex defenſionem Maris circa Jutiam & Norvegiam ſuſcipiat. Simul de acceſſu Belgicis claſſibus in mare Balticum prohibendo ſilentio involvebant, contra conventionem cum Belgis Anno 1649. initam tuituri. Denique & abrogatum ibant pacta Brœmſebroënſia eo obtentu, quod iſta à Svecis violata forent exacto ad Gedanenſe littus vectigali. Ad quæ Durellius ita reſponſum formabat, ut neque Belgas ſuſpicione perſtringeret, ac Regis actiones legitimas demonſtraret. Gedanenſes oblatam à Rege amicitiam ac neutralitatem reſpuiſſe, ac hoſtilia orſos, quibusvis utique reponenda fuerit. Inde magna vis querelarum à Danis prolata circa fraudes in freto Oreſundico admiſſas, & certificationes, quæ magna cum invidia differebantur; Quibus catalogus atterebatur, quantum damni ſibi intra proximos undecim annos datum ſit, cujus reparationem poſtulabant. Durellius ad iſta reſpondere, ſimul quid Svecis viciſſim querelarum foret expo-

Tractatus continuatur. 11. *Mart.*

1657. exponere, longè majoris ponderis, quam quæ Dani jactabant. Interim hi tarde moliebantur, nec longius gradum promovebant, quam à Durellio & Kleiſtio urgerentur, ac omnia ambagibus involvebant. Ita verbo quidem nondum rejiciebant tractatus Dani, reipſa tamen per inania tempus conſumtum ibant, quo ſpatium parandis armis foret. Contra Rex Durellio injungebat, ut ipſius nomine ſerium circa concludendos tractatus ſtudium teſtaretur, ac ut omni decenti modo rem urgeret. Se quoque paratum eſſe ad omnia, quæ ad ſinceram & vicinis dignam amicitiam facere queant, ac non ſolum oblivione ſepulturum, quæ hactenus hinc inde admiſſa ſint, ſed & omnia gravamina aboliturum, ac de cætero Daniæ indulturum in omnibus, quæ ſalva ſua
3. Mart. dignitate fieri queant. Sed ſi Dani tergiverſari pergant, aut abſurda poſtulata proferant, iniquitatem horum demonſtraret, teſtatus ſuper hiſce nil ſibi in mandatis datum, ſed potius ipſis declarare juſſum; Regem velle pacta Brœmſebroënſia per omnia incorrupta ſervare, nec conceſſurum, ut vel hilum adverſus iſta tractetur aut concludatur. Si Dani propoſitis ſuis inſiſtere pergant, nec ad æquam negotiationem cum ipſo deſcendere velint, liquidum reſponſum exigeret, ac interpoſita proteſtatione Hafnia diſcederet; reliqua Commiſſariis utriusque Regni juxta conventa in limite congreſſuris reſervaret, aut tempori committeret, in alterutram partem mutationem allaturo. Nec alia à ſe mandata expectaret, ac quæ gererentur ad Ducem Holſatiæ, & Wrangelium referret. Aſt Dani cum Durellio ambigue agere, & ſemper aliquid mente repoſtum reſervare. Ut igitur hic iſtos preſſius ſtringeret, ac ad penitiſſimos animi ſenſus pandendos compelleret, ejusmodi quæſtiones illis proponebat: „num Daniæ Rex omnia præterita ob„livioni dare velit, cujuscunque ſortis „ſint, ſicuti Rex Sveciæ ex ſua parte „facere decreverit? Si hinc inde gra„vamina adſint deciſionem deſideran„tia, Sveciæ Regem ex ſua parte pro„num eſſe, Daniæ Regi in omnibus „gratificari, quæ ipſius dignitati, pa„ctis, ac Regni ſui rationibus non re„pugnent; num Daniæ Rex idem ſit „facturus? Addebat, ut accelerandæ tractatuum concluſioni utrinque inſtrumentum rite formatum concipiatur, omnia tractanda plane complexum, hinc inde tradendum; ac ut ſuper iis, quæ remedium deſiderant, pactum adjectum formetur. Ad quæ Dani in hunc ſenſum reſpondebant: „ſe quidem amicitiam cum Svecia ſer„vare cupere, præteritis quoque obli„vioni traditis, ſed non citra æquam „ſatisfactionem ob ingentia damna, „quæ toleraverint, & querelas, quæ „in Sveciam ſibi ſint. Propoſitum ab „ipſo modum præterita abolendi haut „idoneum eſſe, quod prætextum di„gnitatis & rationum Regni haut fa„cile aliquam ſatisfactionem ſit ad„miſſurum, quantumvis æquiſſimam: „nec ſufficere remedium in futurum, „ſed & requiri ſatisfactionem in præ„teritum pro iis, quæ adverſus pacta, „& amicitiam patrata ſunt. Cujus ob„tinendæ cum exigua ſpes adpareat, „ſupervacuum eſſe circa fœdus ſata„gere, antequam fundamentum ami„citiæ probe poſitum fuerit. Denique „ſi ſuper gravaminibus tranſactum ſit, „facile circa pactum adjectum conve„niri poſſe. Ad quæ Durellius ſcripto 8. April.
declarabat: „Damna, quorum nomi„ne ſatisfactionem Dani poſtulent, à „Svecis data, nunquam liquido fuiſſe „probatum: quin potius demonſtra„tum, è Svecorum parte nihil admiſ„ſum pactis Brœmſebroënſibus repu„gnans; ſed à Danis potius patrata, ex „quibus irreparabilia damna Sveciæ „provenerint. Unde plura, quam fe„cerit, offerre ſibi haut injunctum, „quin à Danis expectare reparatio„nem eorum, quæ à Svecis legitime „probata ſint. Sed cum Dani ejus„modi ſatisfactionem prætendant, „quæ in Brœmſebroënſis pacti muta„tione, damni reparatione, & cau„tione ſuper horum tractatuum obſer„vantia conſiſtat, in quam ſibi con„ſentire ob manifeſtas rationes inte„grum non ſit: quæ demum ſuper „hiſce ſententia ipſis ſedeat liquidum „reſponſum expoſcere. Nam in eo ſe „cum iisdem conſpirare, ni remedium „iſtis adferatur, circa tractatus incaſ„ſum laborari. Cæterum pacta Brœm„ſebroënſia nullo modo poſſe mutari, „velut vinculum concordiæ & pacis, „ac futuri pacti fundamentum. Dam„na à Svecis data probari non poſſe, „qui ingentia potius à Danis accepe„rint. Cautionem poſtulare, quan„do de fœdere agitur, inauditum eſſe;

1657. „præſertim cum Dani probare non „poſſint, pacta à Svecis violata, nec „Sveci iſtam ex ſua parte exigant. In „arbitrio tamen Danorum relinque„bat, num præterita velut per mutu„am compenſationem abolere, ac ita „fœdus concludere velint. Ad quæ Gerſtorfius de Bremenſi præſulatu à Svecis intercepto ingerere; liquidum reſponſum, quod Durellius urgebat, declinare: nec à poſtulata ſatisfactione deſiſtere, neglectis hortatibus ad pacem à Kleiſtio adhibitis.

Tractatus ad ruptu-ram vergunt. Duvvall.

§. 63. Inter hæc Senatus Sveciæ per Guſtavum Duvvallium literas ad Senatum Daniæ miſerat, queis ad catalogum gravaminum Durellio traditum reſpondebatur. Ad iſtas Dani undecim poſt dies reſponſum dabant, quod cum nil præter ſatisfactionem, & proteſtationem creparet, id a Svecis certum indicium erupturi mox belli habebatur. Præſertim cum Dani circa vectigal in freto pro lubitu graſſari inciperent, plerisque nautis non audentibus merces Svecicas profiteri metu confiſcationis, ſed velut pro Belgicis vectigal perſolventibus. Sed & ultro jam Durellius illudebatur; Danis cavillantibus, quare hoc rerum ſtatu cum Svecia fœdus concluderent? ac eo ipſo Boruſſiam illi, ac proficuam cum Polono, Moſcoque pacem conciliatum irent? Si Svecis Daniam invadere lubido ſit, eſſe jam heic arma illis repellendis, & Belgarum auxilia. Nunc tempus eſſe Svecos bello Polonico implicitos detinere, ubi ipſe Rex, aut ejus exercitus à Barbaris circumventus exitium ſit inventurus. Simul Danis commodiſſimam affulſuram occaſionem olim perdita recuperandi, nominique Danico gloriam ac ſplendorem circumponendi, ac nationem ſervitio, quo hactenus prematur, eripiendi, Svecorum libidini ac nutui obnoxiam. Quæ tanti ſint, ut vel cum periculo à generoſis tentari debeant. Demum urgente Durellio extremam hanc declarationem edebant Dani: „ſe nul„lam rationem percepiſſe ſibi viſos, „quare æquis ſuis poſtulatis deſiſtere „debeant circa reparationem ingen„tium damnorum, quæ Daniæ per „violata à Svecis pacta provenerint. „Manifeſte quippe demonſtratum, & „quotidianam experientiam teſtari, „quomodo à Svecis certificationes, „& quæ inde dependent in freto tra„ctentur, contra expreſſa verba pa„ctorum inter utrumque Regnum; ex „quo vix æſtimari poſſit damnum Da„niæ illatum. Contra demonſtrari „non poſſe aliquid à Danis admiſſum „pactis adverſum. Sed nec moris „fuiſſe, ſi quid acciderit, quod ullum „colorem habuerit pacti parum ob„ſervati, id à Svecis diuturna patien„tia tolerari, queis ſolenne fuerit in „atroces querelas erumpere, ac ſa„tisfactionem non ſine minis expo„ſcere, quicquid æquitatis ſubeſſet. „Et vix ullum exemplum produci poſ„ſe querimoniæ à Svecis motæ, quæ „Danis non ultra juris normam repa„randa fuerit. Igitur ſatisfactionem à „Danis ſummo jure, à Svecis ne colore „quidem juris poſtulari. Quod autem „Durellius declaret, ſibi haut integrum „eſſe in ullam damni reparationem aut „cautionem conſentire, id moleſtum „ſibi accidere; cum & ipſi æquis ſuis „poſtulatis deſiſtere nequeant, ac in„de neceſſitas ſibi imponatur ex pe„tito ipſius pure ac citra ambages de„clarandi, quod heic ſubſiſtendum in „præſens ſibi ſit, nulla penes ſe culpa „hærente, quod hi tractatus opta„tum exitum haut ſint ſortiti. Ad abrupta iſta Danos inter alia propulerat legatus Polonicus, qui vehementer inſtabat, ut Danus fœderi offenſivo, quod inter Polonos, Moſcos, atque Auſtriacos jam concluſum ſit, adſcribi vellet, & quod Viennæ decretum eſſet octodecim militum millia in Poloniam mittere, ſimul irruptione in Pomeraniam faciendaSvecos diſtrahere, iisque iter ad invadendam Daniam interſepire.

Danorum extrema declaratio. 2. Maji.

Durellius Hafnia diſcedit.

§. 64. Hac declaratione accepta Durellius, cum à Danis tractatus abrumpi, ac ſe deinceps Hafniæ inutilem fore perſpiceret, in hunc ſenſum proteſtatione interpoſita diſcedendi veniam expoſcit. „Dolere ſibi „quod hi tractatus, ad quos continu„andos ipſe omni ſtudio connixus ſit, „nunc vado adhæreſcant ad poſtu„lata Danorum, quæ ſalva ratione & „dignitate à Svecis acceptari neque„ant. Regem Sveciæ paulo ante initi„um belli Polonici Regi Daniæ deſti„nata ſua, & eorum cauſas communi„caſſe, ac de amicitia ſua confirmaſſe, „arctiori fœdere propoſito, ſi Daniæ „Rex itidem judicare queat, id ad

„Regni

1657. „Regni utriusque utilitatem tendere. „Quod uti eo tempore amice acce„ptatum sit, liquidiore declaratione „desiderata; ita Regem Sveciæ haut „dubitasse ex sincera fiducia primo lo„co super eo proponere. Quod cum „diligenti utrinque negotiatione eo „deductum fuerit, ut ad ejus perfe„ctionem nil aliud desideraretur, „quam procuratorium propediem „adferendum; totum tractatum cous„que provectum ob varias considera„tiones à Danis abruptum, ac ad Re„gem tunc in Borussia agentem trans„latum, à Ministro ibi Danico conti„nuandum. Qui etsi rem ibi haut „urgeret, à Rege tamen Sveciæ ul„tro interrogatum mandati defectum „obtendisse. Inde Brandenburgicum „Electorem ad utrumque Regem Le„gatos misisse ad sepositos tractatus „instaurandos; ubi Rex Sveciæ con„senserit, ut isti iterum Hafniæ su„sciperentur, uti Daniæ Rex volue„rat, etsi iidem juxta pacta in limite „utriusque Regni institui deberent: „quo fine se agendi facultate instru„ctum, quæ utut omnibus partibus „perfecta ostenderetur, aliam tamen „à Danis desideratam, quæ & mox „transmissa sit. Et quanquam post pro„curatoriorum permutationem ipse „optarit statim ad rem accedi; pa„tienter tamen expectasse exitum ne„gotiorum Regni, quæ tunc in con„ventu Ordinum agitabantur. Qui„bus absolutis demum tractatus cœ„ptos, & formulas hinc inde tradi„tas. Et quanquam contra morem „tractatuum responsum suum per „partes fuerit requisitum, quod & „semper in Danorum gratiam exhi„buerit; tamen se ac Kleistio serio in„stante rem demum eo deductam, ut „à Danis omnia gravamina, quæ par„tem hujus tractatus faciebant, jun„ctim ederentur. Cum eo posito fun„damento à Danis requireretur mu„tatio pactorum Brœmsebroënsium, „reparatio damni à Svecicis civibus in „Oresunda dati, & assecuratio heic „conveniendorum; se demonstrasse, „pacta conventa hujus negotiationis „fundamentum esse debere, ac quod „neutri parti expediat in iisdem mu„tationem fieri: reparationem dam„ni eum posci non posse, qui non de„dit, sed potius accepit. Nullam cau„tionem in fœdere præstandam ab eo „cumprimis, qui pacta non læsit, 1657.
„imo cui in maximum sui præjudi„cium & irreparabile damnum tole„randum fuit pacta ab altero violari. „Haut eo secius Regem Sveciæ persti„tisse in proposito cum Daniæ Rege „sinceram amicitiam colendi, fœdus„que ineundi, eoque proposuisse, „oblivioni danda quævis præterita „cujuscunque indolis sint, si Daniæ „Regi idem facere placeat: ac si quæ „gravamina hinc inde obstent, ex „utriusque Regni usu ac placito tol„lenda aut emendanda: insuper pol„licitum, se Daniæ Regi in omnibus „indulturum, quæ suæ dignitati, ra„tionibus Regni, aut pactis non re„pugnent. Sed cum Dani utique „Svecis violationem pactorum impin„gerent, ac serio postulatis suis insiste„rent, quibus nisi satis fiat, tractatus „continuari nequeat; se optasse qui„dem, tam egregias amicitiæ stabi„liendæ rationes à se oblatas Danis ac„ceptatas fuisse, ac operam ab Ele„ctore Brandenburgico adhibitam „scopo suo potitam. Protestari ita„que, à Sveciæ parte ad hanc tracta„tuum dilationem aut hæsitationem „nihil causæ præbitum; ac se ulteric„rem negotiationem ad Commissa„rios in finibus Regnorum rejicere „juxta pacta, aut tempori commit„tere, quod his mutationem adfer„re queat. Cum Durellius Regi va- 9. Maji.
lediceret, inter alia testabatur, optandum sibi fuisse hos tractatus successum sortitos. Ei Regis nomine à Gerstorfio responsum; sibi quoque molestum esse tractatus adhærescere: & quia Daniæ Rex satisfactione potiri nequeat, se causam suam Deo ac tempori comittere. Quia autem Durellius ad congressum Commissariorum in finibus provocaverat, Gerstorfius sciscitabatur; num Rex Sveciæ huic congressui diem dixerit, ac num ipse mandata habeat super præliminaribus agendi. Nam se à tractatibus non abhorrere, omni modo pronum in pacem animum demonstrare cupidos, ac quantopere desiderent rem ad optatum exitum inter ambo Regna deduci. Ad quæ Durellius: à Rege nil aliud sibi injunctum, quam tractatus ad debitum ex pactis locum remittere: reliqua ex ipso Rege exquirenda. Ast Rex ut Danis omnis jactandi ansa præriperetur, velut à se omissum quid foret

1657. paci ſervandæ aptum, à Senatu Sveciæ ad Daniæ ſenatum ſcribi volebat, anſa arrepta à propoſito tractatu limitaneo, ac reſponſo per Duvvallium miſſo; uti Svecis ſemper ſtudium fuerit pacta inviolabiliter ſervandi; & quia non conſtet, quo fundamento accuſationes in Sveciæ cives nitantur, & quomodo circa certificationes præcipue in freto peccatum ſit, præpoſterum videri ſatisfactionem exigere, antequam conſtet, cur, & quo jure eadem poſtuletur. Et quia pacta monſtrent, quæ via ſit ineunda, ſi quæ controverſia oriatur, ſimul communi Proteſtantium cauſæ multum obſit, ſi ea Regna in bellum ruant, haut inconſultum videri Danis congreſſum in limite proponere, ſaltem penitius explorandæ iſtorum menti. Relinquebatur tamen judicio Senatus, num credat, aliquod operæ pretium poſſe fieri. Sed antequam iſta expediri poſſent, jam bello à Danis indicto ſerum erat literis certare.

Brandenburgicus Legatus Danis bellum diſſuadet.

§. 65. Kleiſtius tamen, quo minus Dani in bellum erumperent, omnem lapidem moverat, longa rationum ſerie in eam rem contexta. „Electorem „Brandenburgicum ante præſentes „turbas Polonicas haut percepiſſe Da„niæ Regem de Svecis queſtum, velut „pacti violatoribus. Nec ſibi clare „probatum videri, à Svecis pacta vio„lata; & ſi quæ ſecus acta arguantur, „civibus imputanda, Regem extra „culpam habendum. Danos bellum à „Svecis Poloniæ illatum, ſcriptaque „publica ejus juſtitiam adſtruentia „haut improbaſſe. Siniſtram apud bo„nos de Danis exiſtimationem oritu„ram, ſi nunc nulla idonea ratione, ſola „invitante occaſione, in bellum ruant, „ac in gratiam Pontificiorum Princi„pem Evangelicum invadanti; præſer„tim cum Carolus Guſtavus ad omnia „æqua ſeſe offerat. Danos ad hoc bel„lum ſumendum nulla neceſſitate ſu„bigi, ſed non niſi occaſionem Pontifi„ciis ac Moſco præbere, ut Svecis præ„valeant, ac ut iidem ſpectaculo iſto „non ſine ſummo ſuo emolumento „gaudere poſſint, quomodo Evange„lici ſuas invicem vires atterant. „Quod ſi hoc bello terræ ad Impe„rium ſpectantes involvantur, omnes „Ordines ad præſtandam pacem ob„ſtrictos eſſe; ac Svecos ſine dubio „ita rem geſturos, ut intra limites „juſtæ defenſionis maneant. Gallos „quoque, & Anglos haut otioſos ſpe„ctatores fore, nec paſſuros, ut „æmuli ſui Daniæ opera incremen„tum capiant. Svecis ſemper facul„tatem fore cum hoſtibus ſuis tranſi„gendi, & cum Moſco jam tractatus „agitari. Eo facto molem belli ſoli „Daniæ incubituram; nec ſocios diu„tius ſibi invicem adſiſtere ſolere, „quam per rationes ſtatus fieri expe„diat. Regem Daniæ tractatus cum „Svecis probaſſe, Electorem ſeque„ſtrem admiſiſſe; iſti ſi nunc per Da„nos abrumpantur, variis judiciis fa„ctum id obnoxium fore, nec om„nium calculos pro Dania latum iri. „Apud Regem Sveciæ magni animi „Principem longe facilius obtineri „quid poſſe amica via, quam intenta„tis armis; qui & haut impune injuriis „laceſſatur. Eſſe porro eundem bel„lo diſtrictum, non tamen usque adeo „implicitum, ut non poſſit partem co„piarum cum Ragozio & Coſaccis „in Polonia relinquere, munitaque „Boruſſiæ oppida præſidiis firmare, „cum reliquis ſat negotii Daniæ fa„ceſſere. Eſſe quoque in Svecia mi„litem veteranum, egregiis antea edi„tis ſpeciminibus. Nec dum conſta„re, quid Belgæ facturi ſint, ſi hoc „bello commercia turbata, ac Gallos „Anglosque eidem immixtos vi„deant. Igitur probe prius omnia ex„pendenda, antequam Martius popu„lus laceſſatur, ex quo immenſum „invalitura ſit animorum exacerba„tio, Danis fortaſſe noxæ ceſſura. „Electorem ſummopere gaviſurum „ſervata inter Boreales Reges amici„tia, & ſequeſtris partes ulterius „debita fide continuaturum. Ne Da„ni Auſtriaci Domui nimium confi„dant, quod experientia conſtet, „cum eadem nullum Evangelicum „fauſto ſucceſſu ſe conjunxiſſe, aut „diuturna armorum conjunctione uti „potuiſſe. Nam quicquid illa verbis „jactet, fixum eidem manere, Ro„manos ritus propagare, Evangelica „ſacra ſubruere. Denique cogitarent „Dani, ſe moto bello Svecis anſam „præbituros ſumma cum gloria exo„ſo dudum in Polonia bello excedendi. Sed nec Galli, Anglique Danos monere omittebant, ut quieſcerent, quippe qui Carolum Guſtavum Auſtriacis imittere optabant.

1657.

§. 66.

1657. *Dani in bellum ruunt.*

§. 66. Enimvero nihil valebant apud Danos iſtæ rationes, utut & illud oſtenderetur: ita jam comparata eſſe Svecorum arma, ut ſi alibi ſperata emolumenta Rex negligere velit, ruina Daniæ impendere videatur. Sed ita blandiebatur iſtis occaſionis opportunitas, ut eam nullo modo è manibus amittendam ducerent, per quam ceſſa quondam Svecis recuperandi ſpes erat; & quia plane ſecum actum credebant, ſi poſt Bremenſem provinciam, ac Pomeraniam Sveci Boruſſia quoque potirentur. Sed & perſuaſerant ſibi Dani, conſilia in Svecia non ad veterem modum tractari. Iſtos porro præter Auſtriacos etiam ſtimulabant Epiſcopi Weſtphalici. Tum & ingens fiducia in auxilio Belgarum reponebatur; ac jam prædones Danici per Mare Balticum graſſari incipiebant, quo ipſo putabant Belgis occaſionem & prætextum iri præbitum claſſem bellicam in Mare Balticum immittendi. Nec minus à ſocietate Polonorum inſigne robur ſperabatur, fœdere cum hiſce icto ad Svecos terra marique perſequendos, velut qui fines ſuos dilatare inſtituant cum oppreſſione vicinorum, ac ſibi ſolis Dominium Maris Baltici quæſitum eant. Ac promiſerant Poloni auxilia, ſi forte
14. *Maji.* Sveci in Holſatiam ſe penetrarent. Veniebat tunc Hafniam à Rege Galliæ
DeMeules. miſſus Molanus ad impediendum, ne in bellum erumpatur, aut ubi id jam factum ſit, ut per tractatus controverſiam componere laboraret. Qua miſſione Danis haut parum ſpiritus gliſcebant, velut amici Sveciæ jam huic metuere inciperent. Ita rem in bellum deducebant ipſe Rex, eidemque addicti peculiariter juniores Senatores; eminente cumprimis ardore Joachimi Gerſtorfii Proregis, origine Germani, in Dania peregrini, eoque modico ſtudio in opes Nobilitatis, cui præcipue Regis utilitas ſpectabatur, ut is armis ſuccinctus majori autoritate ac ſecuritate apud Nobiles potiretur. Cæterum omnes in eo quidem conſpirabant, non poſſe diutius vivi ad lubitum Svecorum. Sed Seniores haut cenſebant ſummam rerum aleæ exponendam, ac tunc demum in arma erumpendum, quando Svecia diuturno bello ad incitas ſit redacta. Sed hi velut meticuloſi irridebantur; ac quo quis plus irarum in Svecos oſtenderet, eo majore plauſu excipiebatur. Mox tamen prudentiores obſervabant, ea fervoris intemperie Danos in errores haut leves initio belli ſeſe induiſſe. Inter quos fuerit, quod mature nimis bellum indixerint, antequam ſat parati eidem gerendo eſſent. Tum quod prius eruperint quam Auſtriaci, non expectato, quoad cum hiſce Sveci manus conſererent; qui ancipites ſtabant, in illum ituri, qui prior laceſſeret. Unde præmatura Danorum hoſtilitate Sveco occaſionem datam Auſtriacos declinandi & ex Polonia ſe ſubducendi militi ſuo adeo inviſa, ſede belli in opimam regionem devoluta. Denique & in eo a Danis erratum quod non tota vi bellum in viſcera Sveciæ effuderint, ſed impetita Bremenſi provincia vicinos Principes ſuſpicione perſtrinxerint, velut abrupta Germaniæ pace. Aut ſi utique Svecos in Germania invadere ſedebat, quod non in Pomeraniam, ac Meclenburgicam ſe verterint, ibique laboribus ac longo itinere fractis, ac fere inermibus occurrerint, ac Hamburgum eosdem attingere paſſi ſint, omnibus ibi rebus neceſſariis inſtruendos.

1657.

Dani bellum orditur. §. 67. Statim atque Durellius Hafnia diſceſſiſſet, Dani tres naves Svecicas ſale onuſtas in freto abripiebant
19. Maji. obtentu repreſaliarum pro damnis per Svecos illatis. Is enim color aliquandiu dicebatur, antequam bellum publice profiterentur. Nautæ Svecici in carcerem conjecti, Belgicæ nationis qui erant liberi dimiſſi. Kleiſtio, qui Hafniæ remanſerat, quo iſta navium detentio ſpectaret interroganti Gerſtorfius reſponderat: Cum Rex Daniæ à Sveco hactenus nil ſatisfactionis ob tolerata damna ac contumeliam amica via obtinuerit, eam demum per repreſalias & alia remedia naturali jure permiſſa fuiſſe quærendam. Inde repetitis, quæ à noviſſimo bello hucusque contigerant, addiderat: „ex om„nibus anteactis, ac nupero Svecici „miniſtri magnæ dignationis ſermo„ne, qui dixerit; Daniam unum (dun„taxat annum maturius ſperato evi„gilaſſe) colligi poſſe, id duntaxat „fuiſſe quæſitum, ut per tractatus „tempus extraheretur, poſt Daniam „eo validius infeſtandam. Rationem „& neceſſitatem exigere, ne Dania „tempus ſuum negligat, nec apud poſterita-

1657. „steritatem id opprobrium mereatur, „exitium suum prævidisse, nec eidem „occurrere sustinuisse. Daniam sem- „per pacifica consilia fovisse; super „hisce tractatibus aliquoties pleno „Senatu mature consultasse, scopum „suum magis ad tutam pacem inter- „veniente æqua satisfactione, quam „ad arma direxisse: simul tamen con- „cordibus suffragiis decrevisse extre- „ma potius tentare, quam hactenus „tolerato contemtu atque angustiis „immersam diutius hærere. In aper- „to insuper esse, Svecos Monarchiam „Maris Baltici affectare, & adquisitio- „ne portuum Borussicorum Daniam „eminus velut indagine cinctum ire. „Eam ob causam sibi cum Belgis su- „per conservatione Gedanensis civi- „tatis conveniendum fuisse, destinatis „Svecorum infringendis. Ideo & sibi „non tam agi de peculiari transactio- „ne, in qua & ipsa parum securitatis „sit, quam ut quilibet ad Mare Balti- „cum sua quiete possideat, ac commu- „nis securitas pace omnes complexa „stabiliatur.

Rex Danico bello alacriter occurrit.

§. 68. Ast Carolus Gustavus eo per- cepto sine mora Poloniam relinque- re, ac Daniam invadere constituit, velut jam explorato præsagio, intra sex menses id se bellum patraturum, Danumque eversurum. Ac quo magis ejusdem amicitiam conservare stu- duerat, eo acrius, postquam eam repu- diatam perspiciebat, ad istum perden- dum incubiturus erat. Ac jam animo agitabat de Regno Daniæ in socerum transferendo, quod Europæi Princi- pes haut concessuri essent, ipsum id Regnum Sveciæ adjungere, satis ha- biturus Norvegiam, Scaniam & Ble- kingiam cum corpore Sveciæ univis- se. Hamburgensibus quoque si arma *Glücstad.* simul movere vellent Glucstadium da- re decreverat: qua de re, ut cum ipsis agerent, Vincentius Mœllerus, & Ste- phanus Gambrotius mandata acceper- rant. In Sveciam mittebatur Gusta- vus Otto Steenbockius, ut una cum *Brahe.* Petro Brahæo Drotzeto in Hallandia *Lillie.* potissimum & Westrogothia rem mi- litarem administraret. Axelius Lil- lius apud Calmariam, & in Smalandia curare jubebatur. Porro ista Regis promtitudo circa deferendum bel- lum Polonicum inopia cumprimis Danis acciderat, queis haut credi- tum fuerat, ita cito ab isto bellum deponi posse, cui per biennium impli- citus fuerat; cum præsertim Livo- nia quoque à propinquo eidem re- spicienda videretur. Ac qui relatio- nes ad placitum audientium forma- re gaudent, Danis persuaserant, Sve- cos duo amplius equitum millia è Po- lonia educere non posse. In Bremen- sem autem provinciam ideo impe- tum effundere Danis placebat, quo Svecorum delectus, & illam velut va- ginam legionum destruerent. Nec curabatur evictio, quam Imperium Sveciæ debebat, circa provincias in Germania sitas, quippe quæ eo tan- tum porrigatur, si Svecia ejus pacis nomine impugnetur, non si ipsa bel- lis haut necessariis vicinos turbet. Et quam exigui valoris sit illa gua- rantia, non ita pridem adparuisse, cum Sveci Bremam urbem invade- rent. Cum etiam ante hos quatuor- decim annos Svecis in Holsatiam ir- rumpentibus inferioris Saxoniæ Or- dinum auxilia implorarentur, hos ju- dicasse, si unum membrum pericu- lo involvatur, alterum haut teneri fortunas quoque suas aleæ exponere. Olim etiam cum Hispani ac Belgæ Cli- vicis se, ac Colonien sibus ditionibus in- funderent, Imperium id parum ad se pertinere ostendisse. Denique quia Sve- cia nondum investituram earum pro- vinciarum susceperit, à Dania illam pro membro Imperii haut haberi.

Dani bellum Sveciæ indicunt.

§. 69. Accessit inde à Danis cadu- ceator Halmstadium ad Ericum Steen- bockium Hallandiæ Gubernatorem bellum solenniter indicturus; cui fini delectus erat homo proceræ staturæ *Futtermarsch.* ex equili Regio, velut & hoc ipsum ad terrorem Svecis incutiendum factu- rum esset. Clarigatio, quam adfere- bat, Regis Daniæ manu subscripta e- rat. Accesserant duo scripta, quo- rum uni *jus feciale armata Dania*, al- teri *Manifestum Danicum* vocabulum *Manifestum Danicum.* erat; quibus hæ causæ illati belli ex- ponebantur. „A Svecis Anno 1644. „Bremensem præsulatum sibi inno- „xio ereptum, utut neutralitatem & „à bello exemtionem stipulatus sibi „fuerit. Inde cum Bremerverda à se „recuperata foret, promissa in præsi- „diarios ejusdem alendos certa pecu- „niæ summa, eandem nulla idonea „causa iterum ereptam. Inde amicos „super eo præsulatu tractatus, Brem- „sebroënsi pacto reservatos, fuisse elu- sos,

1657.

ILLUSTRISSIMUS ac GENEROSISSIM.
Dominus, Dn. PETRUS BRAHE, Comes in Ulfingsborg
liber Baro in Cajana, Dominus de Ridboholm, Lindholm, Brahelina, et Rogestund &c.
Sacræ Regiæ Majestatis Regni Sueciæ Senator ac Drotzetus, vt et Legifer Warmanniæ
Montanorum et Dalecarliæ, &c.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

1657. „ſos, ac demum eundem pace Weſt-
„phalica in ſatisfactionem acceptum.
Cornificz Ulfeld. „CornificioUlfeldio protectionem in-
„dultam, qui infamibus ſcriptis Maje-
„ſtatem Regiam ac multorum egre-
„giorum virorum exiſtimationem
„temeraverit, Rege nequidquam in
„ipſum ex fœdere animadverti peten-
„te. Detentas quoque duas parochi-
„as Irne & Zerne ad Aggershuſanam
„præfecturam pertinentes, neglecto
„qui ſuper earundem cognitione po-
„ſtulabatur congreſſu. Infinitas de-
„fraudationes vectigalis in freto Ore-
„ſundico admiſſas; quarum id Speci-
„men eſſe poſſit, quod Anno 1642.
„cum Livonia adhuc vectigali ſubje-
„cta foret, Rigæ & Revaliæ cives mer-
„ces decies mille uncialium profeſ-
„ſi eſſent; poſt uno anno 1655. ob-
„tenta à vectigali immunitate ab
„utraque urbe ſexcenties quinquagies
„mille uncialium pretio merces fre-
„tum tranſierint, ſine dubio aliis ſub
„Svecorum vocabulo debita Regi
„Daniæ vectigalia ſuffurantibus. Nec
„iteratis licet monitis ejusmodi
„fraudes fuiſſe emendatas. Superio-
„re bello eosdem Belgis immunita-
„tem vectigalium pollicitos: ad littus
„Gedanenſe nuper vectigal exegiſſe:
„Viſtulam veteri alveo divertere co-
„natos: dominium Maris Baltici ex
„ſolido ſibi arrogaſſe, eoque ipſo ju-
„ra ac reditus Daniæ inſigniter im-
„minuiſſe. Arguebantur quoque Sve-
„corum bellandi & aliena rapiendi li-
„bido, inſolentia, & ab æquitate ab-
„horrens animus; tum eorundem
„conſilia ſuper arguendis Wismariæ
„& Gothoburgi commerciis, adquiſi-
„tione Comitatus Delmenhorſtiani.
„Item, Bremenſi urbi paucos ante an-
„nos erepta bona; tranſitus militis
„Svecici per ditiones Regis Daniæ
„ſumti; prædium ad Daniam ſpectans
„in Rugia Inſula ſitum tributis one-
„ratum; Hallandiæ provinciæ jura
„adverſus pactum violata. Quæ o-
mnia exquiſita ubique verborum a-
cerbitate autor ſcripti Theodorus
Reinking. Reinkingius aſperaverat. Ea ſcripta
Belgæ pro ſolita ſibi dicacitate æque
jejuna quam Svecicum in Polonos
Manifeſtum jactabant, cavillati etiam
fictum vocabulum typographi *Caſpa-
ris Dell* adpoſitum, quod lingua Teu-
tonica veſanum notat.

§. 70. Hiſce aliud ſcriptum oppo- 1657.
nebant Svecici, quo objecta diluebantur, ſimul oſtenſo, quid in præjudicium Sveciæ poſt pacem Broemſebroënſem Dani cum Belgis machinati ſint; ac uti contra à Svecis nihil intermiſſum ſervandæ cum Danis amicitiæ. *Svecorum reſponſio.*
„Deſtinata de armis Poloniæ inferen-
„dis Dano communicata; ad quod
„ab hoc amice reſponſum, rationes-
„que probatas, addito promiſſo, nil
„ſubſidii à ſe Poloniæ ferendum.
„Quia etiam paulo antequam Polo-
„nica expeditio ſuſciperetur, Dani
„modeſte queſti fuerant, à civibus Sve-
„cicis fraudes in freto Oreſundico
„circa vectigal admitti, Regem ſtatim
„promulgatis per totum Regnum e-
„dictis ſuos cives navigatione per id
„fretum utentes ſevere monuiſſe, ne
„quid contra pacta admitterent, præ-
„cipue circa certificationes. Man-
„daſſe etiam ſuo Reſidenti, ut cum
„Danis ſuper ea re ſermones confe-
„rat, pollicitumque ſe intellecto cri-
„mine, & fraudantium nominibus
„Dano ſatisfacturum, noxiis digna
„pœna affectis. Sed Danos tunc ad
„examen querelarum deſcendere ab-
„nuiſſe, jam tum meditantes obten-
„tu ingentis damni in freto accepti
„provincias quondam amiſſas recu-
„perare. Oblationem tamen à Re-
„ge tunc factam amice in ſpeciem à
„Danis acceptam. Tractatus inde
„diu ſuper fœdere Hafniæ agitatos,
„ubi non niſi ad extremum de iis,
„quæ jam inter cauſas belli allegan-
„tur, à Danis mentionem injectam
„eſſe. Ac initio quidem egregie eam
„tractationem ſucceſſiſſe, ut prope-
„diem concluſio ex voto expectare-
„tur, nec aliud à Danis deſideratum,
„quam ut Belgarum incluſionem à
„ſe optari ferrent. A qua cum Sve-
„ci non abhorrerent, tantum de mo-
„do includendi quæſtionem ſuper-
„fuiſſe, num iſta laxioribus verbis
„fieri debeat, an aliquid peculiare pro
„ipſis ſtipulandum. Inde Danos an-
„ſam dilationis arripuiſſe, re adRe-
„gem Sveciæ rejecta, per Danicum
„ibi Reſidentem peragenda. Aſt hunc
„in aula Svecica ſuper hoc negotio
„interrogatum ignarum ſe tuliſſe, nec
„mandatis inſtructum, ſed ad Regem
„relaturum. Interim quid animo
„volverent Dani erupiſſe, dum ſco-
„pum hujus fœderis apud Belgas &

1657. „Anglos criminationibus differunt, „Moſcum in Livoniam irritant, Po„lonis ſpem auxilii faciunt, Geda„nenſes obfirmant, cum Auſtriacis „conſilia in Svecos cudunt. Ac jam „minaces ſuper Gedanenſi negotio à „Senatu Danico ad Svecicum literas „belli prænuntias erupiſſe, ni prælium „ad Warſaviam, & irritus Moſci ad Ri„gam conatus, tum ſucceſſus Elbin„genſium tractatuum prurientes in „arma manus attinuiſſent. Nec eo „minus Belgis permiſſum claſſe in „Mare Balticum immiſſa ejus Maris „dominium temerare in fraudem u„triusque Regni, cui & Danicæ na„ves ſeſe aſſociaverint. Inter hæc „Electorem Brandenburgicum veri„tum, ne iſta in diſſidium rei Evan„gelicæ & vicinis noxium erumpe„rent, circa concordiam inter ea Re„gna ſervandam ſtudere inſtituiſſe; „qui & obtinuerit, ut Rex Daniæ de„clararet, pronum ſe ad tractatus il„los inſtaurandos & abſolvendos, pari „declaratione à Rege quoque Sveciæ „edita. Sed ſtatim atque in rem præ„ſentem ventum fuerit, adparuiſſe „Danis fœdus parum cordi eſſe, dum „procuratorium Durellii cavillantur, „velut non ſatis amplum, nec tempo„ribus præſentibus accommodum: „de querelis tamen nullum tunc ver„bum. Unde ne quid in ſe deſiderari „Rex pateretur, novum procuratori„um ad mentem Danorum transmi„ſiſſe, paratum omnia hactenus utrin„que geſta, quæ paci parum congrua „videantur abolere, Danoque indulge„re, quæ ſalvis pactis, ſuaque dignita„te, ac Regni rationibus concedi que„ant. Aſt Danos de primario nego„tio parum, de gravaminibus præci„pue moviſſe, quæ non ſimul, ſed per „partes extrahendo magis tempori „propoſita ſint. Ad quæ etſi Durel„lius ſufficienter reſponderit, exhi„bito quoque catalogo gravaminum „à Svecorum parte; Danos tamen nil „niſi ſatisfactionem, & cautionem in „futurum crepaſſe. Quibus poſtu„latis cum dimoveri non poſſent, „quicquid rationum in diverſum ad„duceretur, tandem Durellium am„putando fruſtraneo labori puram „declarationem Danos popoſciſſe. „Qua cum Dani poſtulatis ſe ſuis de„ceſſuros negarent, hunc interpoſita „proteſtatione negotium ad tractatus „in limite ex more inter hæc regna re- 1657.
„cepto rejeciſſe. Quo digreſſo ſtatim „naves abreptas, ſubditos Regis ad re„bellionem ſolicitatos, bellum ſolenni„ter indictum. Inter cauſas belli à Da„nis præcipue allegari metum, ne à „Svecis invadantur, quem ſine dubio „prava conſcientia ex inanibus ſuſpi„cionibus ſuggeſſerit; ſed cui faci„le culta ſincere amicitia, fœdusque „concluſum mederi poterat. Qui „& demum qualiscunque fuerit Da„nis ut caverent jus dare potuerit, „ut ultro arma inferrent, non potue„rit. Mirum vero videri, rem diu „tranſactam nunc inter cauſas belli „in prima velut acie collocari. E„quidem Regi Friderico tunc Bre„menſium ac Verdenſium Præſuli „conceſſum, ut neutrarum partium „bello Germanico eſſet. Sed dum „is armis paternis miſcetur, belli ju„re ditionibus ſuis fuiſſe exutum; „quæ & ſecuta mox pace inter duo „Regna reſtitutæ non fuerint, ſed „rem ad ulteriores tractatus reje„ctam, ſpe duntaxat commendatio„nis per Svecicos Commiſſarios fa„cta. Ite nec Friderico ad repeten„dum jus, nec Chriſtinæ ad reſtituen„dos præſulatus obligationem fuiſſe „natam. Veniſſe poſt Legatos à Fri„derico Holmiam miſſos, qui ſuper „injuria illata queſti ſint, ac præſu„latus velut iſtius proprios repetie„rint; mandatum tamen ad tractan„dum non attuliſſe, ſed tantum ad „poſtulandam reſtitutionem. Ita „haut mirum re infecta dimiſſos. „Præterea ante concluſum tractatum „Bræmſebroënſem inducias inter Fri„dericum & Koenigsmarckium initas, „ut penes Svecos totus præſulatus, „ſed penes iſtum Bremerverda eſſet, „omnia tamen in præſenti ſtatu ma„nerent, ac præter argentum aut an„nonam conventam provincialibus „nihil moleſtiæ inferretur. Sed cum „præſidiarii excurſionibus factis pro„vinciales vexarent, itinera infeſta „redderent, cum Cæſareis militibus „colluderent, arcemque munitioni„bus firmarent, Koenigsmarckium „periculo avertendo, cum conven„tio ab iſtis violata eſſet, non ex„pectato Reginæ mandato eam ar„cem expugnaſſe. Inde provinciam Re„gno Sveciæ à toto Imperio traditam; „qua re ſi læſum ſe judicet Fridericus

ab

Digitized by Google

INSULÆ FYONIÆ
PARS.
Sophiendahl
Friderichsodium
Vldrup
Welby Wyk
Garslo
Gaunsland
Fretum Cimbricum
Septentrionalis Pars

1657. „ab eodem reparationem petendam. „Sane cum is per Reinkingium de sa- „tisfactione ob transferendam in Sve- *Traut-manstorf.* „cos Bremensem ditionem apud Traut- „manstorfium instaret, hunc primo „repositisse; gratis accepit, gratis de- „dit. Inde centum uncialium millia „assignata, quæ tamen Fridericus ul- „tro remiserit, ac post multis actibus „Reginæ legitimam possessionem „agnoverit. Quin & Daniæ Ordines „Friderico non prius Coronam voluis- „se deferre, quam is promitteret, se „oblivioni tradituram omnia, quæ „circa Bremensem præsulatum sibi „acciderint. Parochias Irne & Zerne „cum intra juga montium sitæ sint, „queis Svecia à Norvegia separatur, „pactis Brœmsebroënsibus cum reli- „qua Jemtia utique Sveciæ traditas. „Cum tamen biennio post Dani super „iis dubium moverent, à Svecis Com- „missionem designatam, quæ super „iis cognosceret; quam Danis obire „operæ pretium haut fuisse visum. „Fraudes civium Svecicorum in freto „non probatas, de iis ad Regem Sve- „ciæ querelas non delatas, multo „minus justitiæ administrationem ne- „gatam. Unde si vel maxime tales „exstarent, ad bellum movendum „non sufficere. Ac vetustis pactis „jam dispositum, qua ratione obor- „tæ inter ambo Regna controversiæ „sint componendæ; cui transactioni „Sveci se pronos semper obtulerint. „Ea quæ Svecico Residenti tradita sint „gravamina, ab ipso sufficienter fuis- „se refutata. Ad exempla de Riga & „Revalia in promtu esse responsum, „earum commercia auxisse, postquam „servitio Danici vectigalis exsoluta „Sveciæ immunitate frui cœperint. „Cornificio Ulfeldio è patria profu- „go receptum in Svecia præstitum „juri gentium & pactis Stetinensibus „haut adversum, & ipsis Danis usur- „patum; contra quem si quid cui- „piam actionis competeret, jus in „Svecia administratum fuisse. Cu- „jus & scriptum non libelli famosi „indolem habuerit, sed defensionis „necessariæ ad objecta crimina. „Quæ circa Gedanum facta arguun- „tur, jure belli patrata in eos, qui „oblatam amicitiam proterve repu- „diarint. Nec inclusionem ejus ur- „bis in pacta Brœmsebroënsia obsta- „re, quo minus hostiles ejusdem in- „sultus castigari queant. Ac in simi- 1657. „li casu usque adeo discrepasse judici- „um Christiani IV. ut is Anno 1628. d. 8. Martii „edictis propositis vetuerit omnes „mari negotiantes sub pœna confi- „scandæ navis & mercis, ne Geda- „num navigarent, quamdiu ea urbs „discors Sveciæ ageret; tantum abest, „ut ejus urbis patrocinium suscepe- „rit, cum Sveciæ naves ad ostium Vi- „stulæ vectigal exigerent. Alio quo- „que instrumento eodem anno Re- 19. Maji. „gem Daniæ se obtigasse ad transitum „nemini per fretum concedendum, „qui Svecico diplomate demonstrare „nequeat, se vectigal telonæ Svecico „in ora Gedanensi exsolvisse. Qui se- „cus fecerit, illum Svecicis prædoni- „bus fas esse abripere ubicunque de- „prehensum, etiam in aquis Daniæ „Imperio subjectis.

§. 71. Jam igitur à Danis hostilia magno fervore terra marique sume- bantur, ac ut Sveciam penuria neces- sariarum rerum premerent, extero- rum navibus interdicere instituebant, ne sal, haleces, & cadmiam eo adve- herent. Copiæ Danis numerosæ, sed pauci egregii ductores ob pecu- niæ parsimoniam. Istæ primo inter Hamburgum & Lubecam contrahe- bantur, velut Pomeraniam invasu- ræ, ac à Meclenburgico Duce postula- bant, ut Svecos transitu prohibeat. Sed qui in neutram partem studium sibi observandum excusabat. Mox in Bremensem provinciam impetus ver- titur; ac pars supra Hamburgum per Luneburgicam, reliqui recta trajecto Albi irrumpebant. Novem millia explere dicebantur, quos qua- draginta machinæ sequebantur: ad Holsatiæ defensionem novem millia castris ad Itzehoam positis confide- bant. Ut provincialium animos Sve- cis aversos in se traherent, edictis publice affixis sub capitis pœna in- terdicunt; ne quis miles provincia- li quid eripiat, eumne ulla mole- stia afficiat, abolitionem insuper o- mnium onerum à Svecis imposito- rum, ac per novem annos immu- nitatem polliciti. Studebant quo- que sibi Bremam urbem adjungere, promissa restitutione omnium, quæ Svecis cedere necessum habuerat. Sed quæ Bremenses surda aure transmittebant. Et mox Joannes Helmes, qui istos solicitabat, audito

Dani in Bremen- sem pro- vinciam irrum- punt.

Itzeho.

26. Jun.

1657. Wrangelii adventu raptim ea urbe ſe ſubducebat. Qui Glucſtadio trajiciebant, protinus caſtellum Belemenſe ad Oſtam fluvium occupabant, centum Svecicis militibus inſeſſum. Cæterorum pars ſub Eggerico tribuno Bremerverdam petere, quam omni vi oppugnare cœperunt, Jacobo Lundio ſubtribuno ſat acrem initio defenſionem minante. Alii circa Stadam conſiſtebant; quibuscum dum propius ſubeunt, Aſchenbergius ſub oppido acri velitatione certabat, quibusdam utrinque cædentibus. Inde à Danis levi negotio occupatum caſtellum ad Geſtendorfum, in quod cum tres Danicæ naves è Viſurgi machinas diſploſiſſent, præfectus ſtatim arbitrio ſe hoſtium per ignaviam dedebat, ipſe cum præfectis, captivi ſortem ſubiens, gregariis Danicæ militiæ adſcriptis. In Caſtello annonæ affatim, & adparatus bellici inventum. Caſtellum ad Leam poſt acrem defenſionem hoſti ceſſit. Hinc Burgo obſidium circumpoſitum. Bremerverda quoque demum ad deditionem compulſa cujusleges à Danis maligne obſervatæ, præſidiariis centum triginta ad Danica ſigna transgreſſis. Ipſe Lundius præfectus Bremam abibat, mox latebras petebat, conſcientia rei male adminiſtratæ. Nam & plures milites antea profeſſus erat, eorumque nomina ſtipendia acceperat, quam poſtea cum oppugnaretur reperti fuerant. Nec mature auxilium Stada exciverat, nec miſſum inde deducendis neceſſariis præſidium ſecum retinuerat. Tum nec hortum ante arcem deſtruxerat, hoſtique ſtatim acceſſum ad foſſam permiſerat. Inde Stadæ obſidium parabatur, ad unum latus machinis diſpoſitis, quibus oppidum acriter verberabatur, Svecis omnia ad vim repellendam ſtrenue expedientibus, tum per crebras eruptiones heic & Burgi Danos fatigantibus. Caſtellum quoque ad Svingæ fluminis oſtium, poſtquam obſeſſi ſtrenue reſtitiſſent, ad deditionem compulſum. Ita Dani belli initio progreſſus haut ſpernendos faciebant; quos tamen mox ſiſtebat increbeſcens de Svecici exercitus adventu rumor; quo territi Dani nulla re amplius ſuſcepta verſus Albim ſeſe receperunt. Dum Dani per Bremenſem provinciam invaleſcunt, Monaſterienſis Præſul Wilzhuſam invadere inſtituerat, velut veterem præſulatus ſui partem, antequam Daniam prærriperent: ſed mox Svecis adpropinquantibus ea libido obtorpeſcebat. Qui ad Itzehoam conſtiterant Dani, excurſione verſus Wismariam facta duo pecorum millia, centum equos abegerunt, novem quoque equitibus interceptis. Sed & claſſis Danica novendecim navium in Mare Balticum ſolvebat, in quam Rex Daniæ improviſo etiam Regina ignara ſolo Gerſtorfio conſcio, aſcendebat, ac velut Gedanum verſus faciebat, intercipiendo Regi Carolo Guſtavo, quem fama ferebat è Boruſſia in Sveciam trajecturum. Nam è Bornholmia nuntius venerat, decem naves Svecorum bellicas præter eam Inſulam verſus Pillaviam vela feciſſe; & quia Danus ex interceptis literis intellexerat, à Senatu Sveciæ Regis ſui reditum in patriam enixe expeti, judicabat eas naves ad transvehendum Regem abiiſſe. Alii hanc cauſam ferebant, ut Gedanenſium animos confirmaret, quos obſidium à Svecis metuere audierat. In eam claſſem Stralſundenſe navigium delapſum Rex liberum dimittebat, navarcho mandans, ut Magiſtratui ejus urbis de amicitia ſua confirmaret, ſi qua iſtum in ſuas partes pertrahere poſſet. Ad Rugiam tamen exſcenſione facta vici aliquot litori propinqui diripiebantur. Sed cum ad oram Gedanenſem Fridericus perveniſſet, ancorisque jactis ſciſcitaretur, ubinam Sveciæ Rex ageret, præter ſpem audiebat, eundem iter Stetinum verſus ingreſſum recta in Holſatiam tendere. Quo nuntio valde confuſus propere in Daniam remeat, jam tum belli temere moti triſtes eventus ſpectaturus.

1657.

Belem. *Eggerich.* *Bremerverde.* *Lundi.* *Wismar.* *8. Jul.* *Geſtendorf.* *Lebe.* *9. Jul.* *Wilzhuſen.*

§. 72. Nam Carolus Guſtavus, cui ſedebat è tot hoſtibus ſimul ingruentibus unum toto impetu ſubvertere, ac Danos potiſſimum frangere, progreſſibus Sveciæ ſemper ſeſe objicere ſolitos, ſub initium menſis Julii Stetino Demminum verſus moverat, quo ut convenirent, omnibus copiis indictum erat. Heic aliquot dies conſumti, quoad omnes copiæ adeſſent, Rege interim Grypsvvaldam & Stralſundam excurrente. Demmino digreſſis Wrangelius cum aliquot peditum legionibus conjungitur. In itinere Rex Schvvanæ cum Duce Meclenburgico Gu-

Sveciæ Rex in Daniam movet. *Demmin.* *Grypsvvald.* *Stralſund.* *13. Jul.*

NAPOLI

Digitized by Google

REGNUM DANIÆ,
cum Insulis et contermin.ⁿ Terris,
correctius quam antehâc delineatum et editum
simul comprehendens
Finem & mansiones R.ᵃᵉ M.ᵗⁱˢ Sveciæ,
Excerptus quoq.ᵉ jam inde à primo imperio, usq.ᵉ in bella exitio
ad annum 1658
Per Ericum Dahlberg Leuenhaupten
STRO: THIÆ S
OSTRO: GOTHIÆ PARS.
GOTHIÆ PARS
Smalandia
CHA NIA
MARE SVECICVM
Vulgo Die Oost See
Vell BALTI:
CVM
Bornholm
Sandhammer
Rugia
Vidrom Insula
Wallen
Dagoe
I PARS

Digitized by Google

Oppid Bremerforde
Oostc Flavius
BIS FLUVIS

Digitized by Google

Digitized by Google

c Hamburgum inter et Lubecam
claretur
Equitatus
ala dextra cui praerat Princeps Carolus Augustus Marchio
Badensis
Sub Gen. Excub. Praefecto Boddekero.
N. Cochin sculpsit

Digitized by Google

Litterarum Explicatio.

A. Oppidum novum.
B. Oppidum Vetus prae propere decretum
C. Templum parochiale
D. Coenobium Virginum.
E. Suggest Tormentar. Succor
F. Tormenta pro quibus tumuli nondum erant exstructi
G. Paruula flumen occupata.
H. Molendinum vbi fuerat erat aqueductus
I. Circum vallationes novae Castrorum a Danis deserta
K. Molendina
L. Balista seu Morterii Suec
M. Valamenta seu Latebrae Suec.
N. Cemeterium.

NAPOLI

Digitized by Google






NALIS PARS
OCEANI
PARS
alias
SINUS CODANUS

1657. Guſtavo Adolfo colloquebatur. Inde præter Wismariam totus exercitus anguſtias viarum apud Mœlnam ſuperabat, quarum opportunitate ſi Dani dextre uti ſciviſſent, facile videbantur Svecorum iter ſiſtere potuiſſe. Sed iſti cum copias diviſiſſent, nec initio totas vires Svecis objeciſſent, ceſſim ſemper euntes bellum non niſi vapulando exigebant. ItaHolſatiam nemine obſiſtente ingreſſi Sveci, cum ad Fulsbuttelam flumen Alſteram ſuperaſſent, catervam Danicam quadringentorum equitum deprehenderunt, quam ita depexam dabant, ut vix quarta pars evaderet. Ipſe tribunus in paludem refugus cæſus; Subtribunus Korberus, turmæ præfectus Alefeldius, multique alii capti. Caſtra per aliquot dies Ottenſæ prope Hamburgum poſita, ubi Svecico militi, ſub ſordidis quantumvis veſtibus Zonas haut inanes geſtanti, egregia erat occaſio armis, aliisque neceſſariis ſeſe inſtruendi. Is Svecorum adventus ita Danos perterruit, ut plerasque copias è Bremenſi provincia evocarent, ac deſerta paluſtri regione, quam aquis ſubmerſerant, in Holſatiæ interiora Rendesburgum, inde longius Flensburgum non ſine trepidatione ſe reciperent.

Main. *23. Jul. Fulsbuttel.* *Korber. Alefeld.* *Ottenſen.* *Flensburg.*

Wrangelius Danos Bremenſi provincia expellit. 27. Jul.

§. 73. E caſtris ad Ottenſam Rex Wrangelium cum tribus peditum legionibus, ac valida equitum manu trans Albim in Bremenſem provinciam immiſit; qui & feliciter rem ibi geſſit, quatuordecim intra dies omnibus caſtellis, quæ Dani occupaverant, recuperatis, ac hiſce qua occurrerent pulſis, ſic ut paucos intra dies duo millia quingenti Danorum deſtruerentur, plerisque ſub Svecica ſigna redactis. Sola Bremerverda iſtis reſtabat, quam eminus obſidere placuit, cum ſi vis adhiberetur eam expugnare non ita arduum eſſet; quod tanti non videretur ad eam tempus terere; ac ut prætextum foret Imperii Ordines ad evictionem præſtandam, ſociosque Hildeſienſis fœderis ad auxilia ſubmittenda urgendi; quod ea arce recuperata ceſſabat. Ac ſatius viſum cedenti in Holſatia hoſti incumbere, totamque Cherſoneſum firmando exercitu occupare. Igitur Rex ad expugnanda caſtella, queis aditus in paluſtrem regionem obſepti fuerant, converſus munitionem ad Krycam, & Neudorfum nullo negotio in poteſtatem redigit, diffugientibus præſidiariis, è quibus dimidiam amplius partem Sveci ceperunt, quos inter tribunus Benfeldius, ſubtribunus Wackerbartius, aliique præfecti. Plura quoque ibi caſtella hoſtis ultro deſeruerat, quæ à noſtris ſolo æquabantur. Animus Regi erat protinus inde Steinhorſtanum caſtellum invadere. Sed cum intelligeret, plerumque hoſtilem peditatum per paluſtrem regionem diſperſum, ſatius videbatur medium ſe iſti atque equitatui inferere impediendæ eorundem conjunctioni; eoque ad lævam Itzehoam flectit, quæ cum imperatam deditionem abnueret, ſtatim exterior munitio occupatur. Contra Dani ſuggeſtum in adverſa parte excitare ad Svecos iterum inde expellendos: & ex altera parte è paluſtri regione ſemper novas in oppidum copias immittendi occaſio erat. Cum ob interlabentes aquas haut ita facilis ad oppidum aditus pateret, eo ferocius Dani defenſionem adornabant. Unde cum ſerum eſſet ratibus aut ponte Storam amnem ſuperare, ac tempus, militemque prodigere nollet, Rex frangendæ hoſtium pertinaciæ ignibus uti conſtituit. Ita injectis globis ignivomis paucas intra horas novum oppidum in cineres conſedit ea flammæ violentia, ut etiam in vetus oppidum incendium trajiceret, ejusque magnam partem abſumeret, non paucis inter hæc hoſtibus cadentibus, quod ſeminudi in vallo conſiſtentes objecta humo ſe adverſus exterius munimentum tegere vellent. Deſtructis ad oppidum id recens excitatis munitionibus in Holſatiæ interiora penetratur, ac ex itinere ſocer Gottorpii à Rege ſalutatur, aliquot diebus inter lætitiam exactis. Chilonii aliquot legiones à Rege relictæ ſub Daniele Arendſonio ſummo vigilum præfecto, prohibendis Rendesburgenſium excurſionibus, ac ut Regis tergum longius in Jutiam penetrantis tutum præſtaretur, ſimul circumjecta regio tributis ſubjiceretur. Dani interim caſtellum ad Segebergam deſeruerant, ac Andreas Bildius Daniæ Archiſtrategus omnes copias è paluſtri regione aſſumtas mari Ripas, inde in Jutiam deduxerat, Coldingæ primum, mox Friderixuddæ ſtatione capta. Rex interim omnia caſtella

Regis in Holſatia progreſſus. 3. Aug. *Kryck. Neudorf.* *Benfeld. Wackerbart.* *Steinhorſt.* *6. Aug.* *Stor.* *Gottorp.* *Kiel.* *Segeberg.* *Bilde.* *Ripen. Coldingen Friderichsſudde.*

1657. caſtella in paluſtri regione occupata ſolo æquaverat, excepto eo quod Steinbergæ adſitum eſt, intra paucorum dierum ſpatium tribus hoſtium millibus cæſis aut captis, è quibus Germani ſub Svecica ſigna redacti. E Danis interceptis phalanx formabatur, quæ *Reichau.* ſub Friderico Reichavio Revaliam à peſtilentia fere exhauſtam mittebatur, ſi & ipſi perirent vile damnum. Major utique conſternatio, quam in Polonia belli initio ſentiebatur, ac terror fere panicus. Regi decretum erat Jutiam ab hoſte purgare, & per hiemem ſuis quietem concedere, quod bella hiberna non ſemper feliciter ſuccedant. Etſi Dani ipſi Jutiam, quantum raptim poſſent, poſtulati erant, magnam partem in Fioniam *25. Aug.* transgreſſi. Demum Friderixuddam acceditur, quam antea Rex extemporaneam duntaxat munitionem crediderat, ſed nunc validiſſimum oppidum perſpicit, ſeptem integris, duobus dimidiis propugnaculis conſtans. Ab initio animus fuerat vi iſtam aſſultare; ac jam è duobus ſuggeſtibus machinæ in eam fulminare cæperant; ſed quos Dani adverſis jaculationibus mox deſtruebant. Cum igitur conſilio habito rationis haut videretur oppugnando munito loco, omnibusque rebus probe inſtructo, quem ſex Danorum millia inſidebant, veteranum & ſelectum militem atterere, placuit caſtra non procul ab oppido munire, iſti eminus includendo, ut tuto hoſpitiis Jutiæ frui liceret. Cura rerum ibi Wrangelio commiſſa, cui injunctum, ut navibus, quæ Gothoburgo expectabantur, Fioniam invadere tentaret; quod Rex nullo modo Friderixuddam expugnari poſſe crederet, niſi iſta inſula prius capta. Ipſe Rex Wismariam regredi conſtituit, ut ibi Boruſſiæ ac Germaniæ rebus propior eſſet, ſimul geſta ſuæ claſſis cominus *Bielkenſtierna.* arbitraretur, quam ſub Claudio Bielkenſtierna à Svecia evocatam Danicas naves aggredi juſſerat; quibus profligatis brevi de Dania actum videbatur. Ac ſpem Regi addebat, quod quædam Danorum naves in *Jasmund.* Oceanum abiiſſent, reliquæ ſub Jasmunda jactis ancoris conſiſterent.

Prælium navale inter Svecos & Danos. §. 74. Accedebat dehinc Svecica claſſis viginti ſex Regiis navibus, viginti mercatoriis ad uſum belli ædificatis conſtans, quæ non procul Mœna inſula cum Danis pugnam conſerere cæpit. Res eminus duntaxat machinis geſta eſt, quod Dani ceſſim ſemper irent, non tam ob fugam, *12. Sept.* quam ut octo naves, quæ ad Hafniam ſubſiſtebant, ſibi adjungerent, ac fortaſſe Wittium Witſonium, qui *Witte Witſon.* cum octodecim Belgicis navibus non procul ab Oreſunda hærebat, in auxilium excitarent. Altera tamen die iterum pugnatum, Danis itidem declinantibus ſtatariam quaſi pugnam, qua navis navi colligata certat; id quod Bielkenſtierna maxime quærebat; qui præclarum operæ pretium fecerat, numero etiam navium longe ſuperior, ni multi ſuorum navarchorum ſegniter admodum rem geſſiſſent. Sane ipſe Danicam prætoriam ſat male habuerat, ut à duabus aliis navibus Hafniam pertrahenda fuerit, quingentis ictibus lacerata. Claſſiariorum apud Danos centum quinquaginta occubuiſſe ferebantur. In Svecica claſſe navis, cui Maria vocabulum, pariter male multata fuit. Ita per quorundam ignaviam præclara occaſio ingentem cladem Daniæ inferendi è manibus amiſſa eſt, cum alias ſatius fuiſſet, claſſem domi relinquere parcendis ſumtibus. Poſt pugnam Dani ſub Selandiæ litora, Sveci ſub Hiddenſeam ſe receperunt, *Hiddenſe.* Wismariam inde navigantes, ut neceſſariis ſe rebus inſtruerent, ac rei gerendæ propiores eſſent. Sub initium Octobris Danica claſſis iterum prodibat, recentibus copiis ac pluribus navibus inſtructa. Sed placuit Svecis intra portum manere, quoad Danos tempeſtas, aut alia cauſa divideret. Per quam & hinc inde oberrantem haut licebat Regi in Danorum inſulas deſcendere quod antea ipſi propoſitum fuerat. Diutius tamen, quam alias anni tempeſtas ferebat, claſſem ſuam Rex detinebat, quod de Anglica claſſe in fretum ventura ſpes ipſi facta eſſet, tum ut Danis neceſſitas foret claſſem ſuam in mari detinendi, autumnali tempeſtate valde fatigandam; ac ne Dani inſulis ſuis cautum crederent, copiisve, quas per litora & claſſem diſpoſuerant, alibi uterentur.

§. 75. Interim Wrangelius è caſtris ad Friderixuddam Bœttingerum ſummum vigilum præfectum cum *Friderixudda expugnatur.* tribus

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI


S PARS .
FLACH- WASSER
IUTLANDIÆ
PARS .


Dowens
Borning
OCEANI PARS

Digitized by Google

Oppidum Medelfahr
MINOR
Sondt

1657. tribus equitum legionibus miſerat ad
Wenſyſſel. Wenſyſſelam occupandam, quæ angusto iſthmo à reliqua Jutia discriminatur; in cujus faucibus caſtellum excitaverant hoſtes, quod una cum aliis
Sundby. duobus caſtellis Sundbyenſi & Halſenſi
Hal. quindecim amplius armatorum agreſtium centuriæ inſidebant. Enimvero facile tumultuariæ munitiones perrumpebantur, & inſueto bello turba profligabatur; cui ut arma ſumendi libido decederet, octingenti amplius cæſi, cæteri ad lares ſuos dimiſſi, ac pro armis ſtivam tractare, ac tributis expediendis vacare auſi. Ad Friderixuddam nihil memorabile geſtum, niſi quod Danicum navigium ſtationem agitans noctu interciperetur, ac erumpentes oppido catervæ non ſine damno repellerentur. Sed cum Wrangelio tædioſum videretur præcipitante
24. Oct. autumno per fœdam tempeſtatem in caſtris hærere, Danis quoque per crebras eruptiones moleſtiam faceſſentibus; id oppidum vi aſſultare inſtituit. Quod conſilium exequi decrevit, ſtatim atque Fabianus Ferſenius cum tribus peditum legionibus, quæ Cracoviæ præſidium agitarant, adveniſſet. Qui cum & Rex mandata ipſi mittebat, ut fortunam tentaret oppido iſto oppugnato; quo capto hoſtium conſilia valde turbanda, viaque in Fioniam pandenda ſit. Is antea ſitum oppidi, foſſæque, & munitionum conditionem per peritum talium hominem, qui quadrupes noctu adrepſerat, probe exploravit. Inde re in conſilio diſcuſſa omnibus ſuffragiis decretum, aleam eſſe jaciendam, præſertim cum conſtaret hoſtem nunc ſecurius agentem nihil tale metuere. Ita autem res diſpoſita, ut una hora ante diluculum tribus locis oppidum aſſultaretur. Ipſe Wrangelius duo propugna-
Mittelfart. cula, proxime ad mare ſita Mittelfarenſe fretum verſus, ſibi oppugnanda ſumebat quatuor cum phalangibus ſub tribunis Nicolao Brahæo, Petro
Sparre. Sparrio Laurentii F. Fabiano Ferſenio,
Spens. & Spenſio. Joannes Georgius Anhaltinus Princeps cum duabus equeſtribus legionibus tentare jubetur, num per aquam, quæ circa propugnaculum vadoſa erat, circuitu capto in oppidum penetrare poſſet. Aſſumitur manus eorum, qui mala punica manuaria jactarent. Alias quatuor phalan-
De la Gardie. ges Jacobus Caſimirus Gardius ad propugnacula monti patibulari oppoſita immiſſurus erat. Ad portam à Rege dictam aliquot equitum legiones omiſſis equis impetum daturæ erant, quas cum tribus legionibus ſequebatur Fabianus Berendius ſummus excu- Berendi. biarum præfectus, ut per apertam portam in oppidum irrumperet, & reſiſtere auſos protereret. Copiæ ita diſtributæ ſilentio noctis non procul à ſua quæque ſtatione acceſſerant, conventam horam cum deſiderio expectantes, cujus ſignum erat villa in proximo vico incenſa. Faſciculus ſtraminis pileis impoſitus hoſtem ab amico diſcernebat. Signo dato è ſuo quisque loco prorupit. Ac ubi Wrangelius curabat, præmiſſi fabri, qui palos proſternerent. Inde Nicolaus Brahæus, & Petrus Sparrius proximum mari propugnaculum invadunt. Anhaltinus Princeps cum equitibus ſuis duos palorum Ordines vado tranſibat, ſed cum ad tertium perveniret, profundior aqua erat, quam ut circuiri poſſet. Itaque deſcendentes equis nonnulli equites ſecuribus quosdam palos proruentes turmis viam aperiunt; quæ in oppidum penetrantes phalangem peditum ante ſe conſiſtentem inveniunt, quam ſtatim diſploſis tubis fundunt, cæduntque. Interea & pedites in vallum enixi erant, ac hoſti licet ſat ſtrenue reſiſtenti tam acriter incumbebant, ut is una ſtatione poſt alteram cedere cogeretur. Nec minus Gardius aſſignato ſibi loco proruperat, ut hoſtis jam undique ingruentibus Svecis vitæ veniam imploraret. Sed qua parte equites aſſultum dabant, aſperior, quam creditum fuerat, pugna ſurgebat; noſtris tamen ſtrenue urgentibus demum hoſtis loco pellebatur. Sed quia fauciatus fuerat, qui petardam portæ adplicare debuerat, tardius irrumpere Berendius poterat. Ita brevi tempore munitiſſimus locus, quem quinque millia militum tuebantur, aſſultantibus non amplius tribus Svecorum millibus in Regis poteſtatem redactus eſt. Danicus Archiſtrategus Andreas Bildius fortiter pugnam ciens poſt aliquot vulnera in capite accepta cum plerisque præfectis in exiguum ſe caſtellum recepit mari adſitum, ut in Finoniam inde trajiceret. Sed reflante vento arbitrio ſe victoris dedere coactus fuit; ac poſt aliquot dies è vulneribus deceſſit. Ejus

corpus

1657. corpus magnifice ornatum in Fioniam mittebatur, facili in mortuum hoſtem humanitate, nullo proditionis indicio. Præter hunc captus quoque *Hoeck.* fuit Magnus Hoeckius Senator, ſex ſubtribuni, octo vigilum præfecti, viginti ſex centuriones, totidem ſigniferi, uno plures vicarii, inferiorum ductorum quinquaginta ſex, gregariorum duo amplius millia, ſigna triginta novem. E Svecis ſeptuaginta occubuere, paulo plures ſauciati. Partæ ibi quinquaginta machinæ, apparatus bellici ac annonæ magna vis. *Schmiedeb.* Captivos Schœnlebius tribunus Wismariam ad Regem deducebat. Ita ſeptem Danorum legiones, quæ quinque millia capitum implebant, penitus deletæ. Ea clades Danorum animos vehementer dejiciebat, quos etiam Cornificius Ulfeldius dimiſſis paſſim literis ſolicitabat, minas juxta ac promiſſa miſcens: relinquerent Fridericum libertati Danicæ inſidiantem, & qui civibus defendendis non ſufficiat; ac Carolum Guſtavum ſibi Regem adſciſcerent privilegia Nobilium conſervaturum. Qui tamen apud prudentes haut ideo ſinceri ſatis in Svecos animi fidem aſſequebatur, verſipellis, ac vapido ſub pectore vulpem condens: cujus & affinis Hanni- *Seeſted.* bal Seeſtedius nuper Hagæ jactarat, potius Danis juxta ac Belgis crepandum, quam plura Svecorum incrementa tolerare velint. Cæterum per Jutiam diffuſæ Svecorum copiæ hibernis ſe reficiebant; nec illis oris hoc anno memorabile quid geſtum, niſi quod tres Svecicæ naves Wismaria Friderixuddam delatæ tranſito freto *Samſoe* Samſoam inſulam diriperent, quas ſeptem Danicæ naves ingruentes fruſtra inſequebantur, his in ſinum ſe a- *Colding.* pud Coldingam recipientibus. Arendſonius quoque favente frigore aliquot caſtella in paluſtri regione ſita occupabat, eamque totam ad tributa exſolvenda cogebat. Ipſe Rex reliquum anni Wismariæ agebat, donec ſub ejus finem frigore præter ſolitum invaleſcente legiones paulatim hibernis excitas Coldingam verſus tendere juberet, num quid favente glacie in Danicas inſulas tentari poſſet.

In limite Svecie adverſus Danos geſta.

§. 76. In Svecia poſt factam belli indictionem quicquid copiarum erat Norvegiam verſus & Scaniam deducebatur prohibendæ hoſtium irruptioni. Armorum cura præcipua penes Guſtavum Hornium; ſed cum iſte ſub id tempus fato fungeretur, Petrus Brahæus ſummam belli directionem ſuſcipiebat, cui à Rege è Boruſſia miſſus Guſtavus Otto Steenbockius ſuccenturiabatur. Is ergo propere Halmſtadium ſe conferebat, mi- *Halmſtad.* litibus eodem convenire juſſis. Cum *Laholm.* jam idonea manus coiviſſet, Laholmiam caſtra transtulit, & ibi quoque *Skottorp.* deficiente pabulo Scottorpium movit ſub juga montium, quæ Scaniam ab Hallandia diſcriminant. Heic cater- *17. Jul.* vas aliquot præmiſit, quæ Svenonem *Sven Pe-* Pauli F. celebre latrociniis nomen *vuelſon.* cum tribus latronum centuriis iſto in monte agentem ex improviſo opprimunt, ac plerosque concidunt, ut non niſi triginta cum ipſo latronum Duce evaderent. Quo die & Bra- *Engel-* hæus ſuperato monte Engelholmiam *holm.* excurrebat, ac primam hoſtium ſtationem ducentorum equitum ad oppidum rejiciebat, non paucis cæſis. Conſiſtebat in campo Brahæus cum ſuo equitatu, prodeuntibus quoque ex adverſum Danis. Sed cum iſte ſigno dato paratum ſe pugnæ oſtenderet, Dani nulla certandi cupidine immoti ſtabant. Ceciderant eo concurſu quinquaginta Danorum, aliqui ſauciati ſunt. Sed quia ibi nulla rei gerendæ occaſio oſtendebatur adverſus Danos numero potiores, retro jugum montium conceſſit Brahæus, ubi non niſi ſedecim equitum, duodecim peditum ſigna habebat. Circa idem tempus apud Gothoburgum Dani aliquoties eis flumen perrumpere tentaverant, ſed ſemper non ſine damno repulſi fuerant. *20. Jul.* Duglaſſius *Duglaſ.* quoque & Petrus Ribbingius duo Da- *Ribbing.* norum caſtella in inſula Diursholmia *Diurs-* ceperant, præſidiariis non ſine clade *holm.* expulſis. Joannes quoque Stackius *Stake.* cum caterva quinquaginta equitum, ſexaginta dimacharum Norvegiam irrumpens apud Jertunam caſtellum *Jertuna.* offendit centum peditibus inſeſſum, qui ejus adventu fugam arripiebant. Quos noſtri perſecuti viginti quinque occiderunt, quinquaginta captivos Wenersburgum abduxerunt. Bahuſien- *Wenersburg.* ſes quoq; adverſo flumine ſubeuntes in *Bahus.* inſula ſesquimilliari a Bahuſio ſita caſtellum excitatum ibant, inde in Sveciam ripam trajecturi. Sed à Svecis rejecti octoginta quinq; amiſere, præter eos qui duabus

Digitized by Google

ACIES
DANO:
Aaladextra
ACIES
Peditatus
SVECORVM

1657. duabus cymbis everſis ſuffocati ſunt; captaque munitio ab iisdem ſolo æquata eſt. Ante Gothoburgenſem portum ſeptem Danorum naves excubabant prohibentes, quo minus
15. Sept. quinque Svecicæ naves bellicæ inde egredi poſſent. Inde Ericus Steenbockius cum Haraldio Stakio Wenersburgo movens in Norvegiam irrumpebat, quibus hoſtium copiæ ſub Ivaro Krabbio apud Jertam obviam venere; ubi acris velitatio commiſſa, ac machinis per multas horas fulminatum non modico hoſtium damno. Inter paucos, qui è Svecorum parte ceciderunt; Joannes Stakius tribunus fuit. Haraldo Stakio equus, cui inſidebat, globo trajectus. Sveci cum haut longius progredi daretur, Wenersbergum rediere. ENorvegia quoque Jemtia ſemel incaſſum fuit tentata, repulſisqui irruperant. Menſe tamen Novembri redeuntes Jemtiam atque Herredaliam oppreſſere auxilio
Fraſe. perfidorum provincialium; etſi Frœſiæ caſtellum acriter licet machinis verberatum ab hoſte expugnari non
15. Aug. poſſet. Aſt è Scania ad Svecorum caſtra in Hallandiam accedebant trecenti equites Danici, primam Svecorum ſtationem invaſuri, à qua ita excipiebantur, ut Dani præfectum turmæ & Vicarium cum aliquot gregariis deſiderarent. Mox univerſæ ho-
16. Aug. ſtium copiæ jugo ſuperato apud Wallam conſidebant, ubi modica velitatio commiſſa exiguo utrinque damno. Cum inde hoſtis in Scaniam receſſiſſet, Guſtavus Otto Steenbockius eo-
11. Sept. dem quoque penetrabat, caſtris apud Orclinge. Orclingam poſitis; cui quo minus longius irrumpere poſſet, hoſtis ſe objiciens impediebat. Nec quid ulterius tentare licebat prævalente hoſte, & quia munita Scaniæ oppida oppugnari non poterant hoſte in campo ſubſiſtente. Interim Dani ſe medios inter Steenbockium & Hallandiam inſeruerant, totamque eam percurrebant. Unde Steenbockius prævalente hoſtium equitatu verſus limitem Sveciæ retrocedebat, aliquandiu apud Trahere. Traheram ſesquimilliari à Marcarytho conſidens; unde animus erat ad Markaryth. Niſſam fluvium in Wasboënſi diſtrictu Wasbo. ſtativa capeſſere, Smalandiæ & Weſtrogothiæ tegendæ. Sed cum hoſtis retro in hiberna concedere nuntiaretur, Steenbockius quoque in Hallandiam regreſſus apud Knæridam conſi- 1657.
debat. Ubi cum audiſſet, hoſtem cis ju- Knardi.
ga montium ultra Lagum fluvium conſiſtere, in eum movere inſtituit. Ducebat primum agmen Guſtavus Banerius Petri F. qui cum propius ſubiſſet, jam Danos ipſo Rege ducente Lagum transiſſe, ac loco opportuno conſediſſe, intelligebat, ad quos Svecis per anguſtam viam acceſſus erat. Banerius non expectato Steenbockio, qui cum machinis dimidio fere milliari adhuc aberat, turmas ſigillatim in hoſtem per anguſtias immiſit; ſed quæ ab hoc probe diſpoſito aſpere excipiebantur, ſic ut confuſe ſatis res ibi gereretur. Collectæ tamen plures turmæ impetum hoſtium ſtiterunt, & interim Steenbockius cum peditatu accelerans ſubductis in collem machinis in Danos fulminabat, quibus iſti non ſegnius reſponderunt. Ea fulminatio continuata, quoad Dani ultra anguſtias retrocedere cogerentur. Sed deinceps neutra pars deſerta ſui loci opportunitate per anguſtias ad alteram penetrare ſuſtinuit. Tenebræ ingruentes pugnæ finem impoſuere. Eo conflictu è Svecis cecidit Jacobus Lilliehæckius vigilum Lilliehock. præfectus, vir ſtrenuus, & magnæ expectationis, cum quadringentis gregariis, amiſſis inſuper quatuor ſignis. Dani quoque Canutum Ulfeldium, Graſ- Graſſ.
ſium ſubtribunum, Styrumium Comi- Styrum.
tem, & gregariorum non paucos amiſere. Vehementer poſt Banerium increpabat Rex, quod nullo mandato præter omnem rationem ac neceſſitatem ſingulas turmas iniquo loco, antequam omnes copiæ advenirent, per anguſtias in hoſtem immiſiſſet. Dani tamen mox audita Friderixuddæ expugnatione plerasque copias in Finoniam traduxere. Illis locis eo anno nihil amplius memorabile geſtum.

§. 77. Inter iſtum belli impetum de pace agi non omittebatur non tam deſiderio partium belligerantium, quam Gallorum & Anglorum, qui utrique bello cum Hiſpanis impliciti, cupiebant Carolum Guſtavum quamprimum hoc bello defungi, ut eundem cum Auſtriacis committerent. Sed & operam iſti bello componendo offerebat Elector Brandenburgicus, quam tamen declinare jubebatur Slippenbachius, quod pronum ſe in Danorum partes Kleiſtius oſtendiſſet, culpam abruptæ pacis Svecis impingens, cum Circa pacem cum Danis acta.

1657. Dano animus fuiſſet controverſiam amice componere; cujus diverſum ipſa rerum ſeries ſatis docet. Honeſtus tamen calor à Rege dicebatur; ejus Principis operam gratiſſimam ſibi fuiſſe avertendo bello ſumtam; ſed nun cum Danus provincias Germanicas invaſerit, haut congruere, ut iſte officium Sequeſtris extra partium ſtudia poſiti obeat, qui pacem Germanicam adverſus Danum præſtare teneatur. Galli autem officium haut ſimpliciter acceptabat Rex, ne videretur renuntiare Guarantiæ, quam is paci Brœmſebroënſi debebat; ſed duntaxat circa præliminaria, circa primarium autem negotium hactenus, ut Rex prius caveri ſibi vellet de auxilio Galli reipſa adverſus Danum præſtando, ſiquidem hic tractatus extraheret, nec hi optatum eventum ſortirentur. In eventum à Rege Commiſſarii nominabantur Cornificius Ulfeldius, & Steno Bielkius. Sed ſi Dani ſuper admittendo Ulfeldio flecti non poſſent, Wrangelio injunctum prævium conventionem expedire. Locum hiſce tractatibus Rex deſignabat Flensburgum pro ſuis, pro Danis Sunderburgum. Ac vel ideo tractatus non rejiciendos ducebat, ut ſi poſſet, Danum ab Auſtriacis divelleret, ac extracto tempore videret, quid conſilii Cromvellus capturus eſſet. Cui & ſignificabat, ne vocabulo tractatuum turbari ſe pateretur; ac potius negotio colophonem imponeret, ut mature fortuna tentari poſſit.

Bielke.

31. *Sept.* Hafniam quoque accedebat à Rege Galliæ miſſus Claudius Molanus, qui Danum poſt deguſtatas belli primitias ſat acerbas paci proniorem fore judicabat. Ac ſane hic Bremenſi provincia & Holſatia jam expulſus pacis valde ſe cupidum verbis ferebat. Quæ etſi Carolo Guſtavo ſuſpecta videbantur; haut ſegnius tamen pacis ſtudium & ipſe teſtabatur, modo ſatisfactionem & ſecuritatem obtineret. Revera tamen Danus cupidinem pacis fingebat, velut qui Polonis promiſerat ſe citra hoſce ad compoſitionem cum Sveco haut deſcenſurum. Ac Baro *de Goes* ab Auſtriacis miſſus omni ope ſe paci opponebat. A Cromvello quoque pacis conciliandæ cauſa mittebatur Wilhelm Jepſonus ſummus excubiarum præfectus; cujus operam Carolus Guſtavus acceptari à ſe ferebat, modo Danus tractatum præliminarem anno 1644. initum probet, ut absque mora ad principale negotium accedi queat. Non enim Rex Hamburgi aut Lubecæ colloquium de pace inſtitui volebat, ſed in limite Regnorum, ut Dani ſocios ab iſto excludere. Simul ſpes erat ſequeſtres operam daturos, ut ſibi ſatisfactio præſtetur atque cautio adverſus Dani in futurum turbationes. Eodem fine ad Daniæ Regem à Cromvello miſſus fuerat Philippus Medovius, quem Dani demulcendo Cromvello longe ampliore honore, quam pro Characteris conditone exceperant. Ad hunc à Jepſono miſſam Caroli Guſtavi declarationem idem Friderico Regi tradebat, qui viciſſim demonſtrabat; *quanquam cauſa belli penes Svecos ſint, quorum injuriis ipſe ad arma arripienda compulſus ſit: non ideo ſe tamen à reducenda pace abhorrere, ac probare præviam conventionem anno 1644. factam, niſi quod Lubecæ aut vicino loco commodo tractatus inſtitui malit, ac ut Polono, Brandenburgicoque, eodem accedere, ac commoda ſua obſervare liceat. Galli quoque officium à ſe acceptari, ſi offeratur.* Ad hanc declarationem Wilmariæ a Jepſono ſibi exhibitam Rex poſt brevem querelam ſuper iniquitate Danorum, cauſam belli ſibi impingere non verentium, reponebat; *commodiſſimum tractandi eſſe locum in finibus vetere inter Borealia Regna inſtituto, quod ibi acta neceſſaria utrinque ad manum ſint. Id quoque parum proclivitatis in pacem arguere, quod alienas lites huc non ſpectantes Dani admiſcere velint. Si tamen aliqui ad locum tractatuum in limitibus legatos mittere velint, ſe ſalvum conductum daturum. Belgas quoq; ſequeſtres ſe admiſſurum, ſi conventionem Elbingenſem firmarint, veteremq; adeo amicitiam renovarint.* Ad quod iterum Danus: *Difficultates à Rege Svecia circa præliminaria arguere animum pacis haut ſtudioſum; nec ſibi fas à propoſito tractatuum loco diſcedere, quod perpetuo uſu firmatum non ſit, ut in finibus Regnorum tractatio utique inſtituatur. Tum Belgas ſequeſtres ſemel admiſſos à ſe repudiari non poſſe. Ac ſociis ſuis non modo fas fore tractatibus intereſſe, ſed & hiſce eosdem utique includendos.* Ex quibus haut obſcurum erat, eo magis Danos à pace ſaltem ſeparata abhorrere, quo arctius alienis ſe fœderibus innectebant, ratificatione fœ-

1657.

Medovius.

3. *Nov.*

7. *Dec.*

Jepſon.


PARS
Via versus Apruzadam
GICVM
ALSE NIÆ
IN SVLÆ
PA RS

Digitized by Google

1657. ne fœderis cum Moſco tunc permutata. Ac fatebatur captivus Senator Magnus Hæckius, quem Rex fide de revertendo data dimiſerat, ut Danis ad pacem ineundam permoveret: Danos ſpe auxilii Brandenburgici ita faſcinatos, ut nullo modo ad peculiares tractatus deſcendere velint; utut Rege mandante iſtis denunciarit; non defuturam ſibi facultatem Daniam plane ſubvertendi, & reparationem damnorum alibi illatorum ab hac exactum iri. Sed & per ſocerum Rex Dano inſinuari curabat; ſerio ſibi ſtudium pacis federe, nec Daniæ ſe ruinam quærere, nec ita intolerabilem ſatisfactionem affectare, modo is rationi locum concedere velit. Cæterum ideo potiſſimum ſuper loco diſſentiebatur, quod Danus quidem propoſita Lubeca Polonos ac Brandenburgicos eodem pertrahere niteretur, ſuas quoque controverſias ibi compoſituros, ac inde evictione mutua Regem conſtricturos: quos ipſos Rex, dum in finibus Regnorum congreſſum inſtitui pertendit, excluſum ibat, Polonis ac Danis diſſociandis, ac fortaſſe, ut dum eodem tempore palam cum Danis, clam cum Polonis tractat, alteruter alterum prævertere laboraret, ſegnius molientem dein eo acrius bello perſecuturus. Porro Angli, ut Danum ad ſeparatos tractatus adducerent, huic demonſtrabant; *Polonos eſſe arundinem fractam, cui haut tuto innitaris. Eos jam minatos eſſe irruptionem in Pomeraniam; mox ceſſim iviſſe obtentu adjungendi Auſtriacas copias. Cum igitur Poloni legibus fœderis non ſatisfecerint, neque Danos amplius eo teneri. Fœdera eſſe ob mutuam ſalutem, non ut Principes vel ſoli pereant, vel cum ſociis. Chriſtianum quoque Patrem bello Germanico Principibus Imperii nexum, ut ſua recuperaret, ſeparatam cum Cæſare pacem inire haut dubitaſſe.* Enimvero uti Angli Auſtriacos à pace cum Dano excludere laborabant, quo Carolum Guſtavum cum hiſce committere poſſent; ita Dani pacem cum Svecia nolebant citra incluſionem Auſtriacorum; quod nihil ſecuritatis ſibi eſſe crederent, ſi Svecus armatus in Germania adverſus Auſtriacos conſiſteret, à Gallia, & Anglia ſuffultus. Rex Hungariæ quoque inſtantibus Miniſtris Polonicis, & Brandenburgicis declaraverat; ſe utique bellum Svecis illaturum, eoque fine menſe Februario ſequenti validum exercitum à tribus fœderatis compoſitum cis Oderam adducendum, non Pomeraniæ ſolum invadendæ, ſed & Svecico exercitui inveſtigando paratum. 1657.

§. 78. Iſtas porro difficultates, queis negotium pacis adhæreſcebat, Rex facile provenire ſentiebat ab artibus Auſtriacorum; tum præcipue à miniſtrorum Brandenburgicorum machinationibus, qui poſtquam variis modis ipſum laceſſiviſſent, rem quantum poſſent confundere ſtudebant, ne idem uno hoſtium ſuorum liberatus, ſuperata incumbente mole occaſionem nanciſceretur injurias illatas cum fœnore remetiendi. Eo fine iſti Danum obfirmabant, ne ſeorſim cum Rege tranſigeret, periculum ingerentes, & quod tali pace ſecuri nil à Sveco habiturus ſit. Quo fine communes tractatus agitabant, per quos eidem non ſolum leges præſcribere poſſent, quantum cujusque rationes expoſcere viderentur, ad arma plane exuenda compulſo; ſed & pace facta commune fœdus pacis præſtandæ in perpetuum contra Sveciam inirent, per quod hæc ſemper iſtorum cenſuræ obnoxia cogeretur agere, quicquid litium cum vicinis ſurgere eidem poſſet. Quorum arbitrio ſi hæc ſubjicere & ſe nollet, ipſis ſemper integrum fore in exitium ejusdem conſpirare. Unde præſentium temporum opportunitatem obſervare placebat, qua omnes vicini ita in Sveciam ſociati erant, ut quicquid vellent legum huic facile obtruſuri viderentur; præſertim cum Regi in adverſum nihil ſolidorum fœderum foret. Quo conſilio nihil Sveciæ exitioſius excogitari poterat. Huic eludendo Rex Polonos ad ſecretos juxta ac publicos tractatus invitaverat, haut recuſaturus, quo minus & ſocii eorum iis interſint commodis ſuis ibi proſpecturi. Sed quod Danica controverſia cum Polonica nil commune haberet, iſtam ſuo loco juxta pacta Regnorum expedire cupiebat; nec eo ſecius pactis cum Dano omnes hujus fœderatos certis legibus incluſurus erat. Aſt communi tractatu tempus incaſſum perdebatur, uti pace Weſtphalica factum, cujus prævia conventio vix ſeptennio abſoluta fuit. Ac nunc diverſæ plane indolis negotia miſceri, firmandæ vicinorum adversus Sveciæ conſpirationi. Cui nodo Gordio diſſecando unum hoſtium

Regis circa pacem conſiderationes.

1657. vi adhibita in ordinem redigendum, quo facto reliquorum connexionem paulatim collapſuram. Igitur ſedebat Regi non niſi cum ſingulis agere, eoque nec locum tractandi in Germaniæ urbe neutri partium addicta admittere, ne Poloni ac Dani ea occaſione ſua negotia combinarent, aut alii velut arbitri ſeſe ingererent, quale quid Electorale Collegium ſibi arrogare videbatur. Id quod non ſolum rebus Sveciæ periculoſum; ſed & ſi ferre iſtorum arbitria nollet Rex, anſam iisdem præberi pacem cum ipſo abrumpendi, hoſtiumque numerum augendi. Equidem Reginam Poloniæ teſtatam, ſi Polonia ſatisfactione ſua potita ſit, eam, ſi alii nolint, ſociorum in gratiam pacem cum Svecia non remoraturam: eoque Regi in communem conventum conſentiendum, quo Poloni obligatione ſua adverſus ſocios defungi queant. Sed iſtius verbis parum erat confidendum, velut quæ nuper adverſus diſerta verba Cracovienſis deditionis Czarnecium immiſerat, ad cædendum præſidium Svecicum ea urbe egreſſum; ac nupero Brombergæ congreſſu Joanni Caſimiro perſvadere fuerat conata, ut exercitum Brandenburgicum ex improviſo opprimeret, ipſique Electori manus injiceret. Unde præſtare videbatur rem candide gerere, ac communes tractatus aperte repudiare, præſertim cum Polonia in miſerrimo, ſi unquam, ſtatu verſaretur, præter internam diſſenſionem diffidentia erga ſocios gliſcente, cumprimis Auſtriacos & Moſcos, qui ex utroque latere ita iſtam conſtrictam tenebant, ut commovere ſe haut valeret. Et uti circa tractatus ineundos Polonia haut bona fide egerat: ita eadem iſtorum auxilio parum levamenti ſenſerat, quod utrique inſignibus locis inſeſſis adverſus ſubricam Polonorum fidem ſibi caviſſent; ſic ut Poloni, quo ſe vertere deberent, vix ſcirent. Nam neque Moſcorum tyrannidem, nec Auſtriacorum dominatum ſubire placebat, eoque viam exuendi ſe datæ fidei vinculo circumſpiciebant, præſertim cum Respublica in eos tractatus haut conſenſiſſet. Huic accedebat, quod ſi maxime Polonia Pacem cum Rege nanciſceretur, ni eundem tamen ſimul ad fœdus adverſus Auſtriacos ineundum permoveret, facile cum his collidi poſſet; quo caſu in proclivi erat 1657.
Auſtriacis oppida Boruſſiæ à Svecis ceſſa invadere, Moſcoque & Coſaccis adjunctis Poloniam evertere; prout & Auſtriaci ſacerdotem græcum ad Coſaccos miſerant ad ipſos in partes ſuas pertrahendos. Ita non adparebat, quomodo Poloni ſervari poſſint, ni in tempore cum Rege tranſigere ſtuderent. Ad quod idem anſam ipſis porrigebat oblata Boruſſiæ reſtitutione, modo circa aliam ſatisfactionem æquos ſeſe exhibeant. Cupierat & Rex Gallum huic negotio illigare, operam ſuam pollicitus, ut ipſius frater Corona Polonica potiatur, modo honeſtam ſibi cum Polonis pacem conficere velit, ut ita junctis viribus una cum Polonia in Auſtriacos res geri queat. Quæ propoſitio Reginæ Poloniæ vehementer arriſerat; præſertim ſi neptem ſuam è ſorore iſti connubio jungere poſſet. Sed uti in omnibus negotiis Gallia tunc lente procedebat; nihil aliud quam Flandriam ſubigere meditans: ita metuebat Rex, ne illa heic Sveciæ commoda inſuper haberet. Unde ipſe omni modo invigilare decreverat, ut intuitu propriæ utilitatis unum & alterum hoſtium ad ſecum tranſigendum permoveret, ſive Danus is ſit, ſive Poloni ſive Auſtriaci, aut omnes ſimul. Et uti Galli Anglique otioſi ſpectatores hujus fabulæ fuerant, ita ſi & iidem deinceps inani ſpe lactare ipſum inſtituerent, aliam viam ſervandæ Sveciæ inire, ac Auſtriacorum amicitiam affectare decreverat eo tempore, quo hi favorem Sveciæ haut adſpernaturi videantur. Belgas porro haut temere apertum ſibi bellum moturos cenſebat Rex, etſi non omiſſuri ſint Danum clam pecunia & navibus ſublevare. Hactenus reſpectum felicium Sveciæ armorum, & largitiones Gallicas Cæſaream electionem impediiſſe, ac jam ulteriorem negotii protractionem quæri, ſi non penitus Domus Auſtriaca electione excludi queat. Quibus conſiliis utendum ſit, quoad pertingant, coërcendis intra limites Auſtriacis. Sed Germanicorum Principum favorem fere eo ſe vertere, quo fortunam, ita ut illis multum confidi nequeat; ac unice id elaborandum, ut ſi pace potiri non detur, arma erecta retineantur, ac loca munita probe inſtruantur. Tum & claſſem augendam, quo Danus mari expelli, ac prout res ferat, provinciis Sveciæ ſuccurri

1657. curri queat. Placebat autem Regi in Germania manere rebus ibi ſuſtinendis, quod ſatius foret, in exteriore munitione manum cum hoſte conſerere, quam in ipſo vallo; & quod iſtis amiſſis provinciis omnis defenſio adverſus tot hoſtes perierat, intercluſa quoque facultate extraneum militem conſcribendi, indigena haut ſuffecturo tuendis tam amplis finibus. Unde curandum erat, ut hoſtes extra pomœria Sveciæ ſuſtinerentur, quoad cum uno eorum transactum foret: tum præcipue ut favente fortuna Danus compelleretur ad cavendum de non amplius turbando; ne pro more ſuo Sveciam ex improviſo deinceps quoque invaderet aliis bellis diſtrictam. Neque enim ita ſibi blandiri poterat Rex, quaſi vel Danus ſemper ita improvide conſilia ſua ſit expromturus, uti in præſens factum; vel ſibi fortuna ad nutum reflatura ſit, ut ſalva pace Germanica iſtum ex eo latere invadere, Jutiaque erepta ſedem belli in ejusdem ditionem transferre, ac à Germaniæ ipſum communicatione abſcindere poſſet. Saltem tentare jubebat aliquot ipſi provincias decerpere, quæ prioribus tractatibus fruſtra fuerant affectatæ ad Sveciam eo melius adverſus Daniæ inſultus tegendam.

Cum Cromvello agitata.

§. 79. Cæterum uti Regem toto hoc bello inopia pecuniæ quam maxime premebat, quæ impediebat, quo minus ea mole, quam res exigebat, bellum gerere poſſet: ita opinio opulentiæ Anglicanæ ipſi ſpem faciebat, poſſe aliquid à Cromvello extundi. Quæ tamen ſpes eum fefellit, cum Cromvellus pro mutuo petitis aliquot centenis librarum Anglicarum millibus hypothecæ nomine Bremenſem provinciam ſibi tradi poſtularet. Addebantur rationes; *eam nimium à Svecia remotam; ac poſſe Regem milite præſidiario alibi uti: idque Belgarum deſtinata valde turbaturum. Danoque ſcrupulum injecturum metu irruptionis in Jutiam: denique præſentia Anglorum Proteſtantibus animos additum iri ad Pontificios eo acrius reſiſtendum.* Enimvero id Regi valde inopinum accidebat, poſt tantas amicitiæ teſtationes, cum in rem præſentem veniendum eſſet, tanti momenti pignus exigi, ex quo plus emolumenti hoc bello hauſerat, quam quanti pecunia erat à Cromvello credenda; eoque poſtulatum id in recuſationis vicem accipiebat, juſſo Fleetvvodo, ut petendis pecuniis Cromvello non amplius moleſtus eſſet, ſi per communis cauſæ rationes ad præſtandum auxilium non permoveretur. Sed nec idem Belgis ſe adverſum declarare cupiebat, ſiquidem hi Dano junCti Sveciam invaſuri eſſent. Cui Rex per Fletvvodum quid malorum inde proventurum ſit demonſtrabat, ac ſi ipſe communis boni rationem non habeat, ſibi quoque non amplius in eundem reſpiciendum. Simul poſtulabat, ut ubi Belgarum claſſis in fretum veniat, ipſe pariter naves ſuas eodem mitteret; ejusque operæ idoneum præmium duceret promotionem boni publici, & proprii ſtatus conſervationem. Nam alias facultatem ſibi adimi viciſſim officia eidem exhibendi; ac Belgarum conatus non poſſe non Angliæ fraudi eſſe; præſertim cum conſtet, Danos à Pontificia factione excitatos, ac oppreſſa Svecia rem communem Evangelicorum multum detrimenti capturam. Quod ſi iſte Bremenſi provinciæ inſiſtat, demonſtraret; Regem iſta vel eo ſolo nomine carere non poſſe, quod tanta bella ſolo milite indigena geri non poſſint nulla extranei mixtura, cui conducendo iſta cumprimis ſit idonea. Enimvero vacillabant Cromvelli reſponſa, & quam nunc ſpem auxilii fecerat, paulo poſt iterum adimebat: ac verborum quidem apud eum affatim ſemper, rei ſolidæ nihil; nec obſcure innuebat, pecuniam ſibi haut ſuppetere. Mox novi Parlamenti convocatio novum morarum prætextum præbebat. Cum tamen de Danorum paratu belli audiret, jam velut commotior pollicebatur, ſe Dano ſcripturum, viginti à ſe naves bellicas in Oreſundam mittendas tuendis commerciis, haut exiguum Svecicæ claſſi præſidium.

1657.

13. *Febr.*

Super fœdere Anglicano conſiderata.

§. 80. Cum igitur Rex animadverteret, Cromvello haut cordi eſſe fœdus cum ipſo adverſus Danos, ac Belgas inire, qui tamen idem promtum ſe offerebat fœderi mutuæ defenſionis adverſus Domum Auſtriacam, Regesque Poloniæ, & Scotiæ; ad Senatum referebat, quid facto heic opus foret? Num expectandum ſibi ſit, quousque Auſtriaci in apertum bellum eruperint; an vero ipſe cum invitante Gallo, & Cromvello mature fœdus inire, ac ex eo arma Auſtriacis inferre

1657. debeat; an denique præſtet ejusmodi declarationem declinare, ac tractatus extrahere, remque integram retinere, quoad cum uno & altero hoſtium conventum ſit? Ardua erat ea quæſtio, & eo pluribus implicita difficultatibus, quo potentiores erant, adverſus quos fœdus dirigebatur. Sane prudentis non erat, inſtinctu Galliæ, & Angliæ, magis propriam quam Sveciæ utilitatem quærentium, nondum liquida aut in actum erumpente Auſtriacorum conſpiratione, hoſtem ſe tam potenti Domui, tantaque factione ſuffultæ declarare: cum Rex tot jam apertis aut clandeſtinis hoſtibus cingatur cominus Sveciæ imminentibus. Id enim fore, per inconſultum impetum inſuperabili ſeſe periculo immergere. Quantum ejusmodi fœderibus nitendum ſit, multa exempla oſtendere, ac præcipue noviſſimum bellum Germanicum, ubi multi periculo ſe ſubduxerint, Svecis inter ancipitia deſtitutis. Quosdam etiam ſua inconſtantia, & ambiguo agendi modo plus moleſtiæ, quam ipſum hoſtem dediſſe. Nec adparebat, quid ab Anglis auxilii expectari in præſens poſſit adverſus tot potentes & vicinos hoſtes; cum iisdem peculiares jam hoſtes, ſat negotii dent, ac in futurum magis implicandi videantur, quam ipſi forte expedire valeant. Sed & Galli res in Flandria valde ſublapſas, ut Regi nihil inde militum, parum ſubſidii pecuniarii ſit expectandum, quantumvis liberaliter iſte promittat; quod norit, Regi ſemel bellis implicito curandum, quomodo ipſe iſtud ſuſtinere poſſit. Cromvelli porro pollicita magis inanibus blanditiis, quam ſolida re conſiſtere. Forte & vires magis quam voluntatem deſtituere, quo minus proficua Regi conſilia capeſſat. Sed & dubium eſſe, an non idem præter Hiſpanos etiam Belgas ſit hoſtes acceptus, jam aſperis invicem colliſionibus factis. In obſcuro quoque eſſe, num novo Parlamento uſurus ſit ad ſua vota commodo. Senatus tamen iſta fœdera non ſimpliciter diſſvadebat ſed id tantum Regi ingerebat; ut ante omnia non ſolum in præſens omnem offenſam atque hoſtilitatem adverſus Auſtriacos declinaret; ſed & reliquos hoſtes, quantum rationes Regni requirant, pacare laboraret, ut eo amplior foret facultas patriam ab omni parte adverſus malevolos, ac 1657. inprimis Moſcos tuendi, eoque ad honeſtam pacem compellendi; cum præſertim Sveciæ ingens periculum immineat, ſi iſti in adverſo Maris Baltici litore nidulentur. Interea tractatus cum Gallia & Anglia in integro ſervandos, quoad de Auſtriacorum deſtinatis liquido conſtet, iique vel priores ferrum ſtringant, vel Regi manifeſtam in arma erumpendi cauſam præbeant. Ubi poſtquam bellum non amplius evitare licuerit, ſat ſpatii fore cum Gallia & Anglia tractatus concludendi. Interea & Principum Germaniæ mentem explorari poſſe, quid Regi neceſſitate urgente ab ipſis expectandum ſit; quorum & non parum interſit, ne Auſtriacorum potentia ad ipſos opprimendos invaleſcat. Quod ſi tamen Auſtriaci quieſcant, & cum Belgis res conveniat, non magnopere iſtis fœderibus opus videri, etiam Danis & Moſcis in bello perſiſtentibus, ſiquidem caute res geratur. Aſt ſi plane declinari nequeant malevolorum machinationes, & Rex ab Auſtriacis, aliisve invadatur, vel etiam ita lædatur, ut ad apertum bellum nihil amplius deſit, quam aſſultus, juſtiſſimam Regi præberi bellandi cauſam, culpamque turbatæ pacis Germanicæ non in ipſum, ſed in Auſtriacos devolvendam. Denique circa pacem cum Polonis operam ſumendam, quod à bello Polonico omnes moleſtiæ, inimicitiæ, atque conſpirationes in Sveciam velut è fonte promanarint. Quosdam enim ægre ferre ſuas victorias per ingentes Regis progreſſus velut vado adhæſiſſe; nonnullos præjudicium commerciis ſuis metuere, aliis incrementa Sveciæ & prægravem viciniam ſuſpectari; aliis animos accedere è diuturna Regis è Regno abſentia, ac diſtractis in diverſa viribus. Igitur medicinam adplicandam ac focum morbi, quo ipſo magna pars hoſtium amoveri queat: reliquis compeſcendis ſat virium fore.

Cromvelli circa bellum Danicum mens. 3. Jul.

§. 81. Erumpente jam bello Danico Cromvellus per Thurlovium Georgio Fletvvodo denuntiabat; ſi Dani conatus à Belgis fulciri adpareat, id quod communi Proteſtantium rei maximo damno ſit, ſibi neceſſum fore alia conſilia capeſſere; idque ut Regi ſignifi-

1657. significaret jubebat. Interim valde urgebat oppignerationem Bremenſis provinciæ, jactans, ſi Rex ſtatim eam conditionem acceptaſſet, Danum ægre in arma fuiſſe erupturum; & eo caſu Regem ex Anglia milites, nautas, naves, &alia neceſſaria accipere potuiſſe. Nam ut Anglia, quas Rex oſtentet, regiones adquirere velit, ægre adductum iri; ac eas obtinendi ſpem nullam eſſe. Rex quippe propoſuerat, ut quia Cromvellus pedem utique in Germania figere velit, Embdam & Friſiam Orientalem, aut Oldenburgicum Comitatum invaderet. Aut ſi id difficultatis nimium habere videatur, Storam fluvium ingreſſus caſtellum excitaret, id quod in proclivi futurum ſit Rege vicinam regionem obtinente, & cum exercitu prope agente. Ita non opus eſſe Bremenſem provinciam poſtulare, qua Rex carere nequeat, opimis reditibus, & ſitu valde opportuno ad coërcendum Danum, ejusque delectus impediendos. Inde Cromvellus remiſſa tota provincia Stadam duntaxat poſtulabat, qua obtenta ſtatim cum navibus, quas in promtu habebat, militem trajecturus ſit. Sed nec iſto oppido Rex cavere volebat, velut armamentario, & à qua totus Ducatus pendebat. Ad extremum tamen caſtella in Verdenſi provincia daturus erat: ſed noſſe prius cupiebat, quid iſte contra Daniam facturus ſit, ſimul Daniæ poſſeſſionem prius invaſurus, quod certum pro incerto amittere ra-
24. *Aug. Brachmann.* tionis non eſſet. Veniens paulo poſt ex Anglia Joannes Brachmannus referebat: Cromvello cordi eſſe periculum, quod in univerſum Proteſtantium rebus à Catholicorum & aliorum machinationibus immineat, cui occurrere ipſe magnopere cupiat, eoque fine arctius cum Rege fœdus initurus ſit, miſſo Legato cum facultate concludendi. Igitur Brachmannus protinus in Angliam remittebatur ad eam rem una cum Fletvvodo urgendam, ut id fœdus fieret offenſivum & defenſivum adverſus Domum Auſtriacam, Danum, & ſocios terra marique in quadriennium, pro re nata renovandum & prorogandum. Tum ut Cromvellus quamprimum claſſem triginta navium emittat, adverſus Danos rem geſturam; aut quæ ſaltem in Oreſundam accedat obſervandis Belgarum conatibus, & prohibendæ horum cum Danis conjunctioni. Nam ſoli claſſi Danicæ Regem ſufficere. Denique placebat Regi pro quadringentis millibus librarum Anglicarum Boxtehudam & caſtellum ad Leam oppignerare. Sed ſi fœdus ſuccedat, par eſſe, ut Cromvellus pecuniario ſubſidio ipſum ſublevet, ſicuti bello Germanico Galli fecerint; quod Sveciæ maxima belli moles incubitura ſit. Enimvero nihil horum Cromvello ad palatum erat, qui reponebat; etiamſi brevi res ſibi cum Belgis ad manus ventura videatur; non tamen à Rege propoſitas regiones invadere ita in expedito ſibi eſſe. Sed nec quod de Stora fluvio oblatum ſit, in effectum deduci poſſe, quod commoda ibi navium ſtatio non ſit. Ac ſi præter bellum Hiſpanicum novo ipſe negotio ſe immergat ante conventum Parlamenti citra ſtipulationem inſignis cujuspiam emolumenti, id nationi Anglicanæ multum ſcrupuli injecturum. Sed ſi in futurum ſibi commodum aliquod oſtendi queat, ad pecunias conferendas promtiorem fore. Id quod vix aliter fieri poſſe, quam pignori tradita Bremenſi provincia. Et cum Fletvvodus exciperet; Regem ea provincia propter delectus & alia commoda carere non poſſe; Cromvellus reponebat; Regi haut eo minus delectuum ibi habendorum licentiam fore; ab ſaltem Stadam ſibi poſſe tradi. Quo facto decretum ſibi arctius fœdus cum Rege inire, ac Regis declaratione allata ſtatim copiarum partem cum navibus, quæ in promtu ſint, transportaturum. Utique autem receptum ſibi in Bremenſi provincia habendum, ut eos conatus Parlamento adprobare queat. Ac antea quidem certi quid ſtatuere non potuiſſe Parlamento circa formandum novum regimen occupato: ſed hoc perfecto id conſilii cepiſſe. Addebat, per Jepſonum ejusmodi conditiones propoſiturum, quæ Regi gratæ eſſe queant. Iſtius Jepſoni mandata huc redibant: Cromvello in animo eſſe arctius cum Rege fœdus inire, quod utique cum Belgis bellum ſibi immineat; ideo ſe certi loci in Bremenſi provincia poſſeſſionem deſiderare, receptui ſuis futuri; ne novi belli conatu ſuis ſuſpicionem injiciat, utque uno & altero commodo obtento eam rem futuro Parlamento fa-

1657. to facilius adprobare queat. Cæterum delectus Regis ibi liberos fore; ac ſi Regis hanc in rem declaratio allata ſit, ſtatim cum claſſe ſua partem militis eo trajiciendam.

Nova cum Cromvello negotiatio

§. 82. Enimvero cum ita lubrice ageret Cromvellus, & omnia in longum extraheret, Rex penitius explorando ipſius animo Joannem Fridericum Friſendorfium in Angliam mittit. Ei hæc ſecreta mandata dabantur: *dextre explorare conaretur, an & quousque Cromvellus in negotium Danicum pertrahi queat, velut pro tempore præcipuum & maxime neceſſarium. Simul oſtenderet, tam ad Angliæ quam Sveciæ ſecuritatem facere, antequam iſthoc confectum ſit, novam negotiorum telam haut ordiri. Atque id in præſens facile fore Angliæ viribus cum Sveciæ junctis. Aſt ſi Cromvellus auxilium abnuat, neceſſitatem Regi imponi Auſtriacos demulcendi, deſerta communi cauſa. Nam ſummam rationem dictare, ut prius domeſtica pax & ſecuritas ſtabiliatur adverſus ejusmodi hoſtem, cui in ipſa Sveciæ penetralia undique via pateat. Igitur Cromvello prius oculos huc vertendos, ut interea communis cauſa probe digeri, ac arridente occaſione tanto acrius ſuſcipi atque urgeri queat. Atque id ipſius Cromvelli rationes exigere, cui Dania, & Hollandia magis metuenda ſit, quam Hiſpania & Auſtria, propter viciniam & oppertunitatem nocendi. Eoque non prius quieſcendum, quam Dano in eum ſtatum redacto, ut nocere amplius nequeat, ac libero commerciorum uſu, tranſituque per Oreſundam omnibus nationibus reſtituto; ut qua Svecia provincias olim avulſas Scaniam, Hallandiam, Blecingiam recuperet, Sveciaque Regnum à Dania Mari deinceps dividatur, conſtituto in Oreſunda æquilibrio, exteris tam proficuo. Tum ut à Bremenſi præſulatu quondam dependens Comitatus Pinnebergicus cum diſtrictu Crempenſi & Wilſterenſi eidem uniatur.* Quod ſi igitur Cromvellus ad iſthæc obtinenda operam conferre velit, Rex illi adverſus Auſtriacos eorumque ſocios terra marique auxilium pollicebatur, tum alias conditiones tam ipſi privatim quam publico Angliæ ſtatui utiles. Quæ tamen privatum Cromvelli ſtatum ſpectarent Friſendorfius circumſpecte tractare jubebatur, ſcriptamque declarationem declinare, nec an iſtum tuendum Regi obligationem imponere. Commoda autem à Rege ipſi concedenda erant, ceſſio actionis in Comitatum Delmenhorſtenſem, ad quem una cum Oldenburgico adquirendum Rex auxilium collaturus erat; tum Friſia Orientalis, præſulatus Monaſterienſis, & quantum Weſtphaliæ amplecti poſſet in uſum hoſpitiorum. Quæ loca ipſi inſignia emolumenta adferre queant cum privatim, adſciſcendis in ſua ſtipendia variis nationibus, id quod in Anglia ita commode fieri nequeat; tum publice, ſtabilita cum Svecis cominus communicatione, & ut inde Dania, Belgium, & Auſtriaci infeſtari queant. Idque jam plauſibili prætexto fieri poſſe, quod Regi ab Ordinibus Imperii deſerto ad aliena auxilia confugiendum fuerit. Cui & alia ratio accedat, quod Oldenburgicus cum Dano, & Catholici præſules cum Belgis in noſtram fraudem conſpirent. Fortaſſe & viam inventum iri Principem Friſiæ Orientalis, & Oldenburgicum Comitem ad Cromvelli obſequium ultro ſubeundum permovendi, quod & iſte compedes à Belgis injectas exuere ardeat, & hic omnem lapidem moveat, ut Comitatum in filium ſuum naturalem transferre queat, qui forte uſu fructu bonorum allodialium & emtorum contentus ſit futurus. Quod ſi Cromvello iſta non ſufficiant, ac idem ſibi quoque aliquid à Polonis & Gedanenſibus ob illatas injurias prætendendum putet, ſimul ut una cum Rege Silefiam à latere impetere queat; Rex paratus erat ipſi Hauptum Caſtellum cum parte Pomerelliæ cedere ſalvis donationibus ſuis; ſimul ad expugnandam Pautzcam operam conferre, ac ut commercia Anglicana ibi lautioribus conditionibus potirentur. Eum autem duntaxat in finem Rex Delmenhorſtanam & Oldenburgicam dictionem Cromvello offerebat, quod hunc ſtabile fundamentum in Germania habere vellet, cauſæ communis deinceps commodius agendi. Alias malebat Rex Cromvellum in partem prædæ Danicæ venire, accepta Jutia ſeptentrionali cum portu Liſterdiepa, & adſitis inſulis Silta, & Remma, id quod commodius ipſi futurum ſit ad claſſem alimentis inſtruendam, aliaque commoda. Rex tamen inde ſibi reſervare cupiebat Coldingenſem & Horſenſem præfectu-

Friſendorff.

1657.

Liſterdiep. *Silt.* *Remm.* *Horſens.*

ras,

1657. ras, aut in harum locum Ripenſem, quam una cum reliqua Jutia, ac tota Slesvicenſi Ducatu & Holſatia, exceptis Pinneberga, Crempenſi, & Wilſterenſi diſtrictu, Duci Gottorpienſi ſupremi Imperii jure traditurus erat, ab ambobus in ejus poſſeſſione tuendo. Cui & Fioniam additurus erat, compenſando hujus juri in Oldenburgicum, Delmenhorſtanum, & Pinnebergicum Comitatus. Circa reliquas regiones Danicas ex ſuo arbitrio diſpoſiturus erat Rex, prout publico id expedire videretur, illis inter unum & alterum partibus addictum, aut minutos regulos nemini obnoxios diſtributis. Quod ſi Cromvellus in locum Oldenburgi, Delmenhorſtæ, & Jutiæ partem Ditmarſiam regiam malit, cum Wilſtera & Crempenſi diſtrictu inſulisque adjunctis, iſta quoque Rex conceſſurus erat, reſervata tamen ſibi Pinneberga, ac ut Hamburgum omni prætenſione exſolutum libera civitas declaretur. Contra iſthoc caſu Cromvello deſtinata ſua in Boruſſiam & Viſurgim omittenda eſſe, tractumque ad Albim arripiendum, & ſtatim Glucſtadium oppugnandum, ad quod Rex auxilium ipſi laturus ſit. Sed ſi utique ad Viſurgim pedem figere velit, ad extremum id quoque annuendum, ac Regi Pinnebergam duntaxat excipiendam. Cæterum gradatim procedere jubebatur Friſendorfius, & quantum poſſet tolerabilibus conditionibus decidere. Sed ut Cromvello ſuſpicio ac invidia circa ſubigendam à Rege Daniam adimeretur, oſtendendum erat, Regem Daniam non ſibi velle, ſed ſubactam alicui amicorum, cui plurimum confidat, Socerum innuens, traditurum, demtis duntaxat partibus, quæ ad antiquum Gothorum Regnum quondam ſpectaverint, ut Svecia ea parte à Dania mari dividatur; id quod multis controverſiis declinandis utile ſit futurum. Tum ut tegendæ Sveciæ Bahuſienſis diſtrictus, & Chriſtiania cum vicina regione, ſimul Nidroſia accedat. Alias enim Sveciæ ſemper adverſus Daniam velut in armis excubandum. Tali autem diſtributione facta neminem ſuſpicione perſtringi. Quod ſi Cromvellus ad hunc finem efficacem operam navare velit, Anglicanæ nationi immunem à veſtigali per Oreſundam tranſitum concedendum. Sed & ad invidiam declinandam Boruſſiam in Brandenburgicum aut alium Evangelicum Principem transferendam, qui adverſus Catholicos eam tueri valeat. Nam Regi haut tantopere de Boruſſia agi; cui nec adeo pertinaciter poſtulandæ inſtiturus fuerat, niſi Poloni ordine tam præpoſtero inceſſiſſent, reſtitutione occupatarum terrarum exacta, antequam conſtaret, quid cautionis ſibi in poſterum ab ipſis futurum ſit, ne uti hactenus è propriis provinciis cum iſtis bellare neceſſum habeat. Quod ſi Cromvellus victricia Regis arma, & conſilia longius porrecta ſuſpectet, uti Belgæ faciebant, demonſtraret ipſi; inanes eſſe ſuſpicionis cauſas, ac Sveciam ſummopere florentem cum Anglia citra colliſionem conſiſtere poſſe, non minus quam cum Gallia, quod eorum Regnorum rationes invicem non repugnent, nec à ſe invicem dependeant, ac utraque propriis viribus nitantur, favente inſuper opportunitate ſitus; præſertim cum juxta hac deſtinata Angliæ pariter cum Svecia ſit incrementum captura, eaque Regna adeo ſuas invicem vires ſatis librare queant. Id quod circa Belgium aliter plane ſe habeat. Quia enim hoc intrinſeca velut radice haut ſubnitatur, ac magnam partem è Mari Baltico dependeat; ideo iſti tam ſolicite obſervandum, ne quis inter accolas ejus Maris viribus præponderet, ipſorumque circulos turbare valeat. Qui & arbitrium commerciorum ſibi competere glorientur, unicum potentiæ fundamentum. Ad extremum Rex quoque Anglicanæ nationi in Svecia prærogativæ quid præ aliis indulturus erat. Sed ſi Cromvellus nullo modo cum Dano committi poſſit, Friſendorfius in Auſtriacos ipſum irritare ſtuderet, ac militem, naves, pecuniam peteret: aut ſaltem ut Belgas coërceat, ne Daniæ cauſam ſuſcipiant, & ſi hi claſſem in fretum mittant, ipſe pariter faciat. Alias neceſſum ſibi fore pactum Elbingenſe iſtis jam inſtantibus firmare, quo ipſe teneatur in caſum belli inter Anglos & Belgas hiſce adſiſtere; quod tamen in gratiam Cromvelli omiſſurus ſit. Ubi hic ſequeſtrem ſe inter ipſum & Danum offerat, id declinaret velut intempeſtivum; nec cautionis quid ſibi in promiſſis ac literis Dani eſſe, ac pro

Drontheim.

1657. illatis injuriis re ſibi ſatisfaciendum. Iſta ſi Friſendorfius confecerit, demum de communi fœdere in Monarchiam Auſtriacam & Hiſpanicam proponeret, in quod Gallia ac Luſitania, ipſique Belgæ adſciſci queant. Tum ut faſtigium Cæſareum ab Auſtriacis in aliam Domum transferatur. 1657.

Negotiationis iſtius ſucceſſus.

§. 83. Friſendorfius in Angliam adpellens una cum Georgio Fletvvodo per triduum cum Cromvello congrediebatur nemine arbitro, niſi Carolo Fletvvodo, & Desborugio claſſis præfecto; ubi Legati Svecici acriter inſtabant, ut liquido declararet, quousque cum Rege in bellum deſcendere animus ſit, quod hic conſilia ſua ad id temperare queat. Sed Cromvellus aliquot dies ad deliberandum petebat ob gravitatem negotii. Se quippe Miniſtrum Reipublicæ eſſe, ac Parlamento ad rationem reddendam teneri. Ac viciſſim Legatos urgebat, ut panderent, quousque Regis deſtinata circa Daniam porrigantur, ut norit, quid auxilii à ſe petatur, & quam proportionem oblatæ ſatisfactionis certitudo ad illud habeat. Quæ res à Svecis cautiſſime tractanda erat, quod Legatus Belgicus circa depingendum Daniæ miſerabilem ſtatum magnopere laboraret, interpoſitionis neceſſitatem ingerens, per crebeſcentibus jam Regis adverſus Danos progreſſibus fere majoribus, quam ad hanc negotiationem perſequendam expediret. Ac ſane multi jam in Danos velut partem debiliorem inclinabant, non obſcuris invidiæ in Sveciam motibus. Unde animi ſenſa penitiora pandere iſti non audebant. Ac quæ de Stora fluvio propoſita fuerant, Cromvello haut arridebant, velut quibus ſibi haut ſatis caveatur. Nam hoſtilia oppida Glucſtadium & Krempam vicino ſitu facile impedire poſſe, ne caſtellum ibi extrui queat. Abſque tuto autem receptu in bellum deſcendere Imperatorium haut eſſe. Inde à Svecis concinnabatur formula fœderis offenſivi & defenſivi contra Auſtriacos, Hiſpanos, Polonos, Danos, & quicunque ſe hiſce ſociaturi ſint: quo Cromvellus adſtricturus ſe erat ad claſſem in Mare Balticum mittendam compeſcendo Dano, exercitumque in Flandria habendum, ac ſubſidium pecuniarium præſtandum. In anteceſſum tamen, & antequam primarium negotium conficeretur, aliquot naves à Cromvello ſaltem commodati titulo petebantur ad Danos portu Gothoburgenſi depellendos, quem hi ſeptem navibus clauſerant. Reſpondebat iſte; à ſe ſatis jam præſtari, dum in Hiſpanos, Belgasque oculos defixos tenet, quorum utrique libido ſit Ulyſſiponem invadendi. Velle tamen rem cum Conſilio ſuo expendere, multa cum verborum pompa jactans, intra quatriduum ejuſmodi circa princeps negotium declarationem ſeſe editurum, ut totus orbis conſpecturus ſit, ſibi bonum publicum cum conſervatione ſtatus in cordi eſſe. Naves petitæ ut à privatis conducantur, ſe conſentire. Sed de ſuis navibus ad primarium tractatum ſeponi volebat, ut juſto ordine procedatur, ac eo plus ſecuritatis in perſequendo negotio habeatur. Hoc quippe ſibi gravius videri, quam ut ſupernumerorie expediri debeat. Eſſe quoque ſibi moris negotium aliquod vel ſerio ſuſcipere, vel plane omittere. Et malle ſe totam claſſem in Mare Balticum mittere, quam aliquot naves, ſibi forte, Regique & cauſæ communi damnum allaturas. Ac ſat temporis ſupereſſe commoda, quæ nunc elabi videntur, penſandi, ſtudiumque in Regem & communem cauſam teſtandi. Hiſce verborum blandimentis Svecis Legatis aliquantiſper adquieſcendum erat: Interim Angli ſolicite rem trutinabant, in utramque partem ventilato: num in præſens cum Danis in arma erumpere poſſint, quoad penitiorem eorum ſententiam & ſtatum cognoſcerent; præſertim cum inter Cromvellum & Danum fœdus extet, cui prius ſit renuntiandum? Num quoque conſultum ipſis ſit vires ſuas ita diſtrahere, quamdiu bellum Belgicum, Luſitanicum, & Hiſpanicum incumbat; cui recens cum Gallia negotiatio accedat, Dunquercam & Mardicum oſtentante, quæ valde ipſis ſalivam moveat? Denique nondum ſatis ſecum ſtatuere poſſe, qua ratione in Danicum negotium ingredi debeant. Nam valde optandum ſibi eſſe, id à communi cauſa ſeparari, ac ad transactionem deduci poſſe.

Verborum.

Krempe.

Sed

1657. Sed quia id negotium jam longius provectum ſit, ſatius videri paribus cum Rege auſpiciis bellum gerere, quam inter auxilia haberi. Id tamen anxios ſe habere, an non forte Regis conditio eo redacta ſit, ut deinceps ſibi ſolis onus incubiturum ſit; aut contra, an non ſolus Rex iſti negotio exſequendo ſufficiat. Utroque caſu exiguum ipſos fructum manere. Igitur prius ſibi ſpectandum, quo res ſedaturæ ſint, ut tuta via incedere queant.

Regis hac de re judicium.

Ex hiſce Rex judicabat, Cromvello fœdus cum ipſo inire, aut cum Danis, Belgisque pacem abrumpere parum cordi eſſe; Sed potius cunctatione ſua & iniquis ſuper cautione poſtulatis, quæ inſinuabat, fœdus declinatum ire, Regemque magis cum Auſtriacis committi optare. Unde Legatos denuo jubebat demonſtrare: ni ſibi adverſus Danos & Belgas ſubveniatur, nil facultatis ſibi deinceps fore amicis ſuis, Angliæque ſubveniendi. Igitur planum reſponſum exigerent, ne tempus incaſſum teratur. Si Danico ſe bello miſcere nolit Cromvellus, claſſem ſuam ſaltem paratam haberet amoliendis Belgis; ac de cætero interpoſitione ſua utilem operam navaret promovendæ tutæ & honeſtæ cum Danis paci; ſic ut in ſatisfactionem Regi dentur provinciæ quondam Svecia avulſæ, & quod Norvegiæ finibus Sveciæ imminet, & quæ repentinæ invaſioni occaſionem præbent; ne ſibi aliis bellis implicito, aut ſalutare opus pro bono publico molienti à Danorum libidine dependendum ſit, aut par cum præſenti damnum ſuſtinendum; ac ne Sveciæ commercia in Oreſunda ab iſtorum amplius libidine dependeant. Denique petitum de mutuo dandis ducentis millibus librarum Anglicarum repeterent, pignori oppoſita Buxtehuda, & caſtello ad Leam, Belgis haut parum ſcrupuli injicere aptum.

Negotiatio Anglicana continuatur.

§. 84. Iſta quanquam Legati Sveci quantum dabatur urgerent; tamen Anglos magis adhuc hæſitare adparebat audita Ragozii clade, Cracoviæ deditione, & ancipiti prælio navali, ſimul Polonorum in Pomeraniam irruptione, & quod Brandenburgicus belli conſortio ſe exemiſſet, neutras deinceps partes ſecuturus. Tandem tamen declarabat Cromvellus; *ſe re*

1657.

mature penſitata decreviſſe amicum ſe amicis, & hoſtem hoſtibus Regis fore, & contra Auſtriacos, eorumque ſocios (ita enim ſibi propter cives, & alias graves rationes loquendum,) fœdus arctius offenſivum & defenſivum concluſurum; quo fine ſtatim Commiſſarios ſit deſignaturus fœderis formulæ adornandæ. Octo duntaxat dierum dilationem petere, quoad ita ſe præparaverit, ut effectum ſtatim repræſentare queat, quod ſibi ſolitum haut ſit de negotio aliquo verba prius facere, quam facultas ſit rem ipſam ſtatim exhibendi. In anteceſſum tamen dicebat, ſe validam claſſem propere armare, qua Belgas, & ſi qui alii huic negotio ſeſe immiſcere, ac damnum mari dare velint, coërciturus ſit. Statim quoque in Belgium miſſurum, qui acta ipſis ſua exprobret, & qua circa hoc negotium ſententia ipſis ſedeat, cognoſcat: inde conſilia ſe capturum rationibus Regis, & communi cauſæ promovendæ idonea. Cum Svecici Legati in anteceſſum aliquid argenti, militumque, & aliquot naves ſub apluſtribus Svecicis ituras peterent, ut Rex tantiſper ſuſtinere vim hoſtium poſſet, quoad plana auxilia advenirent, reponebat Cromvellus; plenum auxilium ſuum cogitato prius paratum fore, ac minimam partem ejus eſſe, quæ ipſis jam proponantur. Militum tantum ſe curaturum, quantum opus ſit. Circa pecuniam hactenus præcipuam ſibi fuiſſe difficultatem, ſed jam maxime ſuper ea conquirenda ſe ſatagere, & brevi ſpem eſſe eadem potiundi. Naves petitas facile ſuppeditare ſe poſſe; expendendum tamen ipſis eſſe, an non magis ex uſu Regis ſit, & utriusque honori cedat, ſi iſtæ Anglicanis ſub apluſtribus navigent, id quod cum Commiſſariis ſibi adjunctis diſceptarent. Se haut ſero venturum, Rex modo extremis viribus connitatur, & rem integram ſervet. Interrogabant quoque Angli, num abſque periculo fretum tranſiri poſſit ob imminens eidem Croneburgum, id quod Sveci ſuperiore bello à Belgica claſſe factum oſtendebant. Eodem die Thurlovius diſſerebat: præſenten quidem Sveciæ ſtatum ita eſſe confuſum, ut ſatis adpareat, quotidie plures fortaſſe non tam ex odio, quam diffidentia, ac me-

1657.

1657. ac metu, aut ſpe melioris conditionis diverſas ad partes ab ea defecturos, ut Angliæ alias ſatis diſtrictæ anceps ſit futurum rebus ſic ſtantibus cum eadem fortunas ſuas ſociare: tamen Svecorum rationes id ponderis habuiſſe, ut Protector ſepoſitis omnibus reſpectibus plane decreverit fœdus arctius cum Rege ferire adverſus Auſtriacos, ſociosque, cui fortaſſe brevi Galli Belgæque acceſſuri ſint. Ut civibus ſuis ſatisfaciat, ſolos Auſtriacos eſſe exprimendos. Sed ſi Danus rationem audire, idoneamque ſatisfactionem præſtare nolit, pari cum Auſtriacis loco habendum. Eandem ſibi de Belgis mentem eſſe, ſi easdem ſecum partes ſequi nolint. Cum tamen haut libenter vicinis cauſam diſſidii Protector præbeat, ad eos hanc ob cauſam miſſurum, ut ſi in arma utique erumpendum ſit, culpa penes iſtos hæreat. Jam igitur Angli claſſem armabant, legiones ſupplebant, pecunias conquirebant. Tantum Mare Balticum metuere ſe ferebant, & ne ab hieme ibi opprimerentur, tam aſperi frigoris inſolentes. Poſt tantum igitur hiatum proferebatur formula fœderis non ſane pro expectatione. Ejus ſumma capita erant, ut ſit fœdus offenſivum & defenſivum inter Regem Sveciæ & Protectorem Angliæ contra Reges Hiſpaniæ, Hungariæ, Poloniæ, & Domum Auſtriacam. Ad hoc invitabantur Galli, Belgæ, & alii. Rex invaderet ditiones Auſtriacas, cui Principes Proteſtantes ſuas copias jungerent, quibus à Rege ſtipendia ſint exſolvenda. Cromvellus claſſe bellum Hiſpanis faceret, ad quam Rex neceſſarium adparatum pro convento pretio Anglis concederet. In fœdus admittendi utrique conferrent pecuniam, militem, naves. Mitteret quoque Cromvellus claſſem in Mare Balticum, ſi opus ſit, & à ſociis idonea pecuniæ ſumma ſuppeditetur. Quæ partim abſurda & iniqua, partim à ſcopo Regis plane abhorrentia Sveci demon-

ger. Oct. ſtrabant. Et mox qui tantam alacritatem verbis præ ſe tulerant, ut ſociis à ſe ſtimulos addendos jactarent, repente torpeſcebant, poſtquam à Jepſono, & Medovio literæ advenerant, utrinque interpoſitionem Anglicanam acceptatam referentes; ac jam de pace univerſos complexa differebant, etſi ita obſcure, ut quid ſentirent intelligi haut poſſet. Cauſa mutationis habebatur, quod magis Cromvello arrideret ſequeſtrem agere, quam in partes deſcendere, quorum illud plus dignitatis, minus periculi haberet. An quia ſiniſtris rumoribus fidem adhibuerat, velut Rex ſuſtinendo operi impar foret; neve ſi ob hiemem aut alia obſtacula ibi rem non amplius gerere liceret, bellum in Anglos pertraheretur; quo nomine futuro Parlamento gravis ratio ſit reddenda, exiſtimationi inſuper domi forisque conſumta. Inter quæ Gallicus Legatus anxie in Svecorum cōnſilia & actiones inquirebat, ac ſubinde Anglis ingerebat, ne eam rem præcipitarent, quamdiu Gallia ad hoc quieſceret; nec expedire Sveciam in Mari Baltico nimis potentem fieri, quod hæc magis quam Dania ſit metuenda. Belgicus quoque Legatus omni ope connitebatur, ut Svecis noceret, animos alienando, & horum deſtinata fœdis coloribus depingendo: nec erubeſcebat evidentibus rebus contradicere, inter alia velut miras calumnias increpans, quod Dani à Belgis in bellum ſtimulati, ac ſublevati arguantur, multa de ipſorum ſtudio jactans circa pacem & amicitiam conſervandam. Idemque una cum Brandenburgico Svecicum negotium valde refrigerabat, communi pace propoſita. Porro Friſendorfio in iſtam mutationem invehenti Angli reponebant: *ſerio ſe Svecorum rebus ſtudere; ſed unicam difficultatem eſſe circa modum agendi, ac remedia ſuggerendi, præſertim hieme jam ingruente. Non decere ipſos Danum ſibi fœderatum ex improviſo invadere, dum ſuus apud illum Legatus adhuc agat, apud quem iſte ad omnia aqua ſe offerat. Nec hiberna tempeſtate in Mari Baltico efficaci quid poſſe. Belgis quoque in expedito claſſem eſſe, qua ſtatim atque Anglica ſe moveris, à tergo inſecutura ſit. Sed ſi res per hanc hiemem extrahatur, interim cum Parlamento ſuper hac re conſulturos, de Belgis ſibi cauturos, Danique machinationes obſervaturos, viribus quoque ſuis ita diſpoſitis, ut neutri metuendi ſint, quo demum alacriter rei manus admoveri queant. Sed & domeſticas res ita comparatas, ut iis haut probe digeſtis foris ſe commovere non audeant; nec operoſius quid ſuſcipiendum, quam commode exequi queant.* Ad quæ Friſendorfius; id ab initio iſtos

dicere

1657. dicere oportuiſſe, nec per inanem ſpem conſilia Regis in ſuſpenſo tenuiſſe. Ad extremum ita declarabat Cromvellus; „ſe à Svecis propoſita mature „expendiſſe, ac claſſem jam inſtruxiſſe. Sed omnes rei nauticæ peritos „unanimiter concluſiſſe, hac anni tempeſtate nil poſſe effici, ac ſuſpecto itinere nil Regi utilitatis, ſibi certum „damnum allatum iri. Ita à Conſilio „ſuo decretum, ante hiemem nil ſuſcipiendum. Interim eandem quam „antea ſibi ſententiam ſtare, ac fœderis formulam propediem ut adorne„tur curaturum. Pecuniæ non plus „corradi potuiſſe, quam triginta mil„lia librarum Sterlinenſium, quæ Re„gis uſibus offerat, quoad paulatim „plus præſtare queat; ſpe quoque fa„cta, à Parlamento plus obtentum iri, „quod intra duos menſes convocan„dum ſit. Ea declaratione cum Svecici Legati non adquieſcerent, velut quæ longe infra ſpem ſibi factam ſubſiſteret; Thurlovius demonſtrabat: „rationi repugnare arduum negotium „ſuſcipere, antequam probe expen„deris, an & quousque id perficere „queas. Neminem teneri proprio „cum exitio alterius neceſſitatibus in„ſervire. Cui negotia Angliæ peni„tus perſpecta ſint, ſtatim agniturum, „haut ita facile ſibi eſſe contra conſen„ſum omnium, quorum intereſt, tantam rem aggredi. Non ſibi quoque „ſolum, ſed & Regi noxium futurum, ſi „tantum opus temere ſuſceptum de„ſerere iterum cogantur, Ragozii exemplo, ac ipſi viciſſim pari modo de„ſtituantur, uti Ragozianorum mini„ſtrorum querelæ Conſtantinopoli „huc perſcriptæ ſint. Sibi jam cum „Belgis agitari, ne ab iisdem ſibi me„tuendum ſit; quod temporis aliquo „ſpatio opus habeat. Cum Parlamento quoque conſultandum, ac res do„mi ſtabiliendas, ſimul rerum gerendarum nervum iſtius ope expedien„dum, qui præcipue hactenus defue„rit. Feſtinam quoque claſſis inſtructionem nil aliud ſpectaſſe, quam ut „octodecim Belgarum naves in brevi„bus Doggeranis jacentes, quæ in *Doggerſand.* „Oreſundam perrecturæ metuebantur, ſiſterentur: quæ cum domum „conceſſerint, ſuæ quoque expeditionis cauſam ceſſare. Quid enim in „Oreſunda agant, nullo ibi Belga præ„ſente? Minas æque ipſos heic, quam „ibi jactare poſſe, minore periculo, & „forte majore effectu. Petebat quoque rationes ſuppeditari, quibus Danus convinci queat Auſtriacorum conſiliis ſe implicuiſſe; quod ejus miniſtri præfracte negent. Et cum Friſendorfius fœdus Dani cum Rege Hungariæ oſtenderet, Thurlovius reſpondebat: ſtatim in Daniam ſcribendum, niſi mox ei fœderi renuntietur, Cromvello cum pace concilianda nil amplius negotii fore. Plura dicere in præſens nec poſſe, nec velle; tempus reliqua aperturum. Interim non minus Regis commoda, quam propria curæ ſibi eſſe. Rogabat quoque, ne Protector ulterius urgeatur. Hunc quippe agendi modum à ſana ratione dictari; nec in propria cauſa aliter ipſum progredi poſſe. Multa quoque indigna eundem à Belgis devorare, nondum expedita facultate ulciſcendi. Danos jam querimonias miſcere, quod milites in Anglia conſcriptos ſuo præſidio deduxerint. Quibus dictis Friſendorfius adquieſcebat, niſi quod reponeret; non fuiſſe ipſis ab initio ita ampliter promittendum; ſed pecunia data id poſſe ſarciri. Ad quæ Anglus: pecuniæ copiam ſibi non eſſe, idque Regi per Jepſonum ſignificatum. Nuper potuiſſe quid obtineri, uti Fletvvodo promiſſum: ſed nunc temporibus mutatis eam ſpem decollaſſe. Ab hoc tamen tempore ad Parlamentum usque dena librarum millia menſtrua datum iri, quod ſpes ſit ita ſe geſturum, ut majore vigore in ea cauſa proceedi poſſit. Cæterum quanquam Carolo Guſtavo Daniæ magis negotium, quam fœdus contra Auſtriacos cordi eſſet; non tamen Legati circa Daniam injuncta expromere audebant, quod putarent, obliqua ſe via per fœdus in Auſtriacos Angliam cum Danis commiſſuros. Sed Rex plane cauſam Danicam ab Auſtriaca ſeparari volebat. Unde Legati Anglis absque circuitione dicebant: fruſtra de fœdere in Auſtriacos differi, niſi compoſito negotio Danico. Contra Danus apud Medovium conſtanter negabat cum Auſtriacis quid commercii ſibi intercedere, ni neceſſitate urgeatur ad eas partes confugere. At Cromvellus Medovio ſcribebat: denuo Danis absque ambagibus diceret; ni ſtatim cauſam ſuam disjungant, ac ſerio ad tractatus deſcendant admiſſis idoneis conditioni-

1657.

6. *Nov.*

1657. bus circa ſatisfactionem & cautionem, nil amplius ſupereſſe, quod ibi agat; & Anglos alia conſilia capeſſituros, ſi Dani deſtinatis ſuis inhæreant, rei Proteſtantium communi, & Angliæ Sveciæque noxiis. Quod ſi autem Dani ſe ab Auſtriacis ſeparaverint, æquas ipſis conditiones propoſitum iri. Sed & ad extremum idem circa Danicum negotium declarabat; in omnem eventum ſe Belgas coërciturum, ne Regem invadant, ac ſi iſti aperte ei cauſæ ſe immiſceant, pari ſe paſſu cum Svecis iturum, ac ſat negotii Belgis daturum; de quo Regem ſecurum eſſe jubebat. Ita eo anno præter inania verborum nihil obtentum fuit: pecuniæ paululum promiſſum, nunquam repræſentatum. Et quod Regi maxime quærebatur, ut Cromvellus aliquid ad ſubvertendam Daniam auxilii conferre vellet, id longiſſime ab hujus ſententia aberat. Ac Dani Medovio homini rerum gerendarum imperito facile illudebant, qui ipſis confirmarat; Protectorem pari ſtudio in utrumque Regem ferri. Ex cujus literis etiam intellectum eſt, Cromvelli mentem eſſe, ut omnia in priſtinum ſtatum reponantur, nec Svecus terrarum quid à Dano in ſatisfactionem accipiat. Ac ipſe *Neoport.* Cromvellus Neoportio Belgarum Legato dixerat: „ ſe omnibus modis Daniam conſervaturum. Neque enim jam tempora antiquis ſimilia exiſtere, quibus alicui permittebatur integra Regna ſubjugare. Cui Rex viciſſim per Legatos demonſtrabat: „ ſibi utique Scaniam, „Hallandiam, & Blekingiam habendam. Sveciæ quondam avulſas, & „quas ipſa natura à Dania disjunxerit. „Nam oblatam à Cromvello guarantiam ſat ſecuritatis ſibi non præſtare; cui quam parum firmitatis inſit, exemplo pacis Weſtphalicæ, ac „Brœmſebroënſis adparere. Multo „minus verbis Danorum confidere ſe „poſſe, qui nunquam pacta violare dubitarint, quotiescunque è re ſua eſſe „judicarint, occaſione nocendi potiſſimum arrepta, quando Svecia bello cum „potente aliquo hoſte implicia fuit.

Legati Anglicani apud Regem negotiatio. 32. Oct. §. 85. Cum igitur Cromvello propoſitum eſſet, neque in partem belli Danici venire, nec permittere, ut Rex Danum plane opprimeret, aut inſigniter debilitaret, Wilhelmum Jepſonum Legatum mittebat, operam ſuam componendo bello Danico oblaturum, quo Regem eo bello exſolutum Auſtriacis immitteret. Is apud Regem prolixe memorabat de enixa Cromvelli cura pro communi ſalute Proteſtantium, deque bello Hiſpanico, & Domus Auſtriacæ machinationibus, per quas effectum ſit, ut nec ipſe in bello Hiſpanico, nec Rex in Polonico ullum auxilium à Proteſtantibus obtinuerit; quin contra aliquos propriis commodis aut ſtudiis inductos ſalutare id inſtitutum obliqua ratione aut aperte ſuſcepto bello impediiſſe aut intercepiſſe. Quos inter Danus eo potiſſimum tempore in arma eruperit, quando Sveciam à potentiſſimis hoſtibus undique cinctam conſpiciebat. Protectori in votis eſſe, ut Proteſtantes iſta apud ſe trutinent, ac mature oculos conjicere velint in officinam malorum, quæ ipſorum cervicibus imminent, ac culta inter ſe concordia communis hoſtis deſtinata eludere. Qui & teſtando ſtudio pro eorum unione officium offerat ſedando bello inter ipſum, Danumque ut eorum inter ſe conjunctio coaleſcere poſſit adverſus illos, à quibus horum malorum prima origo promanarit. Simul proferebat Regis Daniæ declarationem Medovio traditam, qua teſtabatur, à ſe Anglicanam interpoſitionem acceptari, ſeque transactioni pronum eſſe, addita tamen clauſula de incluſione aliorum & præcipue Maris Baltici accolarum, Regis viciſſim declarationem expoſcens. Ei reſponſum reddens Rex viciſſim exponebat de cauſis belli Polonici, & uti ſucceſſus ſui per nonnullos ex ipſis Proteſtantibus turbati atque impediti fuerint. Inprimis memorabat damna ſibi per bellum Danicum illata, & quomodo ſemper Dania incrementis Sveciæ invideri, iisque ſe quantum poſſet objecerit. Quæ & nunc effecerit, ut ipſe ſalutare negotium in Polonia fere pro derelicto habere coactus ſit, hoſtibusque ſuis ac inprimis Auſtriacis apertum velut campum relinquere in ipſum, nullo reſiſtente, rem gerendi. Uti ſibi magna cum moleſtia in Holſatiam penetrandum fuerit: uti Ragozius in tantam calamitatem inciderit, Brandenburgicusque ad neutralitatem, ſi non ultra, diſceſſerit. Nec ſe tamen unquam honeſtum pacis tractatum repu-

1657. repudiaſſe, & Gallico ablegato id declaraſſe, mandato quoque ſuper præliminaribus edito. Hunc Hafniam quidem perveniſſe, ſed hactenus nullum reſponſum ad ſuam declarationem accepiſſe. E Beuningii tamen literis perſpicere; Dano decretum eſſe tempus ducere, & Moſcovica, Polonica, Auſtriaca, alia negotia admiſcere; utque tractatus inſtituantur loco, neutris partibus addicto, Belgæque ad ſequeſtrium officium utique admittantur. Quanquam autem ex hiſce modica apud Danum inclinatio ad ſinceram pacis negotiationem adpareat; ſe tamen ſingulari cum æſtimatione acceptare Protectoris benevolentiam, & ſtudium tam in ipſum, quam in communem cauſam, adeoque operam iſtius paci conciliundæ admittere; ſperare tamen eundem curaturum, ut ipſe ſatisfactione à Dano, ac reparatione damnorum datorum potiatur, tum cautione, deinceps iſtum paria haut facturum; quæ tanto magis ſit ſibi neceſſaria, quo is periculoſiore cumprimis Sveciæ ſitu imminet. Sperare inſuper hac interpoſitione non impeditum iri tractatum, quem ipſe cum Protectore agitet.

Alia Regis circa Cromvellum cogitationes.

§. 86. Enimvero quia Danus magis de adſtringenda cum Polonis & Auſtriacis ſocietate, quam de pace cogitabat; quam Molano Galliæ Regis officium offerenti non alia ſe lege admiſſurum oſtendebat, niſi præter refuſionem ſumtuum belli receperit provincias ſuperiore bello amiſſas: igitur Rex ferociæ iſti frangendæ acrioribus ſtimulis tentare Cromvellum inſtituit, num ſecum in ſocietatem belli Danici venire velit. Ea autem Regi mens erat, ut ſi Cromvellus ſecum in Selandiam exſcenſione facta jugulum Daniæ petere, eamque uno impetu proſternere velit, cum ipſo id Regnum ita ſit diviſurus, ut penes Sveciam maneat Norvegia, Scania, Selandia & Fionia, Cromvellus habeat totam Jutiam, & Bremenſem provinciam cum immunitate in freto præ aliis nationibus. Tum ſe ipſo inſcio & non conſentiente cum Auſtriacis haut tractaturum, modo Angli conjunctim cum ipſo in Germania rem gerant. Iſtud ſi adſpernetur Cromvellus, & haut eo ſecius manum ſerio velit negotio admovere, hæ conditiones proponendæ erant; ſi Regi auxilio adfit ad ſubigendam Norvegiam & Scaniam, ſe ipſi Bremenſem provinciam traditurum, Belgis non mediocri terriculamento futuram, ut tamen Danica Corona in alium transferatur. Ne tamen ſtatim de Bremenſi provincia concedenda legatus effutiret, qua velut magni momenti regione, ac opportuno inter Albim & Viſurgim poſitu, Rex carere nolebat, niſi pretio deſtructæ plane Daniæ. Cujus nunc commoda oſtendatur occaſio, Belgica claſſe in Luſitaniam profecta, & quia ſpes ſit, intenſo hiemis frigore viam in inſulas munitum iri. Socero Rex optabat totam Jutiam, etiamſi Cromvello pro ea Delmenhorſtanus & Oldenburgicus Comitatus ſit dandus. Cæterum quid facere conſtituiſſet Cromvellus, id brevi ſignificandum erat; quod longas morarum ambages Regis tempora non ferrent, tot hoſtibus ſimul imminentibus; nec Auſtriacis à ſe reſiſti poſſet, quamdiu cum Dano luctaretur. Alias ſibi cum Auſtriacis utcunque tranſigendum, ceſſa iisdem Boruſſia, id quod Angliæ, Belgisque inſigni præjudicio futurum ſit; etſi haut temere, ac non niſi ſumma neceſſitate urgente huc deſcenſurus ſit. Enimvero Cromvellus ad ſocietatem in Auſtriacos incundam pronum ſe quidem ferebat; ſed Rex antequam iſtos aggrederetur, prius ejusdem opera adverſus Daniam uti volebat, ea ſitus opportunitate gaudentem, ut à Svecia nil ardui negotii ſuſcipi queat, niſi iſta prius debilitata, aut conſtricta. Id autem inſtanti hieme fieri debebat, antequam alii & cumprimis Belgæ immiſcere ſe poſſent. Enimvero Cromvellus deſtinata Regis auſcultare, tempus extrahere, de conſiliis ſuis in Hiſpanos meditari, Regis deſideria frigide ad animum revocare. Cui tamen fati benignitas ad iſta magnam partem obtinenda ultro viam pandebat, cujus nomine præterquam Deo nemini quid debiturus erat.

Belga ratihabitionem pacti Elbingenſis extrahunt.

§. 87. Apud Belgas ratihabitio pacti Elbingenſis adhuc pendebat, quibusdam provinciis in iſtam conſentientibus, aliis *elucidationem* quam vocabant, deſiderantibus. Cauſa morarum erat, quod Belgæ proſpicerent, Danum in arma adverſus Svecos erupturum. Unde cum favore in iſtum propenderent, Svecis ad auxilia ferenda obligari nolebant. Tum & ſucceſſus armo-

1657.

1657. armorum Svecicorum captari adparebat, ut pro re nata his ſeſe objicere poſſent citra exprobrationem violatæ fidei recens datæ. Nam ſi hæc prævalere contigeret, probabile erat Belgas demum ad ratificationem deſcenſuros. Sed ſi Poloni, Moſco, Auſtriacis, ac Dano ſublevantibus potiores forent, haut omiſſuri erant operam ad Svecos Boruſſia dimovendos conferre. Qualecunque tamen amicitiæ documentum erat Gedanenſibus petitam pecuniam abnegaſſe, fœderisque Elbingenſis incluſionem amplecti ſvaſiſſe. Scribebatur demum ad Legatos in Boruſſiam, illuſtrationem exigerent certorum capitum, quam ipſi æquitati conſentaneam, & Sveciæ non minus quam Belgio utilem judicarent, circa quam concedendam Rex difficilis haut ſit futurus. Contra Dani eam ratihabitionem impedire ſtudebant, ſuccinente Beuningio, arctioris fœderis cum Belgis cupidi. Nam nil magis iſtorum deſtinata contra Svecos ſuffiaminare poterat, quam perſvaſio, pactum Elbingenſe à Belgis ratihabendum, & amicitiam cum Svecia firmandam. Cæterum ſuper iſta Belgarum tergiverſatione prudentes judicabant, ſecuta licet ratificatione Belgas haut eo magis omiſſuros clam Danum excitare, Svecorumque progreſſus ſiſtere, quamdiu hiſce vires idoneæ ſupereſſent. Iisdem proſtratis iſtos haut amplius negotium faceſſituros, ſi vel maxime nullum ipſis pactum cum Rege intercedat. Quod Principes atque Reſpublicæ actiones ſuas non tam verbis fœderum, quam rationibus ſui ſtatus metiri ſoleant. Capita porro, quæ in pacto Elbingenſi aliqua declaratione opus habere arguebantur, huc redibant; ut æqualitas, quam Belgæ ſibi circa vectigalia ſtipulati fuerant, ſolummodo intelligeretur de augmento poſt concluſum anno 1640. fœdus introducto, aut deinceps introducendo: circa quod augmentum Belgæ non amplius quam Sveciæ cives ſint onerandi. Ac ut conſtet, quomodo vectigalia in Svecia anno 1640. ſe habuerint, & quid augmenti nomine veniat, pacto velut perpetuam regulam inferendam taxam vectigalium anno 1640. die 4. Martii Nycopiæ factam; addito, ut illa æqualitas etiam porrigatur ad provincias Sveciæ adquiſitas, & deinceps adquirendas. Ut deinde illa æqualitas intelligatur de perſonis, mercibus & navibus nullo circa has diſcrimine, in Svecia non alibi extructæ ſint, ut tamen privilegiis navium in uſum quoque belli ædificatarum nihil derogetur. Quod autem peculiaria privilegia certis ſocietatibus & perſonis data in tractatu expreſſe reſerventur, id duntaxat conſervationem illorum jurium ſpectare; ut tamen illi, qui ſocietatibus hiſce continentur, pari modo cum aliis circa iſta augmenta habeantur; utque monoplium picis velut utrinque noxium abſcindatur. Denique incluſionem urbis Gedanenſis & amicitiam iſto pacto expreſſam durante hoc bello non ulterius porrigendam, quam ad commercia inter utriusque ſubditos exercenda. 1657.

Belgæ elucidationem pacti Elbingenſis exigunt.

§. 88. Ejusmodi igitur declarationem pacti Elbingenſis Legati Belgici à Rege quærebant, confirmantes Ordines Generales citra moram huc miſſuros non ſolum ipſius pacti, ſed & adjectæ illuſtrationis ratificationem. Quorum menti penitius cognoſcendæ Benedictus Oxenſtierna, Biærnclovius, & Cojetus cum iſtis congreſſi inter ſermocinandum cognoſcere tentabant, quæ circa unum & alterum extrema ipſis ſedeat ſententia. Simul „exponebant, Regi valde inuſitatum „videri, quod cum cedente præfixo „tempore Ordinum ratificationem ex„pectarit, nunc poſt tranſacta omnia „quorundam locorum declaratio pe„tatur, quæ ſat perſpicue ipſo pacti In„ſtrumento contenta & deciſa ſint. „Equidem prævertendis in futurum „controverſiis expedire iſta illuſtrari, „ac Regi cordi eſſe amicitiam ſuam „omni modo Ordinibus adprobare. „Graves tamen ipſi rationes eſſe, qua„re prius ratificationem pacti expe„ctet; præſertim cum ipſorum Ordi„num, ac Legatorum exiſtimatio in „eo vertatur, quod ipſo tractatu cum „horum mandatis collato iſte his con„ſpirare agnitus ſit, eoque nomine „publice gratiæ iisdem actæ. Ut ta„men in anteceſſum norint, quousque „petita elucidatio admitti queat, æ„quum Regi videri, ut proportio inter „Svecicas armatas, inermes, & pere„grinas naves taxæ vectigalium anno „1646. conceptæ inſerta obſervetur; „ſed in augmento, quod ex eo tempo„re acceſſit, nullo diſcrimine æqualitas „inter naves indigenarum & extero-

13. Febr.

rum

1657. „tum locum habebat. Eam taxam „anno proximo post fœdus Broemse- „broënse confectam; præsenti statui „adaptatam, & huic fini maximè ido- „neam, quod in ea tam importandæ „quam exportandæ merces æstimen- „tur, discrimine inter armatas & iner- „mes naves expresso: id quod in taxa *Nycopyng.* „vectigalium Nycopiæ anno 1640. fa- „cta non reperiatur, quæ imperfectum „opus sit, quod Dani tunc modera- „men vectigalium & directionem com- „merciorum sibi arrogarent. Socie- „tatum autem privilegiis, quæ ali- „quam prærogativam præ cæteris „Sveciæ civibus habent, aut in futu- „rum accepturæ sunt, hac æqualita- „te derogatum haut iri, nec Belgis „rationem esse ista quoque sibi depo- „scere, quod æqualitas nationibus „duntaxat in communi tribuatur, salvis „singulorum privilegiis. Postulatum „quoque de abolendo monopolio pi- „cis in congruum esse, & fastigio Regis „fraudi cedere; quod civibus nostris è „privilegio per Regem firmato jus „quæsitum sit, quod absque damno il- „lorum tolli non possit. Multarum „quoque viduarum & pupillorum ista „societate comprehensorum actiones „tam in venditionibus, quam portio- „nibus hæreditariis intuitu privilegio- „rum magni taxatas, quibus hac abo- „litione pretium decessurum sit. Sed „nec Belgis justam querendi causam „esse, quod majorem immunitatem „ostendere nequeant, quam alii cives „in universum, qui privilegia isti socie- „tati parta tolerare necessum habent. „Circa inclusionem urbis Gedanensis „Regem concedere, ut amicitia, de „qua pactum Albingense mentionem „facit, intelligatur duntaxat de cessa- „tione hostilium, & ut intra neutrali- „tatis limites se contineant, fidemque „adversus Poloniæ Regem in fraudem „Svecorum hoc duntaxat bello directa „aut obliqua via ne exserant, præstita „tamen prius Regi æqua satisfactione „pro illatis hoc bello injuriis. Cæterum „Regem paratum esse Belgis circa elu- „cidationem gratificari, modo prius „ratificatio pacti Elbingensis repræ- „sentetur. Contra Belgarum Legati in- „sistebant taxæ anno 1640. confectæ, quod tunc fœdus cum ipsis primo con- clusum, ac sibi de eo solo in mandatis datum sit. Sed nec commode se ad Or- dines super hoc negotio referre posse, quod metus sit, ne malevoli inde ansam arripiant negotium turbandi, velut queis omne prætextum quæratur ratificationi impediendæ. De monopolio picis se jam scripsisse, quam ægre id tolli queat; ad quod idonetum responsum expectent. Circa societates & privilegia declarabant; Belgas in posterum impedire Regem non posse, quo minus si videatur uni & alteri suorum civium privilegii quid indulgeat, modo ne tota Svecica natio in universum præter inæqualitatem, quæ anno 1640. respectu Belgarum fuit, aliqua prærogativa gaudeat. Circa inclusionem Gedanensium Regis sententiam probabant, ferentes, exercitium fidei in Regem Poloniæ intelligi tantum posse de judicialibus, appellationibus, & id genus aliis negotiis civilibus, non autem de hostilibus hoc bello durante in Svecos exercendis; addito sibi non aliter credi, quam Gedanenses nunc eam inclusionem, & inde promanantem neutralitatem acceptaturos. 1657.

Regis ad petita Belgarum propior declaratio.

§. 89. Persuasum porro Regi fuerat, abs se adductas esse rationes satis validas permovendis Belgarum Legatis, ut propositum terminum anni 1646. acceptarent, à quo æqualitas sit observanda circa omnia, quæ in augmento vectigalis ex eo tempore accesserint. Post pactum quippe Broemsebroënse telonia in Svecia primum rite potuisse disponi, quod antea ob immunitatem Danorum circa vectigalia in Svecia penes nos non fuerat. Nec ante id tempus discrimen aliquod inter naves armatas & inermes fuisse observatum; id quod deinceps utique conservandum sit, si Rex armatis civium navibus ad defensionem Regni necessitate requirente uti velit; præsertim cum ipsa Elbingensis conventio eum temporis articulum insinuet, quod expresse ibi ponatur, tempus ultimorum fœderum anno 1640. & 1645. observandum. Quia tamen Rex intelligebat, Legatis à præscripto temporis termino discedere integrum non esse, qui & per sermonem jecerant; à se nil nisi negotii promotionem quæri, quod valde remorandum sit, si obtinendis ulterioribus mandatis ad Ordines sit scribendum: igitur testando studio ad gratificandum ipsis quantum fieri possit, dictum terminum certis cum conditionibus acceptabat, ac formulam 27. Febr.

1657. elucidationis concipi jubebat juxta explicationem, quam Regii Commissarii circa omnia capita dederant. Enimvero quanquam Legati Belgici Regis rationes probarent; propter stricta tamen mandata sua non poterant in aliam formulam consentire, quam quæ ipsis ex Hollandia transmissa fuerat. Sed quia in hacce multa occurrebant, quæ absque indignitate, & Svecicorum civium summo damno concedi non poterant, Rex ut suas rationes Ordinibus Generalibus exponerent jubebat. Inseruerant quippe Belgæ formulæ suæ non modo taxam vectigalium anno 1640. Nycopiæ confectam, sed & ipsa circa vectigalia statuta; istique nunc pertinaciter insistebant. Quibus contra Rex demonstrabat, quantum id postulatum à ratione abhorreret, quod utique pacto Elbingensi disertis verbis Regalia jura circa vectigalium constitutionem & dispositionem utriqueſœderatorum reserventur; quod nunc insertis istis statutis adimatur. Quæ & ipsa multis defectibus laborent tum propter Danorum tunc in Svecia circa vectigalia immunitatem, tum quia tempus atque experientia hactenus multa docuerit, quæ tunc observata non sint. Sic eorum statutorum articulo primo disponi, ne quis exterus, qui merces exportat, ullum vectigal exsolvat, sed soli Sveciæ cives, qui merces vendiderunt; id quod magno cum civium nostrorum onere introductum fuerit ob Danicam tunc immunitatem. Quod onus una cum sua causa nunc merito cesset. Deinde magnam partem obliqua ratione Regi adimi potestatem discrimen aliquod circa vectigal faciendi inter extraneas & Svecicas naves, quod expresse pacto Elbingensi reservetur; quod hoc casu qui merces exportant, utpote fere exteri, suis popularibus vecturæ mercedem præ aliis procurare gaudeant, ac leviſſimo vecturæ pretio depacisci studeant, præteritis navibus Svecicis, ni & isti vectigali onerentur. Sic secundo articulo istorum statutorum discrimen statui non solum inter merces Svecicis aut exteris navibus importatas, quòd discrimen deinceps quoque mansurum sit; sed & circa dominium mercium, ad extraneos id, an ad cives spectet. Id quod gravet ob rationes in subsequentibus statutis abrogatum nunc iterum introduci haut par sit, præsertim cum Belgæ in omnibus æqualitatem tam circa personas, quam merces obtendant. Eorundem statutorum articulo quarto poni, quod Dani certificationibus instructi esse debeant, ne in privilegiis suis turbentur, quibus tunc in Svecia circa immunitatem à vectigalibus gaudebant. Quæ omnia pace Bræmsebroënsi abolita nunc renovari, ac publico instrumento inseri absurdum sit. Denique in taxa vectigalium non omnes merces expressas, quas tamen ad evitandas fraudes enumerari conveniat. Cæterum ipsi Legati fatebantur, sibi commodissimum videri terminum à quo, & taxationem vectigalis ab anno 1646. pro regula sumi, utpote qua hæc difficultates tollantur. Verum sibi stricte injunctum statutis anno 1640. conditis inhærere, ac illa ad verbum pacto velut normam inferere. Se tamen ad superiores relaturos. Reliqua capita itidem ad suam formulam mutari volebant; ac in articulo de Gedanensium inclusione omittendum esse, ut per Deputatos quamprimum Regi de acceptatione inclusionis significent, eidemque super cessatione hostilium caveant, & ut post conclusionem pacti Elbingensis super pensatione illatorum damnorum cum Rege tractent. Id quod ab hoc concedi non poterat, ne securitatem suam periculo exponeret. Simul dignitas ejusdem non ferebat istos ita nude altera vice tractatui includi, antequam de eorundem acceptatione constiterit. Et quia Gedanenses post pactum Elbingense hostilia exercere haut cessarant, indigni erant, qui istis conditionibus gauderent, ni declararent, quid satisfactionis pro illatis injuriis daturi sint. Ipsum autem inclusionis actum Rex non aliter intelligebat, quam ipsa verba exprimunt, præsertim ut Gedanenses in id fœdus haut admittantur velut socii, sed ut simplices amici, queis alterutrum ullo modo lædere nefas sit; ac ut fides erga Regem Poloniæ haut porrigatur ad talia, quibus amicitia cum Svecis & inclusio in fœdus Elbingense lædi queat. Super quo amicitiæ sensu mentem Gedanensium 1657.

priva

1647. prius cognoscendam esse, & quousque fidem erga Regem præsenti bello expromere velint. Saltem ad suspensionem armorum accedendum esse, de qua peculiari tractatu sit agendum, ubi & super satisfactione pro damnis post pactum Elbingense illatis sit conveniendum. 1647.

Belga ulteriùs circa elucidationem movent.

§. 90. Cæterum displicebat Belgis, Regem haut ex asse consensisse in elucidationem, qualem isti desiderabant, velut qui saltem promissum expectaverant de abolendo picis monopolio, tempore privilegii elapso. Quin ferebant, si Rex in eam protinus consensisset, Dani arma impediri, ac Gedano potuisse necessitatem imponi inclusionem in Elbingense pactum acceptandi. Enimvero Rex judicaverat; cum omnia ex mandato Ordinum conclusa sint, à ratione & moribus gentium abhorrere, pacto nondum ratihabito novum tractatum ordiri. Nam prius conventa ratihabenda, & executioni danda fuisse; tunc demum si quid scrupuli occurrat, super illustrando pacti sensu agendum: præsertim cum nunc de abolendo picis monopolio agatur, de quo inter tractatus mentio facta non sit. Etsi Belgæ hujus petiti haut aliam rationem attulerant, quam quod ibi commercia optime florebant, ubi illibata iisdem libertas circa coactionem constat. Aut hi re in deliberationem deducta decernebant, per Legatos Regi ostendendam, quoniam adpareat in articulis, quæ taxæ mercium Anno 1640. confectæ præmittantur, de mercibus in Sveciam importatis disponi, ac subsequentem catalogum illas tantum merces respicere, quæ è Svecia exportentur, necessum utique esse, super importatis mercibus certi quid conveniri. Potestatem subditos beneficiis afficiendi sese Regi adimere nolle; non posse tamen probare, eam per modum præcautionis pacto inseri, cum id in futurum abusibus ansam præbere possit. Denique circa inclusionem Gedani ulteriorem extensionem, quam quæ ipso tractatu continetur, admitti non posse. Nam verba ista: „Ita ut cessaret inter prædictam S. R. Majestatem & civitatem Gedanensem omnis hostilitas, jam omnem scrupulum tollere.

Regis ad ista declaratio. 18. Jun.

§. 91. His mandatis acceptis Belgici Legati formam elucidationis conceptam Regi Thorunium à Rageio reverso offerebant. Quibus Rex per Benedictum Oxenstiernam, & Biærnclevium demonstrabat; nunquam de termino dividendo propositum fuisse, sed in ipsorum arbitrio relictum, annum 1640. an. 1646. pro termino accipere velint. Sed & multa nova nunc infarcta, de quibus antea actum non sit, & quæ ad illustrationem pacti nil faciant. Ex quibus Regem non aliud perspicere posse, quam ab ipsis non conclusionem ejusdem, sed novas dilationes quæri, ac monstri aliquid ali. Ista cum prolixe istis demonstrata forent, nec hi quid reponerent aliud haberent, quam talia se mandata à superioribus accepisse, à quibus sibi discedere haut integrum sit, petentes, ut quantum fieri possit Rex ad ipsorum se rationes attemperaret; Rex quantum dabatur eorum petitis annuebat, quo Belgas à conjunctione cum suis hostibus retraheret. Unde formulæ hinc inde conceptæ, quibus inter se collatis nil amplius differentiæ deprehensum, præterquam in §. *Verum enimvero*, & §. *Quod si tamen quidam subditorum*. Eorum summa huc redibat. Quia Rex in omnia fere Belgarum desideria prioribus articulis consenserat, utilitatem ipsius exigere, ut in §. *Verum enimvero*, qui de armatis navibus agit, probe sibi caveat, ne sibi circa illas præjudicium inferretur. Igitur postulabat Rex, ut illa verba *quibusdam navibus specialem quandam immunitatem concessam*, quæ initio ejus §phi extant, in fine ejusdem ita explicarentur; *sed immunitas & privilegia talibus navibus concessa in pleno suo vigore permanebunt*. Belgici Legati præter hæc verba; *talibus navibus concessam*; id quod Regi valde suspectum videbatur. In §. *Quod si tamen quidam*, vocabulo *cæteris* offendebantur, quod nullo modo ferre volebant. Horum scopus toto hoc paragrapho erat, ut Belgici subditi tales manerent, & tamen in Regno Sveciæ privilegio fruerentur, armatas naves exstruendi, ac privilegiis huic navium generi concessis gauderent. Regis autem mens erat, ut si qui Belgicorum civium omni modo se velint attemperare legibus & conditionibus, quæ à dominis navium armatarum requiruntur, & inprimis ut in Svecia domicilium figant, & præstent, quæ privilegia requirant, id liberum ipsis sit, pari-

1657. parique cum aliis Sveciæ civibus jure fruantur. Aſt ſi Rex Belgarum poſtulato annueret, id abſurdi conſequebatur; ut Belgici ſubditi conſpiratione facta querceta Sveciæ exhaurire, ac multitudine navium ſuarum armatarum Svecicas naves armatas navigatione excludere, planeque infructuoſas reddere poſſent: eædemque Belgicorum naves prærogativa circa immunitatem vectigalis, armatis in Svecia navibus indultam, fruerentur, Regemque adeo redituum ſuorum parte privari; ac haut eo ſecius bello ingruente Regis ſe miniſterio ſubtrahere poſſent; ut Regem ab iis, quos locupletarit, nil niſi damnum & ludibrium emolumenti loco maneat. Iſta cum à Rege illis demonſtrarentur, nec iidem, quid exciperent, præter defectum mandati haberent, Thorunio diceſſere, ad ſuperiores ſe candide iſta relaturos & in Germania Regem forte iterum adituros, ferentes. Rex Appelbomio, ut iſta Ordinibus Generalibus exponeret, injungebat; rem jam paulo minus, quam plene, confectam: ſed maximam ſuam in eo utilitatem verti, ut armatarum navium privilegia ſalva ſint, quæ ſtare nequeant, niſi *ſalvis dictis paragraphis*. Nam æquum eſſe, ut qui ſentit incommodum, etiam commodum ſentiat; ac ſi Belgæ omnia ſibi utilia obtinuerint, Rege ab omnibus ſuis commodis excluſo, ſocietatem leoninam fore. Igitur ſi nunc contenti eſſe nolint, ſatis adparere, ipſos obtentu elucidationis pactum eludere velle. Quod ſi Belgæ quidam privilegiis armatarum navium in Svecia frui velint, jus civitatis in Svecia iisdem obtinendum. Ad quæ reponebant Hollandi: ſe malle cives ſuos, ſibi retinere, quam ut iſti bello forte inter ſe & Sveciam orto ſuis navibus adverſus patriam uti queant. Quibus Sveci longe plauſibilius occurrebant: ſi ſecus fieret, Regem beneficia ſua contra ſe ipſum impenſurum, ac licentiam conceſſurum, privilegiis ſuis adverſus ſeipſum abutendi. Nec ſane negare poterant Belgæ, Regem ipſis circa omnia gratificatum, quantum rationes Regni ſui paterentur. Qui & non amplius repugnabant, quo minus anno 1646. *termini à quo* ſtatueretur, id quod Rex contenderat. Nec eo minus ratificationem extrahebant, tum ne Danis animum adimerent, tum ut Svecicas naves terrerent, quo minus mari ſe committerent, ut ipſi ſoli navigatione potirentur. Etſi Zelandi, Friſii, & Groningani jam ratificationes ſuas exhibuiſſent, ac Hollandi jactarent, ſe Elbingenſe pactum pro ratihabito ducere, ut pro captu rerum aditum ad amicitiam Regis retinerent. Quos & Gallus per Legatum Jacobum Auguſtum Thuanum ad ratificandum id pactum impellebat. 1657. *De Thou.*

§. 92. Enimvero quicquid Rex Belgis indulgeret, incaſſum cadebat, prævalente in Sveciam odio, per quod Beuningius ſubinde Danos ad bellum iſti inferendum ſtimulabat, velut quod citra ullum periculum in præſens fieri poſſit. Idque literis ſuis ad Belgas Rex Daniæ aperte profitebatur, eoque ipſos teneri auxilio ſuo ſublevare, quem iidem in id bellum animaſſent. Ac Beuningius hoc quoque nomine bellum inter Svecos & Danos Belgio proficuum cenſebat, quod intuto mari commercia per ſolas Belgarum naves exercenda ſint. Cæterum erumpente in arma Dano Rex per Appelbomium Danorum injurias demonſtrabat, auxilia ex fœdere Brœmſebrocenſi poſtulans; ad quæ Belgæ eo magis teneantur, quod Svecis tunc in proclivi fuiſſet longe lautiores à Danis conditiones exprimere, ni Belgarum voluntati obtemperaſſent, Daniæ conſervationi ſtudentium. Adjungebantur deſtinata & artes Auſtriacorum Poloniam ſibi adquirendi, ſimul eo ipſo pedem ad Mare Balticum figendi, ingenti olim periculo Belgicis commerciis ceſſurum. Quorum conſilia Dani occœcante in Svecos odio foveant, ſuo ſibi jumento malum arceſſituri; cum ea deſtinata, ubi ſucceſſu potiantur, ipſi Daniæ olim exitium adferre poſſint. Inde à Dano acta exponeret, ac uti is bellum orſus ſit abreptis tribus in freto navibus, quarum vectores Svecicos partim occiderit, reliquos incaptivitatem redegerit. Si Danorum fautores repreſaliarum vocabulo id factum excuſatum eant, ita reſponderet: repreſalias locum habere, ubi jus denegatur: Regem autem non abnuiſſe Danis juſtitiam adminiſtrare circa ipſorum gravamina, quæ juſta reperiantur. Sed nec Danum antea queſtum fuiſſe, nec de iſtis, quæ nunc jactentur, læſionibus Regi conſtitiſſe; ſicut adhuc in quæſtione ſit, num Danorum

Belgarum in bello Danico adverſus Sveciam habitus.

11. Jun.

queri-

querimoniæ veritate nitantur. Quin nec Svecis deesse, quæ de Danis querantur, quorum pariter ratio sit habenda. Ac ejusmodi lites per Commissarios in limite Regnorum dirimendas; de quo Dani Durellio digredienti spem fecerint. Quod si & considereretur absurda Danorum in Bremensem provinciam prætensio, & quam duriter iidem Ducem Gottorpiensem habeant, cui utique cum certificationibus nil negotii sit, facile apparere, Danos non represalias, sed bellum agitare. Sane Danum pensationem, quæ pro eo præsulatu offerebatur, remisisse; ac eo ipso Christinam legitimam dominam ejus regionis agnovisse, dum eidem in causa adversus Bremensem civitatem documenta communicarit ad astruenda Archiepiscopi in eam jura. Gottorpiensem Ducem paci Westphalicæ & Brœmsebroënsi comprehensum, cui Rex velut primarius paciscens guarantiam debeat, præsertim cum ipse ejusque ditio Sveciæ amicitiæ pœnas det. Igitur ex fœdere Belgas auxilia poscere, quod per Regem non steterit, nec adhuc stet, quo minus pactum Elbingense firmetur, modo absurda, Sveciæque noxia postulata circa elucidationem omittantur. Si ad auxilia ferenda permoveri nequeant, saltem Dano ne adsisterent, ac neutrarum partium essent. Ut Belgis invidiam abstergeret, velut privato sermone jaceret; Regi non tantopere Borussiam cordi esse, qua facile carituras sit, si ejus loco Scaniam & Norvegiæ partem nanciscatur; quo casu nil vectigalis in Oresundæ sit prætensurus. Quod si Regi contra Daniam adsistere velint, insignia commoda circa commercia illis in Borussia pollicetur, oblato in cautionem castello Haupto, ut ibi pedem figere queant. Si Gedanenses hisce se opponant, Regem Weixelmundæ expugnandæ operam navaturum, quæ Belgico præsidio obtinenda sit, quoad per tutam cum Polonia pacem ipsorum rationibus circa commercia cautum sit. Sed & iisdem parem cum Svecis immunitatem in Oresunda curaturum. Quæ uti vix obtentum iri spes erat per rationes ejus Reipublicæ; ita istorum Legati apud Regem multa de sincero suo animo testabantur, graviter questi, privatos apud se homines contra Reipublicæ voluntatem & utilitatem Dano auxilia subministrare. Contra Beuningius omnem lapidem movebat incitandis Belgis ad arctiorem cum Dano conjunctionem ineundam. Ac Dani, quo Belgas in Svecos irritarent, inter alia comminiscebantur; à Svecia proficuas Daniæ, Belgio noxias conditiones sibi offerri, quas demum amplexuri sint, ni Belgæ in partes suas transeant. Qui tamen haut eo magis aperte bellum sumere audebant, suspecta Anglia, & quod cum Gallis tunc parum ipsis conveniret. Amstelodamensis tamen civitas privatis quibusdam naves suas bellicas locabat, quas hi postea Danis commodabant, jactantes, id cuique liberum esse; si Svecis pecuniæ copia sit, ipsis quoque nonnullas conducendi facultatem fore. Cæterum Belgis ars erat armis abstinere, ac vicinos inter se committere, quo ipsis solis commercia exercere tutum foret. Ista porro animorum adversus Sveciam ægritudo apud Belgas præcipue concepta erat è Corn. Ulfeldii negotiatione, qui ipsis persuaserat; Danis commerciorum libertatem valde cordi esse, Svecos contra omnia Maris Baltici commercia cum hujus dominio in se trahere conniti. Tum quia Sveci bello Anglicano Belgis assistere noluerant, Dani, dum id promte faciunt, haut parum in istorum animos irrepserant. Denique primi progressus Regis in Polonia & Borussia incredibili invidiæ æstu Belgas afflaverant, quæ mitigari non poterat, nisi restituta Borussia, aut ni Galli, Anglique validis auxiliis Regem fulcirent. Unde aperte jactabant Belgæ; satis se nosse, à se Svecos ita offensos, ut vix amicitiæ reparandæ locus supersit. Igitur omni modo istorum progressus destruendos, eosdemque ita enervandos, ut ab eorum ultione nil sibi amplius metuendum sit. Tantum aberat, Sveciæ ab istis auxilii quid expectandum esse, præsertim si animadvertant, à Rege partem Daniæ affectari, quod eorum tantopere interfit, ne unus quispiam in Mari Baltico prævaleat. Quicquid rationum in contrarium occineretur, inane erat: guarantia pacis Brœmsebroënsis velut fabula accipiebatur, libelli Appelbomii, super Amstelodamensibus Dano necessaria bella suppeditantibus querentes, responso indigni habebantur.

1657. §. 93. Inter hæc novus caſus animos Belgarum non parum exulcerave-
Lis ſuper interceptis Appelbomii literis. rat, quod Dani paulo ante, quam in bel-
lum erumperent, literas, quæ Hamburgo Holmiam perferebantur, intercepiſſent, inter quas & Appelbomii ad
29. Jun. Senatum Svecicum repertæ. Eas reſignatas, ac paſſim interpolatas in Belgicum idioma verterunt, Legatisque Belgicis Hafniæ agentibus tradiderunt, qui eas Hagam miſere, typis inde publicatas. Iſtæ in Ordinum conſeſſu recitatæ magnum ſtrepitum excitabant; acea cumprimis verba offendebant; *ſi ſat pecuniarum foret, multos ſe ſibi amicos conciliaturum non exiguo Svecicæ cauſæ fulcro*: & quod *Danus, Hiſpanusque multos argento corrumperet.* Exiſtimationi enim ſuæ gravem maculam adſpergi, ſi pecunia corrumpi poſſe crederentur. Unde communicationem cum iſto abrumpere decreverunt. Contra Appelbomius *non id diſputandum* eſſe contendebat, *an vera ſint, quæ ſcripſerit; ſed num cuipiam præterquam Regi de ſuis literis rationem reddere teneatur. Ea literarum publicatione jus gentium læſum; & id exemplum peſſimi ſane moris in alios quoque recidere poſſe.* Eoque poſtulabat publice declarari, id factum Ordinibus diſplicere; præſertim cum literæ ſint interceptæ ante bellum indictum, ac à Danis dolo malo interpolatæ. 17. Aug. Aſt Ordines Generales iſti viro eo præcipue nomine infenſi, quod omnia eorundem arcana expiſcari calleret, multisque ex ipſorum numero familiariter notus eſſet, occaſionem hanc arripiendam ducebant iſti amoliendo: eoque literas ad Regem dabant, queis acriter ipſum arguebant, velut qui injuriis & contumeliis refertas literas in ipſos ac ſuam rempublicam ſcripſerit, ineptum & inutilem eum declarantes, qui excolendæ deinceps veteri inter Sveciæ Regnum & uniti Belgii Rempublicam amicitiæ adhibeatur, ſerio & enixe rogantes, ut Rex quamprimum eum inde amoveat, ac pro admiſſo facto caſtiget. Quod muneri ipſius repugnet, velut qui per fiduciarias literas operam dare tenebatur conſervandæ inter Regem & Rempublicam amicitiæ, cum nunc iſte relationibus ſuis animos alienet. Enimvero Appelbomius defenſioni ſuæ inſiſtere: *ſi vel maxime à ſe peccatum ſit, ſe tamen ſoli Regi ad reſpondendum teneri. Equidem aliquando extraneorum quoſdam literas reſignari, ut ipſorum indoles & ſtudia perſpiciantur. Ita à Guſtavo Adolfo miſſum in Gallia egiſſe Laurentium Nicolai Secretarium, qui negotium ſibi commiſſum apud Richelium Cardinalem expedire non poterat, difficilem aditu, verbis obſcurum. Cardinalem igitur, ut noſſet, quid iſte Regi ſuo de ipſo referret, aliquando literas ejusdem intercepi juſſiſſe, in quibus commodum ea verba occurrebant:* Cardinalem deceptorem eſſe, nec viſu facilem, nec dictu affabilem quicum tractari non poſſit. *Sed Cardinalem tantum abfuiſſe, ut mali quid eo nomine ipſi inferret, ut potius prompto & optato cum reſponſo eundem dimitteret, inſigni quoque dono muſtum. Ipſos quoque Belgas anno 1628. Ludovici Camerarii literas reſignaſſe, quibus ea verba* extabant: unicam heic proh dolor eſſe cynoſuram proprium commodum; *nec ideo tamen offenſa quid in illum oſtendiſſe.* Appelbomius inde libellum memorialem Ordinibus exhibebat, quo querebatur, quod Dani omnia commercia in Sveciam intercludere conentur. Ad quem iſti nihil reſponderunt, cauſati, ab ipſo ſe literis interceptis injuria affectos. Ipſe Rex ſcriberet, ſi quid à ſe deſideret Appelbomius contra teſtari; „Se nec auditum, nec de-
„fenſum; eoque nondum conſtare,
„an injuriam ipſis intulerit. Potuiſſe
„Danos ſuam manum imitari. Latius
„quoque porrigi iſtas literas, quam
„quo pertineant. Quin plane negare,
„illas literas ſuas eſſe, quæ typis
„impreſſæ ſint. Debuiſſe ſe utique
„notare obſtacula amicitiæ inter Sve-
„cos, Belgasque, eoque nihil ab offi-
„cio ſuo feciſſe alienum. Sane dixe-
„rit; Danos pecunia multum contra
„Svecos efficere. Atque verum id
„rem ipſam docere, dum Dani dele-
„ctus omni favore promoventur, cui
„præter adparatum bellicum tria ſo-
„ciorum navalium millia Amſtelodamo miſſa ſint. Sed nec dona dare
„ſemper illicitum, cum id quandoque
„recte fieri poſſit. Apud ipſos edicto
„anno 1650. Kalendis Julii promulga-
„to juberi quemlibet, qui munus pub-
„licum obtinuit, jurare, ſe nihil dire-
„cte vel oblique eo nomine dediſſe,
„aut promiſiſſe. Quod juramentum
„cum hac exceptione tacita, aut ex-
„preſſa præſtari, *in quantum obſervetur, quod jurant.* Id autem juramen-

1657.

1657. „tum Conſiliarios ſtatus, Cameraque „Rationum, & Ammiralitatis Aſſeſſo„res præſtare: etſi ipſi Ordines Gene„rales ab eo juramento ſint immunes. „Porro injurias æſtimari proferentis „animo. Atqui ſe non ſcripſiſſe infa„mandi animo, ſed ut Senatum ſecreto „informaret. Danos interceptis lite„ris nondum indicto bello jus gen„tium violaſſe. Cæterum quod ita aſpere heic agerent Belgæ, prudentes hanc cauſam judicabant, ut provincia Hollandia, Svecis cumprimis infenſa, Regem ad ultionem irritaret, quo anſam arriperent, Belgicam Rempublicam Dano adverſus Sveciam illigandi. Tum ut hæc exemplum ſtatueret tam pro Deputatis aliarum provinciarum, quam pro extraneis Miniſtris, quantum ipſa valeat, eosdemque abſterreret, ne quid ſcribant ipſi diſpliciturum. Acſpes erat id impune fore, Rege à tot hoſtibus cincto.

Rex Appelbomium tuetur.

§. 94. Aſt Rex jam antea ſat ægro in Belgas animo horum literas inſolentiæ plenas judicabat; eoque miniſtrum ſuum enixe defendere è dignitate ſua cenſebat. Igitur Belgarum Legatis declarabat: „Non poſſe non ſibi „inopinum accidere, miniſtrum ſuum „publicum, ſanctioris juris præſidio „munitum, & amicitiæ veteri exco„lendæ hactenus indefeſſo ſtudio ope„rantem tali perſecutionis genere „apud amicos & fœderatos ſuos vexa„ri, his potiſſimum temporibus, qui„bus alacriter exſerta amicitiæ docu„menta bono publico haut parum „prodeſſe queant, Ordinesque Gene„rales ejus ſtabiliendæ & amplifican„dæ ſtudium per Legatos ſuos quam „maxime præ ſe ferant. Non equidem „nunc primum ſibi innotuiſſe, quid in „miniſtros ſuos perpetratum ſit: ſed „credidiſſe tandem modum & finem „ei rei ſtatuendum, melioresque ali„quando vices expectandas; nec eous„que prævalituros, qui ſemina diſcor„diæ inter amicos ſerere, & pernicioſa „conſilia miſcere ſtudeant. Se tamen „effectus ſpei ſuæ plane contrarios „expertum; miniſtros ſuos ſive con„ducendi militis, ſive alterius negotii „cauſa in Belgium miſſos non modo „circa ſibi commiſſa omni modo ſup„plantari, ſed & quosdam carceri „mancipari, ac velut ab inimicis ve„nientes haberi. Cum contra hoſtes „ſui omni favore ſint promoti, eorum „militiæ conducendæ complores cer- 1657.
„tatim velificati, commerciis ipſorum „tempeſtive proſpectum, munitioni„bus eorundem miles immiſſus, qui „armis ultro illatis non parum mole„ſtus ſibi fuerit. Subditos quoque ſuos, „& primores miniſtros in conſpectu „claſſis Belgicæ captos, plane contra „indolem veræ amicitiæ, Legatorum„que conteſtationem, ac fœderum le„ges. Cum quoque præſens bellum à „Dano præter idoneam cauſam ſit ſu„ſceptum ſeu libidine vindictæ, ſeu „vanæ temeritatis Gloria, ſeu quia alli„bi diſtrictæ Sveciæ nudum latus ex„promendo inolito odio opportunum „videbatur; à Belgis vi pactorum talia „auſa non modo non fuiſſe impedita, „ſed potius Regem Daniæ literis non 3. Jul.
„ita pridem ſcriptis profiteri, à Belgis „ſe in arma incitatum. Sane Belgicos „Miniſtros tam pernicioſum rebus „Proteſtantium bellum ſi non ab ini„tio ſeviſſe, ſaltem calidis conſiliis ſuis „foviſſe, & oleum incendio addidiſſe. „Sibi non conſtare, iſta publico om„nium, an paucarum provinciarum, „an privato quorundam inſtinctu pa„trata; cum ipſorum Legati, qui ſe„cum negotiati ſint, alia plane verbis „præ ſe tulerint. Huc accedere, quod „cum hoſtes ſui præter morem ſupe„rioribus bellis obſervatum tabella„rium publicum ſpoliarent, literasque „ejus perſcrutarentur, id factum non „modo Belgis probatum, ſed & litera„rum apographa communicata, ac in „idioma ipſorum adſcitis alienis ac „plane falſis male verſa, ac ad majus „ludibrium typis vulgata, non alio ut „adparet fine, quam ut miniſtris Re„giis præſcribatur, quomodo dein„ceps munere ſuo non ex Principum „ſuorum præſcripto, ſed ex alieno nu„tu fungi teneantur. Sibi contra per„ſuaſum, miniſtri ſui actiones à ſuis „mandatis pendere. Quin ſi quis recte „eas literas expendere velit, eas nihil „continere, quod tamen acerba repre„henſione dignum ſit. Nam beneficiis „alienos cives devincire apud omnes „moratiores gentes, ipſosque Belgas „uſurpatum. Vera autem ſi ſcripſerit „Appelbomius, id quod eum feciſſe „eventus oſtendat, non eſſe quod ejus „opera damnetur, quem & ſibi ſolli „citionum rationem reddere, nec ex „alieno arbitrio modum muneri mi„niſtrorum Regiorum ſtatui par eſſe;

nec

1657. „nec jus & æquum admittere, rem ſi- „mul ad ſe rejicere, & eundem amo- „vendum & caſtigandum judicare. „Cum igitur & injuriis ſupra enumera- „tis amicitia non parum violata ſit, „& iis literis divulgatis Reſidenti in- „gens contumelia illata, velut tantam „exiſtimationis læſionem perpeſſo, „antequam cum eo amice diſceptatum „fuerit, poſthabita moratiorum gen- „tium erga Legatos veneratione & „ſanctimonia: igitur ſe jam Legatis „Belgicis denuntiare, graviter ſe mini- „ſtri ſui famam violatam ferre, ac „poſtulare, ut iſti ab Ordinibus gene- „ralibus liquidam & ſcripto conce- „ptam declarationem protinus flagi- „tent, num Appelbomium contenti ſua „circa proprium miniſtrum diſpoſitio- „ne amplius apud ſe tolerare, an verò „eundem repudiando inſinuare velint, „talibus ſpeciminibus initium fieri „abrumpendæ amicitiæ, quæ à tot „retro annis Sveciam inter & Bel- „gium Fœderatum floruit. Et quia Or- „dines generales iſtum ineptum & in- „habilem pronuntiarint, eoque ip- „ſum ſuo velut munere exuerint, non „iturus Legatos Belgicos, quod & „ſibi nulla deinceps cum ipſis commu- „nicatio futura ſit, antequam conſtet, „Appelbomium accepta prius juſta „ſatisfactione priſtinæ dignitati reſti- „tutum debita munia ſuo nomine in „Belgio exſequi. De cœtero ſe ad ami- „citiam cum ipſis colendam paratum, „modo corrigantur hactenus in leges „ejusdem admiſſa, ac rejectis eorum „conſiliis, qui diſcordiam ſerere amant, „pari officio ſibi reſpondeatur. Ea de- claratio Belgicis Legatis, qui Flens- burgum ad Regem acceſſerant, ſcripta tradebatur. Svaſerat Regi Appelbo- mius, ut hac rerum facie anſam arri- peret præteritas cum Belgis offenſas ſopiendi, veteremque amicitiam in- ſtaurandi, Legatis ipſorum, qui offe- rendo ſequeſtris officio veniebant, blande exceptis literisque humaniſſi- mis ad ordines generales, & Provin- ciam Hollandiam ſcriptis. Enimverò id Regi diſplicebat, incaſſum con- ſumta hactenus apud iſtos omni hu- manitate; qui & indies intolerabiles magis evaſerint, veteres moleſtias novis ſubinde cumulantes: ut tandem neceſſitas ſibi impoſita ſit ſua ipſis fa- cinora in os exprobrandi. Et nunc parum decere videbatur abjecta con- ſilia capeſſere, nullo adhibitæ mode- ſtiæ fructu. Ac ſi boni quid ab iſtis expectandum foret, dudum iisdem occaſionem & cauſam fuiſſe alio ſe- cum modo agendi quam ut injuriis continuandis patientiam ipſius expu- gnarent. Igitur haut viſum Regi blan- ditias incaſſum prodigere; præſertim cum vel bello publice indicto Belgæ non plus nocere ipſi poſſent, quam hactenus fecerant. Ac literas Appel- bomii vel ideo excuſare indecens ha- bebatur, quod res utique ita ſe habe- ret: nec Regi vera inficiari placeret. Ea Regis declaratio Hagæ divulgata omnes Legatos magno gaudio perfun- debat, quod tam illuſtri exemplo de Principum ſuorum patrocinio ſibi ca- veretur. Belgis tamen id durum ni- mis videbatur ob Appelbomium Le- gatos ſuos non admitti. Illum quippe noxium, hos nullius delicti argui; il- lum Reſidentis, hos Legatorum ex- traordinariorum dignatione eſſe: illius libellos duntaxat non admiſſos, his omnem communicationem abnega- tam. Ad quæ à Rege reponebatur; *Se ſolum & idoneum judicem Appelbo- mium innocentem declarare, ac jura Le- gatorum paria eſſe: ſimul non leve diſcri- men eſſe inter Miniſtrum Regis, & ejus Reipublicæ, quæ ante hos triginta annos adhuc ultro Electoribus ceſſerit.* Super iſta Regis declaratione cum in Con- ſeſſu Ordinum generalium referetur, Hollandi pro ſententia dicebant: oppo- ſitam iſti declarationem eſſe concipiendam, & ad Legatos ſuos mitten- dam, in qua, ſilentio præteritis que- relis contra ipſos productis, ſola cauſa interceptarum deducenda ſit, & quan- topere à proportione debita Rex diſ- ceſſerit, dum Reſidentem cum tribus Legatis extraordinariis pari claſſe cen- ſet; cum iſte ab hac Republica culpæ obnoxius habeatur, illi autem in Re- gem nihil deliquerint, iidemque Rei- publicæ perſonam repræſentent, quod in Reſidentis dignationem non cadat. Regem quoque illos non admittendo omnem communicationem cum hac Republica abrupiſſe, cum alii Regis miniſtri grati ſibi habeantur, iſto ſolo excepto, qui tamen hucusque auditus ſit. Itaque huic quoque omnem com- municationem negandam, quoad in- tellexerint, Legatos ſuos debito cum honore in integrum reſtitutos, Re- gemque ad querelam ipſorum de Ap- pelbo-

1657.

1657. pelbomio ſtatuiſſe. Addebatur, ut Legati ipſorum, dum pactis Elbingenſibus ſumma manus imponitur, incluſionem Daniæ poſtulent: cui conſequens ſit, ut hoſtilia utrinque omittantur. Id ſi Rex abnuat, concluſionem tractatus declinarent, aut ſaltem ratificationem differrent. Quia tamen huic clauſulæ Geldri, Zelandi, & Friſii intercedebant, in vicem incluſionis Daniæ in pacta Elbingenſia placebat, Legatos, dum elucidationis actus concluditur, declarare: hunc quidem tractatum à tempore ſubſcriptæ elucidationis obligationem introducere, ut tamen ea obligatio in futurum duntaxat intelligatur, nec ad ullum negotium, quod ante ſubſcriptionem originem ceperit, porrigatur. Quo ipſo guarantiam, quam Regi è prioribus pactis adverſus Daniam præſtare tenebantur, circa præſens bellum eluſum ibant.

Belgæ Regi circa Appelbomium ſatisfaciunt

§. 95. Accedebant inde Belgarum Legati Wismariam, Regi declarationem Ordinum oblaturi, ac ſermone latius deducturi. Quam Rex, antequam eos admitteret, inſpicere cupiebat. Sed ea multis modis iſti diſplicebat, aculeatis dictis referta; in qua & Ordines titulum ſuum Regis titulo præpoſuerant, eademque maculis alicubi fœdata adparebat. Igitur Rex eam per Cojetum iſtis redhibebat, negata admiſſione. Ea res Belgas non mediocriter mordebat, & jam de legatis ſuis revocandis deliberabant. Sed poſt expugnatam Friderianddam haut parum ferociæ iſtis deceſſiſſe ſentiebatur. Unde per Legatos ſuos Regi offerebant; ſi ipſos velit admittere, ſe Appelbomio idem facturos, abolita præteritorum memoria; nec jam amplius deſiderare, quam ut Appelbomius à Rege innocens declaretur. Nam metuebant, ea munitione amiſſa, ne Danus ad duram pacem adigeretur, cujus leges ipſi ſua interpoſitione temperare cupiebant.

18. *Nov.* Sic ergo Belgarum Legati à Rege admittebantur, poſtquam promiſiſſent, Ordines Generales lubenter Appelbomium toleraturos, ſi Regi placuerit, eumque jam eo ipſo in Hollandia reſtitutum eſſe. Hac admiſſione Hagæ nuntiata Appelbomius libellum Ordinibus offerebat, qui more ſolito acceptatus, ac in conſeſſu Ordinum prælectus fuit; ac denuntiabat ipſi Joannes Wittius, litem cum ipſo jam plane expiraſſe. Haut tamen viſum eo nomine publice apud Ordines admiſſionem petere. Cæterum palam differebat Wittius: quæ pro alterutro Rege aut contra à ſe fierent, non amore aut odio, ſed proprium ob commodum fieri æquilibrio inter illos tenendo: nec rationes ſuæ Reipublicæ ferre, ut Rex Sveciæ Daniam opprimat. Ac ſpem eſſe in hoc propoſito Galliam ſibi, & Angliam adſtipulaturas. 1657.

Rex Belgarum mediationem repudiat.

§. 96. Belgarum Legati ita admiſſione potiti Ordinum officium componendo bello cum Daniæ Regi offerebant. Ea res enim ipſis cordi eſſe cæperat, poſt, quam Dani Martem tam advertſum experirentur. Iidemque & Thuanum ſubornarant, ut Gallos ad eandem operam navandam ſtimularet. In quam & hi proni erant metu, ne Svecus Dania ſubacta propriis deinceps viribus ſubſiſteret, Gallia inſuper habita. Aſt Rex Belgas Sequeſtres acceptare abnuebat, quoad hi pactum Elbingenſe firmaſſent, ac uti caverent; id officium ſe candide obituros, nec uti Brœmſebröæ ſeparatum tractatum concluſuros in fraudem Sveciæ. Quam ob cauſam & Rex circa elucidationem ſubſiſtebat, quoad ratificatio pacis Elbingenſis tradita foret, ut noſſet, amici an hoſtes eſſe vellent Belgæ, poſtquam Wittius ita ingenue profeſſus erat, Daniæ oppreſſionem à ſe ferri non poſſe. Circa elucidationem porro Senatus Sveciæ cenſebat: non poſſe Regem Belgis gratificari circa armatas naves, quarum maximus ſit uſus, quod iſtæ adverſus Turcas & piratas ſecure navigare queant, inermibus navibus admodum infeſtas, præſertim cum præſidiariæ naves tempeſtatibus facile ab inermibus ſeparari queant. Sed & inſolens eſſe; Belgas ſupremo Principi velle præſcribere, quid in ditione ſua ſtatuendum ipſi ſit. Judicabant etiam, quamdiu Sveci in Mari Baltico prævalerent, Belgas nihil ſervaturos eorum, quæcunque concluderentur, nec Sveciæ vel hilum auxilii laturos, & hanc elucidationem tantum inventam extrahendo negotio. Contra Belgæ circa elucidationem ita decernebant: ſe probare quæ legati ſui fecerint, velut mandatis congrua. Differentias reſtantes tribus capitibus contineri. Quod primo Sveci velint potulenta externa in indicem mercium externarum referre, id facile annuebant.

1657. Quod autem Sveci metuebant, ne naves ſuæ armatæ per petitam à Belgis extenſionem plane infructuoſæ reddantur, id evitari poſſe, ſi taxa vectigalium Anno 1640. obſervetur, ubi armatis navibus præ inermibus tertia vectigalis pars remittebatur. Denique & in hoc conſentiebant Belgæ, ut ſoli Sveciæ cives armatarum navium privilegio gauderent. De cætero oſtendebant, concluſo elucidationis actu ſtatim ſe pactum Elbingenſe ratihabituros. Etſi revera ratificationem ad finem usque belli differre cuperent; de quo apud ipſos Dani quoque inſtabant.

Belgæ Danis favent. §. 97. Cæterum non erat, quod Belgæ frontem contraherent, officio ſuo à Rege repudiato. Nam & ipſi Sveciam ſequeſtrem Anno 1652. cum Anglia & Luſitania rejecerant; ac manifeſtum eorum in Danos ſtudium pellucebat. Quin & jam decreverant, ſe refractarium ad pacem amplectendam compulſuros; quo non obſcure Svecis arma minabantur, ſi placitas ipſis conditiones reſpuerent. Et cum Cromvellus ipſos ad ſeparatam inter Svecos & Danos pacem curandam hortaretur; iidem hac lege iſtam volebant, ut ablata utrinque reſtituerentur; ac ſi Svecus plus ultra tenderet, armis compeſcendum. Dani quoque Belgarum officium ea lege acceptaverant, ne quid inde deſideratis auxiliis decederet. Eo tempore Legati Belgici è Dania Beuningio ibi relicto domum reverſi memorabant; quando primum eo venerint, bene Danis & Svecis inter ſe conveniſſe, ac parum transactioni inter iſtos defuiſſe. Sed cum ipſi Danorum aures impleviſſent jactatione arctioris fœderis, & ingentium claſſium in Mare Balticum mittendarum, alia iſtos conſilia cepiſſe, ac tractationem cum Svecis abrupiſſe. Id tamen præter intentionem ſuam commodi Svecis tunc conciliabant Belgæ, quod urbis Monaſterienſis defenſionem adverſus Præſulem ſuſciperent; cum alias metuendum eſſet, ne iſte ea urbe potius copias in Bremenſem ditionem effunderet; cujus & Miniſtri cum Danicis Hagæ valde familiariter agebant. Gedano quoque, cui nil amplius periculi à Svecis imminebat, olim ſubmiſſæ à Belgis copiæ domum revocabantur. 1658.

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM
A
CAROLO GUSTAVO
GESTARUM

LIBER QUINTUS.

Digitized by Google

EPITOME.

EAcies rerum ſub initium anni. 2. Rex per glaciem iter in inſulas affectat. 3. In Fioniam per glaciem tranſitur. 4. Pugna ad Juernæſum. 5. Fionia occupatur. 6. Dani ad pacem ſe offerunt. 7. Rex è Fionia in Langelandiam tranſit. 8 Deliberatio num pax Danis danda foret? 9. Danici Commiſſarii de pace acturi adveniunt. 10. Danorum ſuper pace acceptanda conſultatio. 11. Pax Toſtrupi concluditur. 12. Inſtrumentum pacis Roſchildiæ adaptatur. 13. Pax executioni datur. 14. Reges inter ſe amice convivantur. 15. Conſultationes Regis de actionibus in futurum ſuſcipiendis. Polonicum bellum continuari non placet. 16. An arma in Moſcum vertenda? 17. An in Auſtriacos? 18. Regis circa Galliam conſiderationes. 19. Rex Auſtriacorum amicitiam affectat. 20. Deſtinata Regis in futurum. 21. Regis ſtudium circa declinandum bellum cum Auſtriacis. 22. Rex conſilia ſua in futurum ordinat. 22. Regis ad ſelectos Ordinum propoſitio. Decretum Ordinum Sveciæ. 24. Legatio Hafniam mittitur. 25. Inſtructio legatorum Svecicorum. 26. Tractatus Hafniæ ſuſcipitur. 27. De negotio Holſatico. 28. Danorum actiones Regi fiunt ſuſpectæ. 29. Regis iterata ad legatos ſuos mandata. 30. Regis poſtulata. 31. Tractatus Hafniæ lente procedunt. 32. Danorum declaratio ad Svecorum poſtulata. 33. De Huena inſula controvertitur. Cauſa Holſatica abſolvitur. 34. Ulterior ſuper Huena diſceptatio. 35. Dani moras nectere pergunt. Tractatio fœderis omittitur. 36. Rex moras Danorum ægre fert. 37. Legati Svecici diſſentiunt. 38. Rex magis in Danos irritatur. 39. Controverſia Guineenſis. 40. Tractatio Hafniæ incaleſcit. 41. Alius conatus componendi negotium Guineenſe. 42. Dani moroſos ſe exhibent. 43 Rex denuo arma in Danos movere conſtituit. 44. Repetitæ Regis conſultationes. 45. Expeditio in Daniam ſuſcipitur. 46. Circa Auſtriacos corona Cæſarea depellendos fruſtra ſatagitur. 47. Circa conciliandum cum Auſtriacis Regem fruſtra laboratur. 48. A Gallis Regi parum auxilii eſt expectandum. 49. Auſtriaci in mitius inclinare 1658.

1658. videntur. 50. Super differenda Leopoldi electione conatus. 51. Galli & Hiſpani Regis deſtinatis obſtant. 52. Moguntinus rem acriter urget. 53. Galli deſtinatis ſe Regis ſubtrahunt. 54. Collegii Electoralis miſſio ad Regem. 55. Circa electionem Moguntini ſtudium. 56. Circa fœdus Rhenanum conſiderationes. 57. Auſtriaci ſe pronos in amicitiam Regis ferunt. 58. Electio præcipitatur. 59. Extremus circa reconciliationem conatus. 60. Poſt coronationem inanis labor cum novo Cæſare ſumitur. 61. Cum Gallis poſt electionem acta. 62. Judicium Cæſareorum de renovato per Regem bello Danico. 63. Cum Brandenburgico acta. 64 Brandenburgici legati irriti diſcedunt. 65 Super non admiſſione legatorum diſceptatio. 66. Cum Belgis acta. 67. Regis conſilium circa deliniendos Belgas. 68. Belgæ Danis ſtudent. 69. Habitus Belgarum poſt pacem Danicam. 70. Belgæ verba honoris parum curant. 71. Beuningii in Dania machinationes. 72. Super ratificatione pacti Elbingenſis fruſtra agitur. 73. Rex Anglos fruſtra ad fœdus & pecuniam urget. 74. Inanis cum Cromvello negotiatio. 75. De præſtandis hoc fœdere. 76. Poſt pacem Danicam cum Anglis tractata. 77. Sveci Cromvellum urgent. 78. Rex eas moras ægre fert. 79. Cromvelli declaratio. 80 Angli eadem chorda oberrant. 81. Angli negotiationem utcunque continuant. 82. Rex tædio iſtarum morarum capitur. 83 Cromvellus Brandenburgicum Regi incaſſum conciliare nititur. 84. Inſtructio Legatorum Svecicorum ad tractatus Polonicos. 85. Secreta inſtructio. 86. Mandata legatorum illuſtrantur. 87. Poloni tractatus declinant. 88. Gallorum & Belgarum opera circa pacem Polonicam. 89. Per Boruſſiam geſta. 90. Rex pacis cum Moſcis eſt cupidus. 91. Moſci in pacem inclinant. 92. Cum Moſcis induciæ ad finem usque tractatuum ineuntur. 93. Per Livoniam geſta. 94. Cum Duce Curlandiæ acta. 95. Rex denuo Selandiam invadit. 96. Obſidium Hafniæ ſuſcipitur. 97. Bellum alibi quoque erumpit. 98. Cronenburgum expugnatur. 99. Hafniæ obſidium. 100. Sveci in Amagriam inſulam deſcendunt. 101. Rex circa Belgas conciliandos fruſtra ſatagit. 102. Belgæ Danis auxilia ferre conſtituunt. 103. Belgica claſſis in Daniam tendit. 104. Prælium navale cum Belgis. 105. Fœderati Daniæ ſuccurrunt. 106. Fœderatorum geſta per Holſatiam. 107. Nidroſia & Bornholmia rebellant. 108 Conſultatio ſuper bello Belgis indicendo. 109. Rationes contra bellum Belgicum. 110. Conſilium de pace cum Belgis ſervanda. 111. Belgarum circa ſervandam Daniam conſilium. 112. Regis de negotiatione Hagenſi judicium. 113. Cum Cromvello acta. 114. Poſt mortem Olvarii acta. 115. Nova Regis in Angliam miſſio. 116. Regis circa negotiationem Anglicanam judicium. 117. Angli claſſem in Daniam mittere conſtituunt. 118. Scopus claſſis Anglicanæ. 119. Per Boruſſiam geſta. Thorunium à Polonis recuperatur. 120. Pacis negotium in Polonia langvet. 121. Dux Curlandiæ capitur. 122. Cum Moſco induciæ concluduntur.

Annus

ANnus ſequitur quinquageſimus octavus inuſitatis rerum eventibus memorabilis, quo unicum armis ſuis operæ pretium fecit Carolus Guſtavus. Ejus initium eundem Wismariæ deprehendit difficultates, quibus indies magis premebatur, librantem, omniaque circumſpicientem, ſi qua partem iſtarum amoliri daretur. Quanquam enim nuperi anni ſucceſſus arma ipſius non parum firmaverant, fractis Dani viribus, ac partis totius Holſatiæ ac Jutiæ hibernis, queis exercitus inſigniter reficiebatur, numerisque gliſcebat: in futurum tamen majorem ſibi molem incubituram prævidebat, eo magis ſe agglomerante hoſtium numero, quo clarioribus documentis virtus ejusdem eniteſcebat, quam eousque evaleſcere, ut propriis deinceps viribus ſubniti poſſet, hoſtes juxta amicique horrebant. Ac Moſcus quidem aliquam compoſitionis ſpem injecerat, Polonorum atque Auſtriacorum ludibriis offenſus. Sed ut idem partis in Livonia locis cederet, non niſi oſtentata aut admota vi compellendus erat, Pacem autem traditis provinciis ab iſto redimere indignum habebatur. Danus ne peſſum iret, Auſtriaci, Polonique cum Brandenburgico ac Belgis Fœderatis acerrime connixuri erant, valido jam exercitu parato, qui ſtatim atque anni tempeſtas permitteret, intra anguſtias Cherſoneſi Cimbricæ ipſum invadere decreverat, undique cinctum vel plane oppreſſurus, vel excluſis ſupplementis valde attenuaturus. Quanquam autem amicorum & conſiliorum ſat eſſet Regi, virtusque quantiscunque hoſtibus par, maxime tamen ſuſſlaminabat, conatus ipſius rei pecuniariæ anguſtia, attrito domi ærario, ac quod ne optime quidem conſtitutum tantis ſumtibus tolerandis ſufficiebat, tum Gallia atque Anglia præter inania officiorum & verborum nil conferentibus. Omnis ergo ratio exiſtis anguſtiis emergendi habebatur, ſi hac hieme in Danorum inſulas penetrare daretur, antequam ſociatorum hoſtium copiæ ingruerent. Quo fine & Wrangelium juſſerat quicquid poſſet navigiorum contrahere, omnemque occaſionem captare in Fioniam trajiciendi, qua illa anguſtiſſimo freto in continente disjungitur. Nam Poloni Auſtriacique jam copias ad Notezam flumen colligere nunciabantur, junctis Brandenburgicis Pomeraniam invaſuri, ad quod tergiverſantem Electorem Dani anxie ſolicitabant. Unde & Rex legionibus ſuis injunxerat omnia in expedito habere, quo prima ſignificatione iter ingredi poſſent. 1658.

Facies rerum ſub initium anni.

§. 2. Enimvero curam Regis præ- *Rex ſtr glacie iter in inſulas affectat.*
vertebat fati benignitas, quæ pronam in Daniam viam iſti muniebat. Cum enim gelu præter modum ſævire nulla remiſſione cæpiſſet, Regi in mentem veniebat inſolitam exercitibus viam tentare, marisque tergo bellum in Daniæ penetralia inferre. Unde miſit ſtatim, qui legiones ad Pomeraniæ defenſionem excitatas propere Chilonium retrovertere juberet, quo & ipſe Wismaria profectus ſe contulit, poſtquam prius ſuis per Pomeraniam imperaſſet, ut probe vigilent, rebusque ſuis proſpiciant, ne aquis frigore conſtrictis forte in munita loca hoſtis

5. Jan. Kiel. 9. Jan.

quid

1658. quid tentet. Tanta porro ſpes erat Regi ſucceſſus, ut Stenbockio, qui & 12. Jan. ipſe irruptionem in Norvegiam agitabat, tunc cumprimis opportunam, quando omnes lacus paludesque glacie conſtrictæ jacent, velut vaticinabundus ſignificaret, intra tres ſeptimanas inuſitati quid è Jutia auditum iri. Chilonium evocante Rege ſeſe contulerat Wrangelius cum primariis Ducibus, ut ſuper ſumma rerum conſultaretur. Ubi rationibus in utramque partem probe libratis placuit, Fioniam utique tentandam eſſe, ſeu remittat gelu ſeu acrius ſe intendat. Ea ſententia cum ſederet, verſus Friderixuddam præmittitur Wrangelius, ut per Jutiam hibernantes legiones contraheret, queis dies viceſima ſexta 26. Jan. Januarii luſtrationi obeundæ ad id oppidum dicta eſt. Interea ſemel atque iterum molleſcere hiems videbatur, ſed eadem mox acrius horrente Rex Sultzbach. Philippum Palatinum Sultzbacenſem cum quindecim legionibus Chilonii relinquit, num quis motus in Germania exſurgeret obſervaturum, & cum Witzio & Burchardo Mullero, queis Pomeraniæ cum incumbebat, diligenter communicaturum, num forte Poloni ſoli aut Auſtriacis juncti in eam provinciam tentaturi quid ſint, ut pro Gottorp. re nata iſtis occurri poſſet. Ipſe Gottorpio, ubi per aliquot dies moratus 27. Jan. fuerat, Flensburgum ſe contulit, quo Vinarienſis Dux & Aſchebergius è Bremenſi provincia ſuis cum legionibus acceleraverant. Ea nocte aſperrimum ſe frigus intenderat flante Euro, qui tamen, quod Regi ſperabat, glaciem haut firmarat, ſed potius hinc inde fregerat, ac litore divulſerat, medioque alveo, qua mare hinc inde 28. Jan. raptabatur, laceraverat. Haut eo ſecius Rex Haderslebiam tendit, cum Haders- leben. pridie Wrangelius Friderixudda movens Standerupum, inde ſequenti die Standerup Heilſen ad Heilſamvicum legiones deduxiſſet, 27. Jan. quo & ipſe Rex pervenit. Exploraverat Wrangelius glaciem tam ſupra Friderixuddam, quam infra ad Aſſenſam, quæ ita firma reperta eſt, ut ſi Aſſens. frigus adhuc duos per dies pari rigore duraret, exercitui ferendo par videretur. Sed & Arensdorfius ab eodem miſſus in Branſœam inſulam quinBranſæ. quaginta cum equitibus, centum pedibus acceſſerat, à qua Dani antea quinque equites Svecicos interceptos in Fioniam abduxerant. Quorum 1658. cum nemo amplius in ea inſula inveniretur, indicio erat, ex hac in Fioniam tranſitum patere. Ea re cognita Rex Wrangelii conſilium probat apud Branſæam fretum transeundi, ac ipſe Haderslebia eodem adproperat. Igitur Wrangelius equeſtres legiones inter Haderslebiam & Coldin- Coldingam. gam ad littus ſtativa capeſſere jubet. Ipſe cum peditatu in vico Heilſa conſidet, unde denuò centum equites, totidem dimachas Branſææ inſulæ immittit, à quibus decurio, cum quinque equitibus verſus Ivernæſum Fioniæ pro- Ivernæs. montorium explorare glaciem juſſus, cum ad tubi majoris jactum à Fionia abeſſet, rupta glacie cum ſuis in aquas effunditur, quibus hi ægrè eluctati equos mari abſorbendos reliquerunt. Ipſe dehinc Rex cum Wrangelio in Branſæam acceſſit, glaciem ipſe cominus exploraturus, antequam tam ancipitis aleæ auſum ſuſciperet. Rege in inſula ſubſiſtente Wrangelius cum aliquot equitibus Ivernæſum verſus progreſſus eſt, ubi diſpoſitas ad litus Danicas copias proſpiciebat, ſimul obſervabat, radios ſolis glaciem non parum attenuaſſe, ſic ut aliqui ex ejus comitibus audacius progreſſi ſubmergerentur. Ac in adverſo litore agreſtes glaciem perrumpebant, ſimul ad litus diſpoſitæ machinæ continuo globos evibrabant, qui non modo glaciem paſſim frangebant, ſed & quos tangerent, proſternebant, ſic ut plano æquore progreſſæ Svecorum turmæ iſtas experturæ forent infeſtiſſimas. Unde ſatius viſum turmas inde revocatas extra teli jactum ſubducere, omiſſo ad Ivernæſum itinere, quæ alias freti anguſtiſſimum ſpatium eſt, præſertim cum obſervatum eſſet, fluentum maris procurrenti iſti promontorio impactum in vorticem retorqueri, eaque giratione glaciem non parum atteri. Igitur duo Options 29. Jan. mittuntur, qui ſupra & infra id promontorium glaciem explorarent, qua mare paulo latius diffuſum currentis undæ impetum enervat. Tum Eri- cum Dahlbergium & Lindebergium Dahlberg Lindeberg ſupra Mittelfartum glaciem inſpicere Mittel- fart. jubet. Friderixuddam legio Weſtrogotica remittitur, ne forte Dani in id oppidum reducta tunc inde pleraque præſidii parte quid tentarent, quod qua mare ſpectat apertum fere acceſſum

Digitized by Google


CAROLVS GVSTAVVS
ADIVVA IESV
Reg
Maiestatis
Suecie
pralium

Digitized by Google

Comitum Wolfsky et Kaunitz mortui
Turma
Tormenta Bauica
Succes

1658. ſum præbebat. Sera jam nocte reverſi Optiones retulere, ad utramque promontorii partem glaciem ſat firmam reperiri, niſi quod ad ſiniſtram verſus Tiprinem, & Fænſenſem ſylvam ultra fluentum maris fiſſura ſit, alicubi in duas ulnas patens, margine tamen utrinque ſat firmo. Unde aſſeres & trabes cum ſtramine eo convehi jubentur, ac legionibus imperatur ſummo mane in Branſæam ſe conferre. Qua & nocte intenſiſſimum frigus ſæviebat, Danis contra in adverſo litore circa glaciem perfringendam ſatagentibus. Illa igitur via ad tranſitum eligebatur, utut ſummo mane Dahlbergius Friderixudda reverſus nuntiaret, ibi quoque glaciem ſat firmam eſſe. Nam legionibus jam huc iter ingreſſis per quinque milliarium anfractum easdem reducendo tempus terere haut placebat.

Tiprine ſylvæ.

In Fioniam per glaciem tranſitur. 30. Jan. Bornemann.

§. 3. Igitur Rex Heilſa movens Bornemannum tribunum cum primo agmine ad Branſæam inſulam præire jubet, quem mox ipſe inſequitur. Unde denuo, qui pridie glaciem exploraverat Optio cum viginti quatuor equitibus ſiniſtram verſus præmittitur. quem centum equites, dimachæque inſequuntur. Is cum priori relationi congrua renuntiaſſet, Bornemannus confeſtim inſequi, & cum primo agmine legioni Seeſtedii, quæ in adverſo Fioniæ litore conſtiterat, ingruere jubetur. Interea Rex in Branſæa inſula aciem ita diſpoſuerat, ut Marchio Badenſis & Claudius Tottius dextrum cornu, Fabianus Berendius ſiniſtrum curarent, cujus ſupremum moderamen ſibi Rex ipſe aſſumpſerat, dextri cornu regimine in Wrangelium collato. Peditatui præerat Jacobus Caſimirus Gardius & Vavaſorius, ſed qui tardius itinere confecto poſt pugnam demum adfuere. Juſſerat Rex, ut equites equos fræno poſt ſe traherent, latiusque ſe diffunderent, quoad fluentum maris, ubi ſummum erat periculum, tranſiſſent, tum ut machinæ juſto intervallo ſequerentur, poſt ſuperatum fluentum equis conſcenſis iterum denſatis ordinibus in hoſtem irent, qui explicata acie ipſos expectabat. Interea dum tardius movent peditatus, Bornemannus, qui jam fluentum maris cum primo agmine tranſierat, nuntiabat, Danos ad litus diſpoſitos pluribus ſubinde turmis firmari, eoque ſcitabatur, num ipſe iſtos invadere, an plures copias ſubſidio expectare deberet. Igitur Regi placuit, Wrangelium cum dextro cornu inſequi fulciendo primo agmini. Ipſe autem cum ſiniſtro cornu adhuc pauliſper in Branſæa ſubſiſtere conſultum ducebat, ut peditatum, qui Standerupo adventabat, expectaret, & quia adhuc pleræque Danorum copiæ Ivernæſi ſubſiſtebant, ne forte illæ in Juticum litus tranſirent, ubi Svecici exercitus impedimenta nullo præſidio ſtabant. Sed cum Danos loco ſeſe movere conſpiceret, haut amplius peditatum moratus citato gradu cum ſiniſtro cornu inſequitur, cui medio ſpatio inter Branſæam & Fioniam nuntius venit, à Wrangelio & Bornemanno Seeſtedium tribunum, qui ad litus non procul Tibrino & Fœnſenſi ſylva conſtiterat, profligatum, ipſumque cum plerisque ductoribus captum, in cujus rei ſignum duo vexilla eidem offerebantur. Quæ res gradum accelerare regem ſubegit, ut rei gerendæ intereſſet.

1658.

Seeſted.

Berends.

Vavaſor.

Pugna ad Ivernaſum Joens.

§. 4. Rex cum Fioniam attigiſſet, deprehendit, tribunum Jonam Haderslebium, qui ægrotante Ulrico Chriſtiano Gyldenlevvio copias imperabat, Ivernæſo digreſſum legiones quatuor cum machinis loco opportuno ultra ſylvam Fænſenſem poſt vepres & ſepimenta ſecundum litus diſpoſuiſſe, ac Wrangelium jam in eo eſſe, ut iſtum invaderet. Igitur dextrum cornu ita diviſit, ut Wrangelio primum agmen & quatuor alas primæ aciei cum peditum manu attribueret, reliquas ipſe unà cum Carolo Magno Marchione Badenſi & Tottio ſibi aſſumſit, Wrangelio injungens, ut tamdiu ad dextram juxta litus aſſiſteret, quoad ipſe cum ſuis turmis hoſtem à ſiniſtro circumire potuiſſet, quo iſtum ſimul inde à mari, hinc per ſepimenta invaderent. Et quia Rex judicabat tribunum Jonam, ubi numero ſe obrutum videret, in ſpeciem diſploſione facta occaſionem honeſtæ deditionis quæſiturum, eo plus temporis ſibi ſumebat ad vepres & ſepimenta amolienda, quo Danos undique circumveniret, ne cui elabendi via pateret. Perruptis ſepibus Rex Marchionem Badenſem cum tribus alis impetum in quatuor Danorum alas ſibi oppoſitas dare jubet, qui & nulla mora haſce

1658. proruebat. Eodem tempore & Wrangelius in hoſtem rapiebatur, ubi impetu dato Waldeccenſis & Conradi Chriſtophori Königsmarckii legiones fracto glacie ſubſidebant, ſic ut è Waldecciana legione, duæ turmæ, è Königsmarckiana aliquot equites ſubmergerent, unà cum curru Regis quotidiani uſus. Quia enim terra collibus erat obſita, ut acies haut commode explicari poſſet, Dani copias ſuas in glacie diſpoſuerant. Ad quos eo fidentius ruebant Sveci, quod per profundam nivem diſcernere non poſſent in mari an in prato conſiſterent. Aſt Rex iſto caſu haut territus, relicta ad ſiniſtram ruptura glaciei, ubi equites perierant, ad dextram in hoſtem vertit, & ne hac occaſione uſi Dani, quod minabantur, Wrangelii latus invaderent, Tottium cum legione Uplandica ſubſidio illi miſit, qui una cum reliquis ſtrenue in hoſtem invehebatur. Ex
Lubbecker alia parte Lubbeckerus tribunus ingruens alas Danorum impetu fundebat. Inde Wrangelius ad peditatum Danorum, qui in glacie conſtiterat adequitans, ut arma ponerent, non ſine increpatione inclamabat. Cui agnito tribunus Jonas, qui quondam ſub iſto ſtipendia bello Germanico meruerat, obviam proceſſit, & cum nulla reſiſtendi facultas foret, ſibi ſuisque veniam vitæ ſtipulatus eſt. Ita quicquid erat ibi Danicarum copiarum nullo negotio opprimebatur, & qui cædem effugerant omnes captivitatem ſubibant, paucis exceptis, qui pedites per glaciem evadebant, quorum tamen & aliqui aquis ſubmerſi ſunt. Vix trecenti fuere, qui Svecorum manus declinarent. In iſto prælio, dum Dani maturius in ſubeuntes Svecos fulminant, magni ponderis globus recta ante Regis equum terræ illidebatur, ut nix Regi & Dahlbergio ſupremo Metatori, qui ſolus apud Regem equitabat, faciem oppleret, ac Regis ſiniſtrum oculum paululum læderet. Paulo poſt non minus periculum eodem prælio Rex incurrit, cum enim nemo præter Dahlbergium apud ipſum eſſet, ac reliquæ turmæ hoſtem fervide perſequerentur, Rex aliquamdiu in exiguo colle inter palantes circa eum hoſtium turmas ſolus conſiſtebat, donec Dahlbergius tribunum Lubbeckerum cum ſua legione revocaret. Mittebat
Suinburg. mox Fabianus Berendius Suinburgum verſus, Langelandiæ oppoſitum oppidũ ut quingentos equites, qui inde huc evocati tendebant, exciperet, quos & iſte omnes in poteſtatem redegit. Aſchebergius Mittelfartum properare jubebatur ad opprimendum tribunum Stenonem Bildium, qui cum ſexcentis *Sten Bild* equitibus ibi ſervabat, ſed is jam Ot- *Odenſe.* toniam ſe proripuerat. Idem tamen Aſchebergius mox Foburgi Henrich- *Henrichſon.* ſonium ſummum excubiarum præfectum cum quadringentis quinquaginta peditibus intercepit. Fuerant Danorum ante commiſſam pugnam ter mille equites, ſeptingenti pedites Teutonici, & mille quingenti provincialis miles. quorum omnes ductores, excepto præfecto turmæ Rumorio, qui initio pu- *Rumor.* gnæ cadebat, in Svecorum manus inciderunt. Horum erant ter mille pedites, novem equitum millia in quadraginta quatuor alas digeſta, è quibus pauci admodum ea pugna cadebant, præter eos, qui mari ſubmergebantur, quod Dani ſtatim poſt primum conflictum ordinibus turbarentur.

§. 5. Per hanc victoriam tota Fio- *Fionia occupatur.* nia Rex potitus eſt, nemine amplius reſiſtente. Et Ipſe quidem Ottoniam verſus iter ſuſcepit, primarium inſulæ oppidum late dimiſſis catervis, quæ è prælio profugos equites conſectarentur, quorum tres turmæ per Majorem Balten in Seelandiam evaſere, omnia ibi tumultu & trepidatione complentes, quibus Lubbeckerus Sproam *Spro.* usque inſulam medio freto ſitam inſtiterat, qui referebat, poſſe recta Neuburgo per Sproam in Seelandiam glacie tranſiri. Apud Neuburgum quatuor naves bellicæ glacie conſtrictæ jacebant, quas in poteſtatem redigere Wrangelius ardebat. Quæ imperatam deditionem adſpernatæ propius ſubeuntes machinis acriter arcebant, & glacie circum diffracta longius à terra ſeſe ſubducebant, ut machinis è terra attingi non amplius poſſent. Ottoniam venienti Regi obviam prodiere Sacerdotes cum decurionibus clementiam victoris implorantes, quos ille humaniſſime allocutus bono eſſe animo jubet, Capti ibi ſunt præfecti gregariique prælio profugi magno numero, ipſeque Gyldenlevius, qui *Gyldenlevv.* ex morbo decumbebat, tum quin- *Kraga* que Senatores regni Daniæ Otto Kra- *Gunde* gius, Gundeus Roſenkrantzius, Hen- *Roſenkranz* ricus Ranzovius, Georgius Braheus, *Ranzovv* & Ivarus Windius. Qui cum Regem *Brahe.* veneraturi ſine gladiis acceſſiſſent, cauſam interrogati reſponderunt, id *Wind.* ſe



NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Sac. Reg: Maj: CAROLUS GUSTAVUS.
Illustr. Comes Carolus Gustavus Wrangel Reg: Architalassus.
Illustr. Princeps Carolus Magnus Marchio Badensis.
Illustr. Princeps Fridericus Landgrav: Hassiæ Homburgensis.
Illustr. Princeps Adolphus Dux Saxoniæ Weimar:
Illustr. Princeps Georgius Landgrav: Hassiæ Darmstad:
Illustr. Princeps Emanuel Princeps Anhaltinus.
Illustr. Comes Gabriel Oxenstiernæ Supremus Palatij Regij Marscallus.
Illustr. Dn. Generalis Gustavus Banerus.
Illustr. Dn. Comes Claudius Tott Assumben Gen.


Oppidum Helsingborgum in Ducatu Scanensi
Lunde Crona
Oppidum
Huena Insula

1658. ſe velut captivos facere ſubmiſſioni teſtandæ. Sed Rex gladios recipere eos juſſit velut dignitati ipſorum conveniens geſtamen, in Roſencrantzium præcipue cavillatus, haut novæ quid eum ſuo gladio ipſi daturum. Is compoſito in adulationem ſermone tunc Regi adrepebat, male ſibi conſcius ob contumelioſa quædam ſcripta in nationem Svecicam edita, & quia idem ſuperiore anno conventu Ottonienſi magno ardore claſſicum bello Svecico cecinerat. Senatoribus iſtis data cautione quo libitum fuit abire ac morari indultum. Præfecti bellici Friderixuddam captivi abducti. Potitus eſt ibi Rex etiam ſexaginta machinis, apparatusque bellici copia, & inſtructiſſimo penu inſigni exercitus ſui levamento, quem & præda tam divitis inſulæ non parum locupletavit, quippe quæ ſeculum amplius hoſtem haut viderat, in quam & multa bona è Jutia & Holſatia ſecuritatis cauſa congeſta fuerant. Cæterum tranſitus iſte per glaciem eo memorabilior fuit, quod non ſolum ſimilem nulla retro hiſtoria tradat, ſed & quia idem eo ipſo loco fiebat, ubi præcedente die Martis nudum æquor fuerat, cum Rex ſequenti die Saturni toto cum exercitu tranſiret, fluido elemento quatridui ſpatio in tantam firmitatem indurato. Fabiano dehinc Berendio injungitur tres Danicorum equitum turmas, quæ in Langelandiam profugerant, perſequi, qui & eodem, cum frigus perſtaret, per glaciem ſe contulit, ſubſequente Duce Vinarienſi & Aſchebergio, quibus & injunctum in Lalandiam inde tranſire, poſtquam Dahlbergius glaciem inter duas iſtas inſulas exploraſſet.

Dani ad pacem ſe offerunt. 5. Febr. Meadowe

§. 6. Neuburgi ad Regem literæ allatæ ſunt, à Philippo Medovio ablegato Anglico biduo ante ſcriptæ, quibus Regem Daniæ paci pronum teſtabatur, cujus tractandæ gratia ab iſto dicti ſint Commiſſarii Joachimus Gerſtorfius & Chriſtianus Schelius, queis ut ſuos quoque Rex adjungat, ſimul tempus locumque tractatibus nuncupet, petebat, ſpe promtæ transactionis facta, utque ſalvos conductus pro Commiſſariis Danicis expediri curaret. Addebantur preces nomine Cromvelli, ne arma ulterius inferat, ſucceſſibusque ſuis moderate utatur. Ex his petitis Rex prius annuebat, repudiato altero. Equidem hucusque

Gerſtorf Schetel.

Danos exiguam pacis cupidinem oſtendiſſe, ſed tractatus variis modis eluſiſſe multiplicatis ſequeſtribus admixtis aliorum negotiis, quæ iſthæc regna non tangant, tum & repudiato tractandi loco in limite regnorum, quem pacta Stetinenſia decernunt. Præferre ſe tamen pacem effuſioni ſanguinis, ac tractatus admiſſurum ſequeſtribus Gallis & Anglis. Et quia res feſtinationem exigebat, ac in Regis arbitrio poſitum erat de loco tractatuum ſtatuere, placebat intra octiduum à die harum literarum utriusque partis Commiſſarios in Sproa inſula, aut Rud- *Rudeo-*
copiæ in Langelandia congredi, optio- *ping.*
ne horum locorum penes Dania regem futura. Ac ne qua mora eſſet, ſalvi conductus pro Commiſſariis Danicis protinus expediebantur. Addebat Rex, ut interim tabellariis liber curſus permittatur pro Svecis Laholmiam, *Laholm.*
pro Danis in Germaniam. Sed ut per inanes verborum blanditias ad annuendas inducias permoveri ſe pateretur Rex, eoque ipſo progreſſus ſuos ſiſteret, id vehementer ab ipſius prudentia abhorrebat, cum nunc ſumma rerum in celeritate conſiſteret, ac ut occaſione divinitus oblata promte uteretur, quam interpoſita mora corruptura erat. Scilicet inſtandum erat perculſis, nec ſpatium indulgendum, ut vel Dani è prima conſternatione ſeſe recolligere, vel ſocii auxilio adcurrere poſſent, ſi ſolidus è victoria fructus quæreretur. Socerum quoque Rex literis datis monebat, ut ad locum tractatuum mitteret, qui ipſius commoda obſervarent.

Rex è Fionia in Langelandiam tranſit.

§. 7. Neuburgi Rex cum præcipuis Ducibus conſultabat, num eodem modo è Fionia in Selandiam glacie tranſeundum foret, uti è Jutia in Fioniam factum erat. Id quoque nemo ducum ſuadere audebat, ob magnitudinem periculi, quod infidam glaciem per quatuor milliaria Germanica (tantum enim id fretum in latitudinem patet) tranſeuntes maneret. Altiore ſubinde ſole fragiliorem indies glaciem reddi, & ſuborto vel modico vento pelagus concuti, dictoque citius cruſtam maris comminui. Tum tanto ſpatio nullum ſuffugium ubi ſemel glacies rumpi incipiat. Salutem Sveciæ in hoc exercitu conſiſtere, & ubi ſecus quid accidat, præter inglorium exitium etiam apud poſteros infa-

1658. miam ſecuturam, velut per vaſanam audaciam cæco impetu in barathrum præcipitantes. Quin potius paucorum dierum moram interponendam, quoad glacies liqueſcat, ac navigiis, quorum in Fionia ingens multitudo capta ſit, copias in Selandiam trajiciendas. Interim ſedem belli in hac inſula figendam, ubi facilè ingruentes hoſtes repelli queant. Ita quidem Duces differebant quibus conſilia ſua eo ſolo, quod tuta ratio ſuggerit, menſurare licet, nec ſummam rerum ancipiti aleæ exponentibus ignoſcitur, neu, quæ Regibus indulgetur, liberiorem agendi facultatem ſibi ſumere permittitur. Enimvero Rex invitantem occaſionem ſequi eo glorioſius ducebat, quo rariora ejusmodi expeditionum exempla in omni retro memoria occurrunt, præſertim cum tempori ſolerter imminentibus vix intercipi poſſet iter, uno die abſolvendum. *Corfitz Ulfeld.* Regi præcipue adſtipulabatur Cornificius Ulfeldius, qui Fridericum Regem ſubverti, à quo in exilium ejectus fuerat, mire ardebat. Non tamen placebat recta via è Fionia in Selandiam tendere, utut quæ cladi ſuperfuerat Danorum manus eadem profugiſſet, quod intra illas anguſtias aquæ ex Oceano in Mare Balticum, & vice verſa magna vi rapiantur, attrituque ſuo glaciem valde fragilem & infidam reddant. Unde tutius viſum longiore licet circuitu ad dextram vertere, qua impetus torrentium aquarum laxiore ſpatio langueſcit. Quod conſilium etſi ratione ſubnixum & eventu felix fuit, non tamen defuere, qui cavillabantur, id ab Ulfeldio ſuggeſtum, ut per plura loca diſperſus Svecorum exercitus minore mole in Selandiam perveniret, eo facilius ibi opprimendus. Ea ſententia Regi ſtabat, poſtquam exploratum miſſus Dahlbergius retuliſſet, glaciem inter Fioniam & Lalandiam firmam eſſe, id quod nemo incolarum antea factum meminerat. Nam huc ipſe cum manu equitum penetraverat, interceptis quoque aliquot Danicis militibus. Eo reverſo protinus equites Suinburgum progredi jubentur, peditatu Neuburgi apud Wrangelium relicto, cui tam ancipitia licet mandata averſato injunctum, ut ſi Regem è Langelandia in Lalandiam perveniſſe intellexiſſet, recta *Corſer.* Neuburgo Sproam, inde Corſæram tenderet. Sed ſi ea parte glaciei diffideret, ipſius veſtigia legeret. Prius tamen, quam Neuburgo digrederetur Rex, miſſus à Medovio tabellarius, qui è Selandia recta in Fioniam venerat, remiſſus fuit, ne quod Regi iter ſumeretur prodere poſſet. Ita Rex cum equitatu per noctem in Langelandiam tranſiit, rigore paulum remiſſiore, ut alicubi aquæ pedem amplius glaciei ſuperfunderentur. In Langelandia idem haut moratus poſtera ſtatim die æquor huic inſulæ & Lalandiæ interjectum, in tria milliaria Germanica patens, feliciter transmiſit, quo unquam equitem iter feciſſe nemo erat, qui meminiſſet, ac Grimſtadium in Lalandia attigit, unde nuntium ad Wrangelium remiſit, ut & ipſe cum peditatu & machinis eadem via ſubſequeretur. In Lalandia ſita eſt Naſcovia oppidum quinque propugnaculis & duplici foſſa munitum, & quadraginta quinque machinis inſtructum, quod mille quingenti provinciales milites, ſeptuaginta quinque Scanenſes, ac totidem equites inſidebant. Circa id expugnandum Regi operam ſumere haut placebat, velut cui omnis in Selandia cura ſtabat, qua ſi potiretur, reliquæ inſulæ moram facturæ non erant. Obiter tamen miſſus tubicen, qui deditionem imperaret. Accedebant ab Ulfeldio terrores ac hortatus, qui conclamatas Friderici res, & ut novi domini gratiam occupare properarent, ingerebat. Ita cum jam Rex id oppidum præteriiſſet, iſti deditionem faciunt, ſimul quadringenti pedites, qui intra id oppidum conjicere ſe parabant, à Svecorum caterva in itinere intercepti. Poſtero die Rex Saxcopia Lalandiæ ad Nycopiam Falſtriæ tranſiit nullo periculo, & quia ob properatum iter, ac prædæ cauſa multi militesà ſignis diſceſſerant, unus & alter dies quieti conceſſus, quo diſperſi iterum ad ſigna coire poſſent, tum ut interim Wrangelius cum peditatu & machinis ſubſequeretur, qui demum Stubcopiæ in Falſtria Regi jungebatur. Unde proxima die Rex cum exercitu Wordingburgium in Selandiam pervenit, quam totam inſulam terror & conſternatio affiaverat, nullibi qui reſiſtere auderet adparente; & excurrentes ſub Roſchildiam usque catervæpaſſim à fugientibus Hafniam properari referebant.

1658.
5. *Febr.*
6. *Febr.*
7. *Febr.* *Naſcou.*
8. *Febr.* *Saxcöping Nycöping.*
Stubcö-ping.
11. *Febr.*
12. *Febr.*

§. 8.


Profunda
Palada
NAPOLI

1658. *Deliberatio num pax Danis danda fo-ret.*

§. 8. Inter tam inuſitatos ſucceſſus Rex apud ſe trutinabat, an non expedi-ret fortunam invitantem ſequi, ac re-pudiata pace ad ſubigendam totam Daniam incumbere, adeoque Carthaginem illam Sveciæ incrementis tam infeſtam funditus exſcindere, an vero opportuniſſimis Regno Sveciæ pro-vinciis exutam relinquere admutila-tam, & in futurum haut amplius for-mandam? ubi prius quidem valde ſpe-cioſum erat, cum ſatis adpareret, Sveciam multi deinceps Europæ re-gno potentia ceſſuram, ſi univerſum Septentrionem imperio ſuo comple-ſteretur. Ut tamen in mitiorem eam-que tutiorem ſententiam inclinaret, graves ipſum rationes urgebant. Scili-cet tanta multitudo circumſtabat aper-torum hoſtium, & qui cæca in ipſum invidia æſtuabant, ut non omiſſuri eſſent extrema omnia tentare quo Da-num iterum ſublevarent, occupatis quoque illis locis, quibus is ita raptim potiri jam non poterat. Ita cum hiſce acrius bellum, & majoris molis incu-biturum erat, quam cum Danis. Si-mul univerſæ ipſius fortunæ ancipiti aleæ exponebantur, præſertim nulla ſpe amicæ cum Polonis compoſitionis, quam Auſtriaci extractum ibant, quoad occaſio ipſis matureſceret una cum aliis in Sveciam invadendi. Aſt ſi Po-lonis atque Auſtriacis cordi fuiſſet cum ipſo tranſigere, rationis non fuerat Dano pacem dare. Porro ingreſſus quidem erat Selandiam Svecicus exer-citus, ideo tamen haud quicquam poti-tus erat munitis in Scania & Norvegia locis, quorum protectionem Danus Belgis aut Anglis deferre poterat hiſce cum Svecia committendis. Sed & Gal-li Anglique clam Daniæ favebant, eam-que Sveciæ accreſcere nolebant, citra quorum opem tanta hoſtium moles ab hac diu ſuſtineri non poterat. Res quo-que longas moras non ferebat, & oc-caſio velut in puncto conſiſtebat. Uni-verſis cum copiis Hafniam aſſultare anceps erat, & ubi is conatus incaſſum cecidiſſet, atritis viribus ver interim ingruebat, & cum eo moles hoſtium, qui omnem horum ſucceſſuum fru-ctum extorturi erant. Nunc autem tam proficuis Sveciæ conditionibus pax fieri poterat, qualem complura per ſecula ex anteceſſoribus nemini obti-nuiſſe datum fuerat, tot partis muni-tionibus, quæ valli inſtar Sveciæ cor-pus tecturæ erant. Eas conditiones ſi repudiaret, eoque anſam diuturno bello præberet, offenſa civium contra-hebatur, velut ipſe ambitione ac glo-riæ cupidine ductus ſecuritatem pa-triæ ſtabilire neglexiſſet. Denique & arcana ratio ſuberat, quod coaleſcen-te in unum cum Svecia imperium Da-nia, commoditas ſitus & amœnitas regionis effectura eſſet, ut ſedes regni in Daniam transferretur, eoque ipſo Svecia aliquando appendix Daniæ fie-ret. Aſt nunc eam iſtis provinciis in Sveciam translatis ita debilitari, & in Ordinem redigi, ut forte eadem olim Sveciæ protectionem ultro quæſitura ſit. Ac ſapientis eſſe eo adquieſcere, quod tempus ferat, ac ruituræ cito oc-caſioni manus injicere, antequam vel Dani ad deſperationem vertantur, vel aliud impedimentum interveniat, quod in horas metuendum erat. 1658.

Danici Commiſſarii de pace actum ri adve-niunt.

§. 9. Aſt Danos etſi ignominia in-caſſum ſumtorum armorum, ac ne-ceſſitas præſtandæ Svecis ſatisfactio-nis, quos ita proterve laceſſierant, mi-re torquebat, tamen cum poſt perdi-tam Fioniam fruſtra remiſſionem fri-goris ſperaſſent, vel acerba pace im-minens exitium redemiſſe in lucro habebant. Igitur Joachimum Ger-ſtorfium & Chriſtianum Schelium ad-junctо Medovio magna cum diligen-tia Rudcopiam in Langelandiam pro- 12. Febr. perare juſſerunt, ſed quibus primum Svecorum agmen jam Wordingburgi occurrebat. Igitur in compendium redi-guntur aliis tractatibus ſolita, ac ad pompam facientia, ac poſt commuta-ta procuratoria ſtatim ad rem ipſam acceditur. Adjunxerat Rex Danicis Commiſſariis Cornificium Ulfeldium, Daniæ quondam Proregem & Steno-nem Bielkium Senatorem. Ulfeldius *Bielke.* iſte acerrime Regi ſuaſerat, ut repu-diata pace totam Daniam in poteſta-tem redigere auderet, ac citra amba-ges exercitum Hafniæ admoveret rem expeditam pollicitus, nec eam urbem moram facturam, in quam univerſa prope regni Nobilitas tunc profugerit, cujus non exigua pars Fridericum Re-gem averſaretur, pronis animis Sve-cicum imperium ſubitura. Cujus con-ſilii hæc erat ratio, quod iſte Frideri-cum, ejusque proſapiam maximo odio proſequeretur, contra expulſus licet patria nationem ſuam efflictim ama-re non deſiiſſet. Unde illum quidem

1658. quovis modo dejici ſolio optabat. Sed adjuncta ad Caroli Guſtavi imperium Dania ſperabat populares ſuos, uti veteri regnorum Borealium unione prævalituros, ac ſi in Daniam ſedes regni transferretur, huic plurimum ſplendoris atque emolumenti acceſſurum, Svecia paulatim obſoleſcente. Aut ſi utique Rex in Svecia habitare perſiſteret, ſibi gubernandæ Daniæ curam commiſſum iri. Enimvero idem cum Regi aliam viam placere animadverteſſet, cæcam eo nomine indignationem animo concepit, & tum in illis tractatibus, tum poſtea commodis ſe Sveciæ quantum poterat, objecit. Certe cum ea de re primo in Hollandia nunciatum eſſet, miniſtri Danici gaudebant iſtum huic negotio admotum, ubi promta foret occaſio de Rege Daniæ, patriaque bene merendi, ſibique ad iſtius gratiam aditum ſtruendi. Nam ſatis conſtare eundem in Sveciam ſe contuliſſe non amore in iſtam, ſed ob privatum duntaxat emolumentum. Voluerant Dani Hafnia ſecum quoque adducere Beuningium legatum Belgicum ſequeſtris munus cum Terlonio Gallo & Medovio Anglo obiturum. Sed ipſe actorum ſibi ſuorum conſcius ignominiam repulſæ haut imprudenter declinabat. Et cum poſtea Danici Commiſſarii de iſto inter ſequeſtres adſciſcendo inſtarent, Sveci hujus belli inventorem procul habendum reponebant. Studebat quoque initio Medovius Regi perſuadere, ut non ulterius cum exercitu progrederetur, quoad de ſucceſſu tractatuum adpareret. Sed Rex omnes moras adſpernatus velut rebus ſuis exitioſas jactabat, decretum ſibi recta Hafniam tendere, ac ſi portas aperire tergiverſentur, per vallum in urbem penetraturum, id quod ſibi in proclivi futurum ſit. Cæterum Dani initio Ulfeldium Commiſſarium deprecabantur, quod non minimam calamitatis ſuæ partem ducerent, ab iſto potiſſimum tam duras pacis leges ſibi dictari. Sed cum Regi ſuam ſententiam mutare non placeret, hæc quoque indignitas devoranda fuit. Et ſane erat in iſtius viri ſermone atque actione inſignis quædam acerbitas, & aſperæ dicacitatis acrimonia, quam quo minus ſubinde etiam maxime ſeriis inſpergeret imperare ſibi non poterat. Congreſſu inſtituto Dani primum omnes eloquentiæ loculos excutiebant, ut Regi perſuaderent, inuſitatæ generoſitatis ſpecimen ederet, ac reſtitutis provinciis, partis æterna tanti beneficii memoria Danicam ſibi nationem obſtringeret. Eam declamationem cum Ulfeldius concuſſo capite exploſiſſet, de inſigni pecuniæ ſumma ſatisfactionis loco offerenda movebant, quam & ipſam Ulfeldius longe infra præſentem rerum conditionem adſpernabatur, ac ad feria magis gradum promovere jubebat. Igitur cum Dani demum Scaniam, Hallandiam & Blekingiam offerrent, Ulfeldius jam aliquid ab illis dici, quod ad rem faceret, pronuntiabat. Cæterum tam modico non decifuros. Nam hiſce ſuperaddendam Bornholmiam, Anholtam, Leiſæam, Huenam & Saltholmiam inſulas, Ditmarſiam, Comitatum Pinnebergicum, in Norvegia Bahuſienſem, Nidroſienſem & Aggenshuſenſem præfecturas, ſimul dimidiam partem vectigalis Oreſundici, duodecim è præſtantiſſimis navibus bellicis, millionem uncialium. Tum ut renuncient omnibus fœderibus in fraudem Sveciæ initis, externas claſſes bellicas Maris Baltici aditu arceant, Duci Gottorpienſi, ipſique Ulfeldio ſatisfaciant, exercitui Svecico hoſpitia præbeant, reliquas ſibi copias ſacramento Svecico transcribant. Curaret quoque Rex Daniæ, ut poſt obitum Comitis Oldenburgici quidam vici circa Leam eis Viſurgim ſiti, ad eum Comitatum ſpectantes Bremenſi ditioni accedant. Sub Nidroſienſi quoque præfecturaRex comprehendi volebat, quicquid ad diæceſin illam pertineret, & quæ terræ verſus Arctum Nidroſiæ objacent à Daniæ Regibus hactenus poſſeſſæ, Finmarchia, Lapponia, Wardhuſanus tractus, cum omnibus adſitis inſulis. Ut navibus Svecicis in Oreſunda nil aliud negotii ſit, quam diploma tuti itineris exhibere, nulla amplius viſitandi aut inquirendi licentia Danis relicta. Ac ne Danis integrum ſit cum aliis nationibus pacta inire in fraudem libertatis Svecicæ iſto in freto, uti antehac circa *tractatum redemptionis* cum Belgis factum ſit. Ut quemadmodum Svecicæ naves bellicæ Cronoburgum ſalutarent, ita & Danicæ eundem honorem Helſingburgo exhiberent, nec Sveci teneantur amplius Danis in anteceſſum ſignificare, ſi ultra certum numerum

1658.

Sayer kon.

Nu ſayer Inaagot.

Terlon.

Drontheim.

Stepaſſ.

rum

1658. rum naves bellicæ fretum tranſituræ ſint, quod antea pacto Bræmſebroënſi cavebatur. Denique ut vectigal in Viſurgi poſt mortem Comitis abrogetur. Ad quæ poſtulata velut enormia Dani exhorreſcere, & ipſe Medovius iniqua à Svecis poſtulari utriusque Commiſſariis audientibus pronuntiabat, Rege indignante, quod limites muneris ſui migraſſet. Nam ut ſolis Svecis ſeorſim id diceret, ferri poterat. Sed altera quoque parte audiente id pronunciare, erat arbitri officium invadere, & adverſæ parti contumaciam addere. Unde id factum Rex ipſi per Petrum Julium Coietum graviter exprobravit, minatus ſe de eodem ad Protectorem Angliæ ſcripturum. Qui & errorem ſuum deprecatus eſt, fatſus fortunas ſuas in manu Regis ſitas eſſe, ac ne iſtud ad Protectorem referretur. Cui Rex placatus decem inſuper uncialium millia donavit. Quem & antea, cum ablegati duntaxat extraordinarii charactere præditus eſſet, Rex legati dignatione habuerat, quo ipſo locum ſupra Principes, qui caſtra ſua ſequebantur, tribuere poſſet, Etſi haut eo minus iſte in Danos pronior deprehenſus fuit, quem & Daniæ Rex tum aliis donis, tum inſignibus Ordinis ab Elephanto dicti mactavit, non parum frementibus, quos eodem honore in Belgio Rex ornaverat, antiquæ nobilitatis viris, velut is honor ſupra Medovii ſortem foret. Sane ipſe Rex Fridericus poſt oblata pecuniæ ſumma Medovium permovit, ut ea inſignia ultro redhiberet. Cæterum inter diſceptandum nonnihil quidem à Svecis remiſſum, velut de Delmenhorſtano Comitatu & Dithmarſia, in quas ditiones quondam Præſuli Bremenſi jus fuerat, modo Dani Nidroſia cedere velint. Dani quoque bina equitum ac peditum millia offerebant: ſed quæ non magni à Rege fiebant, ut ideo de reliquis ſuis poſtulatis multum remittere vellet. Nam non conſtabat, an tantum militis extranei ipſis ſupereſſet, indigenam autem eorundem militem flocci faciebat, & exautoratione à Danis facta militibus illis nullo negotio Rex potiturus erat. De ſumma tamen pecuniæ aliquid ſe remiſſurum ſignificabat, tum & Selandiam hoſpitiis militaribus liberaturum, ſi Dani conventa protinus executioni darent. Cæterum quanquam ſequeſtres ſatagerent, ut partes à poſtulatis remittendo, & oblatis addendo demum convenirent, tamen quia Danis extrema mandata deerant, velut qui magis ad ſententiam Regis Sveciæ explorandam, tempusque extrahendum venerant, re infecta diſceſſere, ut tamen teſtarentur, ſe tractatus non abrumpere, ſed novis mandatis inſtructos propediem reverſuros. Cum Dani trium duntaxat dierum inducias peterent, Rex ne totidem quidem horarum ſe indulturum ferebat. Id quod non mediocrem Danis terrorem incutiebat. Quo fine & Rex in conſpectu ipſorum copias in aciem diſpoſuerat, ordinibus quantum poterat extenſis, ut majoris numeri opinionem faceret, ac ut recta Hafniam verſus iter ingrederentur, iſtis audientibus imperabat, ſimul Guſtavo Ottoni Stenbockio ſcribebat, ocyus in Svecia quicquid poſſet copiarum contraheret, ac cum iis inter Helſingburgum & Landscronam conſideret. Ferrum enim dum candet, eſſe cudendum. Ac inprimis, ut bis mille pedites raptim adduceret, Hafniæ oppugnandæ adhibendos, ſi Dani forte ceſſim irent. 1658.

§. 10. Reverſi Hafniam Commiſſarii Danici una cum Medovio referebant, quid extremum à Carolo Guſtavo obtineri poſſe videretur, quibus Medovius rationes de neceſſitate pacis in præſens amplectendæ ingerebat. Toto eo die Hafniæ conſultatum fuit, utrum pax tam duris conditionibus admittenda foret, an vero intra vallum urbis extrema expectanda, ac fiducia earum, quæ tunc in promtu erant, virium corona, Rex, ejusque familia, claſſis, uno verbo totum regnum aleæ exponendum? Erant Hafniæ tunc equitum conductitiorum paulo plus duo millia, paucæque Nobilium turmæ, & exigua eorum manus, qui è Fionia relictis fere equis per glaciem evaſerant. Peditum vix octingenti erant, qui arma tractare noſſent & aliquot agreſtium millia, qui nuperis diebus è Selandia in urbem compulſi fuerant, impellis & incondita turba. Nautarum inſuper mille circiter, præter oppidanos, literarum ſtudioſos, & opificum famulos, qui arma induerant. Nec in Sve- *Danorum ſuper pace acceptanda conſultatio.* 15. Febr.

1658. in Scania ultra tres cohortes erant, quæ inde evocari poſſent. Jactabant tamen quidam haut eo neceſſitatis perventum, ut pax tanta cum jactura redimenda ſit. Non eſſe multo plures numero Svecicos milites, quam ipſi homines ex urbe educere queant. Majorem Svecorum partem à ſignis diſceſſiſſe, ac prædandi cauſa palare, reliquos præda onuſtos, & ſi quis acriter ingruat facile diſſipandos, quos hactenus Danorum ignavia aut vecordia glorioſos reddiderit. Imitanda eſſe eorum exempla, qui propria urendo hoſti famem fecerint, nec jacturam curandam, quæ brevi tempore reparari queat. Si pabulum comburatur, mox ad incitas redactum iri equitatum, quo Sveci præcipue polleant. Si paulum modo tempus extrahatur, præcipitante jam hieme & ſoluta glacie, diſperſos & diviſos per inſulas velut caveæ incluſos levi negotio poſſe confici. Danique ſi auſa ſecus cadant, nil durius imminere quam nunc quieſcentibus ſubeundum laudemque inſuper conſtantiæ parari, ac fortunæ invidiam fieri, quæ ad extremum connixos deſtituerit. *Tramp.* Sane Trampius ſupremus vigilum præfectus promtum ſe ferebat eruptioni faciendæ cum bis mille equitibus, totidem peditibus, vel ſolo impetu in confuſionem daturus copias Svecicas, quæ ſemel accepta aliqua clade non minus ipſæ terroris concepturæ ſint, quam hactenus dederint, longeque habituros Hafniam cum tantilla manu tentare, ubi vel à deſperatione demum ipſos excitatos ſenſerint. Saltem vicinis locis, quibus homines jumentaque vivant, ignibus corrumpenda, pecoraque intra urbem compellenda. Ita Svecos inopia atterendos, ac brevi tempore ſocios terra marique occurſuros velut ad commune incendium reſtinguendum. Et in hanc ſententiam inclinabat ipſe Rex Fridericus, paratas cum illa ipſa ſuorum caterva in ho-
24. Febr. ſtes ire. E literis quoque poſt interceptis adparebat Conſiliarios Glucſtadienſes ad Regem ſcripſiſſe, in tam duras leges pacem ne concluderet, ſed quoquo modo tempus extraheret, auxilia brevi à Brandenburgico & aliis adfutura oſtentantes. Enimvero tutiora ingerebat ſenatus, & uti laudandum Regis Trampiique animum: ita adverſus torrentem niti, & in præſens exitium nulla ſucceſſus ſpe ruere veſanum eſſe. Neque vero Carolum Guſtavum ſuos ejusmodi diſciplina imbuiſſe, ut à modica caterva totus exercitus opprimi queat. Nec incendia ita in occulto ac repente fieri poſſe, ut Sveci non ſint accurſuri, ipſosque vinci ſuetos profligaturi. Quod ſi manus illa, quæ ſola ſuperſit, cladis quid accipiat, id terroris oppidanos correpturum, ut arma ultro è manibus effluxura, nulloque reſiſtente portæ victori aperiendæ ſint. Gelu porro abſque interruptione ſæviens omnem ſpem adimere auxiliorum brevi obtinendorum. In Belgio quoque claſſem nondum paratam, & accurrentes licet ſumma cum diligentia Brandenburgicos Polonosque citra claſſem in inſulas pervenire non poſſe. Interim quicquid eſt militum tota Svecia excitum iri, & extrema in Hafniam tentanda, ubertim omnis laboris & ſanguinis pretium refuſuram. Munitiones porro urbis plerasque collapſas partim ſecuritate, quod intra ſeculum Selandia hoſtem non vidiſſet, partim parſimonia, & quod ſumtus iſti inutiles judicarentur, ſimul quia nec oppidani libenter munitionibus includi voluerant, velut præſidiarii militis deinceps moleſtiis obnoxii futuri, ipſaque Nobilitas eam quaſi arcem ſuæ libertati exitioſam ſtrui abhorruerat, aut ne oppidanis ex iſtis munitionibus contumacia adverſus ipſam accederet. Vallum præterea hinc inde ſubſediſſe, ut ei ſuperando ſcalis opus non ſit, nec humum ligonibus moliri gelu permittere. Sed nec machinis vallum rite inſtructum eſſe. Urbem porro populoſam provincialibus huc refugis nullo annonæ proviſu intra paucos dies famem ſenſuram, ſi maxime obſidium tolerare placeret. Sed & turbidis plebem animorum motibus agitari. Multos criminari ac inſenſos odiſſe ad clavum reipublicæ ſedentes, quaſi quorum impudentia in tanta mala præcipitarint. Alios proditos ſe clamare, velut ad hanc calamitatem non fati iniquitas aut ſocordia hominum ſuffecerit. Omnes in univerſum conſternatos, conſiliis inopes, niſi quod ſoli Regi Friderico inter tantas adverſitates inconcuſſa animi firmitas conſtet. Denique ſi Sveciæ Rex penitius miſeram Hafniæ conditionem didicerit, lubi-

1658. lubidinem ipſum ſubituram vim admovendi, quem nunc ancipitia belli meditantem prudentia ſubigat, certo potius & modico lucro adquieſcere, quam incertam aleam jacere. Accedebat & illud, quod Rex Sveciæ ſparſerat, colophonem tractatibus ſuis cum Polono mox imminere, & brevi quoque cum Rege Hungariæ ac Brandenburgico Electore ſibi conventurum. Et quia integrum fere menſem nil literarum è Germania allatum erat, veredariis per Svecos interceptis, fœderatorum conditio, & quid conſiliorum iſti agitarent, Danos latebat. Accedebat denique extremum malorum diſcordia, ac diffidentia Regem inter & Nobilitatem, tum oppidanorum in hanc odium, ſummam rerum brevi everſura, ubi admoto propius periculo ſemel in apertum erupiſſent,

Pax Toſtrupi concluditur.

§. 11. Sic igitur Hafnia reverſi Gerſtorfius & Schelius una cum Medovio pacis concludendæ cauſa Toſtrupi, cum Svecicis Commiſſariis Ulfeldio & Bielkio iterum congrediuntur. Vicus is eſt, duobus ab Hafnia milliaribus diſtans. Nam interim Rex toto cum exercitu Coagium usque acceſſerat quarto ab Hafnia milliari, nuntiis ſubinde Stenbockium urgens, ut quantum poſſet, è Svecia adpropera-ret. Tum ipſe cum valida equitum caterva in conſpectum Hafniæ proceſſit, ubi ſublimiore loco equitum Danicorum ſtatio diſpoſita erat, quam Rex inde pepulit, ſuorumque ſtationem ibidem collocavit, prohibendis Danorum ex urbe excurſionibus. Interim dum tractatus Toſtrupii fervent, Rex cum exercitu Hafniam eminus legebat, velut occaſionem captans ejusdem ex improviſo invadendæ, uti circa Friderixuddam factum erat. Præſertim poſtquam Toſtrupum à Friderico miſſus ad ipſum Ovvenus Julus poſtulatis ſuis ſuſpicionem injiceret, velut Dani inanibus tractatibus ipſi illuſum irent. Unde expedire judicabat continuis terroribus iſtos anxios tenere, ne pacis conſilia mutarent. Simul ad fretum utrumque Balticum omnes tranſeuntes accurate excuti jubebat, ne iidem literas in Holſatiam & Germaniam mittere poſſent. Cœterum in tractatibus illis multa à Svecis remittebantur aut omittebantur eorum, quæ Wordingburgi poſtulata fuerant, ſtudio ſequeſtrium in partes Danicas, & quia diſceptationibus tempus terere non placebat. Ipſe quoque Ulfeldius non pauca condonaverat occulto in Danos favore & contradicentem collegam obtentu ſecretorum à Rege mandatorum protelaverat. Sane decem naves bellicæ obtineri poterant, ni Ulfeldius vetuſtate putridas jactaſſet, & quas abducere operæ pretium non foret. De bis mille quoque peditibus remiſſum, velut plerique indigenæ forent, nec militiæ Svecicæ idonei. Injecerant quoque Dani, ſe Regem ad participandum vectigal Oreſundicum admiſſuros ea lege, ut ipſi hactenus ſolita deinceps quoque exigerent, parem hiſce ſummam Rex transeuntes poſceret. Id quod à Rege repudiatum, velut certum à Belgis Anglisque bellum ſibi attracturum ſuper Nidroſia cedenda maximam difficultatem movebant Dani, qui, cum Rex millionem uncialium, & decem quas poſtulabat naves bellicas, ac captivorum lytra eo nomine remitteret, quinquies centena uncialium millia, quinque naves, ac lytra captivorum offerre malebant, prætenſioni quoque Regis in Comitatum Delmenhorſtanium fauturi, modo Nidroſienſi præfectura petenda deſiſteretur, è qua tamen etſi latis terrarum ſpatiis diffuſa ultra quadraginta uncialium millia annua non redibant. Unde & Rex Eduardo Ehrenſteinio ſecreto injunxerat, ut ſi animadverteret, ad eum ſcopulum tractatus adhæreſcere, Commiſſariis ſuis ſignificaret, ſe malle eo poſtulato deſiſtere, quam tractatus ideo abrumpi. Enimvero Claudius Tottius, in cujus hoſpitio Danici Commiſſarii agebant, in lecto poſt ſiparia ignoratus jacens iſtos diſſerentes audierat. Nidroſiam utique ſi Sveci pertendant concedendam, ſimulandum tamen velut abrumpi tractatum malint, & menſa ſurgendum, ſed à ſtantibus demum ceſſionem faciendam. De eo Tottius Bielkio indicium fecerat, qui & ideo, cum Dani rupturam minarentur, Ehrenſteinium de Regis mandato ſignificare volentem audire abnuebat, valde quidem anxium ne juſſa Regis neglexiſſe argueretur. Ita poſtquam utrinque ſurrectum fuiſſet, de Nidroſia conceſſum eſt. Cupiebant quoque Dani Belgas aliosque amicos tractatui

Ehrenſtein.

13. *Febr.* *Köge.*

16. *Febr.*

1658. includere, id quod Sveci declinabant, ob disceptationes & considerationes, quæ circa includendos aut omittendos certos Principes oriri
18. Febr. possent. Summa capita, super quibus Tostrupii conventum, paucis verbis in scriptum redacta, & à Commissariis utrinque ac Sequestribus subscripta, quod incommoditas loci ac temporis angustia non ferret ista ibi in justum instrumentum redigi. Ea
19. Febr. Torslund Magle. sequente mox die à Carolo Gustavo Torslundæ Maglæ ratihabita sunt, idemque à Friderico Hafniæ factum.

Instrumentum pacis Roschildiæ adaptatur. §. 12. Conventum inde, ut utrique Commissarii Roschildiam se conferrent, quo & Danici, postquam acta retulissent, statim proficiscebantur, quantum possent duritiam conditionum moderaturi. Postulaverant Conradus Beuningius Belgarum Legatus à Gerstorfio, ad tractatus Tostrupium proficiscente, ne quid concluderetur in fraudem fœderis, quod Daniam inter ac Belgas initum foret, id quod & hic pollicebatur. Sed cum formula Tostrupiensis allata esset, ille statim libello oblato sollicitare incipiebat, quæ super renuntiatione fœderum in præjudicium alterutrius initorum, deque auxilio alterius hostibus non ferendo, classibusque externis in Mare Balticum non admittendis convenerant, pacem vix coalescentem jam tum convulsurus. Quæ uti Dani necessitate excusabant, legibus superiore, ita verba pacti eam posse interpretationem ferre, ut ea fœderi inter Daniam Belgasque fraudi non forent. Pactis porro Tostrupi conclusis statim apud exercitum Svecicum jussu Regis hostilia cessabant. Et quia adparebat Roschildiæ quoque rem promte expediendam, Rex suis mandabat, ut circa exigendum tributum incendiarium festinarent, quod post pacem penitus conclusam Selandia statim deserenda foret. Conventi quoque
21. Febr. bis mille equites sine mora à Trampio Coagium adducti, cum antea à Danis, etsi nullo concluso consultatum foret, an non sub prætexto illos equites exhibendi Sveci per hospitia sparsi opprimendi sint. Circa istos equites statim controversia surgebat, quod illi vix mille ducentorum capitum essent, ac Dani, qui deerant, octingentos supplere abnuerent, causati, catalogum bis mille capita repræsentare. nec sibi imputari posse, si præfecti fraudem adhibuerint, vel aliqui equites conscientia vecordes se occultaverint. Nec rationem esse, quare magis adhuc copias suas imminuant, postquam ob solutam glaciem in majore Balte, exercitui Svecico adhuc diutius in Selandia subsistendum sit. Contra Sveci arguebant, istos equites fere inermes esse, ac laceris vestibus, multos natione Danos, & pedites equis impositos, cum tamen conductitii militis copia sit, quem ad alia destinata reservari adpareat, cum alias isti magnis sumtibus forent sustentandi. Sed & multi eorum deserta quondam in Polonia Svecorum militia pœnæ metu inviti ad hos redibant. Cæterum Roschildiæ Dani ab initio ut tractatus properarentur valde urgebant, quamdiu Svecico militi per Balten iter è Selandia patebat. Sed soluta glacie moras iterum nectere incipiebant, & Hafnia à Friderico ad Carolum Gustavum missus Ovvenus Julius literas attulerat, quibus petebatur, ut traditio oppidorum Scanicorum differetur, quoad exercitus Svecicus Selandia digressus esset, ac interim hic solo Helsingburgo tradito adquiesceret. Id quod Beuningio suggerente inventum erat extrahendo tempori, quoad remissum gelu Svecis rem gerendi occasionem corrupisset, ac aliunde auxilia advenire possent. Interim Rex Claudium Tottium destinaverat ad accipienda Scaniæ oppida, quem & Hafniæ ex itinere salutare jusserat Regem Fridericum, deque sua in ipsum amicitia confirmare. Simul quatuor legiones pedestres, duas equestres misit, qui apud cauponam in litore medio inter Helsingoram, & Hafniam itinere per glaciem in Huenam, inde in Scaniam transirent. Quia autem pactis diserte cautum erat astutia Ulfeldii, ut exercitus Svecicus prius Selandia digrederetur, inde Scaniæ oppida hoc ordine traderentur, Helsingburgum die 27. Februarii, Landscrona sequenti die, Malmogia Kalendis Martii, Christiani stadium quarto ejusdem mensis die. Dani circa ea oppida tradenda scrupulos movebant, velut ali à se nequeant iisdem deducta præsidia, antequam Sveci Selandia excessissent, unde Rex gravi suspicione perstringebatur,

Ovve Jul.

NAPOLI

Digitized by Google

N. 78.

1658. cur, volunt Dani eas moras quærerent eludendis plane tractatibus. Igitur Stenbockio injungebat, cum omnibus, quas corradere posſit, copiis in Scaniam properaret, ac ad Helſingburgum ſtativa capeſſeret, ac ſi ad arma in Selandia fuiſſet aditum, omnia faceret, quæ ratio belli dictaret. Ipſe protinus Ringſtadio, quo ſeſe cum exercitu Goagio contulerat, Marchionem Badenſem cum equitatu recta Hafniam mittebat, qui noctu Roſchildiam prætergreſſus ad unum milliare Hafniæ propinquabat, mox obſidium orſurus. Simul fama ſpargebatur, Stenbockium jamjam cum ſex militum millibus Scaniæ fines ingreſſurum. Ovveno Julo Rex nihil amplius indulgebat, quam ut Danicus miles oppidis eductus tantiſper in Scania hoſpitiis frueretur, quo Selandiæ parceretur. Cæterum ſuſpicionem & offenſam ſuam non diſſimulabat. Unde & Fridericus Rex datis ad iſtum literis id poſtulatum excuſabat, nec in ſe moram fore, quo minus pax ſtatim ex convento executioni detur, ſeque jam Tottio ſignificaſſe, ad præfectos oppidorum ſuper hiſce tradendis mandata fuiſſe transmiſſa. Adventu quoque Juli Rex Ehrenſteinium celeribus equis Ringſtadio Roſchildiam pervolare juſſerat, ut Danicis Commiſſariis in os diceret, ſecuritatis ſuæ gratia copias Selandia deduci non poſſe, ni certi nuntii ſint allati, oppida Scaniæ in Svecorum poteſtate eſſe, præſertim cum tempus iſtis evacuandis conſtitutum jam adſit, cujus verbis Marchio cum equitatu eo ipſo tempore Hafniam verſus tendens ingens pondus addebat. Unde citra moram exhibebatur cautio, oppida Scaniæ traditum iri, ſtatim atque adeſſent, qui nomine Regis Sveciæ iſta acceptarent. Simul legatus Gallicus & Anglicus audito iſto motu raptim Ringſtadium excurrentes confirmabant, à Danis conventa utique bona fide impletum iri. Sed & Dani unum & alterum caput, de quo Toſtrupi jam conventum fuerat, Roſchildiæ eluſum ibant, ni metus incumbentis exercitus cavillationes excluſiſſet. Supererat cauſa Ducis Gottorpienſis, cui Rex præter Toſtrupi jam promiſſam præfecturam Snabſtedenſem, ſummum in Ducatum Sleſvicenſem imperium & abolitionem communis regiminis in Holſatia; etiam Rendesburgum procurare cupiebat, in compenſationem damnorum eo bello acceptorum. Aut ſi id annuere Dani nollent, ut hi ſaltem laxioribus verbis pollicerentur, Duci aliqua loca tradenda, hypothecæ in vicem poſſidenda, quoad ipſi pro damnis hoc bello acceptis ſatisfiat. Sed uti hoc quidem Dani præfracte recuſabant; ita & circa tollendum commune Holſatiæ regimen cauſabantur, id fieri non poſſe citra conſenſum Ordinis Equeſtris ejus provinciæ. Et quanquam Sveci reponerent, cum ea communio non a legibus imperii, ſed à Ducum Slesvicenſium peculiaribus pactis promanarit, nec Ordinis Equeſtris interſit, eadem pacta ab ipſis Principibus recte tolli & aliter de iſta diſponi poſſe, Dani tamen aſſeverabant, ſuper hac re cum Ducis legatis, ubi advenerint, facile ſibi conventurum. Quos cum expectari tempus non ferret, placuit, ut Duci intra Kalendas Maji, & antequam Svecicus exercitus è Dania digrederetur, ſatisfieret. Nam acriter Rex urgebat, ut Roſchildienſi negotiationi finis imponeretur, quod claſſis Belgica parata ſtare, & Brandenburgicus copias ſuas contrahere nuntiaretur, præſidio quoque Minda educto, ſic ut ſpes propinquorum auxiliorum Danos facile ad alia conſilia capeſſenda permovere poſſet. A quibus hi non valde alieni eſſe videbantur, quod circa adornanda Roſchildiæ pacta admodum frigidos ſeſe exhiberent. Igitur Rex in omnes Danorum motus intentus copias ſuas expeditas tenebat, idemque Stenbockio è Svecia Scaniam verſus moventi, injungebat. Ita demum tractatus Roſchildienſis abſolutus, & à Commiſſariis ac ſequeſtribus ſubſcriptus fuit. Gerſtorfius cum ſubſcribendum eſſet, uni adſtantium in aurem dixerat, vellem ne ſcire liceat. Etſi cogitare debuerat, non tam quid Dania hac pace amitteret, quam quid recuperaret. Ratificationibus hinc inde tradendis dies ſecunda Aprilis dicta eſt, quam Hafniæ è Sveciæ parte peregere Steno Bielkius & Henricus Hoghuſius Secretarius. Hac pace prudentes in Belgio judicabant, Ulfeldium & Medovium Daniam ſervaſſe, quorum & hic Danis ea negotiatione admodum faverat. Sane idem Munninghio dixerat, valde ſe dubitare, num pax iſta tam duris Daniæ conditionibus

Rendesburg.

Hoghuſen.

1658. bus Protectori placitura sit, præsertim cum ipse in mandatis habuerit ejusmodi pacem promovere, quæ æqua sit, nec cum Daniæ mutilatione conjuncta. Qui & ipse Beuningium stimulaverat, ut populares suos ad conservationem urbis Gedanensis hortaretur, pollicitus, Anglis quævis Svecorum pollicita post pristinum ejus urbis statum habenda.

Pax executioni datur.

§. 13. Cæterum uti circa alia opera nimium properata contingit, ut fere defectibus scatere soleant, ubi curatius inspiciuntur, ita dum Roschildiæ tam anxie ad finem festinatur, factum fuerat, ut nonnulla omitterentur aut obscurius ponerentur, quæ perspicue exprimi par fuerat, novam mox querelarum materiam datura. Sicuti circa caput de oppidorum evacuatione in eventum cautum non erat, ut si contingat copias Svecicas dicta die in Scania oppidis acceptandis non adesse, id Regi Sveciæ fraudi non sit, quo minus eadem post statim atque facultas data fuerit acceptare queat. Sed nec circa eductionem copiarum Svecicarum è Selandia ea conditio diserte adjecta fuerat, *quantum ejus fieri possit*, & ni tempestas aut maris conditio transportationem impediret. Sic & conventum erat, ut Svecicum præsidium Nascovia ad diem quartum Martii deduceretur, relicta simul Lalandia & Falstria, sed omissum erat, si dicta die miles Lalandia deduci non posset, ut tantisper in prædiis Nobilium aleretur. Quas cautelas omissas Rex ægre admodum ferebat, quod nollet Danis ansam cavillandi præberi, ab se conventis non ex asse satisfactum. Pari modo & circa deductionem totius exercitus è Dania addendum fuerat, *si fieri posset*. Cupierat quoque Rex Roschildæ definiri negotium de salutatione navium arces Cronæburgensem & Helsingburgensem prætereuntium: ac necessum foret in antecessum denunciare, si naves Svecicæ Oresundam transire velint. Eam quippe rem esse perpetuam, nec ad fœdus debuisse seponi, quod in paucos annos ineundum foret. Quæ Roschildiæ neglecta mox legatis Hafniam missis non pauca negotii dedere, Danis tunc admodum difficilibus ad quid Svecis gratificandum, postquam credebant, se non amplius cogi posse. Porro antequam de traditione Scaniæ constaret, Rex legiones è Selandia deducere haut tutum judicabat, quod nosset Beuningium hactenus fatigisse, & adhuc satagere circa pace nullam turbandam. Igitur Wrangelio injungebat cum exercitu in hospitiis quiescere, quoad adpareret, num quid adhuc difficultatis surgeret. eo prætexto usus, quod prius glacies inter Lalandiam & Langelandiam exploranda sit, num adhuc militi ferendo sat firma foret, nam apud Corsaram iter jam interruptum erat. Interim peditatum paulatim Wordingburgum versus progredi jubebat, eoque tractu subsistere, quoad nuntii è Scania venissent, omnia ibi rite confecta. Militem tamen accurata disciplina coërceret, nec provinciales exactionibus pecuniarum oneraret. Sed cum mox inter Lalandiam quoque & Langelandiam glacies soluta foret, commorandum utique copiis in Selandia fuit, donec navigia iisdem transportandis contraherentur. Et cum jam munimenta Scaniæ tradita nunciarentur, Rex Wrangelio, ut quantum posset è Selandia moveret, imperabat. Nascoviæ à Svecis machinæ, Rege Friderico rogante, relinquebantur. Cæterum traditio oppidorum & provinciarum convento tempore peracta est. E Selandia per glaciem in Scaniam à Rege duo peditum millia mittebantur ad capessendam possessionem oppidorum Scaniæ, comitantibus duobus Commissariis Danicis. Ista oppida Regis nomine accipiebat Claudius Tottius, Blekingiam Axelius Lilius, Bahusiensem præfecturam Ericus Stenbockius & Haraldus Stakius. Nidrosia Laurentio Creutzio consignata fuit. Literæ cessionis à Rege Daniæ & Senatoribus subscriptæ statim in Scaniam transmittebantur, quibus iste omni juri in eas provincias renuntiabat, easque æterno jure in Sveciam transferebat, subditis fide jurato dato exsolutis. Pace confecta Carolus Gustavus per literas Regi Galliæ gratias egit, pro navata circa conciliandam pacem opera, quibus literis primum vocabulo *Majestatis* hunc honorabat, quod à Rege Galliæ ipsi repositum. Eam operam obierat Hugo Terlonus primum ablegati tantum dignatione à Rege Galliæ missus, ad munera quædam Carolo Gustavo in Poloniam adferenda. Sed mox mortuo Avaugurio cum Rex istius ingenium

Lilie. *Stake.* *Creutz.* 24. *Febr.* 26. *Feb.*

1658.

desti-

Arx Balnasia
Turres Krabbetown
Elff

Digitized by Google

Digitized by Google

Sperrenung
Oguhem Friderichsburgum
ricsburgum
Lieut. Dahlberg's Ground Quarter mr. of ye Lieut. Colonell Regiment
J. L. Pinart Sculp.
Party An 1698.

Digitized by Google



NAPOLI

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

irgid. 3.4. et 5. Mart. 1658.
Philippus Madrae Leonis Asiaticus.
N. 76.
I. Pouwe sculp.

1658. destinatis suis idoneum sensisset, honore Legatis solito eundem mactavit, atque ut is character ipsi conferretur in Galliam scripsit. Id quanquam vehementer urebat Mazarinum, ministros sibi ab alio Rege obtrudi, ipsi magis commodos, quam ei, cujus negotia obeunda erant, tamen cum Regi abnuere id non posset, ea dignitas eidem confirmanda fuit.

Reges inter se amicè convivantur.

§. 14. Novæ amicitiæ firmandæ Fridericus Rex Ernestum Guntherum Holsatiæ Ducem ad Carolum Gustavum Ringstadium mittebat, qui ipsum Fridericiburgum invitaret, cui hic multa cum humanitate condixit, & quidem nulla prævia stipulatione de numero Comitum & præsidiariorum, sed mutua fiducia, quod nec Carolum Gustavum sua magnanimitas, nec Fridericum sua probitas flagitii quid metuere aut cogitare pateretur. Sane haut deerant, qui Carolo Gustavo magnopere dissuaderent, ne hosti reconciliato se ipsum crederet, cui planissima foret via amissa recuperandi, si manus eidem injiceret. Sed hic indignum se ducebat, ullum metus signum dare congressu declinato. Etsi haut eo secius ducibus suis clam in eum eventum mandata daret, si forte
1. *Mart.* inexpectati quid in se admitteretur. Condicto die Rex modico cum comitatu Roschildia movebat, cui à Friderico Rege cum rheda propria obviam mittebatur Henricus Bielkius & Ovvenus Julus; ad dimidium milliare à Fridericiburgo ipse Rex Fridericus occurrebat. Ubi in conspectum venissent ex idoneo intervallo uterque Regum rheda desilientes, ac celeri gradu mutuo occurrentes datis dextris humanissime salutabant. Inde uni uterque rhedæ Danicæ insidentes, quam primus Carolus Gustavus velut hospes, inde Fridericus ingrediebatur, Fridericiburgum advecti sunt. Tractatio & conversatio inter omnia sinceræ amicitiæ imitamenta exacta, ut hostilitatis memoriam bona fide sepultam crederes. Ad mensam summo loco adsidebat Regina Daniæ Sophia Amalia, ad dextram Rex Carolus Gustavus, ac subisthoc Fridericus eodem latere. Omnium animos in se id spectaculum traxerat, duos Reges ante paucos dies de summa rerum certantes, nunc hospitalis mensæ sanctimonia jungi. Nec minor inter Comites utrinque humanitas & hilaritas, 1658.
quam magnificæ epulæ, nec parcus Bacchi liquor provocabant. Per duas noctes sub eodem tecto Reges exegere. Bina vice Regibus inter se colloquium absque arbitris fuit, quod ultra duas horas extendebatur. Tradidere nonnulli ex eo congressu Carolum Gustavum arripuisse occasionem, altera vice Daniam invadendi, idque consilium ipsum in itinere Gothoburgum cepisse. Cujus tamen rei ego in actis Regiis nullum vestigium reperire potui. Id non abnuerim, de Cornificio Ulfeldio à Friderico Rege & Regina multa fuisse dicta, quæ in Caroli Gustavi animum alte descenderint. Ac mox gratiam ipsius refrixisse animadversum fuit. Qui & post ordinandis Scaniæ rebus cum Gustavo Ottone Stenbockio & Joanne Gyldenstierna adhibitus Nobilitati Danicæ adrepebat, ac post recrudescente bello proditionis compertus Svecis pro tot exhibitis beneficiis malignam gratiam referebat. Petente Carolo Gustavo Hafnia adductus quoque est primogenitus filius Friderici Christianus, quem iste humanissime allocutus est. Inter convivii lætitiam Danici ministri Cojetum urgebant, Regem rogaret, ut Principi Christiano Nidrosiam donaret, multis memorantes, quanta gloria tam generosum factum secutura esset. Sed Cojeto cum post longam tergiversationem Regi rem exponeret, hic respondebat: sine circuitione Danis diceret, non esse Sveciæ in præsens Regem Magnum *Smeek*. Iste Magnus Rex blanditiis Danorum fascinatus hisce Scaniam, Hallandiam & Blekingiam donaverat, quem ideo Sveci cognomento *Smeek* notarunt, quod vocabulum lingua Gothica talem notat, qui blanditiis os sibi sublini patitur. Fridericiburgo Rex digre- 5. *Mart.*
diens aulicos, qui ipsi ministraverant, magnifice munerabat, ipse vicissim à Friderico generosis & egregie instratis equis donatus. Tum eodem, quo acceptus fuerat, honore dimidium ultra milliare deductus Helsingore vix dimidiam horam moratus eadem adhuc die celoce Danica Helsingburgum trajecit, ubi adpellentem Nobilitas & Clerus provinciæ velut novum Principem debita reverentia salutarunt. Aliquot inde dies insumti ad lustran-

1658. dam provinciam, & oppida hac pace parta, novique cives humaniſſimo alloquio deliniti. E Scania, Gothoburgum ſeſe Rex contulit, quo ſena-
29. Mart. tores & ſelectos Ordinum evocaverat, conſilia in futurum cum ipſis digeſturus.

Conſultationes Regis de actionibus in futurum ſuſcipiendis.

§. 15. Gothoburgi dum agit Rex, circa interna regni negotia disponit, & quia è Belgio tempeſtatem immineré prævidebat, magna cura claſſem armari jubet. Sed quid in futurum foret ſuſcipiendum, & in quam partem arma vertenda ſolicite trutinabatur. Equidem multum gloriæ non minus emolumenti partum erat tam feliciter patrato bello Danico, Sveciæ longe moleſtiſſimo ob turbata commercia. Nec tamen ideo minor rerum moles ab aliis hoſtibus incumbebat. Sane id adparebat, Regem haut ſtatim cum omnibus ſimul hoſtibus pace potiri, ſed nec cum omnibus ſimul pari vigore armis certare poſſe. Nec conſtabat, uter hoſtium ad pacem prius amplectandam pronus eſſet. Veroſimile tamen videbatur, Polonos præ reliquis pacis deſiderium ſubiturum, velut qui primi arma Regis ſenſerant parum ſibi lætabilia, quos & viribus plane exhauſtos Auſtriaca auxilia premebant, quæ quamprimum amoliri iſtis maxime in votis erat. Sed nec Regi placebat præcipuas vires in hoſtem vagum & fugitivum vertere, pugnæ copiam facere declinantem, bellique adeo lenti ac moleſti materiam præbiturum. Ipſa quoque Polonia paſſim evaſtata, nec alimentis exercitui præbendis ſufficiens, tum cœlum ibi exteris inſalubre, morbisque infeſtum, plus hominum quam ipſum ferrum abſumentibus. Nec facultas ibi copias ſupplendi, quod indigenarum lingua, genius, ſacra Svecis adverſa forent, exteri autem aſperam regionem refugerent, aut ſi inviti eodem trahantur, languide admodum rem gererent. Igitur Polonis ad pacem compellendis utile videbatur, ſi in vicina Sileſia aut Livonia exercitus haberi poſſet, metu irruptionis ad æquas pacis leges ipſos inducturus.

Polonicum bellum continuari non placet.

An arma in Moſcum vertenda.

§. 16. Cum igitur haut arrideret ſummas vires iterum in Poloniam effundere, ulterius anquirebatur, Moſci potius an Auſtriaci forent invadendi? Equidem ut in Moſcum præcipue ferrum ſtringeretur, multæ rationes ſuadebant. Nam juſtiſſimam iſtum bellandi adverſus ſe cauſam præbuiſſe, perfido plane modo æterna pace abrupta, ac miſere vaſtatis vicinis provinciis, jure inſuper gentium detentis legatis violato, quem & finibus Sveciæ imminentem ante omnia cervicibus noſtris depellendum. Perſpectam quoque ejusdem ignaviam, nec ſocios ipſi eſſe, qui formidandi ſint, ſic ut prope explorata de eodem victoria videri queat, Sveciæ nil invidiæ, æmulationis aut ſuſpicionis paritura. Et tamen ſi quid iſta parte terrarum adquiratur, Sveciæ magni æſtimandum fore, præſertim ſi pleraque Moſcoviæ commercia Svecis obnoxia reddi queant. Eo ipſo quoque Regi commodam naſci occaſionem bene meritos cives beneficiis mactandi, ac poſſe citra ſcrupulum partas ibi terras inter Svecos per donationes diſtribui. Nec defore militi materiam prædarum, opulentis ibi proceribus & cœnobiis, quæ expoliaſſe citra invidiam fuerit. Noſtratem quoque militem, Svecos, Finnones, Livonos ab hoc bello non fore alienos. Quod ſi Poloni non poſſint in partem ejus belli trahi, ſaltem Coſaccos haut difficulter movendos, ut de præda participare velint. Sic ut hoc bellum Sveciæ præ reliquis optandum videatur, modo alia id negotia permittant. Neque tamen deerant rationes, quæ iſthoc bellum declinari ſuaderent. Eo remiſſius odium mereri Moſcum, quod manifeſtum ſit, à Danis & Auſtriacis in bellum eſſe pertractum. Nec adeo ſpernendum hoſtem, qui ſaltem numero copiarum multum damni ac moleſtiæ dare queat. Bellum quoque in ejus terra difficulter geri poſſe, velut nobis incognita, multis paludibus, fluviis ac lacubus interſciſſa, quarum ope hoſti in proclivi ſit ſuis commodis proſpicere, ac occaſionibus nobis nocendi imminere. Deeſſe quoque facultatem ſupplementorum iſtis terris, ubi copiæ ferro aut morbis imminutæ fuerint, cum ne frugi quidem ſervum ex ea natione nanciſci liceat. Quia porro Germano militi perſuaderi non poſſit, ut in tam remotas regiones deduci ſe patiatur, Svecos & Finnones periculo objiciendos, robur & nervum noſtrorum exercituum, qui conſumti haut ita brevi pullulent. Re-

1658

gionem

1658. gionem porro utrinque in finibus ita esse vastatam, ut exercitus ægre ibi sit inventurus, unde vivat: profundius autem in Moscoviam penetrare anceps esse, ni in omnem eventum de receptu prospectum sit. Quod si bellum in longum extrahatur, dubium non esse, quin Angli Belgæque nos distracturi sint, ubi animadverterint, quid nos circa commercia Moscica agitemus, istis nationibus quam lucrosissima. In Cosaccorum auxiliis fiduciæ nil reponi posse, velut gentis lubrica fide. Nec satis cautum esse, quin Turcæ quoque & Tartari adversus nos in id bellum descensuri sint. Saltem Polonos, si pax interim cum ipsis haut coëat, à tergo infestos incubituros. Quod si Rex totis viribus bello Moscovitico immergatur, cum ab omnibus amicis destituendum, ibi videant, ejusdem se auxilio frui non posse, in diversa terrarum parte arma circumferendis, eoque suæ securitati alia ratione prospecturos. Contra hostes Regis, qui nunc ambigue agunt, animum sumturos velut certa victoriæ spe, operamque daturos, ut belli sedes in Moscovia figatur, viaque pedem iterum retrahendi occludatur, quo ipsi pro lubitu interim rem gerere possint. Moscum quoque barbara insolentia, ubi paululum fortunam experiatur faventem non prius quieturum, quam ereptas sibi quondam à Svecis provincias recuperarit: Eam occasionem quoque malevolos in Germania arrepturos provincias ibi Svecicas invadendi. Igitur haut consultum videbatur Regem cum robore copiarum in istum angulum mundi penetrare, summamque rerum ibi periculo exponere omissis majoris momenti negotiis, & quæ ipsius præsentia opus habeant. Neque tamen id bellum plane deserendum, sed virum militiæ expertum eo mittendum, qui Moscos fatiget Finnonibus, Estonibus ac Livonis succinctus, & si quæ aliæ copiæ ibi corradi queant. Tum operam dandam, ut iisdem Cosacci, & post pacem factam Poloni immitti queant.

An in Austriacos? §. 17. Ast circa Domum Austriacam deliberatio haut ita erat in expedito. Potentem istam & validam propriis viribus, tum potentibus succinctam sociis, Hispano, Pontifice, Clero Germaniæ, nec non quibusdam Electoribus & Principibus, qui ei se perpetuo addictos ferant. Esse illi militem egregium, præstantesque duces, non inconditam turbam, qualis fere Polonis & Moscis. Nec pessumdari eandem posse, utut uno vel altero prælio victam, sed quæ bello extracto etiam victorem fatigare queat. Nos contra pecuniarum inopia premi, nec supersesse indigenæ militis copiam, tam latis finibus & amplis provinciis tuendis: hostes uno plures, infidos amicos, quorum insidiæ cavendæ, paucos socios, quibus tuto inniti liceat. Quanquam enim Galli & Angli forte quid promissuri, atque initio belli reipsa præstituri sint: fieri tamen facile posse, prout fidei publicæ exigua fere cura est, ut vel invidia in nostros successus, vel desperatione nostræ calamitatis, vel obortis domesticis turbis distracti aut cerebrosi ministri culpa prætexto undecunque arrepto bello sese subducere queant, nobis solis destitutis. Nec solidiora à Germaniæ Principibus expectanda esse, prioris belli exempla satis edocere. Quod si maxime fortuna nobis faveat, ut honesta pace cum aliquo emolumento potiamur, in futurum tamen æque maligne nobis cautum fore, quam hactenus, nisi Domus illa penitus subruatur, & Catholicorum potentia improviso aliquo casu evertatur. Id quod longissimi temporis opus sit, nec inter rationes referendum. Igitur utique expedire videri, ut, quantum liceat, bellum cum ista Domo declinetur, mussitando injurias jam acceptas, dissimulando offensas, amicitiam fœdera offerendo, ut jam Rex cæperit. Enimvero ista si non valeant, ac eadem obstinato consilio in bellum ruerat, haut sane indignitatis quid committendum, nec degeneri timori succumbendum, sed quantum vires ferant hosti obviam eundum. Nec deesse, quæ nobis addere animum queant. Justitiam causæ penes nos stare, velut quos Austriaci, insuper habitis solennibus pactis aliis hostibus districtos invaserint, Danum, Moscum, Brandenburgicum, nobis immiserint, quo minus pax cum Polonis iniri potuerit, impedierint. Adspiciendos quoque à nobis Austriacos velut perpetuos hostes & æmulos, quibus rationes suæ in eo collocentur, ut Sveciam debilitent, atque ita enervent,

1658.

1658. vent, ut non amplius rebus ſe Germaniæ immiſcere, ac aliquod in alterutram partem momentum adferre queat, turbandis ipſorum deſtinatis. Ad quem ſcopum obtinendum ipſos nunquam omittere omnia machinari in noſtrum exitium, clam, palam, per ſe, per alios inprimis ut nos iterum ſolo Germaniæ depellant. Eosdem pari ſe modo adverſus Galliam, Germaniæque Ordines geſſiſſe, ut ferri amplius non poſſint, iſtius hoſtibus auxilium tuliſſe, executionem pacis Weſtphalicæ ludibrio habuiſſe, unum & alterum ex Ordinibus pro libidine oppreſſiſſe. Eosdem & indies magis premere ſacrorum noſtrorum ſocios, ſane commiſeratione dignos. Sed & præcipue occaſionem nunc arridere, in ipſis belli nobis movendi auſpiciis extincto Ferdinando, adoleſcente adhuc Leopoldo, & rerum imperito. Quæ multorum ex conſilio expedienda ſint, in belli præcipue negotio difficulter & languide procedere, ac raro inſignes effectus ſortiri. Nec Leopoldo nondum Cæſaream dignitatem adepto, ſpem in auxiliis imperii eſſe. Provincias ejusdem hæreditarias partim exhauſtas, partim ægras, gliſcente ob ſacra perſecutione, quæ res demum in nervum eruptura ſit. Nec adeo formidandum exercitum fore, qui in expeditionem educi queat, ſi ſubtrahantur, quibus ad fines & munitiones tuendas iſti opus ſit. Subſidia Pontificis & Hiſpani lento moliri, ac ſuperiore bello vix operæ pretium feciſſe. Catholicos in Germania parum concordes, & à Gallia ex iſto latere ſatis in officio contineri poſſe. Proteſtantes, qui Cæſaris in gratiam aliquid facturi ſint, pro Rege Hungariæ non adeo connixuros, præſertim ſi conſtet, hunc eſſe belli autorem, proterve quoque contemta Regis amicitia, & quia Sveciæ cum imperio & Ordinibus nihil eſt negotii. Eſſe denique Sveciæ jam Regem egregium, fortem, providum, ac felicem, cui ſit victor duorum regnorum exercitus, egregiorumque Ducum copia. Milites uti à bello Polonico & Moſcovio abhorreant, ita Auſtriacum optare. Cognitam hiſce eſſe regionem, linguamque populi, ubi bellum ſit gerendum, Germaniam quoque affatim ſuppeditare rerum exercitui ſuſtentando. Stare porro Regis exercitum jam in limite Germaniæ, nec opus eſſe, ut is multis cum ſumtibus, nec citra periculum trans mare deducatur. Si nunc occaſionem Auſtriacos invadendi negligamus, eosdem deinceps nos, ubi arma exuerimus, aggreſſuros, ſeram querimoniam moventes, tam opportunis temporibus manus haut fuiſſe injectas. Sed nec adeo deſtitutum amicis in Germania eſſe Regem, cui faveat tota Palatinorum Domus, Würtenbergicus, Badenſis, Haſſus, Holſatus, Anhaltinus & è Saxonibus Vinarienſis & Gothanus, quibus plures ſe aſſociaturi ſint odio in Auſtriacos & metu armorum Svecicorum. Extra Germaniam Gallos & Anglos in ſocietatem armorum venturos, ubi ſerio res agi cæperit, quorum interſit armis noſtris Auſtriacos premi. Nullibi inſuper commodiorem eſſe locum ſupplendo exercitui, ad quem confluxus ſit futurus veteranorum ductorum & militum, memoria militiæ Svecicæ quondam ipſis tam lucroſæ. Quin forte non pauciores Principes Regiæ ſe militiæ oblaturos, quam bello Polonico, ubi eodem tempore quindecim Principes ſtipendia faciebant. Eſſe præterea illud bellum à Sveciæ finibus remotum, ac eo minus moleſtiæ daturum, quam quæ cum vicinis bella geruntur. Præmii loco præter ſecuritatem in futurum fore unam aut alteram Germaniæ provinciam, quæ quanti momenti ſit, Bremam & Pomeraniam atque Wismariam hoc bello docuiſſe. Igitur ſi pax obtineri nequeat, maſculе bellum ſumendum. Cujus gerendi modus hic judicabatur commodiſſimus, ut poſt relictam Daniam exercitus lento gradu Marchiam verſus & Sileſiam progrederetur, velut in Poloniam ſe penetraturus, quod ipſum Polonos ad pacem occupandam permoturum ſit. Simul Brandenburgici animum explorari poſſe, eumque vel ad compoſitionem urgendum, vel primum ictum probe libratum intentandum, ejusque ditiones in belli uſum adhibendas, ac certa loca inſidenda, quo receptui cautum ſit. Inde hoſpitia per Sileſiam, Bohemiam & Moraviam extendi poſſe, ac tum facile adpariturum, quo res ſe daturæ ſint, ac num forte letalis plaga Auſtriæ inferri queat. 1658.

Regis circa Galliam conſiderationes.

§. 18. Iſthoc conſilium à Senatoribus ſuggeſtum, etſi haut ſpernendis ratio-

1658. rationibus fulcirettur, ac ſi præſens rerum facies perſiſteret, ipſa neceſſitas eam viam inire ſubigeret: tamen quia Rex magnopere à bello Germanico abhorrebat, de cujus nationis conſtantia parum ſibi pollicebatur, ac definitis Auſtriacis inſigne præmium belli Polonici ſperabat, omnem lapidem inſtaurandæ cum his amicitiæ movendum prius duxit, quam in eosdem arma ſtringeret. Simul quid à Gallia in omnem eventum expectandum foret, noſſe utique expediebat eo liquidius diſponendis conſiliis. Circa utrumque ut quantum poſſet, conniteretur, Rex ad Biærneclovium mandata iterabat. Ac apud Gallicos quidem Legatos Gramondum & Lionnæum Francofurti iſte inſtare jubebatur, ut ad fœdus inſtaurandum accederent, oſtenſo periculo, quod Sveciæ è conjunctione Auſtriacorum & Brandenburgici imminebat, cujus rationes non ferant, ut tanto ſub onere incerta amicorum hæreat. Nam modica pecunia, quæ ab ipſis Francofurti ſolvatur, Regi ad ſummam rerum parum conſuli. Ac ſi Gallia fœdus cum Rege averſetur, ſatius fore quacunque ratione pacis Germanicæ conſervationem quærere. Et ſane Galli indies minus ſpei de ſe Regi dabant, quod circa rem pecuniariam ita ſcrupuloſe agerent, è reliquis ſubſidiorum bello Germanico debitorum non niſi viginti quinque uncialium millia agnoſcentes usque ad diem ſubſcriptæ pacis, velut quo fœdus tunc complementum ſuum obtinuerit. Cum contra Rex pertenderet, ſubſidia ad executionem usque ac plenum pacis uſum fuiſſe debita, ac tractatum Weſtphalicum inanem fuiſſe futurum, niſi novo Noribergæ conventu inſtituto. Iſta tamen ita acriter urgenda non videbantur, quod Rex animadverteret, Gallos id agere, ut ad pacem cum vicinis ineundam ipſum impellerent, parum ſoliditatis habituram, ac Auſtriacis velut cæco impetu impingerent. Equidem ſcripſerat nuper Mazarinus ad Hugonem Terlonium, Legatis Francofurtum mandata eſſe miſſa ſuper reaſſumendis de fœdere tractatibus. Perſpiciebat tamen Rex ex iisdem literis, Gallis cordi non eſſe bellum in Germania gerere, eosque fœdus duntaxat defenſivum affectare ad eandem formam, qua Rhenanum tunc agitabatur, cui & ipſi adſcribi volebant. In quo rationem Gallos fugere judicabat Rex, nec ſatis mentem & ſcopum Ordinum Germaniæ penetrare, & demum ſenſuros, ab hiſce ſibi illuſum, quæſita ſecuritate ex iſto fœdere hautquaquam proveniente. Tum & illud cavendum videbatur, ne iſtius fœderis occaſione Ordines auderent leges Regnis præſcribere, ac quod Domus Auſtriacæ autoritas Ordines pro lubitu flectere valeret, nullo ad Reges reſpectu. Patebat porro, quia Galli maxime oculos in Flandriam & Italiam defixerant, eos injurias ab Auſtriacis ſibi illatas, miſſo Hiſpanis auxilio, decreviſſe querelis magis exagitare, quam armis exequi, eosque ipſos in Germania exercitum habere nolle, ſed, ut Sveci Auſtriacis commiſſi, horum vires diſtraherent, cupere. Id quod minime omnium rationes Sveciæ ferebant. Igitur Biærnclovius Legatis Gallicis demonſtrare jubebatur, Regem magno ſtudio laboraſſe circa conſervandam pacem Germaniæ tam care partam nec ullo modo cordi eidem eſſe turbas ibi excitare, prout & videat Galliam nunc à bello Germanico abhorrere. Enimvero Gallis penitius inſpiciendam rerum conditionem, & in quo utriusque regni conſervatio vertatur. In aprico quippe eſſe, quam multa inſtrumento Pacis conventa executioni data nondum ſint, quam multa palam infracta. Galliam in Flandria & Italia armis petitam, Sveciam multis in locis per noxia conſilia ac inprimis in Polonia intolerandis machinationibus, ac demum armis laceſſitam, quibus amoliendis utique idoneum remedium circumſpiciendum. Nec tamen Regem bellum in Germania ordiri cupere, modo pace ac promiſſa amicitia frui liceat. Sed quia hactenus oblata reconciliationis via ab Auſtriacis rejecta ſit inanis diffidentiæ obtentu, nil aliud ad extremum ſupereſſe, quam ut alia via ſecuritatis obtinendæ ineatur. Eam ex parte Sveciæ in hoc conſiſtere, ut vel priſtinum cum Gallis fœdus renovetur, amboque Reges ſociatis conſiliis ac viribus iſta Auſtriacorum auſa paci repugnantia inhibeant, (absque tali enim fundamento nec animum Regi eſſe, nec vires Auſtriam impetendi) aut quovis modo ipſi cum hacce tranſigendum, ne ſo-

1658.

1658. lus tanto oneri ſuccumbat. Cæterum parta jam pace tam proficua in Dania, quam firmam fidamque ipſe ſperet, non dubium ſibi, quin ubi Gallia ſimul rem ſerio aggrediatur, non ſolum Auſtriaci in ordinem ſint redigendi, ne pro lubitu utrumque regnum inſultare queant, ſed & forte Leopoldi electionem impediri poſſe. Corona Cæſarea in Neoburgicum translata. Igitur neceſſum eſſe, ut de Gallico fœdere Rex in omnem eventum certus ſit. Quod ſi autem cum Auſtriacis amicitia ſtabiliri, ac pax Germaniæ conſervari debeat, copias iſtorum è Flandria, Italia & Polonia eſſe revocandas, aliamque viam amicitiæ deinceps ſincerius colendæ ineundam. Antequam autem conſtet, pax an bellum cum Auſtriacis futurum ſit, in Poloniam ipſum movere haut poſſe, ni fruſtra exercitum deſtruere velit, quem neque exautorare volebat, nullo deinceps numero inermis futurus, nec tamen eundem propius in ditionibus alere dabatur.

Rex amicitiam Auſtriacorum affectat.

§. 19. Contra vitandæ cum Auſtriacis colliſioni Rex iſtis ſuperiore anno amicitiam ſuam Francofurti & Pragæ obtulerat, qui ſerio id ab ipſo agi perſuadere ſibi haut poterant. Igitur Biærnclovius jubetur eam diffidentiam iſtis eximere, ac negotium, quantum poſſit, promovere, oſtenſo, commodiſſimam nunc videri occaſionem inſtauratæ amicitiæ gratiam mutuis officiis firmandi. Ac ſi fidem ſibi adhibere Auſtriaci, ſerioque rem ſecum agere velint, pacem Germaniæ præſtituram ſartam tectamque, ac utrosque ex ea amicitia inſignem fructum capturos. Enimvero utrinque periculum eſſe in mora, antequam alterutra pars aliis ſe vinculis induerit. Nam adhuc omnia ſibi eſſe integra. Eam tamen rem ſumma cum dexteritate tractaret, ne Gallis Angliſque intempeſtive ſcrupulus injiciatur, ſed potius Gallis hoc ipſo ſtimulus addatur ad fœdus contrahendum, pacemque in Polonia promovendam. Neque vero iſta apud ſolos miniſtros Auſtriacos agere, ſed & Electorem Moguntinum adhortari jubebatur, ut & ipſe Regem Hungariæ ab hoſtilibus in Germania exercendis cohibeat, quo pax in Imperio inconcuſſa perſiſtat. Quin & utut parum pro nos ſe Auſtriaci exhibeant ad amicitiam Succicam, haut eo ſegnius tamen negotium urgeret, 1658. quo Ordinibus Germaniæ innoteſcat, quanto ſtudio Rex id egerit, ut pax illæſa maneat, favori eorundem ſibi conciliando. Cæterum poſtquam per pacem Danicam arma Svecica meliorem faciem induiſſent, Rex Biærnclovio ſignificabat, non placere, ſatisfactionem & cautionem tam ab Ordinibus imperii, quam Domo Auſtriaca ſibi debitam ad tractatus Polonicos rejici, velut quæ huc non ſpectet, cum injuria ac damnum, ab ea Domo ſibi illatum, directe inſtrumento Pacis repugnet, quo Sveciæ cavetur; ipſam, neque intra neque extra imperium ullo modo læſum iri. Unde ſi Auſtriaci cum Rege reconciliari velint, neceſſum eſſe locum in Germania deſignari, ubi de injuriis ſibi allatis agi, ac ſatisfactio & cautio de non offendendo in poſtremum præſtari queat. Iſtam porro cautionem in hoc conſiſtere, ut denuo Inſtrumentum Pacis, ac in eo fundata guarantia adverſus quosvis pacis perturbatores tam intra, quam extra imperium Romanum confirmetur, eamque præſtandam Ordines in ſe recipiant. Sed quicquid ejus foret, transactionem cum Auſtriacis, quantum poſſet, maturaret, ne ipſe diutius inter incerta hæreat, præſertim ubi Galli circa renovandum fœdus ſegniores ſeſe oſtenderint. Super Polonico autem bello ita cum Auſtriacis conveniri poſſe, ut hi quidem Sveciæ ſatisfactionem promoveant, è Boruſſia tota, ejusque parte, aut ulteriore Pomerania petendam, Rege viciſſim eorundem deſideriis velificaturo, quo facto utrinque arma ponenda ſint. Quod ſi Auſtriaci citra exceptionem Polonicum negotium deſerere velint, id cautionis loco ſibi fore, ut Auſtriaci copias ſuas ſtatim è Polonia revocatas, vel exauctorent, vel alio extra Germaniam abducant. Jubebatur præterea Biærnclovius, Ordines Imperii poſcere idoneum reſponſum ſuper conſervatione pacis & qua ratione Regi ſatisfacere velint, tum eosdem monere, ne ita cæco impetu dignitate Cæſarea extollerent, quem videant ita religioſe ſancitam pacem variis modis violaſſe, hoſtiliter habita Svecia, qui cum ea pax præcipue ſit inita, antequam Regi juſta ratione ſit ſatisfactum, denuoque ab Ordinibus cautum, ipſum neque intra neque extra Germaniam læſum iri.

§. 20.

1658. *Deſtinata Regis in futurum.*

§. 20. Antequam autem iſthæc omnia effectui dari poſſent, ipſa neceſſitas Regi imperabat ſecuritatem ſuam per arma quærere, quamdiu Polonia exiguum pacis deſiderium oſtenderet, & Auſtriaci oblatam reconciliationem repudiarent. Ac ſpes erat Regi conſilium ſuum eo melius ſucceſſurum, quo promtius id ſuſciperetur, antequam Auſtriaci rationes ſuas cum uno & altero ſubducere, ac Germaniæ Ordines ſuas conſultationes abſolvere poſſent, utut interim quoque tractatibus cum Anglia & Gallia colophon haut imponeretur. Nam ipſa neceſſitas omnes moras amputari jubebat, cum media conſilia præſens tempus non ferret, nec majus periculum Regi imminere videretur, vel tota Germania in ipſum ruente, quam ſi idem male diſpenſata temporis opportunitate exercitum ſuum deſtrueret. Nam ubi Auſtriaci res ſuas rite diſpoſuiſſent, nimium quantum Regi nocere poterant, cum ſolius Auſtriæ vires ipſi haut formidarentur, nec alii Principes certa conſilia capturi viderentur, antequam Auſtriaci majorem armorum adparatum feciſſent. Interea dum iſti deliberant, ſpes Regi erat per arma inſigne operæ pretium faciendi. Decreverat igitur hic primo quoque tempore per Meclenburgicam in Marchiam cum exercitu penetrare, Electorem vel amica ratione, vel vi ad tranſigendum compulſurus, inde apud Havelbergam & Albim pedem firmaturus. Interim deliniendis Germaniæ Ordinibus injuria & iniquitas inimicorum demonſtranda erat, quod ipſum pacis ſervandæ cupidum nulla idonea cauſa armis laceſſierint. Tum apud eosdem inſtandum, ut Auſtriacos ad pacem ſecum ineundam permoveant. Id ſi Auſtriaci abnuant, auxilia adverſus hos ex Inſtrumento pacis petenda, alias vitio ſibi datum non iri, ſi ſuam ſecuritatem ipſe pro rerum captu procuret. Hoc modo Svecicus exercitus in Germania conſervari poſſe videbatur, quo ſolo Regis Regnique ſalus ſtabat. Hiſce tamen deſtinatis neceſſum erat, pace cum Moſco quibuscunque conditionibus potiri, quo Sveciæ limites ex iſto quoque latere, ſicut jam Daniam verſus tuti forent: tum ut ne Ordines Germaniæ Auſtriacis ſe ſociarent. Simul fœdus cum Haſſo, Wurtenbergico ac Palatino ineundum avertendis, ſi qui Auſtriacis jungi velint, ac inprimis Neuburgicum in partes pertrahendum, promiſſa Corona Poloniæ, aut proficua ipſi tranſactione ſuper ditione Juliacenſi, ubi is viciſſim, utilem operam Regi circa Boruſſiam navarit. Quo ipſo Brandenburgici vires diſtrahi, ac diviſio inter Catholicos in Germania Principes fieri queat. Ante omnia autem urgendus erat Brandenburgicus, ut in partes Regis reverteretur, abdicato adverſus hunc inito fœdere, ac exercitum vel ipſi traderet, vel exautoraret. Aut ſi id recuſaret, repentino impetu ſubvertendus erat. Inde belli ſedes in Auſtriacas provincias transferenda, ubi exercitum Svecicum per novos delectus indies augendi facultas præbebatur. Ac ne Auſtriacis Poloni ſubvenire poſſent, modicis hi copiis in Boruſſia & Livonia diſtrahendi erant. Ac ſi utique iidem juſto cum exercitu ſuppetias latum venirent, plus vaſtitatis Auſtriacorum provinciis illaturi erant, quam ipſe Rex, animis iſtorum inter ſe magis exacerbandis. Sic igitur Rex Wrangelium mari cum parte copiarum Livoniæ immittere ſtatuerat, diſtinendis ab ea parte Polonis, ipſe terreſtri itinere progreſſurus obtentu ſecuritatis ſuæ quærendæ, quo exercitum ſuum in Germania conſervaret, ſimul ſpecularetur, quo ſeſe maxime hoſtium vires verſuræ ſint, ibidem & ipſe occurſurus. Nam ſatius habebatur, mature ad vires hoſtium diſtrahendas incumbere, quam tempus iisdem indulgere, ut per otium provinciis ipſum ſuis exuere poſſent, præſertim cum Pomerania ita exhauſta eſſet, ut præſidiis ſuis alendis non ſufficeret, quam tamen hoſtibus prædæ exponere haut decebat. Vaſta erant iſta conſilia, & in longum prominentia, quorum exitus animo proſpici non poterat, ſed ad quæ neceſſitas confugere ſubigebat, eventu fatorum diſpoſitioni commiſſo. Sed nec Boruſſiam poſt partam jam cum Dania pacem Regi amittere placebat, utut id deſtinatum Gallos adhuc celeret, apud quos teſtabatur, ſe accepta pecuniæ ſumma eandem Polonis redditurum. Nam ea ſumma in tantum intendi poterat, ut Poloni

1658.

1658. eidem ſolvendæ non eſſent, ac ſic Regi Boruſſiam utique relinquere cogerentur. Nam ut citra neceſſitatem parta commoda gratis amitterentur, conſultum haut erat.

Regis ſtudium circa declinandum bellum cum Auſtriacis.

§. 21. Enimvero quia ad iſthæc conſilia Rex deſcendere nolebat, niſi neceſſitate ſubigente, huic declinandæ denuo Biærnclovium jubebat apud Ordines Francofurti reſponſum urgere ad exhibitum antea libellum, cui adderet, per Moguntinum Electorem viam amicæ compoſitioni munitam, ſed Auſtriacos nil idoneæ declarationis attuliſſe, quin potius paci Polonicæ remoram objeciſſe. Quas illuſiones diutius tolerare nec ſecuritatem Sveciæ, nec ſanam rationem permittere. Eoque prius adhibenda remedia Inſtrumento Pacis congrua petita ab his, quibus id præcipue incumbat, ac oſtenſo, ad quietem imperii id facere, ac ne tot millia Chriſtianorum, qui hac pace fortunas ſuas in tutum ſubductas crediderant, novis periculis involvantur, accenſo temere bello, quod forte diutius præterito Germaniam depopulaturum ſit. Præſtarent igitur Ordines communem cauſam, & efficacibus monitis Auſtriacos retraherent, ab hoſtilibus ulterius tentandis, eliſa cavillatione pacis Weſtphalicæ, velut per hanc integrum iſtis ſit Sveciam extra Germaniam turbare ſalva in imperio pace, ſic ut Regi nefas ſit ob auxilia ab iſtis Poloniæ ſubmiſſa eorundem provincias invadere. Tum inquireret, quid Regi ab iisdem expectandum ſit, ubi neceſſitas injungatur emoliendis Auſtriacorum injuriis ad arma confugiendi. Quod ſi vero Auſtriaci cum utroque Regum ad tractatus deſcendere velint, optandum id eſſe. Si ſeparato tractatu cum Rege excluſa Gallia agere cupiant, ne id quidem rejiciendum, modo ſerio rem agant, Sveciæque ſecuritati caveant. Ac tum Auſtriacos fidem dare debere, ſe ſtatim honeſtam Regi cum Polonis pacem curaturos, quam hiſce declinare non amplius integrum fuerit, ſtatim atque ſenſerit Auſtriacos auxilia ſua revocaturos. Aut ſi iidem Regi non audeant ſpondere pacem, qualem ipſe cupiat, ſed pro ſe duntaxat tranſigere malint, ſtatim iſtis copias è Polonia educendas ac denuo per tractatum cavendum, aſſiſtentibus Imperii Ordinibus, ſe pacem in Germania ſervaturos, nec Polonico amplius bello ſeſe ingeſturos, nec Regi aperte aut obliqua via nocituros. Tum ut Regi circa inveſtituram provinciarum Germanicarum ſatisfaciant, abolitis exceptionibus, quas diplomati inveſtituræ inſertum iverint, ac inprimis, ut lis cum civitate Bremenſi & Capitulo, quæ nunc mota ſit, in favorem Sveciæ componatur, iſtis ad diſpoſitionem Sveciæ remiſſis. Quod ſi autem adpareat, Auſtriacos per ſpem potiundæ Poloniæ à Regis amicitia averti, & quod Boruſſiam eidem invideant, demonſtrare iſtis Biærnclovius jubebatur, quanta invidia iisdem incubitura ſit, quamdiu Poloniæ inhient, nec alios negotium faceſſere omiſſuros belli telam Orſis, cujus exitum animo proſpicere non liceat. Quod ſi tamen tanta Poloniæ cupido ſit, expeditiſſimam fore viam bello tollendo, ſi Auſtriaci ſuper dividenda Polonia cum ipſo paciſci velint hoc modo, ut Auſtriacis Minor Polonia, Brandenburgico Major Polonia cum parte Cuiaviæ & Pomerelliæ loco ſuæ Boruſſiæ cedat: Svecia retineat totam Boruſſiam & reliquum Cuiaviæ & Pomerelliæ una cum Samogitia & Curlandia: Lithuania Moſcis & Coſaccis inter ſe dividenda relinquatur: in Ruſſia, Ucraina, Moſcovia & Podlachia parvi Principatus nemini obnoxio conſtituantur. Hoc modo controverſiam dicto citius tolli, ac minus invidioſum id fore, quam ſi univerſa Polonia in Auſtriacorum aut Moſcorum manus inciderit. Nam poſt Joannis Caſimiri fata regnum id utique ad aliam familiam eſſe devolvendum. Iſtas tamen Regis cogitationes Biærnclovius ſecretas haberet, prout Auſtriacorum inclinationes deprehenderet inſinuandas ſed tempeſtive, & ne Brandenburgico præmature ſcrupulus injiciatur. Cujus miniſtris teſtandum, Regi cordi eſſe amicitiam cum ipſo colere, ac nihil quærere damno eidem cedens, modo is pari ſtudio ipſi reſpondeat, & à præcipitibus conſiliis ſe removeat. Denique Gallis demonſtraret, neceſſum eſſe, ut vel ſociatis viribus & conſiliis cum Rege agant circa ſtabiliendam pacem, aut ſi hoc obtineri nequeat, declarent, quid ab ipſis auxilii expectandum ſibi ſit. Nam ſuas res haut ferre ancipitia conſilia longas intermoras librare.

1658.

§. 22. Eo

1658. *Rex conſilia ſua in futurum ordinat.* 1. *April.*

§. 22. Eo acrius autem cura iſta Regem coquebat, quo magis dies cedebat deſerendis Daniæ hoſpitiis, difficili admodum dijudicatione, quo potiſſimum exercitus vertere ſe debeat. Nam & cum Moſco digladiari indecorum ſibi ducebat, ac in Poloniam redituro à tergo relinquendæ erant provinciæ hoſtium libidini, quas in anteceſſum jam inter ſe diviſerant, ab Auſtriacis & Brandenburgico invadendæ, quandocunque commodum foret. Adverſus quos perpetuum militem alere iis provinciis tuendis Sveciæ rebus intolerandum erat. Igitur probe expenſa præſentium rerum facie, de conſenſu omnium, qui aderant, ſenatorum decernitur, cum exercitu in Poloniam nunc haut penetrandum. Sed quoniam graves rationes ſuadeant ejusdem ſuſtentationem & augmentum in Germania quærere, in Brandenburgica ditione ad tempus ſubſiſtendum, quoad de hoc Electore atque Auſtriacis alia ratione cautum ſit. Nam cum Auſtriaci tam variis modis pacem adverſus Sveciam violarint, ac nunc cum Brandenburgico & Polonis fœdus in ipſam icerint, Germanicas provincias invaſuri, quamprimum occaſio arriſerit, haut conſultum eſſe, iſtos hoſtes à tergo relinquere, & ſpatium iisdem præbere deſtinatis ſuis effectui dandis, præſertim cum iſtæ per onera tolerata, ac nuperam Polonorum irruptionem, præſidia ſua propriis è reditibus alere nequeant. Tum & legitimam cauſam eſſe de hoſtilibus Auſtriacorum actis apud Ordines querendi, ac idoneam eos cautionem poſcendi, iſtos deinceps nec provincias noſtras turbaturos, nec Polonico negotio ſe amplius ingeſturos, ſed potius æquam nobis cum Polonis pacem curaturos. Electori autem fœderibus in præjudicium Sveciæ initis renuntiandum, ac ſolidiorem nobiſcum amicitiam, quam hactenus, colendam. Quo fine quamprimum legati ad Ordines Imperii ſint mittendi. Interim dum iſtud negotium expeditur, nullibi commodius, & majori jure cum exercitu ſubſiſti poſſe quam in Electoris ditione inter Albim & Oderam, cum neque in Pomerania alendo iſti facultas ſuppetat, nec Meclenburgicus, aliisque prætextum præbuerint tam onerosis hoſpitiis imponendis. Hoc quippe modo vires hoſtium has in partes pertrahi actionibus noſtris obſervandis, ſimul eosdem impediri, quo minus unum & alterum locum Boruſſiæ oppugnare, aut provincias Germanicas vi invadere queant quæ & hoc modo tegantur, ac Pomeraniæ præſidiis occaſio præbeatur, è proximis Electoris terris alimenta petendi. Sed nec ullam viam adparere, Electorem ad alia conſilia permovendi, ipſiusque ac cæterorum vires diſtrahendi. Nam ſi Albim ponte inſtraverimus ad Halberſtadienſem & Mindenſem ditionem oculos ipſi reflectendos, ac præſidia in præſenti ſat invalida, prout par eſt, augenda. Cui & anceps futurum ſit Polonos, aliosque in auxilium excitare, ne tantam diſſolutorum hominum colluviem in terras ſuas attrahat. Contra Regi conſervationem exercitus ſui cordi fore, ac ſi forte validior vis hoſtium ingruat, commoditate pontis in hanc aut illam Albis ripam tranſiri poſſe, & contra ubi hoſtis copias ſuas ſeparaverit, huic vel illi parti damnum inferendi occaſionem fore. His conſiliis exequendis Rex Wrangelio mandata transmittebat, ut quando omnia implendæ paci Danicæ abſoluta forent, legiones apud Oldesloam contraheret, ac divertendis hoſtium deſtinatis iter in Poloniam ſimularet, utque ejus rei fidem hoſtibus faceret, non ſolum Parchimi & Neobrandenburgi copiam panis & cereviſiæ pro exercitu parari curaret, ſed & velut in Pomeraniam, & inde longius in Poloniam iturus præter lacum Suerinenſem Parchimum tenderet. Ubi ex adverſis hoſtium actionibus ipſi judicare in proclivi fore, quid ulterius agendum. Inprimis Albim apud Werbenam ponte inſterneret, Garlebiam occuparet, Magdeburgum ſibi adjungeret. Sed ſi eo penetrandi ſpatium non ſit, Brandenburgum ſe verteret, ac ad Oderam aut Penam ſtationem caperet, prout ratio belli dictitaret. Ditionem Electoris ingreſſus jactaret, id fieri in nullius offenſam, ſed alimenta duntaxat exercitui quæri, donec de Electoris amicitia melius cautum ſit. Alimenta ut militi ſuo amice & ultro provinciales præbeant, poſtularet, ſi abnuantur, vi ſumeret. Si Elector hoſtilia induat, præſidia Pomeranica ex ulteriore provincia ſibi neceſſaria petere juberet.

1658.

Oldesloa.

Parchim.

1658. *Regis ad selectos Ordinum propositio. 8. April.*

§. 25. Ista porro quæ jam memoravimus, destinata variis deliberationibus agitata, ac subinde interpolata, Rex Ordinum selectis, quos Gothoburgum evocaverat, communicabat, apud quos facta propositione exponebat. Ipsos jam antea satis percepisse, quid machinationum & noxiarum actionum Austriaci adversus ipsum susceperint, & quas injurias intulerint, è quibus judicari queat, istis nunquam cordi fuisse Westphalicæ pacis leges observare, quin subinde circa eandem destruendam laborasse, velut quæ affectato ab ipsis dominatui tantopere obstet. Eam ob causam etiam hactenus investituram Germanicarum provinciarum, toties quæsitam, nondum contulisse, hostem unum post alterum sibi immisisse, omnem cum hostibus amicam transactionem impediisse, eoque fine cum his fœdera feriisse. Nec eo secius haut dubitasse, per Isaacum Volmarum Francofurti fractæ in Germania pacis culpam, ipsi impingere, haut obscure jactantem. Austriacos non amplius ejus pacis legibus teneri, eoque provinciarum nostrarum securitatem in ancipiti posuisse. Inde exercitum Poloniæ immissum, Cracoviam nobis extortam, Thorunium tentatum, Svecicos præfectos interceptos, uno verbo hostilia palam exercita, ac pacta violando ita invalida reddita, ut nulla amplius in iisdem securitas inveniatur, quin potius ab istis, quamprimum ulla occasio obvenerit, omnia adversa metuenda. Et quia Rex Hungariæ inter alia Brandenburgicum Electorem Svecica amicitia abstractum permoverit una cum aliis offensivum fœdus in Sveciam concludere, id difficultatis inde provenisse, ut si ipse cum exercitu in Poloniam penetrare cupiat, hosti ad pacem compellendo, vel propriæ provinciæ periculo ab invasione istorum exponendæ, vel ingentibus & sumtuosis præsidiis muniendæ sint, quo ipso exercitus non parum imminuendus, ac magna pars reditnum consumenda sit, non sine insigni rerum gerendarum impedimento, damnoque. Præterea cum Austriaci sat callidi rerum suarum actores sint, considerandum esse, an non, quando ipse in proprias ditiones è Dania progressus fuerit, Rex Hungariæ una cum Brandenburgico forte ipsum specie tractatuum detenturus sit, atque effecturus, ut sibi propriis in provinciis subsistendum sit, his pariter ac milite paulatim atterendis. Igitur Rex nosse cupiebat, quid Ordines hoc casu expedire judicent, præsertim cum ipse jam omnia remedia tentarit, per tractatus, aut propositis rationibus, Austriacos ad amicitiam revocandi, adhibita quoque apud Ordines imperii usu recepta via. Quibus etsi hactenus nihil profectum sit, se nihilominus constituisse, eanden viam insistere, ac nihil eorum intermittere, quæ ad æquam reconciliationem faciant. Quod si tamen Rex Hungariæ ad pacis instaurationem permoveri nequeat, Ordinum cautione confirmandam, nec arma sua è Polonia, desertis Joannis Casimiri partibus amovere velit, sed hunc protegere, eoque prætexto ipsum urgere, hostibusque adsistere pergat, clausis ad amica auribus, quærebatur, num talia Regi diutius dissimulanda sint, an vero susci pienda, quæ ratio belli requirat. Addebatur & hoc, qui pace cum Danis nuper facta, aliquot provinciæ cessæ sint in perpetuum corpori Sveciæ inferendæ, quibus in pacto privilegia pristina sint reservata, utrum consultius, & ad pignerandum novorum civium amorem, patriæque salutem magis idoneum sit, si Rex seorsim istos gubernet ad normam jurium & privilegiorum, quibus hactenus adsuetæ fuerunt, an vero easdem conetur attemperare, & adsuefacere ad mores & leges Sveciæ, & quis hoc casu inter Ordines locus ipsis sit assignandus. Ad ista Ordinum selecti declarabant, se perpensis omnibus deprehendisse, Hungariæ Regem juxta ac Brandenburgicum eousque hostilitatis progressos, & pacta ita enervasse, ut Rex ab iis tuti nihil sibi polliceri, nec eosdem à tergo relinquere possit, antequam ambo ipsi satisfaciant, ac idonee caveant, de non turbando in posterum, Ordinibus quoque imperii guarantiam suam interponentibus, atque è pacis Westphalicæ legibus debita præstantibus. Præterea quia præsens Sveciæ conditio non permittat exercitum dividere, ac sumtuosis præsidiis expensas onerare, Ordines censebant, quia Rex hoc bello non modice specimina ceperit, quantum emolumenti è Pomerania & Bremensi

1658.

Decretum Ordinum Svecie. 21. Maji.

ditione

1658. ditione proveniat, ut tanti momenti provinciarum ſecuritatem ſibi commendatam habeat, nec eas alteri in prædam cædere patiatur, aut tam potentium hoſtium invaſioni exponat, aut ſub obtentu tractatuum moleſtiis bellicis opprimat. Sed quia Brandenburgicus variis hoſtilibus facinoribus in Regem admiſſis cauſam dederit, ſecuritati ſuæ adverſus ipſum proſpiciendi, Regi fas eſſe ditiones ejus cum exercitu intrare, & ex eisdem huic alimenta petere, quoad ipſi ſatisfecerit hoſtibus ad pacem amplectendam permotis, vel certis ſinceræ amicitiæ indiciis editis, vel cautione de non lædendo in futurum data. Quod ſi Elector, uti veroſimile eſt, fœderi cum Auſtriacis & Polonis inhærere pergat ac vim Regi opponat, eumque in ſuam provinciam accedere, ibique ſubſiſtere prohibitum eat, aut alia ratione ejusdem ſecuritati obſtet, aut commoda convellat, neminem Regi vitio verſurum, ſi aperto bello incolumitatem ſuam tueri inſtituat, & quæ belli ratio dictitat ſuſcipiat, cumprimis ut provinciæ ſuæ tegantur exercitusque conſervetur. Sperare nihilominus Ordines, Regem haut omiſſurum omnia remedia adhibere, per quæ honeſto modo concordia cum iſtis Principibus reducatur, demonſtrato in pacem & amicitiam ſtudio. Enimvero ſi iſthoc locum non inveniat, ſed iidem vel oblata aperte illudere, vel tempus extrahere per inania inſtituant, nec amica ratione ſecuritas ab iſtis obtineri queat, Deo Duce rem ſtrenue gerendam adverſus pacis oſores, ac ſecuritatis noſtræ perturbatores. De cætero id negotium judicio Regis committebatur, pro ipſius prudentia moderandum, prout ſalus patriæ requirere videatur. Paria addebantur de civibus recens adquiſitis, ut ſuper illorum conditione Rex pro ſua ſapientia diſponeret, uti ſecuritati Regni quam maxime conducere viſum fuerit.

Legatio Hafniam mittitur.

§. 24. Enimvero ut his conſiliis omiſſis Regi arma alio vertenda eſſent, Dani anſam præbuere. Iſti Roſchildiæ multis verbis teſtati fuerant, ſe non ſolum pacis cum Svecia perpetim colendæ cupidiſſimo eſſe, ſed & eidem arctiſſimos mutuæ defenſionis vinculo innecti velle; cum tam triſte jam ceperint experimentum ſocietatis ſibi tantum non exitioſæ, alienis cladibus in ſe derivatis. Sed ſi ipſi cum Svecis arma ſocient, facile quorumlibet vim ab utroque gente arceri poſſe. Iſthæc eo pronioribus auribus à Rege accipiebantur, quo utiliorem ſibi Danorum amicitiam ad reliqua ſua deſtinata judicabat, ac inprimis, quod hac ratione Belgarum claſſem Mari Baltico excludi poſſe ſperaret, qui cupitis Regis ſe objicere haut omiſſuri erant, ſed quorum potentia iſto aditu intercepto parum ipſi metuebatur. Aſt deinceps patuit, à Danis de iſto fœdere aſtute fuiſſe injectum eludendis capitibus pacis Roſchildenſis, quæ Rex in futurum præcipue utilia ſibi ducebat. Cum enim Dani executionem pacis extrahere non poſſent, Svecis mordicus veri is pacti inhærentibus, ac terrorem armorum cominus Hafniæ oſtentantibus, ſuper tractatu fœderis proponere viſum, quo viam ſibi ad infinitas querelas movendas retinerent, anſamque nanciſcerentur conventa eludendi, legatos Svecicos ſub vocabulo condendi fœderis inani diſceptatione diſtenturi, ac inſidioſis verborum formulis pacta inolituri, quæ tantis cum aſſeverationibus ſuæ in futurum conſtantiæ ſanciverant. Quin & poſt concluſam pacem cum legati Svecici tardius moverent, Dani anxie ſe iſtorum adventum expectare oſtendebant, veriti ne fortaſſe Rex mutato conſilio id fœdus negligeret.

Inſtructio legatorum Svecicorum. 13. Mart.

§. 25. Aſt Rex ſtatim atque à Scaniæ rebus disponendis paululum otii nactus fuiſſet, Sternonem Bielkium, & Petrum Julium Cojetum Legatos Hafniam proficiſci jubet. Voluerat Rex Cornificium Ulfeldium Bielkio collegam adjungere. Sed monitu Grammondi & Lionnæi legatorum Francofurti Gallicorum Hugo Terlonus interceſſerat, ne dolore perſtringeretur Regis Friderici animus, ſi videat civem quondam ſuum graviſſima offenſa nunc in Regia ſua hoſtium nuper negotia tractare, ac principi ſuo adverſa fortuna preſſo inſultare. Unde in ejus locum Cojetus ſufficiebatur. His mandata in eam ſenſum data ſunt. Primo & publico acceſſu ad Regem Daniæ oſtenderent, Commiſſarios Danicos Roſchildiæ mentionem injeciſſe de arctiore fœdere inter Borealia regna ineundo, quæ conjunctio robur utri-

1658. utrique ſit additura adverſus omnes, qui eorum jura in Mari Baltico invaderè aut turbare aggrediantur. In quod Regem Sveciæ facile conſenſiſſe, modo id formetur ad mutuam defenſionem contra quoscunque turbatores, & elidendis controverſiis, quæ vicinas inter gentes in futurum exſurgere queant, ac ſtabiliendæ utrinque amicitiæ atque fiduciæ. Eum præcipuum legationis ſcopum eſſe. Poſt cum Danicis Commiſſariis congreſſi id curarent, ut Dani priore loco mentem ſuam exponant, quousque in propoſitum fœdus deſcendere ipſis placeat, quo Rex eo curatius conſilia ſua inde formare queat. Et quia pace Roſchildenſi conventum eſt, ut alter alterius commoda promovere, ac damna avertere teneatur, ante omnia modum defenſionis mutuæ definiendum, quo hæc in effectum deduci queat. Eo fine omnia ſua conſilia dirigerent, ut fœdus ineundum attemperetur, ad utriusque Regni defenſionem, & nuper concluſæ pacis conſervationem contra quemcunque, qui utrumque aut alterutrum ob initam pacem & abolita ibi fœdera invadere velit. Tum ut uterque fœderatus impediat, ne extranea claſſis bellica Mare Balticum ingrediatur, quod ambo Regna in nemine alio, amicus an hoſtis ſit, licet & portus ad idem mare poſſideat, jus agnoſcant claſſem ibidem habendi: ut tamen exteris non interdictum ſit unam & alteram navem bellicam in id mare mittere deducendis hinc inde legatis. Eo fine utrumque Regem ubi invadatur, facta ſignificatione, obſtrictum iri ad vicenas naves bellicas mittendas, quarum minima ſaltem viginti quatuor machinis ſit inſtructa. Ea claſſis illius Regis directioni ſubſit, qui auxilium exigit, in conſilium tamen adhibitis claſſium præfectis, & ut cuiqui navarcho executio & imperium in ſibi ſubjectos ſit. Tum ut claſſis iſta alatur ſumptibus ejus, qui auxilium fert, non qui exigit: ut tamen huic curæ ſit emendi neceſſaria facultatem præbere. Auxilia tamen terreſtri bello ferenda declinarent, quod Danus terra invadi nequeat, niſi per Provincias Germanicas, ubi jam certa ſtatuta in eum caſum extent. Quod ſi tamen Dani ejusmodi auxilium exigere perſiſtant, ad defenſionem Daniæ & Norvegiæ quatuor millia peditum promitteret, aut quaterna uncialium millia pro ſingulis millenis militibus. Viciſſim Dani ubi opus ſit menſtrua ſedecim uncialium millia perſolverent. De cætero Rex in partem vectigalis Oreſundici venire nolebat, quod ea res oneri ceſſura civibus Sveciæ, ac alias apud nationes ingentem invidiam excitatura foret. Exteros huic fœderi hactenus duntaxat includerent, ut commerciorum libertate in Mari Baltico fruantur, non ut & iſti defenſionem ejus Maris ſuſcipiant, ut claſſes Bellicas habeant, utroque Rege non petente aut conſentiente, ſive id fiat ſub prætexto tuendi naves onerarias ſive alio. Si propter auxilium latum is, qui fert, cum tertio in bellum inciderit, alteri cum hoc tranſigere haut integrum ſit, niſi iſti ſatisfiat, & cautio præſtetur ab eo, qui offenſum ſe fert. Fœdus ut in duodecim aut quindecim annos concluderent, inde ſi videatur longius porrigendum. Præter iſthoc fœdus Rex per eos legatos evitandis in poſterum controverſiis pactum adjectum volebat formari ſuper rebus, quæ in pactis Bræmſebroënſibus mutari neceſſum ſit, ſed quæ Roſchildiæ ob anguſtiam temporis perfici non potuerint, veluti quid obſervandum circa ſubmiſſionem velorum & ſalutationem navium bellicarum Oreſundam transeuntium, ut par ſit utriusque nationis conditio: ut Svecis non amplius neceſſum ſit tres ante ſeptimanas denuntiare, ſi ipſorum claſſis bellica fretum tranſitura ſit, uti pactis Bræmſebroënſibus cautum erat, quod jam dimidia pars ejus freti ad Regnum Sveciæ ſpectet. Item ut certi quid conveniatur ſuper formula *ſalvi paſſus maritimi*, ac *certificationum* mercium Svecicarum, quæ exterorum navibus vehantur, ut non neceſſum ſit vocabula navium exprimi in oppidis, ubi iſtæ ſcribuntur. Ut quoque pecunia pro alendis ignibus nocturnis ad dirigendos navium curſus Helſingoræ exſolvatur, ac quid juris inter trajectores ad utrumque freti litus ſit obſervandum. Denique ſi qua executio pacis hæreat, remedium afferrent, ſimul querelis adverſus militem Svecicum motis moderentur. Legatis

1658.

inſu-

1658. insuper Gottorpienſibus aſſiſterent, quo Dux ſatisfactione potiatur. Darent quoque operam, ut quod ſupereſt diæceſi Nidroſianæ, nempe tractus Borealis & Wardhuſia Regi tradatur, facta Danis aliunde compenſatione. Additum, ut uterque Regum deinceps titulo *Majeſtatis* ſe ſalutaret, & quia ipſe in ratificatione Daniæ Regi titulum Potentiſſimi primus tribuerat, eundem à Dano viciſſim reddi ſibi volebat. Cum etiam Daniæ Regi jam nihil amplius in regno Gothiæ ſuperſit, dextre monerent, ut iſtud vocabulum is deinceps ſuo titulo excludat. Si tamen Dani acriter huic poſtulato reſiſtant, concederent, ut Fridericus eo titulo utatur, non tamen ejus ſucceſſores. Ac ſi convenire ſuper eo nequeant, ſaltem actis id inſeri curent. Denique cum Beuningio ſedulo converſentur, ipſique confirment, Regi cordi eſſe cum Belgis amicitiam colere, nec eorum commercia onerare: tum Regem in Boruſſia inter indigenas & exteros nullum diſcrimen facturum, ſimul Belgis jus civitatis in oppidis Boruſſiæ æquis legibus indulturum, modo Belgæ viciſſim amicos ſe ipſi, exuta invidia, exhibere velint, denique tentent, num quo modo ipſum Beuningium rationibus Sveciæ adjungere poſſint.

Varkhuſ.

Groß-michtigſt.

Tractatus Hafniæ ſuſcipiuntur.

29. *Mart.* *Urop. Retz.*

§. 26. His mandatis acceptis legati è Scania Roſchildiam revertunt, inde Hafniam tendentes ad quadrantem milliaris ab urbe à duobus Senatoribus Axelio Uropo, & Petro Rezio excipiuntur, ſtipante Nobilium numero, & quatuor equitum turmis, longoque rhedarum ordine, quas inter Beuningii non adparebat. Initio Dani multum lætitiæ ſuper iſtorum adventu præ ſe ferebant, de quo jam dubitare cœperant. Mox tamen magno numero querelæ movebantur ſuper injuriis militis Svecici per Selandiam patratis, ac ſupra vires Fioniæ eſſe tributum incendiarium exſolvere. Tum & à Joanne Georgio Duce Vinarienſi Mænam inſulam male haberi, qui nec eadem ante Kalendas Maji excedere velit eo obtentu, quod

23. *Mart.* ejusdem in pace diſerta, mentio non ſit facta, cum tamen eadem pars Selandiæ habeatur. A Rege publice audiendos deducebant in curru Regio duo Senatores Henricus Ranzovius & Axelius Uropus. Summa orationis erat, ſe præbita à Danicis Roſchildiæ Commiſſariis anſa miſſos eſſe arctiorem conjunctionem, amicitiam & fœdus condituros. A Daniæ Rege deſignabantur Axelius Uropus & Petrus Rezius, qui cum iſtis 29. *Mart.* tractarent. Hi poſt permutata procuratoria & ſolennia verba poſtulabant, ut Sveci ſuper fœdere primo loco proponerent, diſſimulantes à ſuis primum de eo motum fuiſſe. Id quod Sveci modeſte excuſabant. Cum enim à Danicis miniſtris Toſtrupi & Roſchildiæ, & à Rege ipſo Friderici burgi ſuper arctiore fœdere monitum fuerit, ac ipſi optime norint, qua parte calceus urgeat, & quid conditio eorundem hac rerum facie præcipue deſideret, par eſſe, ut initium negotii ab ipſis proficiſcatur, exhibita in eam rem formula. Inde ſe quoque ſuam mentem declaraturos. Et quia utrinque ad eundem ſcopum tendatur, brevi optatum exitum citra operoſas diſceptationes expectandum. Id quod demum Dani annuebant, polliciti formulam ſe fœderis concepturos. Id tantum rogabant, ut hæc & deinceps agenda ſecreto habeantur, ne exteris miniſtris ſua deſtinata innoteſcant, quibus Beuningius cumprimis avide im- 31. *Mart.* minebat. Attulere inde Dani formulam fœderis, quam exhibituros ſe Svecis ferebant, ſi viciſſim horum delineationem acceperint. Sed Sveci reponebant: primo congreſſu utique conventum, ut Dani priores ſuam formulam ederent, quo ipſorum ſcopus à ſe perſpici queat. Dani contra varia excuſare, ac mentem ſuam ſcripto exprimere tergiverſari, aſſeverentes, primo colloquio, quando de modo tractandi differebatur, non aliam ſe Svecorum ſententiam percepiſſe, quam ut utrinque Commiſſarii formulam concipiant, quæ inter ſe collata tamdiu adaptetur, quoad utraque conſpiceret. Igitur ſpem fuiſſe, à Svecis quoque formulam fuiſſe concinnatam, cum ſua nunc conferendam: id quod cum nondum factum intelligant, non videri conſultum ſuam formulam oſtendere, antequam de Sveciæ Regis mente conſtet. Sveci reponebant, placuiſſe quidem utriusque partis ſententiam ſcripto concipi, ſubinde tamen ſe monuiſſe, à

1658. Danis proponendi initium faciendum, velut qui primi de fœdere moverint. Concedere tamen, ut sermone sua proponant, quo tractationis initium fiat. Insistentibus Svecis Dani demum declarant super tribus præcipue rebus fœdus faciendum, mutua nempe defensione adversus omnes, qui alterutrum invadere velint, conservatione commerciorum, ac juris utrique Regi in Mari Baltico competentis. Ista Sveci ad mentem sui regis congruere agnoscebant, simul monebant, id fœdus tantum porrigendum ad utrumque regnum, & insertas ei provincias, non ad eas, quæ à Germania dependent, quod his per pacem Westphalicam satis cautum sit, aut esse debeat. Hæc cum Danis probarentur, ad prælegendam formulam consensere. Ad singula capita isti rationes, queis moverentur deducebant, inprimis necessitatem exaggerantes quæ utrique regno incumbat, junctis viribus jus suum in Mari Baltico tuendi adversus quoslibet, qui id turbare quovis modo aggrediantur. Magnopere quoque commendabant liberum commerciorum in eo mari cursum, excusantes quod de horum incrementis sigillatim nihil adduxerint. Ea enim à Svecis melius intelligi, apud quos indies eum in finem consilia agitentur. Svecorum tamen dijudicationi committebant, an non promovendis utriusque nationis emolumentis facturum sit, si Dani in Svecia, & Sveci in Dania pari vectigalium immunitate fruantur. Ad hæc Sveci: in Svecia mercatorem Svecum præ extraneo nil immunitatis habere, uti in Anglia, sed omne discrimen in eo verti, num merces Svecicæ, an extraneæ navi vehantur. Cæterum commercia utique multis modis promoveri posse, sed per iniquitatem temporum in præsens omnia commoda, quæ natura utrique regno indulsit, non posse observari, eoque tutissimum fore, eam rem laxioribus verbis exprimi, quoad tempora huic negotio magis faveant. Id quod Dani probabant. Et Carolus Gustavus cum Friderico de commerciis Fridericiburgi fermocinans haut consultum judicaverat in præsens circa hæc quidpiam disponere, quod ea res ingentem invidiam apud exteros excitatura sit, hoc tempore cumprimis declinandum. Interrogabant porro Dani, qua ratione circa inclusionem exterorum in hoc fœdus procedendum sit? Sveci respondebant: qui id apud utrumque Regem petat, communi consensu admittendum esse, duntaxat quoad amicitiam & liberum commerciorum in mari Baltico usum, sed defensionem Maris Baltici utrique regno proprium negotium esse, eoque nulli exterorum sive obtentu conducendi mercatorias naves, sive auxilii sociis ferendi, jus fore classem huc mittendi. Quia Dani de duratione fœderis mentionem havt fecerant, Sveci quærebant, utrum satius sit fœdus id facere perpetuum, an certo tempore idem circumscribere? Utrisque posterius placebat. Etsi enim ipse scopus conservandi jura utriusque regni sit constans & immotus: consilia tamen circa eum obtinendum non semper similia sibi esse posse, obortis subinde mutationibus, ad quas consilia pro captu sint attemperanda. Eoque satius esse fœdus ad certos annos concipi, prorogandum, prout tunc conveniri possit ejusque utilitas deprehensa sit. Cum igitur Sveci viderent, Danicam formulam non per omnia scopo Regis sui quadrare, aliquot capita seponebant, clarius exprimenda cumprimis quod Dani videbantur, istum stringere velle, ne classem ad oram Gedanensem constituat, ei urbi in ordinem redigendæ. Alio congressu Sveci formulam suam 6. April. prælegebant, quam Dani objiciebant, singularia plus satis exprimere, eoque exteris suspicandi ansam præbere. Tum viginti à se naves armari tuendo Mari Baltico supra vires suas positum. Movebant etiam Sveci de pacto adjecto super rebus Roschildiæ omissis, de quibus, ut & formula fœderis Dani deliberaturos se ferebant. Post alio congressu de pacto 12. April. adjecto iidem declarabant, se stricte observaturos pacta Roschildensia, quibus exprimitur, standum pactis Brœmsebroënsibus, nisi quantum Roschildensibus immutata sint, eoque supervacuum esse, ulteriorem hisce declarationem adjicere. Sveci scripto se postulatum suum exhibituros ferebant, æquitati ejusdem clarius demonstrandæ. Nam ipsa cessione Scaniæ multa in pactis Brœmsebroënsibus mutata. Arguebant quoque Dani,

1658. Dani, exercitum Svecicum pacta violare, præter alimenta etiam exacto militari tributo. Reponebant Sveci diversam esse conditionem Selandiæ, & aliarum provinciarum. In Selandia enim Svecico militi stativa duntaxat indulta, ubi solis alimentis contenti esse teneantur. Sed in aliis provinciis eundem plenis hospitiis militaribus frui, ad quæ etiam pecunia pertineat. Unde in Germania biennium fere post conclusam pacem contributiones fuisse exactas. Naves ultra decem Dani annuere nolebant, qui & numerus Svecis sufficere videbatur, quod Sveciæ non interesset Danorum arma gliscere. Cæterum Dani in omnibus lentos se admodum & morosos præbebant, verbis quidem subinde testati de studio suo circa negotium absolvendum, nec eo magis tamen promovebant, Svecis licet quantum possent instantibus. Suspectum & illud erat, quod miles, quem in Hollandia Dani conduxerant, adventaret, ex quo præsidium Glucstadiense ad ter mille quingenta capita augebatur. Sed nec eorum militum, qui supercrant, quispiam exautorabatur.

De negotio Holsatico.

§. 27. Super satisfactione Duci Gottorpiensi præstanda Roschildiæ nil quidem distincte expressum absentibus Ducis legatis, ne quid forte concluderetur Duci displiciturum, aut fraudi futurum. Verbis tamen plene ibidem conveniebatur de Suabstediensi præfectura, tollendo communi Holsatiæ regimine, & supremo in Slesvicensem Ducatum imperio, quæ statim instrumento poterant inferi, ni Rex credidisset, socerum plura petiturum, ac Dani de Rendesburgo abnuissent, quod oppidum Rex ipsi stipulari voluerat. Cæterum jactabant Dani omnia reliqua damna, quæ Rex suus hoc bello perpessus sit, non tantopere ipsum mordere, quam quod agnato Duci ex pacto satisfaciendum foret. Venere post conclusam pacem à Duce Friderico missi Joannes Kielmannus Cancellarius & Levinus Claudius Moltkius, quibuscum congressi Commissarii Danici Henricus Ranzovius & Fridericus Alfeldius frigidos valde & difficiles se exhibuerant, jactantes id negotium non debere nec posse Hafniæ expediri, sed ad regimen Holsaticum spectare, ac ita prolixum & intricatum esse, ut ante Kalendas Maji absolvi nequeat, simul varia per effugia & interpretamenta spem satisfactionis adimebant, Alefeldio in minas quoque & contumeliosa dicta adversus Ducem erumpente, qui & privatas ob rationes morosum admodum eo in negotio se gerebat. Ejus rei indignitatem Sveci Danis ob oculos ponebant, Ducis causam esse primario tractatui innexam, eoque ut isti satisfiat, necessum esse, monentes insuper minis & convitiis abstinerent, absurdo instrumento circa pacem firmandam satagentibus. Haut eo secius Dani varia diverticula quærere tempori extrahendo, quoad dies evacuandæ Daniæ dicta cessisset, ut inde pro lubitu Ducem amoliri possent, ac multa scripta hinc inde incassum commutabantur. Igitur demum Sveci proponebant, ut ea causa se præsentibus, tum Gallico Anglicoque legatis velut sequestribus disceptetur, quo auditis utrinque rationibus tanto promtius eadem componi possit. Id cum Dani 7. *April.* abnuere non auderent, peculiari congressu in ædibus Svecorum id negotium suscipitur. Heic Dani multis verbis testari, cupere se utique Duci satisfacere. Sed per pacta, si quid inter Regem & Ducem controversiæ oriatur, ad arbitros deferendum. Ab his pronuntiata libenter se executuros. Holsati regerebant, se à Christiano IV. in causa Suabstediensi nunquam decisionem obtinere potuisse, à Danis hostili se modo habitos, quo colore nunc verbis unionis ita presse insisti posse? Ac jam pace inter duo regna conventum, ut ea res intra Kalendas Maji componatur, id quod adhibitis arbitris nullo modo fieri queat. Dani excipiebant, satisfactionem, de qua pactum Roschildense loquatur, intelligendum duntaxat de damnis hoc bello illatis. Sed Sveci ac sequestres evincebant, plura Tostrupi & Roschildiæ promissa. Ac proponebant Sveci, quia Dani utique ad arbitros provocent, ut in Terlonum & Medovium compromitteretur. Dani mandato se heic defici excusabant, contendentes, pacem Roschildensem expletam, si Daniæ Rex promittat, ex arbitrorum sententia se Duci satisfacturum. At Sveci, quibus id negotium à Rege diligentissime erat commendatum, de-

Kielmann. 27. Mart. Moltke.

Alefeld.

1658. clarabant, diverſiſſima eſſe promittere, ac præſtare, nec Svecicum exercitum Dania educi poſſe, niſi cauſa hac tranſacta. Ita Dani tunc digreſſi ſunt. Locutus eſt inde cum Rege Daniæ Medovius de hac cauſa, Svecis rogantibus. Is initio ſat frigidum ſe oſtendebat: ad extremum tamen declarabat, ſe in gratiam Regis Sveciæ Ducem vaſalli vinculo ob Ducatum Slesvicenſem exſoluturum ac ob damna hoc bello tolerata dimidiam præfecturæ Suabſtedienſis partem eidem conceſſurum. Nam alio titulo nullum iſti jus ad eandem competere. Quibus, ut adquieſcerent Sveci, per Fridericum Alefeldium Rex eos rogabat, teſtatus, ſe ob jusjurandum Equeſtri Ordini in Holſatia præſtitum, quo & Dux ſtringatur, communionem regiminis in ea provincia tollere non poſſe. Cum iſta Holſatis non ſatisfacerent, Dani apud ſequeſtres proteſtationem interponebant, ad quam ne Holſati ſtatim reſponderent, Sveci impediebant, prohibendæ majori animorum exacerbationi. Demum ut horum poſtulata eluderent Dani, aliam viam ingreſſi iisdem perſuadent, cupere quidem Regem Ducis petita annuere, modo id alio prætexto fiat, quorum maxime plauſibile ſit, ſi connubium inter Regis filiam & Ducis filium ineatur. Quæ res Duci valde arridebat, eamque ad Regem Sveciæ referebat, citra cujus conſenſum nil facturus ſit. Hic eam propoſitionem à Danis inventam judicabat ad Ducem in fraudem inducendum, eoque Kielmannum jubebat Ducis literas eo nomine ſcriptas ſupprimere, & potius cum legatis ſuis urgere, ut Dani Toſtrupi promiſſa repræſentarent.

3. April.

Danorum alienus Regi ſuus ſuſpectus.

§. 28. Iſte Danorum agendi modus, lentorque eo magis Regi cæperat eſſe ſuſpectus, quo magis tempus educendi è Dania exercitus labebatur, ſpes quippe fuerat, plena pacis executione facta aliquando ſe ex ea parte tantopere deſiderata ſecuritate potiturum, ad quam obtinendam omnia ſua conſilia direxerat. Nunc iſtorum tergiverſationes moræque effecerant, ut conſiliorum jam captorum executio foret differenda, ac præcavendum, ne per Danos aut eorum amicos ipſe denuo à tergo diſtringeretur, quo tempore quam maxime cum hoſte luctetur. Nam ut ea potiſſimum parte ſecuritati ſuæ proſpiceret, ipſa ratio dictitabat, cum citra illam neque domi tuto agere, nec foras inſignem expeditionem ſuſcipere, ac perſequi liceret. Unde & ſenatores ac ſelecti Ordinum monebant, cum Danus Sveciæ ſit proximus ſitu, eoque quam maxime cavendus, non eſſe quod Rex in remotiora loca nimium properet, quo ſtatim eſſe præſto queat, ſi quid denuo novarum rerum iſte moliatur. Vulnus quippe ligatum, & emplaſtris inſtratum, nondum penitus ſolidatum. Nec dubium eſſe, quin inolitum Danicæ nationis in Sveos odium hac pace ingentia incrementa ceperit, quod data occaſione eo violentius ſit eruptarum, quo magis idem in præſens tegere neceſſitas temporum ſubigat. Nuperum bellum uti exitiabili in Sveciam conſilio ſuſceptum, ita adverſis licet in Holſatia & Jutia rebus, nullam ipſis pacis cupidinem ſubiiſſe, ni Deus ponte per mare ſtrato viam in penetralia Daniæ aperuiſſet. Quam neceſſitatem, ut verbis pacem ferrent, coëgiſſe, ſed usque adeo animos haut immutatos, ut ne diſſimulationem quidem porrigere valuerint, quoad impune odia expromere liceret, ac vel nunc malitiam exferere, dum adhuc cervicibus eorum incumbunt, qui ſtatim ulciſci queant. Nec obſcurum eſſe quid conſiliorum iſtis Beuningius ſuggerat. Juſtam porro ſuſpicionem non diſſimulaverat Rex apud Ovvenum Julum, quem Daniæ Rex Gothoburgum miſſerat teſtando gaudio ſuper pace, ac petiturum, ut Svecicæ copiæ quamprimum Danicis inſulis excederent, tum ut moderatiora circa cauſam Holſaticam ſuaderet. Attexebatur longa querelarum ſeries, tum gravitas contributionum, & redemti incendii taxatio opes civium excedens. Quibus ut à Rege remedium adferretur, petebat. Iſti Rex reſpondebat; ſtatim atque executio pactorum Haſniæ completa fuerit, ſe copias ſuas ditionibus Danicis eduſturum. Cæterum ſibi valde moleſtum eſſe iſthoc negotium tantopere extrahi, morasque necti rationibus ſuis valde noxias & quæ impediant, ne certi quid conſilii capere queat, antequam pacem promta &

1658. ſincera executione impletam conſpexerit.

Regis itinera ad legatos ſuos mandata.

§. 29. Ea cauſa erat, ut Rex legatis ſuis Hafniæ repetitis vicibus ingereret, cum jam dies relinquendæ Daniæ propinquet, ſe quidem utique cupere ad pactorum præſcripta ſe componere, ac convento tempore militem deducere. Sed Danos ita cæpiſſe jam agere, ut valde opus ſit ipſorum motus obſervare, &, antequam eas provincias reſtituat, operam dare, ut de pacis firmitate ac Sveciæ ſecuritate cautum ſibi ſit. Ac præter continuas Danicorum Miniſtrorum cum Beuningio concurſationes, cujus machinationes ſatis cognitæ erant, non parum ſcrupulorum Regi injiciebat Danorum circa Holſaticam cauſam tergiverſatio, quæ Toſtrupi jam convenerant in dubium revocantium aut retractantium. Tum quod fœdus ab initio propoſitum tam languide nunc agitarent, ac per id eludere inſtituerent, quæ Rex ſibi ſtipulatus fuerat. Simul conductitium militem, quem præſenti ſtatu propriis impenſis alere non poterant, non ſolum retinerent, ſed & novos delectus in Hollandia continuarent. Ac fama erat, perpetuam eos militiam meditari, decies mille peditibus, ſex mille equitibus conſtantem, incertum contra quem & quo fine. Quibus omnibus ut Dani remedium afferrent, Rex legatos monebat, ac ut colophonem negotio imponerent, ne ſibi tempus incaſſum laberetur. Wrangelio autem injungebat, ut legiones

22. *April.* è Selandia & Lalandia quamprimum abduceret, monitas interim, ut circumſpecte agant, ſed è Fionia & Friderixudda non moveret, niſi reliqua omnia tranſacta ſint, & ipſe nova mandata à ſe acceperit. Quod ſi & interim Dani circa reddendam Bremerverdam difficultatem moverent, ipſe id is diſſimularet, nec multa de eo quereretur. Omnia tamen itineri parata haberet, & ubi negotia Hafniæ expedita forent, apud Oldesloam conſideret. De cætero miles poſt Kalendas Majas per hoſpitia cibariis contentus eſſet, nec pecuniarum quid amplius extorqueret, aut petulantiæ quid patraret, capitis pœna in noxios ſtatuta. Pedetentim tamen legiones è Jutia verſus Holſatiam movere juberet, ut ſi negotiatio haec-

reat, ſtatim retro in vetera ſtativa regredi queant. 1658.

Regis poſtulata. 23. *April.*

§. 30. Accelerando negotio Rex certa quædam capita legatis ſuis Hafniam mittebat, ad quæ liquidam Danos declarationem poſcerent, ac inde pacto adjecto inſererent, hoc argumento. Cum Dani moras nectant circa executionem pacis Roſchildenſis, ac ſuper quibusdam articulis convenire defugiant, qui pactis quidem Roſchildenſibus diſerte non exprimantur, ob ipſam tamen rerum conſecutionem declarari debeant: igitur legati Danis demonſtrarent, eas moras ſuſpicionem parere idoneas eſſe, ac Regem ante diſceſſum ea omnia vi pactorum expedita habere velle. Nec minus Holſaticam cauſam ad liquidum deducendam concludendamque, ratificationibus quoque permutatis, antequam exercitus è Dania movere queat. Cum etiam Dani non ſolum militem Germanicum non exautorent, ſed & novos per delectus copias ad undecim millia capitum augere laborent, id non poſſe non Regi eſſe ſuſpectum, quod & magnis ſumtibus opus ſit ad eos alendos tam difficili Daniæ tempore, nec Danis hoſtis aliquis metuendus ſit, Rege, ubi opus ſit, defenſionem illorum ſuſcepturo, & tamen iſtud haut fruſtra fieri præſumendum ſit. Igitur citra ambages denuntiarent: Regem Germanicum iſtum militem, novosque delectus ferre non poſſe, nec judicare hoc modo ſe optata, ac per pacem promiſſa ſecuritate fruiturum, ſed armata Dania idem quod antea periculum ſibi imminens metuere, eoque militem iſtum Germanicum ante diſceſſum exercitus Svecici exautorandum. Quin etiam Dani circa executionem pacis ita ſegnes ſint, naves ablatas non reddant, quod duobus equitum millibus deeſt, non ſuppleant, præfectis Svecicis ſuper præda ante pacem occupata controverſiam moveant, legati urgere perſiſterent, ut conventa citra contradictionem ſtatim impleantur, tum monerent, ut Dani abſiſtant, Svecos pacis violatæ arguere, ac ſibi velut actionem integram ſervare, Sveciæ deinceps, ubi commodum ſit invadendæ, nec ita ſe gerant, ut non poſſit non præſumi, ipſis decretum, pacem bona fide haut ſervare. Præſertim cum antiquis & recentibus exemplis con-

1658. ſtet, quantum periculi Sveciæ immineat, Dania arma induente: non obſcuris quoque Beuningii machinationibus circa pacem turbandam, & quid Henricus Roſenvvingius Hagæ cum Polonicis, Auſtriacis & Brandenburgicis miniſtris agitet. Statim quoque poſtularent, reſtitutionem trium navium ſale onuſtarum ante indictum bellum ablatarum, reddito quoque ſalis pretio. Cum etiam Dani querantur, milites Svecicos quædam præter jus abripuiſſe, id quod Rex inficietur, ne ea res in futurum materiam diſſidio præbeat, legati *receſſum* additicium conderent, quo omnes iſtæ querelæ aboleantur, ſimul ne violatio pacis habeatur, aut in poſterum velut cauſa belli allegetur, ſi ob haſce moras miles Svecicus ultra tempus in Dania hærere cogatur à Danis alendus, eumque ſtatim à Rege Daniæ & ſenatu ratihaberi curarent. Eam ratihabitionem ſi manibus teneant, Wrangelio mandata datum iri ad iter protinus ingrediendum. De tractu Boreali & Wardhuſia non amplius moverent, ne Dani occaſionem arripiant calumniandi, velut Rex partis non contentus pacis infringendæ cupidine teneatur. Nam cum ea de re legati mentionem injeciſſent oblato in penſationem vectigali de mercibus Svecia quæ exterorum navibus vehantur, Dani id magnopere velut longius penetrans abhorrere viſi fuerant, ut qui omnia Regis dicta ac facta ſuſpectarent. Ac revera poterat eo modo commercium piſcium Nidroſiæ figi, huc pertractis, qui alias præter id oppidum Bergas navigabant. Huenæ quoque poſtulandæ inſiſterent, quæ Scaniæ pars ſit. Tum ſuper ſalutatione navium in Oreſunda aliisque urgerent, quæ à Roſchildenſi pace ultro conſequebantur. Cum enim dimidia pars freti ſub dominio Sveciæ ſit, par eſſe, ut Rex eadem ibi dignatione fruatur, quam Danus exercuerat. Et inter tractandum ſat aperte dictum fuerat, ſi Danicæ naves Helſingburgum machinis ſalutare, & ſummum velum ſubmittere nollent, Svecicas naves nec Cronenburgo id facturas. Nam Roſchildiæ ſpatium non fuerat iſta omnia exacte ſcripto concipiendi. Porro nec eadem ad fœdus rejici paterentur, quod Dani volebant, ſed antè deductionem exercitus utique expedirent, præſertim cum Dani executionem tam imperfectam relinquerent, ac multas male fundatas querelas miſcerent. Denique quia Dani à fœdere alienos ſe oſtendebant, Rex ſiquidem hi tergiverſari pergerent, legatos id non magnopere curare jubebat, quod jam in pactis cautum ſit, ne extera claſſis bellica in Mare Balticum admittatur. Si tamen omnia ex pace executioni data ſint, ac Dani cupidos ſe ejusdem ferant, id adornare pergerent, ad ſingularia tamen ne deſcenderent, ne ſub vocabulo libertatis commerciorum jura Regis quæſita imminuantur. Sane Glucſtadienſes Conſiliarii Friderico Regi ſuaſerant, ne penitioris amicitiæ vinculo cum Carolo Guſtavo ſe innecteret. Eadem porro Rex ipſe Ovveno Julo Gothoburgi denuntiarat, qui Friderici Regis nomine petierat, ut Ulricus Fridericus Gyldenlevvius ſub ipſo ſtipendia faceret, ac reditibus Bornholmiæ inſulæ, quas Fridericus antea Joachimo Gerſtorfio donaverat, quoad viveret frueretur. Quorum prius Rex annuebat, ac ut tribunus foret earum copiarum, quas Danus adhuc Regi debebat. Sed de Bornholmia excuſabat, quod illis reditibus opus haberet ad alenda ejusdem præſidia. In Scania tamen ſe iſti reditus Cænobii Borringani & Lindholmenſis una cum penſione annua quater mille uncialium à portorio Malmogienſi daturum. *Böringe Lindholm.*

§. 31. Interim legati Svecici Hafniæ ſuper fœdere fruſtra fategerant, id cumprimis contendentes, ut Dani ſe obſtringerent, ad invadendam claſſem externam & iterum expellendam, quæ in Mare Balticum penetrarit, antequam ambo Reges claſſes ſuas contrahere queant, ad eandem aditu arcendam. Id enim poſtulandi anſam dederat Beuningius, qui jactarat: Danos quidem in ſe recepiſſe, ut ſint janitores Maris Baltici, non tamen obſtringi poſſe, ut eo nomine rationem reddant, ſi extranea claſſis vi in Mare id irrumpat. Quo ſuggerente etiam Dani ſtudebant, ſe obligatione exſolvere alios ingreſſu Maris Baltici arcendi, ſaltem quoad hoc bellum duraret. Cum itaque Sveci exhibitam à Danis fœderis formulam *Tractatus Hafniæ lente procedunt. 24. April.*

1658. Iam accurate expenderent, comperiebant hoſce id agere, ut tres priores articulos pacis Roſchildenſis reſtringerent, corrigerent, aut mutarent, ſimul quasdam ſententias obſcuris verbis involutas infarcirent, Regis ſcopo, ipſorumque promiſſis adverſas. Igitur Sveci antequam ſuam formulam Danis viciſſim exhiberent, cum his colloqui cupiebant, penitius introſpiciendæ ipſorum menti & rationibus. Ita habito congreſſu Sveci ad articulum primum demonſtrabant, obligationem pacti Roſchildenſis hac formula videri conſtringi ad locum, vires & modum hoc fœdere peculiariter expreſſum. Verba quoque de mutua defenſione ita obſcure concepta, velut ea tunc demum debeatur, quando utrumque Regnum ſimul invadatur. Quæ arcendis cavillationibus clarius ſint exprimenda. Secundo articulo Dani poſuerant, ne in aperto mari vectigal capiatur. Id quod Sveci ſuperfluum judicabant, cum tale exemplum non exiſteret, niſi quod Chriſtianus IV. *Rudem.* quondam ſub Rudena inſula vectigal exegiſſet. Unde Danos urgebant, ut quæ heic occultarent, proderent. Igitur hi demum erumpebant, toto hoc tractatu unicum ſibi ſcopum eſſe omnibus exteris ſuſpicionem eximere, præſertim cum jam aliquibus ſolum fœderis vocabulum ſcrupulos moveat. Nam quia aliæ nationes viderint, Regem Sveciæ claſſem ſuam ad littus Gedanenſe ſtatuiſſe, facile ipſas conjicere, idem in poſterum ab alterutro Regnum alio loco vario obtentu fieri poſſe. Unde fortaſſe non exiguam invidiam Daniæ ſurrecturam, ac ſociis Regibus novos excitari hoſtes poſſe ſummo cum Daniæ periculo velut jam enervis ac exiguis ad reſiſtendum viribus. Ac ſi Angli & Belgæ ad ejusmodi vectigal in aperto Mari abolendum conſpirent, dubium eſſe, num Reges Boreales iſtorum claſſibus pares vires opponere queant. Ad quæ Sveci; invidiam aliorum declinare bonum eſſe, ſed quare hæc formidanda ſit in negotio, quod ſola Regna Borealia, eorumque jus in Mari Baltico ſpectat, rationem non adparere. Nam etiam claſſe Svecica ad oram Gedanenſem collocata nemini juſtam querendi cauſam eſſe, cum id jure belli fiat: Nec id eſſe vectigal in aperto Mari capere, ſi quis claſſem ad portum hoſtilem ſtatuat, ſubvectioni hoſtibus arcendæ, vel iisdem onerandis vectigal mercibus importandis & exportandis imponat. Quin Anglos & Belgas, præter quos nemo invidiam ex iſto facto concipere queat, per pacta vetari ſubvectionem facere loco per Regem obſeſſo. Si autem hi Regi conceſſerint portum plane occludere, cum negent mercibus vectigal imponere? Et cum apud Belgas ſemper moris fuerit portus hoſtiles claudere, cur hi ſua exempla in aliis improbent? Ita evincere Sveci, ut ea verba de capiendo vectigali in mari aperto dispungerentur. Ad articulum quartum Dani aſſeverabant, ſe propter inopiam pecuniæ plus quam decem naves armare non poſſe. Sveci reponebant, quo major ſit adparatus utriusque Regni, eo magis alios verituros ipſa invadere. Ad quæ Dani, ſi extera claſſis bellica vi Oreſundam aut Baltem perumpere inſtituat, ambo Regna ex pacto teneri id omnibus modis prohibere. Cæterum hoc fœdus futura duntaxat bella reſpicere, non ea queis in præſens Svecia involuta eſt. Addebant, ſi Sveci alterius Reipublicæ cives in Mari Baltico inquietent, æquum eſſe huic jus relinqui id in eodem Mari ulciſcendi. Reliqua, quæ à Svetis movebantur, Dani partim ad Regem ſe laturos recipiebant, partim annuebant. Sveci tunc quoque de Huena inſula monebant velut ad Scaniam pertinente, quam Selandiæ vindicatum ibant Dani. Ad extremum Sveci poſtulata Regis ſcripto concepta una cum ſua formula fœderis Danis tradebant. 1658.

§. 32. Ad iſthoc ſcriptum Sveci ſubinde reſponſum urgebant, Danis lente molientibus, ac negotium de die in diem differentibus, modo alias occupationes, modo pleniorem ſibi informationem petendam cauſati. Poſt complures dies elapſos declarationem ſuam ad id ſcriptum adferebant, qua placebat Regi Daniæ, ut ſi navis Danica propius Helſingburgum ſuccederet, eam arcem ſalutaret, recepto à Svecis eodem honore. Par ratio eſſet, ſi Svecica navis propius Cronenburgum tranſiret. Notificationem de tranſitu claſſis Svecicæ per fretum Oreſundi- *Danorum declaratio ad Sveconum poſtulata.* *29. April.*

1658. fundicum Dani è pacto Brœmſebröenſi manere volebant, ejus quippe Scopum eſſe, ut ſuſpicio vitetur, quæ oriri poſſit claſſe aliqua ex improviſo accedente, præſertim cum Regia Daniæ prætereunda ſit, quæ ratio per pactum Roſchildenſe haut tollatur. Quid quod ea notificatio magis promanet è conventione inter ambo regna inita, quam è jure, quod è Scania dependeat? Ad quæ Sveci, ceſſa Scania utique conſequi, neceſſitatem ejus notificationis quoque ſublatam. Eam quippe hactenus ideo factam, quod Regis Daniæ ditiones fretum utrinque includerent, ac rationis eſſe, ut alterius territorium tranſiturus eos, quorum intereſt, decenter advertat, ni ſuper vi illata argui velit. Ac ſi unice ſuſpiciones heic ſpectent, Danos quoque recuſare non poſſe, quo minus & Svecis ſignificent, ſi claſſem ſuam Oceano immittere velint, quod Dani æque Svecis, quam hi iſtis ſuſpicionem movere queant. Poſt tamen Dani declarabant, in honorem Regis Sveciæ, & avertendis in poſterum controverſiis eam notificationem abolendam, ſic ut navibus bellicis Svecorum nulla antegreſſa denuntiatione Oreſundum & freta Baltica transire integrum ſit. Circa certificationes negari non poterat, quin magni abuſus interveniſſent. Teſtabantur tamen Sveci eos, contra mentem Regis patratos, nec huic bono cedere. Ac Danos protinus atque fraudatores deprehendiſſent, indicium debuiſſe facere, ut malo medicina in principio adhiberi potuerit, cum nunc connivendo nautas ad pares fraudes continuandas invitaſſe videantur. Unde ſuper formula certificationum conveniendum, quæ fraudes in poſterum excludere queat. Poſtulabant quoque Sveci, ut Dani milites, quos ipſos tradiderant, ſacramento ſuo exſolverent, cum Dani ſufficere dicerent, ſi militiæ Svecicæ transſcriberentur. Ad novos Danorum delectus Svecis ſuſpectos iſti reponebant, non niſi ſex millibus conducendis diplomata diſtributa. Quem habeant militem exantorari non poſſe, quo ad præſidia ſuorum oppidorum opus habeant, teſtati nihil ſe offenſæ meditari, ac libidinem bellandi jam exoleviſſe. Navigia, quæ hoc bello Svecicis civibus erepta fuerant, Dani non alia conditione reſtituere volebant, quam ut à Svecis reddantur in Fionia, & alibi Danis erepta, præſertim cum hæc videantur una cum terris reſtituenda. Svecis contra contendentibus, ea inter mobilia referri, ac prædæ cedere. Tractu Boreali negabant Dani carere ſe poſſe ob inſignes proventus, quos pilicatura præſtet. Nec in Regis poteſtate, eum citra neceſſitatem alienare. Ad quæ Sveci Regem iis terris potiri nolle citra conſenſum Regis Daniæ, nec in eo lucrum captare, ſed ut lites evitentur, è tranſitu ab una regione in aliam orituræ. Interrogabant etiam Dani, num extraneo liceat partem habere in navibus Svecicis, quæ immunitate in fretis Danicis gaudeant? Id enim ſi fiat, Belgas merces ſuas propriis navibus haut miſſuros, ſed id acturos, ut de Svecicis navibus participent. Ad quæ Sveci: Quia Svecicarum navium immunitas pacto quæſita ſit in favorem Svecicorum civium, ut eo plures in Svecia naves ædificentur, è ſua re non eſſe, ut Svecici navium exercitores extraneis miſceantur. Petrus Retzius quoque ut Dani aliquam facultatem ſibi reſervarent Svecicas naves excutiendi, ſcrupulum movebat, num verba illa de navibus Svecicis articulo IV. pacis Roſchildenſis, *ut naves cum mercibus cujuscunque generis quas vectant ſint immunes*, intelligenda ſint, de dominis mercium, Sveci an extranei ſint, an vero de generibus mercium, vinum, ſericum, pannus ſit, ac poſteriore ſenſu ea capienda, pugnabat, cum Sveci contenderent, priorem ſenſum Toſtrupii & Roſchildiæ pacifcentibus præ oculis fuiſſe. Circa ſupplendos equites, qui convento numero deerant. Dani adhuc moras querebant. Sed & de fœdere iidem negabant tempus cogitandi ſibi fuiſſe.

De Huena inſula controverſitur. 4. Maji. Huen.

§. 33. Inter quæ acris controverſia ſurgebat ſuper inſula Huena, quam Dani partem Selandiæ pertendebant, hac præcipue ratione, quod in nulla Daniæ provincia coloni ſint adſcriptitii glebæ, præterquam in Selandia, & ad illam ſpectantibus locis, ex quo capite Huenam ante aliquod tempus forenſi ſententia Selandiæ ſit adjudi-

1658. adjudicata. Tum & in formula Wordingburgenſi ejus inſulæ diſertam mentionem facta, quæ in Toſtrupienſi & Roſchildenſi pacto non adpareat, eoque Svecos ea prætentione ceſſiſſe. In Arnoldi Huitfeldii hiſtoria ſemel duntaxat Huenæ mentionem fieri junctim cum Scania, id quod ſuperfluum foret, ſi Huena Scaniæ pars eſſet. In libris rationum Huenam ſemper ſub Selandia comprehendi. Incolas Huenæ forum ſuum tam in Eccleſiaſticis quam civilibus litibus in Selandia ſortitos. Tantum modo Chriſtianum IV. ex gratia indulſiſſe, ut judicio provinciali Scaniæ uti queant Huenenſes, quod Lundinum illis propius ſit, quam Ringſtadium. Quod privilegium cum Huenenſes porrigere vellent ad exuendam conditionem adſcriptitiorum glebæ, eumdem Regem reſcripſiſſe: etſi in Scania forum petant, in reliquis tamen ſub Selandia ipſis manendum, & ex legibus Selandicis eosdem judicandos. Sveci contra: quod Huena primo projecto nominetenus inſerta ſit, id ex ſuperfluo factum. Poſt pacto expreſſe inſerere haut placuiſſe, quod pars Scaniæ ſit. Quod Huitfeldius Huenam ſimul cum Scania nominet, ex eo non conſequi, illam hujus partem non eſſe. Nam eodem inſtrumento Lyſtriam quoque cum Bleckingia nominari, quæ citra controverſiam hujus pars ſit. Ac ſæpe majoris evidentiæ cauſa figillatim exprimi, quæ ſub generali clauſula contineantur. Neque verò, ſi aliquandiu Huena judicio provinciali Selandiæ uſa ſit, ideo conſequi eandem Selandiæ partem eſſe, eo cumprimis tempore, quo Scania quondam Sveciæ regno ſubjecta fuit, ſicuti nec ideo, quia Huenenſibus juxta leges Selandicas jus dicitur. Nam Fioniam quoque & Falſtriam jure Jutico uti, nec tamen Jutiæ partes eſſe. Sic deinceps Hallandiam, Scaniam, Blekingiam, juxta Danicas leges judicatum iri, quæ tamen regno Sveciæ in perpetuum adjunctæ ſint. Neque ex conditione colonorum Huenenſium aliquid colligi poſſe, non magis quam ex eo, quod coloni Fioniæ paris ſint conditionis cum colonis Scaniæ. Sed nec in permutationem navigiorum Svecicorum cum Danicis conſentire volebant Dani, rationem adſpernati à Svecis allatam, quod mobilium numero eſſent. Nam alias Svecico militi etiam fas fore, alia utenſilia auferre domeſtica & ruſtica, menſas, ſedilia & aratra, ac iſta utique ſoluto tributo incendiario ſimul redemta. Aliud dicendum, ſi Rex Sveciæ ea navigia alicui donaſſet, aut peculiari modo eorundem poſſeſſionem apprehendiſſet. Reponebant Sveci: poſſeſſionem ſatis apprehenſam fuiſſe eo ipſo, quod Rex juſſerit eadem in indicem referri. De fœdere adhuc Dani differebant, incertum averſione ab eadem, an quod alia jam conſilia agitarent. Sveci tamen decreverant, ſi Dani fœdus extraherent, ſe ex illius formula deſumturos, quæ ad executionem pactis Roſchildenſis pertineant, hisque pacto adjecto inſertis negotio finem impoſituros. Interim Holſatica cauſa abſolvebatur hactenus, ut Dux ſublato vaſalli vinculo in Slesvicenſi Ducatu ſummi imperii jure deinceps gauderet. Suabſtedienſis quoque præfectura eidem conceſſa, exceptis quatuor canonicatibus. Sed ut communio regiminis in Holſatia aboleretur, Rex Fridericus conſentire nolebat obtentu jurisjurandi Ordinibus facti. Nec Holſati ulterius eam rem urgendam ducebant, quod cenſerent, majori præjudicio futurum Regi Daniæ, ſi Ordinibus Holſatiæ deciſio ejus litis deferatur, quam ſi communio in præſenti ſtatu perſiſtat, ac ſpem eſſe, Regem ultro ejus abolitionem poſtulaturum, ſi perſpiciat, quid damni ex ea proveniat. Conſtat Holſaticos Legatos lautioribus conditionibus potuiſſe potiri, & ab initio plus conſtantiæ oſtendiſſent, nec à Danis & Holſatica Nobilitate terrorem ſibi incuti paſſi fuiſſent.

1658.

Cauſa Holſatica abſolvitur.

§. 34. Aſt Rex moras iſtas pertæſus, cum Huenam olim Scaniæ partem fuiſſe extra dubium eſſet, immiſſo milite ejus inſulæ poſſeſſionem capiebat, colonosque in ſua verba adigebat, quod ea inſula utique opus foret, tegendo portui Landscronenſi, cui eadem objacet. Qui & denuo per literas Legatos urgebat, ut negotiationi finem imponerent, alias ſibi è Dania movere haut integrum eſſe. Fœderis autem tra-

Ulterior ſuper Huena diſceptatio.

6. Maji.

1658. ctationem ut dextrè abrumperent jubebat, quod Beuningius eidem tantopere reluctaretur, variis eo nomine ſuſpicionibus Belgas ſuos agitans. Nam ſufficere videbatur, pactum Roſchildenſe obſervari, ac ideo potiſſimum huic fœderi à Danis oblato pronum ſeſe Rex oſtenderat, ut deſiderium colendæ cum iſtis amicitiæ teſtaretur. Aſt Dani non parum conſternatos ſe oſtendebant ob occupatam à Svecis Huenam durante tractatu, graviterque apud Legatos Svecicos eo ſuper facto querebantur, haut obſcure inſinuantes extrema ſe potius experturos, quam ea inſula cedant. Simul arguebant, Wrangelium adhuc dubitare Friderixudda & Fionia abire, nec exercitum hoſpitiis exire. Reponebant Sveci: Huenam à ſuo Rege partem Scaniæ haberi, &, quæ à Danis opponantur, rationes nihili eſſe. De Diſceſſu exercitus Svecici ſæpe ſe ipſis prædixiſſe, ac valde mirari, quare Dani tam lentos ſe exhibuerint circa id negotium abſolvendum. Nam neque Holſaticam transactionem ſcripto adhuc conceptam & complura negotia nondum executioni dat. Circa Huenam Cojetus operoſe demonſtrabat, cum ea inſula per ſe provinciam non conſtituat, ipſis Danis fatentibus, neceſſum eſſe, ut eadem alterius provinciæ appendix ſit, eoque vel ad Selandiam vel ad Scaniam pertineat. Cum autem propius Scaniam ſita ſit, præſumptionem Svecis favere, & contrarii probationem Danis incumbere. Id quod difficillimum hiſce ſit, cum nullus hiſtoricorum tradat, Huenam à Danis quiete unquam poſſeſſam, niſi ſimul cum Scania. Hanc porro inſulam ſemper Scaniam comitatam, ſive cum hæc Comiti Holſatiæ oppigneraretur, ſive à Svecis cum conſenſu Danorum redimeretur, ſive à Magno Smeek iterum Danis traderetur. Quod illa Epiſcopo Selandiæ ſubjecta ſit, nihil ad rem facere. Nam & Falſtriam & Langelandiam cum parte Alſiæ Ottonienſis Præſulis jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſubditam. Quinimo quondam Sveciam totam & Daniam, quod ad ſacra, ſub Hamburgenſi Præſule fuiſſe. Porro Fioniam, Lalandiam & Langelandiam, uti jure jutico: adſcriptitios glebæ alibi quoque, quam in Selandia, eſſe, nec quod ad judicium provinciale Selandiæ Huenenſes provocaverint, indicio eſſe, eam inſulam Selandiæ partem habendam. Blekingiam quidem in alienationibus fere Scaniæ fuiſſe conjunctam, ſed velut peculiarem provinciam. Huenæ & Lyſtræ expreſſam mentionem factam, ſed & è ſuperfluo, cum agnoſcentibus Danis Lyſtria ſit pars Blekingiæ. Cæterum hiſtorias teſtari veterem limitem Gothiæ & Daniæ fuiſſe in medio freti Oreſundici, ſeu, quæ verba Iſaaci Pontani ſint, Daniæ hiſtorici, *in ipſo paſſagio Oreſunde*. Quin tempore Chriſtophori I. Daniæ Regis Huenam Lundenſi Præſulatui fuiſſe ſubjectam, antequam Holſatis pigneri opponeretur. In literis ceſſionis à Rege Daniæ nunc expeditis apud Scaniam diſerte exprimi omnia loca, quæ nunc aut olim ſub Scania ſita ſint. Et fuiſſe mentem Regi Sveciæ ea omnia recuperare, quæ olim ad Sveciam ſpectarint. Unde Danos debuiſſe eam peculiari exceptione reſervare, ſi eandem ſibi retinere vellent. Quod Huena Wordingburgenſi formula expreſſa poſt omiſſa ſit, ad rem nihil facere. Nam tunc Svecis liquido non conſtitiſſe, an iſta pars Scaniæ ſit, nec Scaniam tum petitam fuiſſe cum pertinentibus, ſed ſimpliciter, eoque haut ſupervacuum fuiſſe viſum Huenam & Saltholmiam, ſicuti Anholtam & Leſſoam nominatim petere. Ac debuiſſe Danos nominatim Huenam abnegare, ſi eam inter appendices Scaniæ, qualis ſemper fuit, referre nollent. Denique & Amagriæ incolas eſſe liberos homines, uti in Scania, non adſcriptitios ad modum colonorum Selandicorum, nec ideo tamen Amagriam Scaniæ partem eſſe. Enimvero is maxime metus tunc urgebat Danos, ne Rex Sveciæ caſtello in Huena inſula excitato navigationem freti impediret. Econtra fidem dare Dani volebant, ſe retentæ Huenæ nullum caſtellum impoſituros in fraudem portus Landscronenſis. Inter quæ negotio Holſatico ad clauſulam perducto Dani acriter contendere incipiebant, ut exercitus Svecicus regno excederet, quod quæ reſtent capita tanti non ſint, ut ideo tam grave onus ipſis incumbere debeat. Sed ſatis obſervabatur, ubi ſemel Dani jugum excuſſiſſent, reliqua omnia ab iisdem in longum extra-

1658

1658. extractum iri. Quæ & causa erat, cur circa adornandum pactum adjectum tantas difficultates moverent, quod crederent, Carolum Gustavum peculiaribus rationibus urgeri ad Daniam quamprimum deferendam, ut sese Austriacorum & Polonorum conjunctioni opponeret, id quod & hi istis persuaserant. Sed & senatus Daniæ sat ægre huc descendebat, ut Regi ipsiusque familiæ summum & independens à Daniæ regno imperium in Slesvicensem Ducatum annueret. Ac multi Nobiles Regi vitio vertebant id cupiisse, ac Senatui, id citra necessitatem indultisse.

Dani moras nectere pergunt. 11. *Maji.*

§. 35. Alio dehinc congressu Dani articulo secundo fœderis hæc verba inseri cupiebant, ut commercia non solum inperturbata, sed & *ingravata* essent, quod vocabulum Sveci adspernabantur, ne facultatem sibi adimerent in suis portubus pro re nata vectigalia intendendi. Sed & Dani tertium articulum de excludendis classibus exteris è Mari Baltico ambiguis verbis conceperant, haut inficiati, se nolle aliis suspicionem per eundem injicere. Ac cumprimis heic fervide se jactabat Beuningius, quod videret, ea ratione Belgis obicem ponendum, ne sociis suis in mari Baltico auxilium ferre possent. De tractatu Boreali ferebant: haut moris esse ditiones argento vendere, sed permutare se posse, & si necessitas urgeat, oppignerare. Nam vectigal à Svecis oblatum velut rem temporariam comparari non posse perpetuæ alie-
14. *Maji.* nationi terrarum. Nova inde disceptatio surgebat super navigio Norcopensi ab excussoribus maritimis ante indictum bellum sub Rugia insula abrepto, quod Dani restituere abnuebant, Polonico autoramento id captum excusantes: cum tamen constaret, eum excursorem Hafniæ armatum, ac prædam eodem abductam fuisse. Sed nimirum causa tergiversandi erat, quod nonnulli Danorum proceres in ejus prædæ partem veniissent. De Huena id temperamentum proponebant Dani, ne ad eam conclusio tractatuum adhæresceret, ut id negotium ex pacto Stetinensi ad congressum Senatorum in finibus regni reponeretur, ubi Svecis intentio sua liquidis rationibus probanda sit: Nec eo secius Dani, utut 1658. tergiversationibus suis morarum causam præberent, discessum exercitus Svecici urgebant. Quibus Sveci re- 15. *Maji.* ponebant: omnia prius expedita esse debere super Huena insula, tum ut pacto adjecto definiatur, quid vocabulo *hostilium* classium intelligatur, ac de modo defendendi freti: ne forte Belgæ obtentu mercatorias naves conducendi Mare Balticum cum classe introëant. Ad quæ Dani descendere abnuebant, eandem cantilenam ingeminantes, quod nemini suspicionem excitare velint, revera ut ansam sibi reservarent laxiora verba pacti Roschildensis, si commodum videretur, eludendi, frigidam suffundente Beuningio, qui ostentato Belgarum auxilio pertinaciam illorum alebat, eoque & iidem in omnibus obscure & ambigue loqui amabant. Inter hæc complures dies in- 20. *Maji.* cassum elabebantur, cum Dani super Huena sententiæ suæ inhærerent, circa defensionem freti demum consentirent, ut Sveci formulam de eo negotio conciperent. Id quod ab hisce factum, additis, qui adhuc restabant, articulis nondum expeditis. Ad quæ Dani de Huena nihil, 23. *Maji.* de reliquis ambigue. Unde Sveci 24. *Maji.* habito congressu acriter cum Danis expostulabant, ut tandem aliquando negotio finem imponerent, ac omissis diverticulis rectam viam incederent. Dani contra non modicam librorum molem in ædes Legatorum Svecicorum afferri curabant, è quorum testimoniis probare instituebant, Huenam esse partem Selandiæ, quos inter Atlas Joannis Janssonii eminebat, sed à Svecis repositum, exterorum testimonia scriptorum exigui esse ponderis in tanta rerum Danicarum ignorantia, quæ multis exemplis è vestigio demonstrabatur. Ita cum probationes Danos deficerent, demum ad Deum & conscientiam suam provocabant, non aliter sibi persuasum esse, quam Huenam ad Selandiam spectare, ac ut ea lis ad arbitros rejiceretur instabant. Id quod Sveci abnuebant, causati, rem per rationes à Danis adductas non factam dubiam. Non agi heic de nova lite, sed de mera executione pacti Roschildensi. Arbitros expectari longum esse, ac

1658. Stetinenſi pacto ſepoſita capita demum quadrageſimo poſt anno Siæredenſi conventu fuiſſe deciſa ſimul inſinuabant Sveci. Danisque expendendum committebant, an non expediat tractationem fœderis ad commodiora tempora ſuſpendi, præſertim cum ex eo fœdere nullus fructus provenire queat, niſi bellis, queis Svecia nunc implicetur, ſopitis, Roſchildenſi pacto jam tum utrumque regnum ad mutuam defenſionem obſtringente. Ac intellexerat Rex, Anglos ex eo fœdere ſuſpicione perſtringi. Id quod Danis admodum probari videbatur. Denique acriter inſiſtentibus Svecis Rex Daniæ demum declarabat, ſe Svecis Huenam conceſſurum, ac ut Bremerverda evacuetur juſſurum, tum qui deficerent adhuc equites plene repræſentaturum. Sic ut legatis Svecicis ſpes eſſet paucos intra dies pactum adjectum abſolvendi, Terlono concluſionem negotii acriter urgente.

Tractatio foederis omittitur.

Rex moras Danorum agre fert.

§. 36. Iſtæ Danorum moræ tanto moleſtiores Carolo Guſtavo accidebant, quod jam tempus rebus gerendis idoneum fruſtra labi inciperet. Sed & alia eveniebant ipſius animum ſuſpicione perſtringentia, velut quod publicani Danici duas Stralſundenſes naves veteri more certificationes poſciſcent, cum per Roſchildenſe pactum Svecicis navibus nil amplius eſſet neceſſarium, quam diploma tuti itineris maritimi oſtendiſſe, Bremerverdæ quoque præfectus Eggerichus jactabat, ſe jam Auſtriacorum militiæ addictum, quibus eam arcem tradere inſtituerit, ac, licet elapſo diſceſſus die, annonam congerebat, velut diu ibi manſurus. Id ut Danis exponerent, Rex Legatis ſuis injungebat, denuntiato, Wrangelium non prius cum exercitu diſceſſurum, quam reddita Bremerverda. Unde cum jam Wrangelius è Wenſyſſela legiones movere juſſiſſet, Oldesloam præfecturas, ibique è vicinis ditionibus alimenta petituras, Rex in vetera hoſpitia easdem reverti imperabat, haut prius inde digreſſuras, quoad omnia Hafniæ abſoluta forent. Præſertim cum progreſſus in Germaniam apud Ordines invidiam excitaturus, anſamque malevolis calumniandi præbiturus eſſet. Quin ſi vel maxime Auſtriaci aut Brandenburgici interim in Pomeraniam irrumperent, Dania haut excedere decreverat, ſed aliquot duntaxat legiones eodem miſſurus erat firmandis præſidiis. Quia porro Dani navigia Svecorum ante bellum, aut eo durante intercepta reſtituere nolebant, Rex Wrangelium pari jure navigia in Fionia capta ne redderet, jubebat. Tum & cupiebat, ut legati amneſtiam ad diſceſſum usque è Dania extenderent, ne Dani aliquando arguere poſſint, per moram exercitus ultra conventum diem pacem abruptam. Denique & cum adhuc Gothoburgi eſſet Rex, & cum jam in Jutiam tranſiiſſet, per repetitas literas legatis ſuis imperabat, ut plenam pacis executionem urgerent, pactumque adjectum ad formulam ipſis transmiſſam adornarent. Indicium quoque fecerat, Stenoni Bielkio Wilhelmus Langius, Regem Fridericum aliquid in Ordines ſuos meditari. Id quod ut huic diſſuaderet, Rex Bielkio injungebat, quod iſtum Daniæ ſtatum ſibi tutiſſimum judicaret, nec amicitia Regis Friderici confidere poſſet, ubi is nullo ad Senatum Ordinesque reſpectu imperitaret,

12. *Maji.*

17. *Maji.*

Eggerich.

1658.

4. *Jun.*

Legati Svecici diſſentiunt.

11. *Junii.*

§. 37. Dum Hafniæ circa adornandum pactum adjectum ſatagitur. Cojetus quidem Regis mandato preſſe inhærendum cenſebat, Bielkius autem diſputandi ambages tandem aliquando amputandas ferebat. Qui & paucas ante horas, quam Regis ſtrictiſſima juſſa Gothoburgo adferrentur, denuntiarat, ſe non obſtante Cojeti contradictione cum Danis concluſurum, idque factum ſuo periculo Regi adprobaturum, non paucis articulis omiſſis, velut è diffidentia in Danos profectis, pro quibus ipſe fidem ſuam interponere non dubitet, iſtos haut eo ſecius pactis non inſerta ſervaturos. Quæ facilitas Regi magnopere diſplicebat, ut parum abeſſet, quin is juberetur Hafnia faceſſere, abdicata legatione, ni aliorum precibus Rex placatus eſſet. Igitur is deinceps cautior adverſus mandata Regis nihil remittere inſtituit. Ita demum circa Huenam res concludebatur, ut tamen Dani nullo modo agnoſcere vellent, eam inſulam ſemper Scaniæ partem fuiſſe, ne viderentur ſeipſos publice mendacii arguere, velut qui hactenus contrarium tam fervide affirmaverant, ac id ſaltem ſibi ſolatii indulgendum, ut ne cum iſta inſula exiſtima-

1658. ſtimationis quoque jacturam facerent. Igitur Bielkio contra Cojetum evincente ita expreſſum, ut Huena deinceps citra controverſiam pars Scaniæ habeatur, velut tacite inſinuando, eam hactenus litigioſæ conditionis fuiſſe. Dani inde ad Svecicam Pacti adjecti formulam ſuum projectum ediderant, ab illa multis partibus diſcrepans. Unde denuo ingens diſceptandi campus pandebatur, Danis præcipue ſuper defenſione freti aliquid pacto inſeri recuſantibus, vicinorum invidiæ declinandæ. Novam quoque controverſiam movebat Petrus Wibius de Rumsdalia, quam cum reliqua Nidroſienſi præfectura Svecis noluerat cedere, variis argumentis conquiſitis, queis probare nitebatur, iſtam hujus præfecturæ partem non eſſe. Sed cum Sveci ad clara verba pacti Roſchildenſis provocarent, Dani promittebant, circa Rumsdaliam nullam amplius moram fore, cauſati Wibium præter Regis ſui mandata feciſſe. Quod falſo jactari indicio erat, quod Reſidens Danicus in Polonia Berolini tranſiens dixerat: poſſe adhuc difficultates circa executionem pacis Danicæ inveniri, præcipue circa Nidroſiam, quo tractatus abrumpi queat.

Wibe. Rumsdal.

20. Jun. De Bremerverda quoque cedenda demum pollicebantur, cum hactenus negaſſent, quæ Eggerichus faceret, è Regis mandato fieri. Qui tamen contra Bremerverdæ Friderici Regis juſſa oſtenderat, quibus evacuationem ad ulteriora mandata differre imperabatur. De controverſis adhuc capitibus Dani Regis ſui declarationem edebant, quæ etſi Svecis multis partibus haut ſatisfaceret, iſti tamen propius ad ſcopum accedere abnuebant.

Rex magis in Danos irritatur.

§. 38. Inter hæc Carolus Guſtavus Flensburgum adpellens Danorum tergiverſationes magis magisque pertæſus, ut legati ſui decretorium Danos reſponſum poſcerent, jubebat. Sua quippe parum intereſſe, in Dania an alibi bellum gerat. Ac ſi Dani pergant negotium extrahere, decretum ſibi iſta ludibria haut diutius ferre. Unde legati adverſus ejusmodi moras ſolennem proteſtationem interponerent, ac mature ſibi ſignificarent, attemperandis ad id conſiliis ſuis. Quæ caſu ſubſcriptionem haut properarent, quoad nova mandata acceperint. Nam Daniam ſibi non minoris, quam Boruſſiam haberi, modo ut in alterutram partem certi quid ſtatuere poſſit. Addebantur monita circa pactum adjectum, ac inprimis, ut Dani nullam plane cognitionem in naves Svecicas fretum tranſituras exercerent, ſic ut Danici publicani ne teſtimonium quidem dare poſſent, literas ſalvi paſſus nautici exhibitas fuiſſe, ac ſi quid in illis raſum aut interpolatum adpareat, cognitionem non penes Danos, ſed miniſtrum Svecicum Helſingoræ agentem fore. Aſperis quoque literis Bielkius increpabatur, quod quædam vocabula in favorem Danorum formulæ ſuper ceſſione Huenæ inſeruiſſet. Præcipue autem Regem irritabat, quod jam Dani æque ac Belgæ palam jactarent, hanc pacem ultra triennium haut duraturam. 1658.

Controverſia Guineenſis.

§. 39. Quaſi tricarum nondum ſatis fuiſſet, jam quoque cum ad finem vergere tractatus viderentur, ex Africa nova remora objecta eſt ſuper reſtitutione rerum in Guinea Svecis ablatarum. Ea res ita ſe habebat, Regnante Chriſtina, cum Svecorum navigatio gliſceret, privati quidam ſocietate inita ad litora Guineæ commercia exercere inſtituerunt, uno atque altero caſtello ibi excitato. Ejus ſocietatis membrum atque director fuerat Henricus Carlofius, cui aliqua cum reliquis ſociis offenſa interceſſerat, quod contra ſtatuta ſocietatis peculiaria ſibi commercia iſto tractu exercuiſſe argueretur. A Laurentio tamen Geerio placatus ſibi ſatisfactum fuiſſe profeſſus eſt. Nec eo ſecius familia ſua Hamburgo Embdam tranſlata, quo offenſam ulciſceretur, Kalendis Decembris anno ſuperiore accepta à Rege Daniæ prædandi commiſſione cum navi Danica octodecim machinis & quadraginta octo viris inſtructa portu Embdamo ſolvens Guineam verſus vela fecit, ad cujus litora apud Gemoriam adpulit, ubi ſocietati domicilium erat. Ibi de conditione caſtelli Svecorum primarii, cui *Capo Coſſo* vocabulum, edoctus, longius progreſſus ad promontorium *Capo tres punctas* ancoras jecit, ac ab Hollandis quatuor majoribus cymbis, & quadraginta ſex mancipiis nigris commodato ſumtis, una cum viginti duobus nautis ſequenti nocte apud Caſtellum de Mina in terram exſcendit, ac ter-

Carlof.

de Geer.

25. Jan.

26. Jan.

1658. 27. Jan. ac terreſtri itinere caſtellum Svecicum (Capo Corſo) petiit, ſesquimilliare inde diſſitum. Ibi aſſumto numero vicinorum Æthiopum, & ſocietatis Sveciæ mancipiorum mane inumbrante nebula, cum porta aperiretur, caſtellum invaſit, ac facili negotio in poteſtatem redegit, capto Gubernatore Joanne Philippo Cruſenſtierna, omnibusque mercibus & rebus, una cum navi, quæ ad oram iſtam in ancoris ſtabat. Mox Danicum vexillum in ſummo caſtello figens, Danicum ad morem diſploſionibus machinarum ſignum dedit. Inde & minora caſtella ſubacta, Joannisburgum, & *Annemabo*, una cum domicilio Alcana, ſic ut damnum ſocietati datum ultra trecenta uncialium 8. Jun. millia æſtimaretur. Iſte Carlofius cum navigio præda onuſto Glucſtadii adpellens protinus in terram exſcendit, ac Eberſteinio Gubernatori de adventu ſuo ſignificat. Ejus rei fama Hamburgum allata miniſter Svecicus Vincentius Mællerus protinus Georgium Barſænium cum literis ad regimen Glucſtadienſe miſit, petens, ut iſti velut civi & nobili Sveciæ manus injicerentur. Eberſteinius ſtatim quidem de duabus navibus, quas ſecum adduxerat Carlofius, annuebat, ſed de ipſo Carlofio excuſabat, quod is Regis Daniæ nomine rem geſſiſſet. Ad quæ Barſænius reponebat: Carlofium ſubjectum & Nobilem Sveciæ eſſe, ac famam ferre, eundem caſtellum in alios transtuliſſe: eoque magis opus eſſe manus eidem injici, quo is locus tanto facilius recuperari poſſit. Ita Eberſteinius ſtatim protribuno imperabat, ut hominem inquireret, eique invento iſta denuntiaret. Barſænius omnia jam confecta exiſtimans Hamburgum rediit. At Carlofius audito Barſænii adventu protinus ab Eberſteinio digreſſus in navem ſe contulerat, ac noctu auro & pretioſiſſimis mercibus celoci impoſitis Embdam navigarat. Cum itaque miniſtri Danici per colluſionem iſtum cum auro elabi eſſent paſſi, Rex Danos refuſionem poſcebat, literis ad Fri- 21. Jun. dericum Regem Flensburgo ſcriptis, quibus de facto iſto querebatur, ſimul poſtulans, ut circa hoc, & quæ alia reſtent, ſibi ſatisfiat, quo aliquando Dania moleſtiam hoſpitiorum militarium amoliri queat. Cæterum pactis Roſchildenſibus articulo XI. cautum erat, ut omnes prædæ, quæ ante conventionem Toſtrupienſem in Daniæ aut Holſatiæ portus deductæ non ſint, reſtituantur. Contra Dani initio contendebant, hunc caſum ad articulum XIV. ejusdem pacti pertinere, per quem ſola loca occupata reſtitui jubentur, præda & navibus ibi captis penes eos manentibus, qui ceperant. Id Danorum factum magnopere animum Regis exacerbabat, eo- 17. Jun. que Wrangelium è Fionia ad ſe evocabat, cum ipſo conſulturus, quid facto opus foret. Nam eo ipſo tempore primum conſilium agitabat Daniam iterum invadendi, Legatis autem ſuis Hafniam ſcribebat, ut petita 21. Jun. ad Regem Daniæ admiſſione ſuas ipſi literas traderent, ſimul exponerent inutiles moras, & quod exitus inveniri nequeat reliquis capitibus, in ſe nihil dimcultatis habentibus, ac nunc per malignitatem animi Carlofium Glucſtadio dimiſſum, Pro quibus autoritate Danica patratis plene ſibi ſatisfacerent, ac ſi pecunia in promtu non ſit, tractum Borealem & Wardhuſiam tantiſper pignori opponerent, addita lege commiſſoria, ni infra certum tempus pecunia ſolvatur. Tum ſibi reſervarent jus recuperandi caſtella Guineenſia & ſocietatem iſtam inſtaurandi, inſuper habita conventione, qua Carlofius eadem in alios transtulerat. Addebatur querela ſuper Bremerverda nondum reddita, negante præfecto, mandata ſe eo nomine accepiſſe. Ad hæc omnia promtum reſponſum exigerent, cum res ſuæ non ferant diutius inter ambigua hærere.

1658.

§. 40. Legati Svecici haut ſegnius juſſu Regis per Terlonum Danos promtum reſponſum poſcebant, multis ſuper ipſorum lentore queſti. Quo id proficiebatur, ut Gerſtorfius ad ipſos accedens omnia conceſſurum ſe ferret, quæ iſti poſtularent. Id modo deprecatus, ne Sveci prohibere velint, quo minus ſuo Regi militem conſcribere integrum ſit, quod non poſſit non cum imminutione faſtigii regii eſſe conjunctum. Ac velle Regem Fridericum literis ad Carolum Guſtavum ſcriptis fidem dare, ſe nunquam ſuis delectibus ipſius amicitiam turbaturum, aut juſtam ſuſpicandi cauſam præbiturum. Circa negotium quoque

Tractatio Hafniæ incaleſcit. 22. Jun. 23. Jun.

Guineenſe

1652. Guineenſe Svecis ſatisfactum iri pollicebatur, modo temporis quid indulgeatur, ut ipſi Carlofio potiri queant. Nec eo minus ambiguis dictis illudere Svecis conabatur, ni Cojeti perſpicacia obſtitiſſet. Circa defendendum quoque Mare Balticum declaratio nihil ſolidi habebat. Ac præfidenter ſuis confirmarat Beuningius, Daniam nihil operæ collaturum ad impediendum, quo minus externæ naves bellicæ id mare ingrediantur. Tanto magis ſua propoſita urgebant Sveci, quo Danis omnia diverticula præcluderent. Super Rumbsdalia verbis pollicebatur nil difficultatis fore, nec tamen ſcripti quid edere volebat. Qui agendi modus ſatis arguebat, Danos nihil eorum ſervaturos, quæ polliciti fuerant, modo cavillatione aliqua negotium eludendi occaſio foret. Obſervabatur quoque Danicos Commiſſarios Fridericoregi non omnes Svecorum rationes exponere. Super cive Norcopenſi Dani expreſſe pacto inferi nolebant, ſed poſtulabant, ut Sveci verbo regio adquieſcerent, iſti civi juſtitiam adminiſtratum iri. Sed Sveci reponebant: quia prædo iſte autoritate Polonica inſtructum ſe obtendat, eam cauſam eſſe quam maxime publicam, quæ decidenda ſit; num Regi Poloniæ ullum jus competat Mare Balticum quovis modo infeſtandi, idque propter exemplum pactis inſerendum. Sane ſibi commiſſionem iſtam Regis Poloniæ non poſſe non haberi pro actu, quo jus horum regnorum peculiare violatum ſit, eoque magis mirari, Danos ad .. a velle connivere, quod Poloniscus prædo portubus Danicis uti auſus fuerit, nec in civem ipſorum ſerio animadverſum ſit, quod is Polonorum ſe miniſterio addixerit. Circa Guineenſem cauſam Dani operoſe diſputabant; eam prædam jam ante Toſtrupienſem conventionem in portum deductam, cum Africanus iſte portus tunc Danicus fuerit. Wrangelium quoque Corſæræ Danicam navem Delmenhorſtiæ vocabulo cepiſſe, nec ante Toſtrupienſe pactum in portum Svecicum deduxiſſe. Vi pacti Roſchildenſis haut plus deberi, quam ut caſtella in Guinea reſtituantur. Reliqua omnia mobilium loco æſtimanda, quæ in terra una cum caſtello in Regis Daniæ manus inciderint. Nam Carlofium non velut excurſorem maritimum id caſtellum mercesque in poteſtatem redegiſſe, ſed velut ducem bellicum, qui à Rege eo nomine diſerta mandata acceperit. Unde ſicuti iſta nomine Regis occupata ſint, ita ea ſola, quæ in navi ante caſtellum ſtante reperta fuerint, ad leges prædonum pertinere, nec poſſe Svecos articulum XI. pacti Roſchildenſis in ſui favorem trahere. Ad quæ Sveci: inter moratiores gentes uſu receptum eſſe, ut excurſor maritimus, ni pro pirata haberi velit, captas res in locum aliquem deducere teneatur, ubi pro juſta præda declarari queant, id quod in Africanis portubus circa res à Carlofio raptas fieri non potuerit, ubi nemo fuerit, cui poteſtas cognoſcendi competeret, nec Carlofium in propria cauſa judicis potuiſſe locum ſubire. Unde Danis non ſufficere, res in Africa deductas ante pactum Toſtrupienſe, & ſi illarum poſſeſſio utique ſit tuenda, eosdem prius in Danico aliquo portu exponendas fuiſſe. Præterea uti ingens diſcrimen ſit inter id, quod belligerantes Reges ſuſcipiunt, & qui horum ſtipendio autorati militant, ac inter illud, quod privatus, cui jus belli à ſuperiore indultum eſt, ſuo auſu patrat: ita quod circa navem à Wrangelio captam quadrat, id porrigi non poſſe ad ea, quæ à Carlofio in Africa intercepta ſint. Conſtare, Carlofium proprio ſumtu ac periculo eam expeditionem ſuſcepiſſe, nec à Danis probari poſſe, Fridericum Regem ad iſtam quidquam contuliſſe, aut Carlofii comites ipſius ſacramento fuiſſe adſtrictos. Unde manifeſtum eſſe, Carlofium non alio, quam prædonis loco fuiſſe adhibitum. Sed nec inauditum eſſe à prædone caſtella & oppida capi, & terra æque ac mari damnum dari. Societates Indiæ Orientalis & Occidentalis apud Belgas non alia bella, quam per modum *commiſſionis* gerere. Anglicos quoque prædones priori bello Hiſpanico terra plurimum damni in America Hiſpanis dediſſe. In pacto Roſchildenſi manifeſtum diſcrimen conſtitui inter id, quod à bellantibus Regibus, aut horum ſtipendia merentibus Ducibus & militibus capitur, & id, quod privatus occupat, qui ex commiſſione publica ſuis ſumtibus ob ſuam præcipue utilitatem prædas agere inſtituit. De prioribus diſponi, ut quicquid duran-

1653.

te,

1658. rante bello ceperint, capientium maneat, nullo discrimine, num capta mobilia in Svecos aut Danicos portus deducta sint, vel non deducta ante pactum Tostrupiense, tantum ut nuda loca restituantur. Ast de prædonibus conventum, ut quicquid ab his captum, nec ante concluſam pacem in Danicos portus deductum sit, restituatur. Ad extremum Sveci indecisa adhuc capita scripto concepta exhibebant: ad quæ Dani, urgente Terlono, demum declarabant: Regem Daniæ Svecicis legatis copiam facere scripto consignandi, quicquid placuerit, modo ipsius existimatio, & pacti Roschildensis genuinus sensus ne violetur, eo facto Danicos Commissarios statim subscripturos. Ea res Svecis inventa videbatur ad invidiam ipsis faciendam, velut Danis per vim ad æqua iniqua subscribenda compulsis. Igitur quod Dani offerebant, ipsi declinabant, ac vicissim à Terlono petebant, apud Danos instet, ut super residuis capitibus scripto sententiam suam declarent, ubi super vocabulis, dum articuli concipiuntur, facile conventurum sit. Enimvero heic in ancipiti hærebant legati, quid facto opus foret, si forte Danis cordi sit negotium concludere, quod à Rege jussi essent negotium Guineense ita urgere, ut Dani utique Svecis satisfacerent ante discessum exercitus, aut alia mandata à Rege expectarent. Nam si circa subscriptionem tergiversentur, à toto se orbe accusandos, velut studio rem extraherent. Cojetus tamen, cum judicaret, Regi causam esse, quare aliquandiu adhuc in Dania hærere velit, censebat, non impediendum quidem, quo minus negotium ad exitum perducatur, nec tamen defore prætextum morandæ subscriptioni, quoad Regis sententia explorari queat.

Alius conatus componendi negotium Guineense.

25. Jun. §. 41. Cæterum ut pressius Danos urgerent legati Svecici, jussu Regio Friderici colloquium expetebant, super Guineensi negotio liquidum responsum postulaturi. Rex eis in horto admissionem condicebat, ubi ampliter illis pollicebatur, etsi cadens subito imber sub dio colloquentes, ne prolixius eam rem deducere possent, impediret. Ibi quoque intellectum, Danos voluisse Bræmerverdam eodem tempore cum Friderixudda reddere. Sed Sveci pertendebant, Danis ex pacto Roschildensi conventa prius explenda incumbere. Post epulas Rex Fridericus cum Cojeto seorsim locutus, de sincero suo in Regem Sveciæ studio multis testabatur, cui in negotio Guineensi ex asse satisfacturus sit, modo ut aliquod sibi spatium concedatur, dispiciendis remediis. Pertendebat tamen Roschildensi pacto de Europæis duntaxat prædonibus actum, nec de Guinea in mentem venisse, ac optabat, clarius ibi omnia fuisse expressa, ne ansa foret per hos tractatus executionem differendi. Querebatur etiam multos Arctois Regnis mutuam inter se amicitiam & conjunctionem invidere, ac se Regi Sveciæ suspectum reddere conari. Sed facile se perspicere, quam necessaria rebus suis sit fida cum Rege Sveciæ conjunctio. Animadvertebat Cojetus, Fridericum Regem fere extra culpam esse eorum, quæ hactenus à Danis secus facta erant, ac à Ministris suis seductum fuisse. Indicio inter alia erat, quod dolendum sibi diceret, Regem Sveciæ à fœdere secum ineundo abhorrere, quod is antea per Durellium affectarit, & nunc ipse obtulerit. Ad quæ Cojetus: se à Rege suo hoc præcipue fine missos, ac super eo proposuisse, quod exhibita à se fœderis formula testetur. Contra Danicos Commissarios sua formula quorundam exterorum instinctu non solum pacta Roschildensia oblique enervare constituisse, sed & eorum vim idque obligationem suspendere voluisse à dubio eventu bellorum, quibus Svecia jam implicetur, ac in præsens id fœdus plane inutile reddere. Qui scopus nequaquam fuerit fœderis à Durellio propositi, quod facile perspectu sit exhibita capita perlustraturo. Quæ Rex mirabundus audire videbatur, fassus, rem sibi hoc modo à suis haut 29. Jun. propositam. Gerstorfius inde Cojeto declarabat, se super satisfactione in causa Guineensi cum ipso consentire, sed super cautione quam Cojetus urgebat, ad Regem relaturum. Annuebat Rex restitutionem, cautionem præstandam recusabat, velut ad quam ex pacto Roschildensi non teneretur, neque de ea Carolum Gustavum literis suis monuisse, ac jam Gallum & Anglum fidem suam interposuisse, pacta impletum iri. Terrarum quid eo nomine oppignerare nec posse nec velle. Ea 30. Jun. cum

Delineatio Fortalitij
Polonorum ad Lysouiam quæ
Sa Serenissimo Principe Palatino
Adolpho Johanne Supremo Duce mil
tiæ Sueciæ et Palatinatus in Borussia Regia
li Gubernatore suâmet oppugnari cœpta est d
17 mens Apr. A° 1658 die autem 20 mens eiusdem
deditione certa conditionib. facta est
A. Fortalitium Polonorum B. Aggeres à Polonis perfossi
Tormenta bellica Suecorum libr. 8 et 24 D. Cuniculi a
Suecis acti E. Propugnacula a Polonis erecta F. Munimenta
Polonis vi extorta die 19 m Apr. etiamnu præsecta vicarius unus
unifer unus Mulates præparati triginta octo quinquaginta
Incensa Tormenta bellica Suecorum ad prohibendum tam
tum qui Duces in tentari poterant H. Tormenta bellica
Polonorum Suecis opposita I. Tormenta bellica Cedanensium
pro una cum copijs auxiliaribus octingentorum militum K.
Equitatus Polonorum
Not. die 21 m Apr. deditione facta duxerunt Polon
et inde Trebunitios vicinos haud Stomferi trec tormen
torum bellicorum reliquos quatuor militesq. aregary
quadraginta, septuaginta duo relicta tormenta belli
co ignis fere et multa vi armorum omnia ge
neris Fortalitium autem solo æquatum fuit.
D
E
Castrâ Suecorum
ad Lysouiam.

1658. cum ſententia Fridericó ſederet. Ovvenum Julum ad Regem Sveciæ mittebat, ſatisfactionem oblaturum, qua ſi hic non adquieſcat, propoſiturus erat, ut certi mercatores Hamburgi aut Amſtelodami id debitum velut proprium in ſe reciperent. Hoc oblato ſi Rex contentus eſſe nolit, rem Deo committendam. Ad quæ Cojetus: eam miſſionem miram ſibi videri nec Regem Sveciæ aliter judicaturum, quam eam tempori extrahendo inventam. Nam ſibi mandata eſſe de hoc negotio agendi, ac quæ de mercatoribus Hamburgenſibus proponantur, ſibi arridere. Nam voluerat Fridericus Rex certas terras hypothecæ invicem dare, ſed non Regi Sveciæ, à quo metuebat, eas nunquam recuperatum iri, prætexto detinendi nunquam defuturo. Sane efficiebat ea miſſio, ut ſpes propinquæ concluſionis jam iterum in longum rejiceretur. Nam paulo ante præfectus Bræmerverdæ declaraverat, ſe iſta arce excedere paratum. Et quia jam bona fide tractatus Hafnienſes ad finem ſpectare videbantur, Rex quamprimum Dania excedere ſtatuerat, ſi Dani promte ad concluſionem accederent. Enimvero tunc Danorum actiones indies magis ſuſpectabantur, qui non obſcure amplius id quærere videbantur, ut, poſtquam ipſum foras extruſiſſent, prava ſua conſilia ſecure expromerent. Sane circa Rumsdaliam Hafniæ aſſeverabant, Petrum Wibium Regis mandatis adverſari, cum hic ipſe Regis mandata Nidroſiæ proferret. E Beuningii quoque literis adparebat, quid commerciorum ipſi cum Danicis miniſtris intercederet, & quod unicum ipſi negotium eſſet Danos in Sveciam irritare atque obfirmare, ut articulum quartum pacis Roſchildenſis enervarent, utrique regno tam proficuum, tantique momenti. In Norvegia quoque miles Teutonicus ſacramento non ſolvebatur. Et qui Hafniæ morabantur Auſtriaci, Poloni & Brandenburgici Legati nil amici coquebant. Igitur Rex Legatos monebat, ne ſubſcriptionem tractatuum properarent, ſed omnia prius ad liquidum deducerent, quod Sveciæ quam maxime interſit, à Danico latere ſibi cautum eſſe. Unde id cumprimis urgerent, quot navibus Dani auxilio ſibi venire velint, ſi claſſis hoſtilis Mare Balticum introire conetur, id quod citra utriusque regni præjudicium fieri nequeat, eoque nomine ſcriptam cautionem exigant, ſolis verbis haut contenti. Tum Danos edoceant, quam malignam operam Hafniæ Beuningius, & alii hoſtium Legati navent, ac ſi Daniæ Rex, quod tam ſæpe conteſtatus ſit, ſeriam cum ipſo amicitiam colere velit, ſecretioribus iſtorum commerciis abſtinendum, qui hoſtes ipſi ſint, ac omni ſtudio Daniam Sveciamque inter ſe committere laborent. Quod ſi intelligant, Danos jam nulla exceptione in omnia poſtulata conſentire eo fine, ut Svecicum militem amoliantur, Legati prætextum quærerent, concluſionem remorandi, petita *reali* cautione ſuper negotio Guineenſi, deque eo Regi ſtatim ſignificarent. 1658.

28. *Jun.* §. 42. Enimvero Dani plus ſatis difficultatum ipſi movebant, quo minus tractatio abſolvi poſſet. Cum enim iterum Legati Svecici ſuper Guineenſi negotio cum Danicis Commiſſariis agerent, hi ipſam reſtitutionem, quam antea annuerant, retractabant, velut ad eam ex pacto haut tenerentur, ad toties confutata revoluti, Carlofium non prædonem, ſed juſtum ducem fuiſſe, juſtis mandatis à Rege Friderico inſtructum ad occupanda ipſius nomine caſtella Svecica in ora Guineæ ſita. Quæ tamen mandata petentibus Legatis Svecicis Dani edere nolebant. Aſt Sveci multis demonſtrabant, inique ab iſtis inutiles diſputationes moveri de rebus jam expeditis. Nam ſuper ipſa ſatisfactione conveniſſe, ac de ſolo hujus præſtandæ modo quæſtionem ſuperfuiſſe, de qua jam transactum iri crediderint. Ad quæ Gerſtorfius: Equidem conſtituiſſe Daniæ Regem omnia reſtituere, teſtandæ in Regem Sveciæ æſtimationi, & quanto deſiderio teneatur, ſinceram amicitiam cum ipſo firmandi. Sed cum ſpes foret Svecos hac promtitudine contentos fore, jam ſentiri iſta parvi admodum fieri, tum nunc ad nova poſtulata procedatur de reali cautione, de qua pactum Roſchildenſe nihilum memoret. Reponebant Sveci: Iſta tamen pacta à Rege Daniæ exigere perfectam ſatisfactionem Regique Sveciæ jus præbere cum exer- *Dani morosos ſe exhibent.* 30. *Jun.*

1658. citu in Dania eousque ſubſiſtendi, quoad omnia promiſſa impleta fuerint. Cum autem Rex Daniæ non omnia protinus reſtituere poſſit, caſtella nempe Guineæ & ablatas merces & vero Daniæ maximo damno futurum ſit, ſi exercitus Svecicus tamdiu heic morari neceſſum habeat, igitur Carolum Guſtavum ſublevandæ Daniæ, ſimul juri ſuo tuendo id temperamentum cenſuiſſe, ut re ſibi caveatur, id quod Danis incommodum eſſe nequeat, cum præſtita ſatisfactione hypothecam ſtatim ſint recepturi. Nec mirum ipſis videri poſſe, à Rege Sveciæ cautionem exigi, cum non dubitarint, Carlohum è manibus amittere, quem ut detinerent, rogati fuerant. Ad hæc Gerſtorfius primo contendebat, ut ea res ad arbitros rejiceretur juxta pacta Stetinenſia. Cum id Sveci repudiarent, idem noſſe cupiebat, quanta ſumma damnum datum taxaretur, & quam regionem hypothecæ nomine poſtularent. Reſpondebant Sveci, ſummam eſſe inter trecenta & quadringenta uncialium millia. Certam regionem proponere ſibi haut mandatum, & ipſis optime conſtare, quid
4. Jul. offerre debeant, & quo ad tempus
7. Jul. carere velint. Poſt aliquot dies Terlono declarabant, ſe fidejuſſores mercatores exhibituros. Id quod tamen apud Svecicos Legatos profiteri abnuebant, ac dilationem poſtulabant, quoad Ovvenus Julus à Rege Sveciæ revertiſſet, qui huic extremam Regis Daniæ ſententiam circa capita controverſa attulerat, ſimul rogaverat, militem Dania educi jam plane exeſa. Ei Rex eadem reſponderat, quæ Danis Hafniæ Legati ad nauſeam usque occinuerant, copias educendas, ſtatim atque nuntios acceperit de plena pacis Roſchildenſis executione. Inter epulandum Rex verba quædam jecerat de claſſe ſua propediem Chilonium adventura: quod quia cum diſceſſu è Dania haut quadrabat, Juli animum non levi ſuſpicione perſtrinxerat, velut in Daniam quid tentaretur. Ac ſtatim Rex ſenſit, nimis perſpicue ſe locutum, eoque prout ſollertiſſimus erat, ſermonem alio detorſit. Nec minus Julus & literis ſcriptis & poſt Hafniam reverſus indicaret, metuendum eſſe, ne Sveci bellum renovent, ni quamprimum ipſis promiſſa repræſententur. Interim Dani Hafniæ ſcriptam declarationem Legatis exhibuerant, qua teſtabantur, ſe ad nil aliud, præterquam caſtella Guineæ reſtituenda, teneri. Nam mobilia & naves jure belli Danis in prædam ceſſiſſe. Realem cautionem ſe nolle præſtare, ſi Sveci non adquieſcant, ad arbitros eundum. Addebant tamen, non eſſe haut ſuam ſententiam, cui ad extremum inhærere velint. Sed Petrum Retzium id reſponſum concepiſſe, ut ſibi quoque ingenium eſſe oſtenderet, ac ut materia diſputandi foret. Enimvero Cojetus aperte denuntiabat, Regem Dania haut exceſſurum, niſi plena ſatisfactione obtenta, ſimul inconſtantiam ipſorum ægre laturum, qui antea oblata retractent. Sane cavillabatur, jam Gerſtorfius, ſe haut quidquam omnium reſtitutionem promiſiſſe, ſed eorum duntaxat, quæ in ſua poteſtate forent, nempe Caſtellorum Guineæ, & eorum, quæ Glucſtadii adhuc aſſerventur. De iis, quæ à Carlofio avecta, aut in Africa alienata ſint, à ſe rationem reddi non poſſe. Iſtas porro tergiverſationes ut Dani amoverent, Terlonius ſæpiſſime inſtiterat, ac ut promta pactorum executione Svecis prætextum adimerent, Daniæ diutius incumbendi. Præſertim cum Polonicus miniſter Morſteinius & Beuningius è conditione Sveciæ ac viribus Daniæ augurarentur, huic novum bellum ab illa imminere. Sed Gerſtorfius iſtas moras jejuno colore excuſabat, etiam omnibus conceſſis Svecos ſemper nova poſtulata protuliſſe, ac obtentis licet omnibus è Dania haut fuiſſe diſceſſuros. Saltem ante Auguſtum Menſem & antequam ſegetes matureſcerent, eosdem haut abituros fuiſſe, eoque ſupervacuum viſum ſententiam ſuam prius declarare. Quæ ratio nemini prudenti probari poterat, cum ſi promte præſtanda præſtitiſſent Dani Regi utique vel excedendum Dania fuerit, vel intempeſtive deſtinata prodenda, invidia quoque totius orbis Europæi in ſe attracta. Iisdem diebus Beuningius à Medovio poſtulabat, ut ſecum proteſtationem interponeret adverſus declarationem, quam Sveci ſuper excluſione claſſium externarum

è Mari

1658. è Mari Baltico exigebant, quod ea res Angliam quoque ſpectet. Et cum Medovius reponeret, ſuper hac re nil ſibi mandatum. Beuningius reſpondebat: in ejusmodi negotio mandatis opus non eſſe. Sed quoque id citra mandatum facere, ac multa alia feciſſe, quæ ſuperioribus ſuis ſe adprobaturum confidat. Vergente demum menſe Julio propius ad rem videbantur acceſſuri Dani oblata reſtitutione omnium, & ut pecunia annuo ſpatio à certis mercatoribus Hamburgi perſolveretur, quam ad trecenta quinquaginta uncialium millia annuebant, ſic ut intra duos aut tres congreſſus res confici poſſe confideretur. Sed quot naves armare vellent defendendo freto, exprimere nolebant, ſupra vires id ſuas eſſe cauſati, etiam ſi excoriandi forent, (eo vocabulo utebantur.) Hucusque cum progreſſi eſſent tractatus Hafnienſes, Cojetus ad Regem excurrere inſtituit, totam negotiationis ſeriem ipſi expoſiturus, eique perſuaſurus, ut accepta pecunia totum negotium Guineenſe Danis relinqueret. Sed antequam is ad Regem perveniret, alia jam ab hoc conſilia capta erant. Creditum fuit eo tempore quibusdam Danis, Cojetum ſuis ad Regem literis effeciſſe, ut hic denuo Daniam invaderet, ac eam tunc profectionem ſuſcepiſſe, ut iſti Coronam Daniæ velut expoſitam offerret. Id quod falſo eidem tribui, ſuperſtites ipſius literæ ſatis teſtantur. Quem & ignarum deſtinatorum Regis fuiſſe, cum Hafnia diſcederet, vel id indicio eſt, quod non modicam pecuniæ ſummam, & res ſcriptaque magni momenti Hafniæ relinqueret, quæ avehere in proclivi fuerat. Sed nimirum ideo ipſe ſuſpicione perſtrictus fuerat, quod obnixe mandatis Regis inhæreret, cum Bielkius multa Danis remittenda cenſeret.

22. Jul.

Rex denuo arma in Danos movere conſtituit.

§. 43. Iſte igitur à Danis adhibitus agendi modus uti nihil amici ac ſinceri portendebat, ita Rex dudum ægerrime tulerat, ſe inter tam ardua rerum momenta incertum teneri. Is initio ſtatim ex inepta fœderis formula à Danis exhibita, ſimul Beuningii actionibus literisque perſpiciebat, id agi, ut pactum Roſchildenſe evertatur, ingenti querimoniarum ſerie contexta, quæ legatis Hafniæ & per Ovvenum Julum ipſi Gothoburgi occinebantur, quo viam ſibi movendis litibus apertam tenerent, & executionem pacis incertam redderent, ſi libido & occaſio ferret, iterum in arma erupturi. Igitur cum circa ſingula capita ſcrupulos moverent, ac ad omnia annuenda minis atque expoſtulationibus ſe compelli paterentur, executionem eousque extractum ire videbantur, quoad Rex ab aliis hoſtibus laceſſitus Dania excedere cogeretur pace ſemiperfecta, non majore ibi ſecuritate, quam antea, parta: aut ut ab aliquo vicinorum auxiliis acceptis clades ſuas ulciſcerentur, ac damna accepta repararent. Nam nullo alio pretio tamdiu incumbentis ſibi Svecici exercitus onus tolerare judicabantur. Inter eas tergiverſationes contigerat, ut Rex certi quid conſilii capere haut poſſet, hoſtibusque ſpatium daretur Thorunio obſidium circumponendi, cui mature ſubſidium expedire ob Danorum reſpectum non licebat. Optaverat tamen Rex mature hinc diſcedere, quo reliquorum hoſtium motus obſervare poſſet, eoque binis literis Fridericum Regem ſuper abſolvenda executione ſerio monuerat, juſſo quoque Wrangelio poſt perfectos tractatus protinus cum exercitu movere. Acceſſerat paulo poſt Flensburgum Ulricus Fridericus Gyldenlevvius, qui reſtabant equites repræſentaturus, multa teſtatus, à Rege Daniæ omnia propediem exacte impletum iri. Unde & Rex jam demum ſerio rem actum iri arbitratus magnam exercitus partem hoſpitiis Danicis excitam in Pomeraniam aut Lauenburgicam ditionem progredi juſſerat. Ordinibus imperii jam fremere incipientibus, ſuas provincias Svecico milite onerari, ac Brandenburgico cumprimis magna cum invidia differente, pacem Germaniæ à Rege infractam. Enimvero Gyldenlevvius non niſi dimidiam equitum partem, qui debebantur, exhibebat: illique ipſi, qui tradebantur, partim indigenæ Dani erant, partim inermes, lacerique, & qui equo nunquam meruerant, qui & mox omnes fere deſerebant. Et cum Svecicus exercitus verſus Germaniæ fines progredi inciperet, Hafniæ negotiatio fere langvebat, retractatis, quæ antea promiſſa erant. Igitur non poterat

1658.

20. April.

1658. non in mentem ſibi revocare Rex in ſenatu Gothoburgi decreta, ut accurate obſervetur, quid vicinus Danus ſuſcipere inſtituat, tam opportuno ſitu Sveciæ imminens, ut huic propriis aut alienis viribus quam maxime nocere queat. Et complurium exemplorum obſervatione conſtabat, quid indiciorum apud Danos emergeret, ubi in Svecos erupturi eſſent. Eoque ſenatus cenſuerat legatis injungendum, ut executionem pacis ſerio urgerent, poſtquam aſtutia Danorum jam pellucebat ſub fœderis vocabulo pacta Roſchildenſia enervare cupientium. Sane & ſuperiore bello ſex ſeptimanas poſt pacem Bræmſebroæ concluſum jam iterum apud iſtos de armis in Svecos reſumendis agitatum fuerat. Cum ergo Dani non ſolum copias ſuas non exautorarent, ſed & Ovvenus Julus ingenue fateretur, extraneum militem non poſſe Svecis concedi, velut quo Fridericus ad cuſtodiam corporis ſui uti velit: eadem fabula Svecis expectanda videbatur, ut Dani Belgis ac Brandenburgico ſociati periculoſius quam antea bellum inſtaurarent. Sane obſervatum eſt, ſtatim atque Brandenburgici legati Flensburgo re infecta diſceſſiſſent, Danos indies magis animos obfirmaſſe ad nihil eorum, quæ reſtabant, exequendum. Quin & usque adeo vana ſpe inflari ſe paſſi fuerant Nobiles in Dania ut pauci ex eo ordine, qui in Scania prædia poſſidebant, Sveciæ fidem dare vellent. Cum igitur Rex negotium cum Danis ad finem perducere non poſſet, & quid damni ex hiſce moris obveniſſet, quidve in poſterum immineret perſpiceret: Wrangelium miſſo cum ſecretis mandatis Dahlbergio edocet, ad quid conſilii Danorum iniquitas ipſum compulſum eat, quo hic res ſuas per Fioniam ac in Jutia & Holſatia ad eum ſcopum diſponere poſſet. Haut eo minus ſemel atque iterum cum ſenatoribus, qui tunc aderant conſultationem poſt reſtaurat, Carolo Guſtavo Wrangelio, Gabriele Oxenſtierna, Guſtavo Banerio, Wilhelmo Taubio, Claudio Tottio, ac Slippenbachio præſentibus, qui re perpenſa aliter judicare non poterant, quam Danos infenſa animo agitare, nec quid aliud deficere, quam vires & occaſionem iſta expromendi, ab iisque maxime cavendum eſſe, quod ad omnia cogi ſe patiantur, quo Svecis aliquando cul-

Taube. Slippenbach.

pam irritæ pacis impingere queant. Unde & Legatis Hafniam ſcribebat Rex, ſi vel maxime nunc Dani certum navium numerum annuere velint, arcendis freto exteris claſſibus, ſubſcriptionem tamen alio ſub prætexto different. Nam cum ad omnia minis & convitio impellendi ſint, eoque nomine promiſſa inania aliquando declarare queant, alia via ſibi ſecuritatem ſuam quærendam. Accedebat poſt electio Leopoldi Cæſaris, ob quam majore circumſpectione opus erat in bellum Germanicum deſcenſuro, quod præſens rerum facies indies magis diſſuadere videbatur, Germaniæ Ordinibus plerisque in novi Cæſaris partes transgreſſuris, nec ita facile prius captum conſilium nunc executioni dari poterat, ut non tota Germania in Regem ruitura eſſet, qui cum & Polonis, Moſcisque eodem tempore bellum gerere nil aliud erat, quam diſtractis viribus ſe deſtruendum tot hoſtibus præbere. Igitur ſatius videbatur cum Auſtriacis & Polonis in Dania de pace tractare, quam occultum hoſtem à tergo relinquere. Sed & neceſſum erat, antequam cum Auſtriacis manus conſererentur, de Galliæ & Angliæ auxiliis ſibi cavere, ſeu pecuniam ſeu militem ſtipulari placeret. Interim præſentia commoda in manibus retinenda, ac ſecuritati à tergo proſpiciendum: tum conandum, num per tractatus Auſtriaci à Polonis ſeparari queant, quo ipſo & pax cum Moſcis obtinenda erat, maximum momentum ad reliqua tutius & cum ratione expedienda. Et quanquam forte concluſio tractatuum Danicorum tandem extorqueri poſſet, tamen ea deſtinata non amplius mutare integrum erat, quod ſingulis menſibus nova conſilia ſuper ſumma rerum inire rationis non ſit. Inſuper labentem jam æſtatem haut permittere, ut actiones bellicæ ulterius differantur. Inprimis Regem graviſſime offenderat, quod Dani tantas difficultates circa articulum IV. pacis Roſchildenſis moverent, qui tamen ſecuritatem Sveciæ ejusque jus in Mari Baltico quam maxime ſpectabat, cui niſi cautum foret, nihil aliis in locis ſumma vi ſuſcipi poterat. Quamquam enim idem articulus non minus vetuſtum Daniæ jus, quam Sveciæ eo in Mari tueretur, ſic

1658. 5. Jul.

ut

1658. ut eo intuitu conjunctionem cum Svecia ultro affectaturi crederentur, huic tamen descendere semper recusarant, commerciorum libertatem crepantes, qua exigente ipsi facile ferre possint Belgicam classem advenire, auxilium Gedanensibus, aut aliis Sveciæ hostibus Maris Baltici accolis laturam. Nec dubitabant jactare Commissarii Danici, non iniquum esse si qui extra mare Balticum à Rege Sveciæ injuria affecti, ultionem in hoc mari sumere instituant. Accedebant stimuli à Beuningio admoti, qui omnibus machinis istum articulum oppugnabat, cui ministri Danici aures ac pectora aperuerant. Cui & tanta fiducia fuerat scopo suo apud Danos potiundi, ut in omnibus literis Ordinibus Fœderatis confirmaret, Svecos nihil in hoc negotio effecturos, ac articulum tertium pacti Roschildensis obtensa libertate commerciorum facile eludi posse. Qui & cum Sveci Danis acrius insisterent, prætexto fœderis inter Daniam ac Belgium intercedebat, ne id negotium ad finem deduceretur.

Repetita Regis consultationes.

§. 44. Non tamen usque adeo firmam Rex sententiam conceperat bellum Danicum repetendi, ut non semel atque iterum ea res consultationi

7. Jul. subjiceretur. Prout Gottorpii factum, quo Rex Flensburgo se contulerat, ubi itidem concludebatur, si ad literas, quæ tunc adlegatos Hafniam mittebantur, Dani conclusionem tractatus haut maturarent, ab his petendam reparationem damni, ex ejusmodi procrastinationibus orti. Gottorpio Oldesloam Rex progressus fuit, ubi pleræque legiones convenerant longius in Germaniam moturæ si res in Dania expeditæ forent. Sed ibi literæ Hafnia allatæ nuntiabant Danos cessim ire, ac intra tres septimanas congressum cum horum Commissariis non

15. Jul. potuisse obtineri, reditum. Ovveni Juli expectantibus, qua mora occasio rei alibi gerendæ magna cum Regis jactura corrupta fuerat. Ubi consultatione instituta, præsentibus Gabriele Oxenstierna, Carolo Levvenhauptio, Wilhelmo Taubio, Arvido Forbusio, Claudio Tottio & Slippenbachio

Forbus. decernebatur, inhærendum sententiæ, quæ Gottorpii capta fuerat. Wismariæ demum ea res incudi subjecta

23. Jul. cum iisdem senatoribus quibus Jacobus Gardius & Ericus Stenbockius accesserant. Ubi rationibus jam adductis addebatur, quod Cernificius Ulfeldius Gustavo Stenbockio dixerat, Hafniæ agitari, quo modo Wrangelius in Fionia opprimatur milite per hospitia sparso. Sed primaria causa, quare Dania potius, quam alius hostis in præsens invaderetur, erat, quod sub idem tempus electio Cæsaris incidisset, ac Ordines Germaniæ parum moverentur injuriis; de quibus ab Austriacis & Brandenburgico sibi illatis Rex questus fuerat, adeoque ista electione res Germaniæ aliam plane faciem induissent, quam Dani tantopere desiderarint, elapsa jam occasione bellum in Germania suscipiendi, negotium longi temporis & maximi laboris. Neque enim apud Ordines Imperii considerari, cui injuria & contumelia ab altero illata sit, & in quem fœdera ineantur, sed illum aggressorem haberi, qui priorem ictum intentarit, quantumvis gravibus causis, & tantum non necessitate ad id provocatus sit. Sed nec ullum esse è Protestantibus Principibus, qui vel partes Sveciæ tuendas suscipere audeat, vel satis intelligat, quantum sua interfit, ne ista opprimatur. Omnes quoque Electores collegæ suo Brandenburgico favere, fortasse & auxilia ad enixas ipsius preces submissuros: ac jam id agitari, ut per edicta avocatoria ductores sacramento Svecico abstrahantur. Cum itaque adversus tot hostes simul pugnandum sit, melius utique esse in loco sibi commodo manum conferere, præsertim quamdiu de Galliæ & Angliæ auxilio nondum constet, citra quod bellum in Germania suscipi nequeat. Quod si provinciæ Regis Germanicæ ab hostibus invadantur, Protestantes per rationes suas obligari ad partes istius tuendas, quo casu rem majori pondere geri posse. Et quia Dani apud Terlonum jactare non dubitarint, istam pacem diu subsistere non posse, mediis jam amplius consiliis circa Daniam locum non esse, postquam per hanc securitas Sveciæ non constet, nec in præsens alii hostes cum spe successus invadi possint. Ita per rationes, necessitatis vim habentes, Regem in bellum Danicum retrahi. Placuit autem sedulo affirmare, non novum bellum moveri, sed prius duntaxat à Danis susceptum continuari,

1658.

1658. ut ab Ordinibus Germaniæ guarantia exigi posset, si forte Danus ejusve socii provincias Sveciæ Germanicas invaderent, simul Danicis armis odium aggressionis, Svecicis favor defensionis conciliaretur. Nam pacto Roschildensi à Danis haut impleto, prior hostilitas nondum sublata erat, ac ni Dani prius bellum intulissent, haut necessum fuisse, ob incompletum pactum iterum arma expedire. Hoc autem decretum Rex itidem per Dahlbergium secretis mandatis instructum Stenbockio Scaniæ Gubernatori & Legatis Hafniam missis denuntiat, simul denuntiato, ut Cojetus alio sub prætexto ad ipsum proficisceretur, Bielkius Hafniæ remaneret. Eo in itinere Dahlbergius miseram conditionem munitionum Hafnienſium exploraverat, quas primo impetu perrumpi potuisse peritis facile constabat, ni consilium illud aliorum artibus subversum foret. De quo mox pluribus memorabitur.

Expeditio in Daniam suscipitur.

§. 45. Ea igitur cum sententia staret, Rex quicquid navigiorum Wismariæ & tota Holsatiæ ac Jutiæ ora contrahi poterat, Chilonium convenire jubet, fama dicta, expeditionem in Borussiam suscipi solvendo Thorunii obsidio. Id quod etiam ad legatos Hafniam scribebatur, ut ibi isthæc opinio gliscerent. Paulo ante Rex per literas Terlonum Hafnia ad se invitaverat, velut secreti quid circa Poloniæ res ipsi communicaturus, quod indecorum videretur Hafniæ renovato bello versari Regis Galliæ legatum sequestrem pacis, quæ jam abrumpatur. Iste in Holsatiam delatus è motu legionum Svecicarum aliisque indiciis suspicati cæperat, aliquid in Daniam cudi, eaque de re literis ad Gerstorfium scriptis effecerat, ut è vicinis locis hominum quid Hafniam contraheretur. Quia porro Rex credebat, Fridericum audito ipsius in Selandiam reditu Hafniam deserturum, Wrangelio imperabat navigia speculatoria in freto, quod Falstriam à Selandia dirimit, constituere, ne Lubecam is evadere posset, nec minus ad occiduam Selandiæ oram, ne in Norvegiam perfugium pateat. Tum ut quicquid in mari navium occurreret, detineret, & inprimis Belgicas naves, quæ in Oceanum tendant, in portum Landscronensem deduceret, nulla tamen molestia illata, pigneri tantisper futuras, si Belgæ in bellum erumpere velint, tum ne certi nuntii ita cito in Hollandiam pervenire possent. Ejus expeditionis successum antequam memorem, ad lucem rebus adferendam necessarium fuerit exponere, quid alibi locorum Rex consiliis ac togatis negotiationibus molitus sit. 1658.

Circa Austriacos corona Cæsarea dejiciendos frustra sagitur. Boineburg

§. 46. Superiore libro tradere cæpimus quid operæ Francofurti insumtum sit, ut Austriaci dignitate Cæsarea excluderentur. Quo fine Joannes Christianus Boineburgius & Wilhelmus Furstenbergius ab Electoribus Ecclesiasticis Monachium missi, & Regis Galliæ nomine eodem profectus Antonius Grammondus frustra fuere, diffidentia Bavari erga Moguntinum, etsi Boineburgius sancte asseveraret, huncce serio id egisse, ut dignationem Cæsaream ab Austriacis in Bavarum transferret, nec hunc abhorruisse, ni Mater cum Maximiliano Curtio & Haslangio manibus pedibusque obstitisset. *Curtz. Haslang.* Haut eo secius si Brandenburgico amicitia cum Colonienſi, societasque cum Rege Sveciæ constitisset, spes Moguntino fuerat per istum majorem suffragiorum partem conficiendi. Enimvero Galli valde quidem intempestive Neoburgici electionem urgere cæperant, quo ipso Bavarum juxta ac Brandenburgicum protelaverant. Et agnoscebat quidem Moguntinus, Neoburgicum artibus, quæ magnum Principem absolvunt, satis ornatum, coronaque Cæsarea non indignum esse, non paucas tamen rationes eidem obstare. Post Legati Gallici cæco quodam impetu in Bavarum verterant, repudiato Moguntini judicio de aula Bavarica ac fratrum Furstenbergiorum Francisci & Wilhelmi consilium secuti, qui magis affectuum impetu, quam ratione in hac causa ducebantur. Inter has adversariorum vacillationes Austriacis occasio nascebatur destinata sua stabiliendi, & plerorumque Electorum sibi favorem conciliandi. Saltem de Trevirensis, Bavari, atque Saxonis suffragiis cautum sibi ferebant, minati quoque, ni Moguntinus vela verteret, Ratisponam aut alio se abituros, & cum hisce Cæsarem dicturos. Cæterum Moguntinus solidiorem viam initurus id quidem prohibere non poterat, quo minus Leopoldus expleto ætatis anno decimo octavo 1658.

Franco-

1658. Francofurtum veniret. Idem tamen, poſt quam omnes Electores conveniſſent, exteris, ut urbe exirent, imperari nolebat, ſed ut regiis atque Ordinum Legatis ad diem usque electionis manere integrum eſſet, rationibus ſuis circa capitulationem obſervandis. Qui nec conſultum ducebat, ita cæco impetu ad electionem ruere, antequam omnes exterorum & Ordinum querimoniæ compoſitæ forent. De negotia-
5. Jan. tione Grammondi Monachio reverſi Boineburgius judicabat, Bavarum ſit improvide feciſſe, quod inito apud Gallos cupidine coronæ Cæſareæ oſtenſa effecerit, ut hi Legatos Francofurtum non ſine maximis ſumtibus mitterent, ad acuendum iſtius appetitum. Iſtud Bavari deſiderium Gallorumque artes Auſtriacos dimidium per annum ſpectaſſe, deſperata prope ſui promotione. Nunc cum Bavarus iſtud inficiari inſtituat, facile fieri poſſe, ut is Auſtriacorum æque ac Gallorum offenſam incurrat. Sed Galli ſolum Moguntinum in cauſa eſſe arguebant, quod ſua negotiatio non ſucceſſerit. Toto hoc tempore ſecreta cum Auſtriacis commercia eundem aluiſſe, ac ipſi ſatis conſtitiſſe, utut forte Bavarus dignitatis Cæſareæ cupidine tangeretur, Auſtriacis tamen non defore facultatem, iſtud deſiderium extinguendi per Electoris matrem ac Curtium Comitem. Interea Gallis ea ſpe blanditum, ſe horum & Bavari deſtinatis non adverſaturum. Cum Grammondus liquidum reſponſum Bavarum poſceret, hic quæſierat, quare Gallia ipſum utique Cæſarem velit? Grammondo reſpondenti, ut imperio domi quies, cum vicinis amicitia conſtet, Bavarus repoſuerat, ſe Cæſare bellum ſecuturum, in quod ut præcipitet, rationes ſuas in præſens haut ferre. Curtius quoque affirmabat: Auſtriacos de Moguntini ſuffragio certos eſſe, ac ſi Bavarus cupidinem imperii oſtentet, orbi ludibrium debiturum. Ac revera Moguntini aſtutia utrique regum memorabili commento illuſerat. Agitabant Galli cum Neoburgico ſuper corona Polonica in ipſum transferenda opera quorundam Polonorum Auſtriacis infenſorum, & quod favor Regis Sveciæ id negotium non parum promoturus videretur. Cum autem Neoburgicus perſpiceret, hoc ipſo ſe offenſam Auſtriacorum incurſurum, & ab Hiſpanis moleſtias ſenſurum, cum Gallia fœdus inire conſtituit tuendis ditionibus Juliacenſibus, ac ut pecuniæ copia foret. Id concluſum Granvellius Gallicus Miniſter Moguntino communicabat. Hic Boineburgium ad Neoburgicum ablegabat, ſciſcitatum, num is Coronæ Cæſareæ appetitu tangatur? Huic ſtimulando Boineburgius multis differebat quantis cum difficultatibus deſtinata ipſius circa Poloniam conjuncta forent, quæ non poſſint non graviſſimo ipſum bello immergere, Germaniæ autem opus eſſe Cæſare pacifico, nullisque bellis implicito. Et quia ipſe omnibus artibus tanto faſtigio dignis præditus ſit, magnam ejus rationem futura electione habitum iri. Unde cum primis cavendum eidem, ne controverſiæ ſe alicui immiſceat, per quam ſpes ipſius everti queant. Hoc modo cum Neoburgicus propoſito Corona Polonica Sveci opera potiundi dimoveretur, ac Cæſaream affectare inciperet, complures rationes Granvellio ſuppeditabat Boineburgius, ob quas Princeps iſte ad Cæſareum faſtigium evehi non poſſet, quarum ſumma huc redibat. Nimis obnoxium fore Galliæ, Bellum orſurum in Belgio, eoque neceſſitatem allaturum Auſtriacis auxilia eodem mittendi, & ſic imperium novo bello impliciturum. Eo Cæſare Catholicos in Germania in partes diſceſſuros. Non habiturum idoneos reditus ſuſtinendæ dignitati Cæſareæ abſque ſubſidio Galliæ, id quod imperio ignominioſum ſit futurum, & Galliam quidem initio aliquid daturam, poſt rivos clauſuram: & ſic onus imperio incubiturum. Auſtriacos Cæſareo faſtigio evolutos ſine dubio bellum ſumturos, & Galliam alibi diſtractam, negotia imperii abdicaturam. Nonnullos Proteſtantium ipſum averſari ob male tempertatum in Romanos ritus ſtudium. Hac electione factionem in Germania orituram, quam non Auſtriaci ſolum, ſed & aliqui Proteſtantium bello impetituri ſint. Saxonem & Brandenburgicum ſine dubio ejus ſe electioni oppoſituros ob Juliacenſem controverſiam. Ipſum Principem plus ſatis generoſum, rebus ſuſcipiendis promtum & audacem. 1658.

Eun-

1658. Eundem Pontifici parum gratum futurum. Colonienſem iſtum Bavaro præferri indignaturum. Fortaſſe & Civitates Imperiales in Belgio, ut Cameracum, ipſum Cæſarem non agniturus, unde materiam novo bello fore. Tali artificio Neoburgicus tam Polonico quam Cæſareo diademate excludebatur, quo ad utramque Auſtriacis aperta via muniretur. Sed & duo monachi Hiſpanici, homines aſtutiſſimi, ſpecie devotionis Moguntiæ hærebant, & Electoris frater Auſtriacis addictiſſimus erat, ac quæ in conſilio Electoris diſſenſio videbatur eſſe, non niſi in ſpeciem jactabatur, partibus inter ſe aſtute colludentibus. Ita non amplius erat, quare Auſtriaci de Corona Cæſarea dubitarent. Qui & Electori Saxoniæ centum aureorum millia donaverant, ut ipſe Francofurtum iter ſuſciperet. Et Galli, cum Bavarus imperium recuſaret, id agere cæperunt, ut circa electionem ſecuritati ſuæ conſulerent, bellumque Germanicum declinarent. Quo fine cautelam in ſui favorem Capitulationi inſeri curabant, ſimul fœdus cum Electoribus Eccleſiaſticis aliisque pro conſervanda pace in Germania cudebant.

Circa conciliandam cum Auſtriacis Regem fruſtra laboratur.

§. 47. Nec minus incaſſum laborabatur circa Auſtriacos Regi reconciliandos, etſi ad eum ſcopum acriter conniteretur, Joannes Philippus Schænbornius Moguntinus Elector, ſtudio conſervandæ pacis in Germania, & quia ſibi à Gallis metuebat.

8. Jan. Eo fine & literas ad Regem Hungariæ ſcripſerat, Regem Sveciæ paci cum Germania colendæ pronum ſe declaraſſe, qui eum ut paria ipſe faciat, ſuſcepta quoque opera bello Polonico juxta ac Danico componendo, monebat. Etſi illæ literæ Biærnclovio haut ſatisfaciebant, tum quod innuerent, Cæſaream interpoſitionem per Pœttingium oblatam haut recte à Rego repudiatam, tum quod Leopoldum in utroque bello Regi ſequeſtrem obtrudere conaretur. Id quod tamen Boineburgius excuſabat, ordiendo operi non decuiſſe aliter fieri. Enimvero contra Iſaacus Volmarus fremere: Leopoldum Polono Danoque fœderibus innexum injurias à Svecis illatas utique ulturum, Moguntino viri intemperies graviter averſante, quem *& impuri ſenectutis* convitio increpabat. Literas porro Moguntini Leopoldo haut ingratas fuiſſe Plettenbergius ſignificabat: ſed valde dubitari, num ſerio res agatur, quod Galli ſpargerent, ingentem ſe pecuniæ ſummam Regi Sveciæ numeraſſe, & hunc fœderi ſuo innexum. Et quia eodem tempore Gallorum copiæ Rheno propinquebant, conjunctionem cum Svecis affectare, aut diſtractionem hoſtium meditari videbantur. Revera tamen pacem in Polonia procedere Gallis tunc non optabatur, ut ut Lumbranus ſuper ea concilianda ſatagere videretur. Ac de certis ſubſidiis è fœdere ſolvendis Lionnæus audire aſpernabatur, frigide admodum excepta Biærnclovii ſuper fœdere propoſitione: & exigua illa, quæ Galli præſtabant, in majus extollebantur. Nec obſcure in pacem cum Hiſpanis inclinabant Galli hortante Pontifice. Sic tunc per Gallos Svecis nec pace potiri, nec bellum juſta mole gerere dabatur. Contra Auſtriaci circa perficienda ſua apud Polonos deſtinata laborabant, quibus Regina Poloniæ acriter reluctabatur, cujus autoritati minuendæ Auſtriaci diſſidium inter ipſam & Joannem Caſimirum ſerere ſtudebant. Idemque Francofurti Ordinum Legatis perſuadere conabantur, Leopoldo cum Rege Sveciæ bene convenire, multi contra in legationem Gallicam invecti, ut Ordines quidem in ſecuritatem darent, ac diſſidentiam inter Sveciam, Galliamque ſeminarent. Eo autem difficilior tunc erat cum Auſtriacis negotiatio, quod per Leopoldi juventam aula in factiones diſtraheretur. Ut privata Domus Auſtriacæ commoda unice reſpicerentur, Porcia & Ferdinandus Curtius cum legato Hiſpanico nitebatur. Ut Imperii quoque ratio haberetur, Aurſpergius Princeps & Pættingius Comes cum paucis aliis contendebant. Aſt Archidux Leopoldus Wilhelmus cum Schvvartzenbergio peculiarem ſibi viam inſiſtebant, fere ad bellum ac turbas tendentem, quod ipſe de adquirenda ſibi corona Cæſarea deſperaret, ac inviſum ſe Hungariæ Regi & Hiſpanis ob eam affectatam cerneret, eoque operam ſuam neceſſariam bello exorto reddere cuperet. Unde Leopoldo certa conſilia, & ſuo è judicio capeſſere in-

de Lumbres.

Lionne.

Ein alter Unſtat.

1658. re integrum haut erat. Equidem primarii Miniſtri munus penes Porciam erat, ſed iſtam functionem exercere adhuc inſolentem, & Curtium rerum peritum ipſi ſuccenturiatum alii reſpectus diſtrahebant præter ſenium & podagram, quæ frequenter conſilio abeſſe ſubigebat. Archiducis partibus quoque acceſſeratSchvvarzenbergius, qui dum bellum Svecis inferendum urget, conſilia Pragæ non parum turbabat. Etſi demum neò pacem idem repudiaret, ſed ea duntaxat lege, ut nec Auſtriaci parte aliqua Poloniæ, nec Sveci Boruſſia potirentur. Cum contra Poloni ita cum Svecis tranſigere vellent, ut deinceps neque hos, neque Auſtriacos reſpicere neceſſum haberent. Aſt Moguntini conſilia eo ſpectabant, ut Carolum Guſtavum inter & Leopoldum amicitiam inſtauraret, nec prius ad electionem procederet, quam paci Germaniæ tam à Polonia cautum eſſet, quam à Gallia hactenus, ne Auſtriacis auxilia Hiſpano ſubmittere liceret, adeoque Hiſpani ex hac electione nullum fructum caperent. Ideo autem Gallia novum in Germania bellum defugiebat, quod domeſticas opes tot annorum bella valde exhauſiſſent, ac Auſtriaci Ordines blandimentis ſibi adjunxiſſent, Svecia autem, cui alias maxime inniti poterat, multis hoſtibus premeretur, nec cum ullo eorum tranſigere daretur, modico inſuper peditatu inſtructa, ac ingentibus pecuniæ ſummis ſublevanda, ſiquidem res magna mole gerenda foret. Unde ſi Galli per fœdus Rhenanum & capitulationem ſcopo ſuo potiri poſſent, fœdus Svecicum procul habituri erant. Qui & ægre ab Habbæo Pragæ diſputata ferre videbantur, Biærnclovio regerente, ipſos ſane ita agere, velut utique à Svecia ſeparari cupiant. Aſt Proteſtantes Ordines, quicquid libellorum Biærnclovius ingereret, facile omnia fieri permittebant, quæ premendis Svecis ſuſcipiebant, ne his bellum inſtaurandi facultas foret, modo iidem non plane opprimerentur, ne ipſis urgente aliquando neceſſitate id fulcrum deeſſet. Hac igitur rerum facie, & in tam diverſa tendentibus aliorum conſiliis Auſtriaci repudiata Svecorum amicitia bellum cum hiſce malebant, perſuaſi, Danos utique ad apertum mare ſuſtentaturos abdicata cum Svecis pace ſimul Belgas palam in partes deſcenſuros. Quo facto ipſi Polonis junctiſacili negotio Svecos Germania ſe pulſuros ſperabant. Unde Leopoldus, dum Praga Francofurtum proficiſcitur, Montecuculo mandata transmiſerat, ut Polonis & Brandenburgico conjunctus Svecos in Pomerania invaderet. Quo & tempore tres curſores mittebantur, unus in Daniam, diſſuadendas cum Svecis paci in Poloniam, alter, ut copiarum conjunctionem urgeret, ac ad Brandenburgicum tertius, ipſi ſummum imperium conjuncti adverſus Svecos exercitus delaturus; & cum fama ferret, Carolum Guſtavum in Selandiam penetraſſe, repetebantur ad Montecuculum juſſa, ut tanto magis cum Polonis & Brandenburgicis Pomeraniam invadere properaret. Liſola interim pacem in Polonia impediebat, resque turbabat, quo Auſtriacis id bellum usque ad electionem integrum foret, anſam præbiturum pacem Germaniæ evertendi. Iſthæc Auſtriacorum conſilia Moguntinus ægre admodum ferebat, præſertim cum Leopoldus ad literas ipſius ſuper reconciliatione cum Svecis amice admodum reſpondiſſet, ac per Lobcovicium Principem verbis confirmaſſet, ſe rem integram ſervaturum, quoad Francofurtum veniret, cum nunc in itinere hoſtilia in Svecos decreviſſet. Cujus rei culpam Moguntinus Hiſpanis & Archiduci tribuebat, quod huic ſpes foret, imperium bellicum nanciſci, ac Hiſpani confiderent, orta in Germania belli flamma commodius ſe Belgium ſuum ſervaturos. Enimvero impetum Auſtriacorum mox ſiſtebat nuntius pacis tanto cum Sveciæ emolumento in Dania concluſæ, ac quod diffundente licet Leopoldo Daniæ Rex præcipua pacis capita executioni dediſſet. Unde & Moguntinus ut ea mandata revocarentur, acriter contendebat, aliosque hortabatur, ut eadem ſecum ingeminarent, ſuccinentibus Aurſpergio & Lobcovicio. Simul Biærnclovio per Boineburgium quid ageretur ſignificabat, ac ut is contra tendere poſſet, anſam præbebat. Cujus & inſtinctu idem libellum memoriale Collegio Electorali exhibebat, quo periculum Germaniæ imminens ob oculos ponebat, qui reli-

Aurſperg. Lobkovic.

23. Aprilis

1658. quorum Ordinum Legatis communicabatur.

A Gallis Reg parum auxilii ab exſpectandum.

§. 48. Iſta porro Danica pax utrique parti alia conſilia ineundi neceſſitatem imponebat. Et Regi quidem ratio erat noſſe, quid à Gallia ſibi expectandum foret, antequam adverſus Auſtriacos certi quid decerneret. Iſta Rhenano quidem fœderi, quod meditabatur, Regem includere voluerat, excepto bello Polonico. In quam conditionem hic conſentiebat, modo id fœdus dirigeretur contra quoscunque alios iſti bello ingeſturos, præcipue Auſtriacos & Brandenburgicum. Sed quia etiam perfecto iſto fœdere Regi haut ſatis conſulebatur, hoc jubente Biærnclovius Legatis Gallicis Francofurti proponebat, veroſimile eſſe, Regem cum exercitu in Germaniam verſurum, acſi certo fundamento ſocietatis cum Gallia inniteretur, jam occaſionem videri, Auſtriacis par referendi. Ad quæ Galli declarabant, mandatum ſibi eſſe, ſuper fœdere cum Svecis agere, in quam rem ipſi formulam exhibebant. Sed quæ deſtinatis Regis haut ſufficiebat, quod Galli fœdus abſolvere nollent, quoad pax in Polonia concluſa foret, quam tamen per Auſtriacos impediri norant. Unde ſatis adparebat id ipſos agere, ut Regem occaſione belli Polonici cum Auſtriacis committerent, quo una cum Anglis eo acrius bello Flandrico incumbere poſſent, ſed & iidem magnam partem ſecuritatis ſuæ fœderi Rhenano ſuperſtruxerant, quo impeditum ibant, ne Auſtriacis in Belgium auxilia mittere integrum foret. Accedebat & proclivitas in pacem cum Hiſpanis, ut fœdere Svecico non opus habituri viderentur. Mox quoque cognitum Legatos Gallicos non habere mandatum fœdus concludendi, ſed duntaxat ut Biærnclovio impedimenta exponerent, per quæ Gallia in bellum Germanicum deſcendere prohibebatur. Cum itaque Lionnæus parum ſibi cordi fœdus cum Svecia eſſe oſtenderet, Biærnclovius ei aperte denuntiabat, hac rerum facie Regi ſuo neceſſum fore, vel Auſtriacos invadere, ſed non niſi poſito fundamento fœderis Gallicani; vel, ſi Gallia idoneum fœdus abnuat, cum iſtis quovis modo tranſigere. Et tunc demum Galliæ adpariturum, quam intempeſtive & quam frivolos ob reſpectus occaſionem Auſtriacorum vires à Belgio divertendi amiſerit. Ea denuntiatio cum Lionnæo ſcrupulum injiceret, curſorem Pariſios mittebat, quo reverſo hic cum Biærnclovio congreſſus inſtituebat. Ubi Lionnæus ea fundamenta conſultationis ponebat: Galliam quidem fœdus inituram, & conſilia viresque cum Svecia ſociaturam, haut tamen conſultum ducere in præſens abrupta pace bellum in imperio gerere, etſi ſub hoc Auſtriacæ ditiones & Bohemiæ regnum non intelligantur. Rationem eſſe, quod plerique Electores & Principes Catholici juxta ac Proteſtantes non ſolum diſplicere ſibi oſtenderint ab Auſtriacis adverſus pacis leges patrata: Sed & jam de fœdere cum Regibus ineundo agitent ſuper conſervanda pace, & formanda idonea capitulatione. Quod fœdus adverſa fronte rationibus Auſtriacorum repugnet, ejusque uſum deinceps inſignem eſſe poſſe proximis Comitiis, & alias ad ambitionem Cæſaris, & privata deſtinata reprimenda. Contra ſi nunc quiſpiam Ordinum in imperio invadatur, metuendum eſſe, ne Proteſtantes æque ac Catholici in Auſtriacorum partes tranſeant, & ſic Reges diuturno & periculoſo bello implicentur, ſi Ordines perſpiciant, oblato fœdere ſibi ab iſtis illuſum fuiſſe. Sed & præcipuos Catholicorum & Proteſtantium Principum à finito proximo bello ſat ſinceram inter ſe amicitiam coluiſſe, haut ita facile divellendos, & Regibus aſſociandos, præſertim cum prætextum religionis nunc abſit. Galliam quoque Hiſpanico bello implicitam, & deſtinata ſua in Flandria cum Cromvello perſequi cupidam, ſuſcepto inſuper bello Germanico vires ſuas valde diſtracturam, ex quo nihil lucri ſperet, & per quod res adverſus Hiſpanos languide gerenda ſit, quos hac occaſione inſigniter debilitandos ſperet. Et quanquam Carolo Guſtavo ſat cauſarum ſit Auſtriacis bellum faciendi, eaque virium Auſtriacarum diſtractio Galliæ utilis ſit, huic tamen integrum non eſſe junctim cum Rege in Auſtriacas provincias rem gerere ob rationes jam adductas, & quia hoc caſu copiis Gallicis per mediam Germaniam iter eſſet faciendum, cum Svecis commo-

3. April.

dior

1658. lcis per mediam Germaniam iter esset faciendum, cum Svecis commodior occasio sit per Pomeraniam eodem penetrandi. Sed nec Gallis operæ pretium videri ob pauca Alsatiæ oppida, quæ Austriacis adhuc ibi supersunt, bellum movere, ac Ordines Imperii metu agitare. Hoc fundamento posito testabatur Lionnæus, Regem Galliæ fœdus cum Svecia initurum, duabus partibus constans, quorum prima sit, ut Rex Sveciæ post incassum tentata omnia remedia amicæ compositionis protinus in bellum cum Austriacis prorumpat, Gallia certam pecuniæ summam subsidio collatura. Altera pars in eventum formetur, si Electores & Principes fœdus cum Regibus, quod nunc affectant, detrectent, aut in posterum ejus leges violent, quo casu utrinque in hos quoque arma arripienda. Etsi vero Lionnæo haut mandata erant, ad fœdus statim concludendum, ac verosimile videbatur, Galliam negotium extractum ire, quod confideret, Regem etiam absque ipsius subsidio cum Austriacis manus conserturum, quo ipso declinatura sit necessitatem pecuniam erogandi, simul quam sacrorum nomine accusationem verebatur, quod eo bello succedente Rex Evangelicis sacris per provincias Cæsareas ampliorem libertatem procuraturus fuerat. Quæ cum Biærnclovius animadverteret, testabatur, Regem haut quaquam Austriacos invasurum, ni fœdere Gallico fulciatur: Lionnæo reponente, Galliæ rationes nunc in eo verti, ut successus suos in Flandria adversus Hispanos urgeant, eoque pacem in Germania sibi retinendam. Sibi persuasum, Carolum Gustavum utique bellum Austriacis illaturum, ad quod Gallia pecunias suppeditare sit parata. De fœdere, quale Svecia affectabat, in medio relinquebat. Nec plus in aula Gallica proficiebat per Antonium Curtinium, qui cum Mazarinum ad fœdus cum Rege renovandum urgeret, hic reponebat, se nec Deo nec hominibus adprobare posse abrumpendam cum Austriacis pacem. Ac fane jam tum Pontifex fremebat ob fœdus cum Cromvello ictum. Dunquercamque traditam. Etsi ad fœdus id per quadriennium agitatum Mazarinus non prius compelli posset, quam Cromvellus ipsi tractatus ostenderet cum Hispanis ad subscriptionem usque absolutos, quibus hi Caletum se Anglis tradituros promiserant. Sed & parsimonia istum à fœdere cum Rege retrahebat. Ne tamen Regem plane alienaret ducenta uncialium millia huic offerebat, velut pensionem pro lubitu impendendam, indignatus quoque, quod Curtinius scripsisset, si quid boni ab ipso obtinendum sit, metum eidem incutiendum. Cæterum cum Rex moras pertæsus Curtinium ex aula Gallica revocare instituet, Mazarinus vehementer stomachatus ac contumeliosis sibi dictis non temperabat. Hunc agendi modum à Septentrionum rigore esse. Omnia à Svecis tanta cum ferocia expostulari, nec rationes cum ipsis constare posse. Si ad eum modum secum agi, Galli patiantur, dignos esse, qui canibus projiciantur. Ipsi si abeat Terlonum quoque revocandum, ac eventura, quæ forte Sveci non crediderint. Tum & inæqualitatem agendi increpare, adversis rebus nil istis tractabilius, sed secundis nihil cum eorundem ferocia comparandum, sic ut amici quoque eorum fortunam formidare, & suspectum habere cogantur. Ista dicta Regem valde mordebant, qui & eo nomine Biærnclovium offensam apud Legatos Gallicos testari jubebat, ac ut circa tractatus de fœdere Gallico omnia sibi integra servaret, quo pro re nata, cum Austriacis transigere posset. Nec enim cum Gallis certas iniri rationes posse, quamdiu Mazarinus ad clavum sedeat, sua promissa cavillari, & pro solidis fumum vendere doctus, nec Regi, si vitam eousque producere detur, par pari referendi occasionem defore. Idem quoque Gallis demonstraret, solis capitulationis Cæsareæ vocabulis sibi non caveri, sed ut pax renovetur adsistentibus omnibus imperii Ordinibus, ac peculiarem guarantiam præstituris, utique Austriaci Polonicum negotium plane abdicent. 1658.

Curtius.

§. 49. Ista Gallorum tergiversatio plurimum difficultatis Caroli Gustavi consiliis adferebat. Nam utut pax Danica non parum rationes hostium turbasset, haut ideo tamen amica hostes in ipsum meditari adparebat, postquam jam inter Austriacos, Polonos *Austriacis minus inclinari videntur.*

1658. & Brandenburgicum fœdus velut in communem hostem conclusum esset. Igitur ut nihil eorum, quæ servandæ paci Germaniæ facerent, omisisse videretur, denuo Biærnclovio imperat, omnem lapidem movere circa ineundam cum Austriacis reconciliationem, quæ tam intra, quam extra Germaniam amicitiam instauret, eumque in finem Moguntini opera uteretur. Nec eo secius exemplum fœderis contra Regem initi Gallis ostenderet, demonstrato simul statu Sveciæ, & quid hoc casu Galliam facere par sit, liquidum super renovando fœdere responsum exposcens, ut quid expectandum sibi sit constet. Reliquos tamen Ordines exemplum ejus fœderis celaret, ne Brandenburgicus mature nimis resciscat, de eo ad se permanasse. Quod si Mazarinus exercitum in Germania habere nolit, ac fœdus aversetur, saltem tantisper de pecuniis in unum aut alterum annum præbendis conveniret, quoad fœdus plane adornatum fuerit, ut tamen integrum sibi sit, cum Austriacis pacem concludere, si occasio detur. Ad quam procurandam Ordines quoque incubituri sint, siquidem patriæ saluseos tangat. Præsertim cum ipse multis licet injuriis acceptis nil aliud satisfactionis postulet, quam ut pax Westphalica velut redintegretur, ac ipse securitate ex ea tam intra quam extra Germaniam frui possit. Hisce si nihil proficiatur, ex Ordinibus quæreret, quid Regi ab ipsis expectandum sit, velut quibus pax Westphalica præstanda incumbat. Biærnclovius igitur, cum Hungariæ Rex Francofurtum pervenisset, Moguntinum jam antea sat pronum instigabat, ut apud istum de pace ageret, qui & eam rem summo studio suscepit. Ei contra Leopoldus per Oetinganum Comitem, & Volmarum significabat, sibi haut propositum fuisse, Daniæ succurrere, nec Montecuculo imperasse, Pomeraniam invadere, nec minus paratum se reconciliationi cum Svecia, ac legatos ad tractatus pacis in Poloniam missurum. Etsi, abnuente licet Leopoldo, constaret, à Montecuculo certum hominem Berolinum missum; qui transitum & conjunctionem copiarum expostceret. Ac ut culpam abs se amolirentur Austriaci, palam jactabant: Electorem Brandenburgicum ipsos ad arma Pomeraniæ inferenda stimulasse, cum contra Poloni eundem favoris in Svecos arguerent, quod lente movendo subsidia Daniæ ferenda hanc Svecia prædæ exposuerit. Ipse mox Leopoldus Moguntino declarabat: cupere se amicitiam cum Svecia colere, pacem imperii conservare, Polonicam pacem summopere desiderare, operam quoque collaturum, ut ea conjunctim inter partes coalescat, qua tamen ne ipse excluderetur, fœdus sibi cum Polonis & Brandenburgico fuisse ineundum. Nec aliud præter mutuam defensionem spectare fœdus cum Brandenburgico, si hic à Svecis invadatur. Regem Poloniæ successionem se haut expetere, quæ promissa sibi non sit, multo minus justo tractatu super ea conventum. Nec terrarum quid in Polonia affectare, sed Polonis pacem sibi ac Brandenburgico securitatem quæsitum ire. Speciosa dictu, sed quæ multum à sensis animi discrepabant. Sane Lisola hactenus præliminaria pacis Polonicæ impedierat, interventionem Gallicam recusando, & circa titulos tricando, simul ostentata Moscorum suspicione, solemnem congressum impediendo. Unde Biærnclovius apud Collegium Electorale instabat: cum nuper defunctus Cæsar multis modis leges pacis Westphalicæ adversus Svecos violarit, ut in capitulatione Sveciæ in futurum caveatur, ac si utique Leopoldum Cæsarem velint, eum non prius renuntient, quam amicitia cum Svecia instaurata sit, enumeratis istius in hanc infensis actionibus. Aut saltem ut Electio differatur, quoad Rex rebus in Dania compositis promius movere possit, animum Electoribus de Republica bene sentientibus additurus. Eo quippe unico remedio Austriaci ad rationem audiendam cogi posse videbantur, alias negotium Polonicum eousque protracturi, quoad id incendium in Germaniam quoque trajecerit. Nam istorum rationes in eo verti, ut electio acceleretur, quo inde pro lubitu in Polonia & Germania rem temperare queant. Quo fine & cum Svecis Francofurti tractare refugiebant, sed rem in Borussiam rejiciebant. Et quia Legati Gallici per Moguntinum & Trevirensem deliniri se passi fuerant, ut spe satisfactionis sibi facta

Ostiegen.

file-

1658. sifferent, Sveciæ exigua ratio habebatur. Præter Moguntinum quoque Saxoniæ Elector circa redintegrandam cum Sveciu amicitiam apud Leopoldum operam navabat, cui huic testabatur, ejus se serio cupidum, eidemque promovendæ misisse ad Montecuculum, ut omnes Austriacos copias è Polonia in Silesiam & Bohemiam reducat, tum Lisolam jussisse idoneo loco in Marchia cum Slippenbachio congredi ad eam amicitiam reparandam sive junctim cum Polonia, sive separatim, si aliter fieri non posset.

Super differenda Leopoldi electione cautus.

§. 50. Cæterum Biærnclovii postulato super differenda electione favebant Moguntinus, Colonienſis & Palatinus qui inter se convenerant securitatem & pacem Imperii prius in tuto collocare, quam ad electionem procedatur. Brandenburgicus adhuc deliberabat, ad quem in eas partes pertrahendum Biærnclovius spem compositionis cum Rege faciebat, contra Trevirenſis, Bavarus & Saxo absque intermissione electionem maturari urgebant. Non tamen adeo facile hi perviciſſent, si Brandenburgicus prioribus adjungi potuisset. Ac sane is post pacem in Dania tam inopinato factam anceps hærebat, quam in partem se verteret, diu dubitabundus. Unde & ipsius Ministri cum Luneburgicis Magdeburgi congressum agitabant, ut hos edocerent, quo loco res inter Regem & Electorem sint, quod isti Principes legatione ad regem missa circa eos reconciliandos navare operam vellent. Et qui Francofurti erant, Brandenburgici Ministri apud legatos Gallicos instabant, ut idem negotium Terlono commendarent. Nec minus omnes ibi Ordines eam reconciliationem optabant, suadebantque. Quibus Biærnclovius reponebat: Etsi Elector sæpius limites pactorum migraverit, Regi tamen ob bonum publicum ista dissimulare placuisse, quousque enormis quispiam hostilitatis actus non intervenerit. Nunc Austriacos jactare, eundem cum ipsis fœdus offensivum in Sveciam iniviſſe. Quod si igitur Electori causa Protestantium communis cordi sit, ei sincere & constanter cum Evangelicis agendum, ac mature ab hostium partibus discedendum. Ac sane nondum fixi quid consilii ab Electore captum esse indicio habebatur, quod Poloniæ Rex & Montecuculus quererentur, ab ipso conventa non repræsentari, quod idem nunc dubitet Polonis & Austriacis transitum per ditiones suas permittere, suasque copias adversus Svecos iisdem adjungere. Quem & isti acriter urgebant, ut jam quantum possit cum reliquis ad premendos Svecos incumberet. Morsteinium quippe Legatum Polonicum Hafnia scripsisse Danos, utut pace cum Svecis facta, & traditis munitionibus, bellum mari cum primis instauraturos. Belgas jamjam fœdus cum Austriacis, Hispanis, Polonis, Danisque in Sveciam concluſuros, ac ab istis eas vires Dano suministrandos, ut non solum iterum se erigere, sed & Svecis domi negotium facessere queat, è Norvegia immissis copiis, quas Hollandi commode alere ac firmare queant. Angliam Svecorum potentiæ invidere, Galliam intestinis dissensionibus distrahi, Montecuculum protinus in Holsatiam moturum Rege in Svecia absente, Wrangelio in Selandia hærente, legionibus Svecicis per insulas divisis, Suchium cum quinque millibus Germanorum adjunctis Polonis in Borussiam gesturum. Ocyus igitur certa consilia capesseret Elector, aut omnium copias ipsius terris infundendas. Sibi constare, Regem Sveciæ pacem in Polonia nolle, nisi utraque Borussia accepta. Belgicam & Danicam classem sat validam esse Svecis intra Scaniam includendis. Moscum certo Livoniæ irruiturum. Igitur super eligendis partibus Elector ne amplius dubitaret. Nec eo secius hic tergiversabatur, pacem in Dania jam factam obtendens, ac ista in Holsatiani expeditione Dano plus damni quam emolumenti datum iri. Simul clam Moguntinum instigabat, ut nomine Collegii Electoralis literæ ad Regem Poloniæ scriberentur, quo hic irruptione in Germaniam supersedeat, tum Leopoldo Francofurti demonstraret, Ordines istam in imperium irruptionem ægerrime laturos. In eundem sensum ad Carolum Gustavum dicis causa scribebatur, ne alii sentirent, ista solos Polonos spectare. Ac dederat Brandenburgicus suis Francofurti ministris in mandatis, ut si difficultas quæpiam emergat, per quam electio protrahatur, eam tacite

de Saxonicis.

1658. foverent, ipsique suffragium liberum in electione retinerent, quoad tentarit, num sibi cum Rege Sveciæ convenire posset. Sane ipsius Legati hactenus ambigue egerant, ac suadebat Lionnæus, ut Rex quovis honesto modo cum Electore transigeret, ac prius acta bono publico condonaret, quo obtento Austriacis spes circa electionem in ancipiti hæsura fuerat. Quin & Blondello ablegato Gallico Elector dixerat, si Sveciæ Rex secreto sibi pandere velit, quid pro restituenda Borussia petat, pacem se ipsi paucas intra horas etiam cum exclusione Austriacorum curaturum. Etsi contra Austriaci palam jactarent, si Poloni admissa interpositione Gallica cum Svecis tractare instituant, se cum Svecis seorsim transacturos, ac Poloniam cum hisce divisuros.

Galli & Hispani Regis destinatus obstant.

§. 51. Enimvero quo minus scopo suo Rex Francofurti potiri posset in causa fuerant Galli juxta & Hispani. Quorum illi cum Svecis operam sociare noluerant, ut utriusque regni querelis pariter remedium adferretur, sed suam satisfactionem utcunque obtinuisse contenti Svecorum desideria post principia rejiciebant, securitatem suam cautelæ Capitulationi inferendæ, & fœderi Rhenano superstruentes. De cætero bellum in Germania aversabantur, ac super fœdere cum Svecis renovando mandata sibi esse negabant, nil nisi pecuniæ aliquantum vel ex fœdere, vel citra obligationem velut gratis dandam ostentantes. Hispani autem usque adeo graves iras in Svecos concepetant, ut nullo licet inter Sveciæ Hispaniæque regna bello legati Hispanici Pegneranda & Fontanus Biærnclovio Francofurti de adventu suo non significarent. Hagæ quoque Stephanus Gamarra cum omnibus exterorum legatis de Infantis Hispaniæ nativitate indicasset, solum Svecicum Ministrum præterierat. Ac sane omnem lapidem movebant Hispani, ut belli incendium in Germania excitarent, Austriacosque à cogitationibus pacis hactenus averterant. Et cum sibi persuasissent, statim atque Leopoldus Francofurtum ingressus foret, circa electionem multam moram fore, repudiata cum Svecis reconciliatione armis rem gerere statuerant. Et quanquam Moguntini constantia electionem aliquandiu differret, & hic 1658. de instauranda cum Svecis amicitia instare non desisteret, Leopoldus tamen tergiversari isto valde indignante, præsertim cum Austriaci eundem cum Colonienſi & Brandenburgico committere instituerent. Cæterum Austriaci, Hispanique consilia sua, & quod Sveciæ amicitiam ita insolenter rejicerent, hisce fundamentis superstruxerant, quod sibi persuasissent, Moscum una cum Polono Ingriam & Livoniam invasurum. Tum Danos Belgasque iterum aliquid in Sveciam cudere, quod in lucem erupturum sit statim atque Rex cum Austriacis & Polonis manus miscuerit. Simul ut Moscum in partibus retinerent, Austriaci Polonis suadebant, ut Coronam suam potius Mosco promitterent, quam cum Svecis pacem inirent. Denique & id spem iisdem addebat, quod dissidia mox in Gallia adversus Mazarinum, & in Anglia adversus Cromvellum emersura essent, quorum architectus Marchio Ormondus legatus Hispanicus fuerit.

Moguntinus eum arctius urget.

§. 52. Haut eo minus tamen Moguntinus magnopere laborabat, ut inter Regem Sveciæ & Hungariæ amicitia prius instauraretur, quam hic diadema Cæsareum capesseret, condito in Collegio Electorali decreto, ut electio & securitas Imperii pari passu procederent, & circa illam nihil certi statueretur, quoad Imperio constet, num pace potiatur, an minus. Unde & à Collegio Electorali Moguntino & Saxoni injungebatur, ut Leopoldo pacem persuaderent. Id quod ab hisce factum magna cum diligentia & prolixe deductis rationibus. Ac imprimis Moguntinus Leopoldum liquidum responsum poscebat ad has quæstiones: an citra moram conaturus sit, ut pax in Polonia fiat? An successionem ad regnum Poloniæ affectet? Ac numquid terrarum à Polonis in satisfactionis vicem postulet? Ad quas cum idoneum responsum è vestigio expedire haut in promtu esset, postridie à Leopoldo Porcia & Curtius ad 10. Mytl. Moguntinum mittebantur, qui loco expectati responsi differebant, sibi haut constitisse de Sveciæ Regis in pacem studio, & num istud ita serium sit, prout Biærnclovius spargat. Quæ diverticula Moguntinus eger-

ægerrime ferebat, nec eam excusatio-
nem suffecturam, quo minus cul-
pa in Leopoldum redundatura sit,
neglectæ ad pacem firmandam occa-
sionis. Simul præter morem in aspe-
ra verba erumpebat. Ita tandem
missi laxioribus verbis testantur, Re-
gem Hungariæ ad tractandum cum
Rege Sveciæ paratum esse, eamque
controversiam in Polonia componi
posse. Interim ipse electionem pro-
30. Maji. moveret. Quo responso Moguntinus
adquiescere nolebat. Unde iidem pau-
lo post aliud responsum afferebant in
eam sententiam: Leopoldum jam ante
septem hebdomadas legatos ad Polo-
nicos tractatus misisse, expeditis quo-
que diplomatibus tuti itineris, pro le-
gatis Svecicis Lisolæque mandasse, Po-
lonos urgeret, ut & ipti pro Svecis ea-
dem expediant. Simul petebant, cum
auditum sit, consultationes super ca-
pitulatione quiescere, ut ipsi easdem
promovere placeat, quod Leopoldo
sumtuosum valde sit, heic loci diutius
hærere, præsertim cum periculum un-
dique ipsius provinciis ingruat. Cum
ad alias quæstiones responsum urgeret
Moguntinus, isti dicebant, Leopol-
dum negotia sua Gallorum manibus
committere non posse. Atqui, repone-
bat Moguntinus, Svecos & Polonos,
quorum præcipue res agatur, Gallos
sequestres acceptasse. Illic Leopoldum
nil præter securitatem suam quærere.
Moguntinus; cum ad hanc præstan-
dam Sveciæ Rex sese offerat, quid er-
go restat? Si enim neque successionem
in regno Poloniæ, nec terrarum quid
affectet, non esse quare Gallos seque-
stres refugiat. Ad isthoc Austriaco-
rum responsum Moguntino demon-
strabat Biærnclovius: Colobratum
Lisolæ Collegam Calendis Maji adhuc
Wratislaviæ fuisse. Commissariis quo-
que Svecicis quarto die ejus mensis ni-
hil adhuc de diplomatibus constitisse.
26. April. Quin Joannem Casimirum nuper Pos-
naniæ apud Isbrantium legatum Bel-
gicum questum fuisse, se circa media-
tionem inter duos amicos Galliæ &
Hungariæ Reges in ancipiti hærere,
nec Gallos sequestres repudiare posse.
Lisola quoque per Polonos Lumbrano
persuaserat, ut ad Regem Sveciæ profi-
sciscereturr, quo is hoc absente interpo-
sitionem Gallicam subvertere posset,
etsi haut eo minus regina interim Gal-
lorum causam sustineret. Et Rex Polo-
niæ cum Proceribus Warsaviæ conclu-
serat, eam interpositionem retinen-
dam, quod & Lumbranus profectus sit
ad Caroli Gustavi consensum obtinen-
dum super admittendis ad tractatus
Poloniæ Fœderatis, quos inter Leo-
poldus præcipuus erat. Quin cum ipse
Curtius lingua mentem præcurrente,
dixisset: Hispanos ægre laturos, si Gal-
lica mediatio admittatur, Moguntinus
reposuerat: non id respiciendum, quid
Pegneranda, sed quid Ordines Imperii dicturi sint, si Leopoldus repudiatis
bonis consiliis, & amicis propositio-
nibus, eandem abnuat, externa consilia,
rationesque secutus. Nam offensus
erat Pegnerandæ Moguntinus, quod
iste dixisset, hunc equestri duntaxat lo-
co natum plus sibi autoritatis, quam
par sit, arrogare. Ac demonstrabat
Moguntinus Curtio: Hispanorum
intentionem esse Germaniam bello
involvere, ac Germanorum sanguine
Belgium suum conservare, qui & pla-
ne pacem aversentur. Sic ergo tunc
electio adhuc nutabat, ac jactabant Au-
striaci: malle se Francofurto infecta
re discedere, quam pati, ut Leopol-
dus adstringatur ad auxilium Flandriæ
non ferendum. Contra Trevirensis
& Saxo, quibus pecuniæ ab Hispanis
suppeditabantur, his grata loquebantur, ac subinde, ut exterorum lega-
ti urbe dimoverentur, urgebant. Sed
Moguntinus majore suffragiorum par-
te pervincebat, ut illis ad proximum
ante electionem diem manere inte-
grum foret. Nam & his superiorum
suorum negotia apud Collegium esse
expedienda, ac Ferdinandi IV. electione
Oratorem Hispanicum Marchionem
Castelrodericum Augustæ Vindelico-
rum pridie ejus cerimoniæ usque
hæsisse. Idemque Brandenburgico
suadebat, ne fœdus cum Austriacis in
Svecos ratihaberet. Prout & hic so-
lus obstiterat, quo minus Monte-
cuculus & Czarnecius in Holsatiam ir-
rumperent. Qua super re graviter que-
rebantur Austriaci, queis persuasum
erat, si iste voluisset, Svecicas copias,
Rege & Wrangelio in Selandia absen-
te, per Holsatiam sparsas potuisse op-
primi. Sic igitur tunc spes reconciliatio-
nis inter Regem & Austriacos iterum
minuebat, his una cum Hispanis isti
valde succensentibus, quod ipsum Bo-
russiam retinere, ac totius Maris Bal-
tici oram Imperio amplecti velle
crede-

1658.

Digitized by Google

1658. crederent, è qua perpetuo provincias ipsorum hæreditarias infestaturus sit. Quanquam & nemo alius æquo animo laturus erat Svecos Borussia potiri, ne Galli quidem & Protestantes velut vicinis perpetua litium materia futura. Sicut nec vicissim Ordines optabant ab Austriacis Poloniam obtineri, tanta accessione libertati ipsorum prægravibus futuris. Veniebat quoque eo tempore Francofurtum Legatus Polonicus Uladislaus Reyus Reginæ Cancellarius, ut Electoribus demonstraret, Polonos quidem pacis cum Svecia cupidos, sed quamdiu nulla spes sit Borussiæ recuperandæ, istius obtinendæ nullam rationem esse, ac vel Austriacum vel Moscicum imperium subeundum. Querebatur etiam idem de Hungariæ Rege, quod dum Gallos sequestres repudiat, tractatus pacis impedierit, eoque ipsos Polonos summam in desperationem conjecerit, unde arrepta occasione, Moguntinus, Colonienſis, & Saxo nomine Collegii Leopoldum adibant, denuntiantes, ni Gallicam interpositionem sine exceptione admittat, pacemque in Polonia promoveat, à se electionem suscipi non posse, quam Moguntino extrahere, animus erat, quoad pax in Polonia confecta foret. Ast Austriaci quanquam hoc modo ab Electoribus urgerentur, & Biærnclovius sat occasionis compositioni præbuisset, parum inclinationis ad eam ostendebant, nil nisi electionem maturandam ingeminantes. Ac spes erat, se destinatis suis circa Poloniam Mosci opera potituros, qui liquidam declarationem super successione filii sui ad Coronam Poloniæ valde urgebat, pollicitus se Livoniam regno Poloniæ redditurum. Id jus succedendi quanquam nec Austriacis nec Polonis volentibus erat, Jesuitæ tamen machinari dicebantur, ut Czar proximis Comitiis successor in eventum declararetur, ut hoc artificio vires Moscorum in Sveciam vertere possent. His tamen illudendis ita rem dispositurі erant, ut Austriaci vi prioris fœderis in Polonia subsisterent, tanquam fœderati & protectores religionis Catholicæ, ne quid illa detrimenti à Moscis aut Protestantibus caperet, ac operam daturi, ut Leopoldi frater Corona Polonica post fata Joannis Casimiri potiatur. Nec minus fiduciæ iidem in Belgis collocaverant, velut qui pro Gedanensi urbe cum Svecis certare non sint detrectaturi. Quia tamen Austriaci perspiciebant, Electionem ad hunc scopulum adhærescere, jam aliquam reconciliationis spem ostendere cæperunt, designato Cunrado Luzovio, qui Hamburgum iret, Regem Sveciæ in Germania adpellentem salutaturus, ipsiusque animum super reconciliatione exploraturus. Enimvero quia Luzovius iste infensum Svecis animum ubique apricatus fuerat, ac circa hanc functionem Plettenbergius præteriretur, qui olim Holmia de Caroli Gustavi prudentia, viribus & amicitia prolixius scripserat, quam Viennæ credi poterat, aut optabatur, indicio erat, ab istis rem serio non geri, sed ut Luzovius relationes suas ita formaret, quo Leopoldo inde occasio nasceretur Electoribus animum Caroli Gustavi à pace alienum ostendendi. Etsi revera Legatus iste quisquis demum foret, Regi gratus admodum veniisset, utpote cui nulla plane libido erat impeditis Austriacis universam Catholicorum molem in se trahere, utut Galli, Anglique id cuperent, suum inde lucrum quæsituri, ipsi onerum immunes.

1658

Luzov.

§. 53. Sane quæ Gallorum mens foret, clarius patebat è responso, quod ad formulam fœderis à Biærnclovio & Lionnæo adornati è Gallia tunc remittebatur in hanc sententiam: Etsi omnes extra studia partium positi agnituri sint, Austriacos in Regem patratis pacem Germaniæ violasse, ac Bohemiam, Silesiam & Moraviam sub imperio Romano haut comprehendi, sed quia Leopoldus ex iis provinciis Svecos infestare cæperit hisce fas esse, sedem belli in easdem transferre; Regem Galliæ tamen ex Ordinum genio ac more aliter judicare non posse, quam eos istarum provinciarum invasionem pro rupturæ pacis habituros, Regesque aggressores esse, eoque beneficio pacis in Germania excidisse. Nec eidem è communi Regnorum re videri ita festinanter in bellum Germanicum ruere, in utrumque regnum insigni cum ipsorum incommodo revolvendum. Nam bellum in Germania auspicaturis opus esse, ut saltem majorem Ordinum partem sibi sociatum habeant

Galli destinatis sui Regis subtrahunt.

22 Maji.

Reges

1658. Reges uti Guſtavo Adolpho fiebat, qui ad defenſionem Ordinum tantum non evocabatur. Nunc aliam animorum diſpoſitionem reperiri, quod Catholici ac Proteſtantes, animadverſis Auſtriacorum circa ipſos dividendos artibus, inter ſe conſpirare cogantur, ſic ut Hiſpani frigidam licet ſuffundente Pontificis nuntio, Catholicos ad arma in Proteſtantes ſtringenda compellere haut potuerint. Quid quod iſthoc fœdus offenſivum contra Auſtriam alteri fœderi defenſivo cum Ordinibus repugnet. Hoc quippe reſpicere conſervationem pacis Weſtphalicæ, per prius novum in Germania bellum excitari. Hac porro facie rerum à Gallia vel deſtituendum Regem vel omittendos Ordines, hisque facultatem concedendam ſeſe cum Auſtriacis ſociandi. Cum autem Galliæ cordi ſit, pacem conſervare, & Ordines ſibi junctos retinere, in fœdus contra Auſtriacos deſcendere ipſam non poſſe, velut quo fœdus cum Ordinibus & ipſa pax deſtruatur. Accedere alias rationes ipſam Galliam aliosque Europæ Principes ſpectantes, quæ illam bello implicari prohibeant. Regem Galliæ quotidie ad pacem ineundam impelli, cui ſe pronum cum verbis tam ſancte conteſtatus ſit, aliud re ipſa jam oſtendi non poſſe, ni ſe invidiæ totius orbis Chriſtiani exponere velit, & cumprimis eorum, qui, cum rationes Regnorum ignorent, maximos tamen clamores tollunt calumniandis aliorum actionibus. Eſſe quoque id conſiderandum, quod Hiſpani quam maxime circa ſubruendam pacem Weſtphalicam laborent. Ad eum ſcopum ſi reges quoque operam conferant, eo ipſo Auſtriacorum commoda & cupita promoveri. Quas rationes Rex pro ſua prudentia expenderet. Sed ſi utique aliud fœdus placeat, id huic conditioni ſuperſtrui poſſe, ſi per Capitulationem Regnorum quærelis ſatisfactum non ſit, aut ſi electus Imperator legibus Capitulationis ipſe contravenerit. His quippe caſibus Galliam paratam eſſe junctim cum Svecia conniti, ut Cæſar adigatur ad præſtanda ea, quæ juſta ſunt, & legibus pacis conformia. Et tunc in partes quoque deſcenſuros, qui nunc Regibus fœdere pro tuenda capitulatione & pace imperii innectuntur. Hæ partes ſi negligantur Auſtriacis & Hiſpanis easdem acceſſuras, à quibus hactenus ſemper abhorruerint. Ad iſta Biærnclovius reponebat, Regi ſuo moleſtum fore, à Gallia cauſam nunc communem deſeri, cui conſtet, quam male cum ipſo tam in Polonia quam Germania à Leopoldo actum ſit. Sed tempus fore, quo Galliam pœnitudo ſubitura ſit, poſtquam magno ſuo cum damno deprehenderit, quam ruinoſo fundamento rationes ſuas ſuperſtruxerit. Porro Galli cum fœdere adverſus Auſtriacos ſubſidium quoque pecuniarium velut ex debito abnuebant, quod id inſtar violatæ pacis habiturum ſit. Sed obtentu veteris debiti &, reliquorum aliquid daturi erant, ac Lionnæus ultro annua centena uncialium millia offerebat. Enimvero haut obſcure pellucebat, id Gallos agere, ut rem integram retinerent, ac interim optarent, Regem cum Auſtriacis proprio Marte manus conferre, nullo cum Gallia nexu; quem & forte, ſi res ſecius caderet ſulturi erant, ne plane peſſumiret, prout è re ipſis videretur. Ac valde mordebat Regem, quod Lionnæus dixerat: Gallos Svecis carere poſſe, ſed non Svecos Gallis: Nam judicabat Rex, ſe quoque Gallis carere poſſe. Eoque ut Gallis ſcrupulum injiceret, Terlono dixerat, ſe Biærnclovium Viennam miſſurum Cæſari Regiam Boruſſiam pro Pomerania aut Boruſſia Electorali oblaturum. Cæterum Lionnæo Biærnclovius reponebat: cum adpareat, Galliam circa ſubſidia tam parcam eſſe, Regi ſuo nil aliud ſupereſſe, quam quovis modo cum Auſtriacis tranſigere. Ac perſpicere ſe, Auſtriacis in eo rem verti, quod ab Electoribus ad tractandum cum Rege cogi nolint. Sed Cæſarea Corona potitos ultro ad tranſactionem deſcenſuros. Id ſi fiat, Mazarinum parſimoniæ ſuæ pœnitentiam ſubituram. Ita quidem Galli rationes ſuas in Germania à Rege plane ſejungebant, contenti ſchedulam accepiſſe Capitulationi inſerendam cautionis in vicem, Auſtriacos non amplius copias in Flandriam miſſuros. Quanquam autem iidem litem Regis cum Auſtriacis privatam vocarent, laudabant tamen & probabant, ſi Rex ab iſtis illatas ſibi injurias ul-

1653. ciſci velit, quo dum iſte cum hiſce in Germania luctatur, ipſis eo facilius cum Hiſpanis bellum in Flandria ſit futurum, & quia decennale jam fœdus poſt pacem Weſtphalicam prope expiraverat, nulla amplius ſe obligatione Sveciæ teneri credebant. 1653.

Collegii Electoralis miſſo ad Reges.

§. 54. Interim Electores, cum Auſtriaci nonnihil remittere viderent, Legatos Collegii nomine ad Reges Sveciæ & Poloniæ mittunt pacis maturandæ cauſa. Etſi Moguntino, ut ejus miſſionis autor foret, hæc arcana ratio fuerat, ut per hanc moram ferocia Auſtriacorum & Hiſpanorum frangeretur, electione protracta, ac inde Leopoldo neceſſitas fieret ingentes ſumptus faciendi: ſimul ingruens è Svecia periculum & Polonorum atque Brandenburgici nutantia adhuc conſilia eundem compellerent, ad rationes ſuas cum imperii rationibus uniendas. Porro Carolum Guſtavum quidem adierunt Philippus Caſpar Beckius, Nicolaus Gerſtorfius Henricus Julius Blumius & Chriſtianus Erneſtus Caunius, qui Regi à Collegio Electorali literas tradidere, quarum ſumma erat, dolere ſibi inter ipſum & Poloniæ Regem bellum enatum, quod ni mature reſtinguatur, Germaniam quoque correpturum ſit. Cum autem ipſorum munus ſit, providere, ne quid detrimenti Reſpublica capiat, ſe rogare, ut non modo cum Polono in pacem proclivi, ſed & cum iis, qui eodem bello involvendi videantur Leopoldo & Brandenburgico Electore ſepoſita ante actorum memoria pacem reſtabilire velit, eadem iſti ſermone memorabant, addito ut provinciis imperii tranſitibus militum parcat, aut ſaltem ut illi ſint innoxii, & prout imperii leges requirunt, inprimis ut Rex Brandenburgici terris abſtineat. Ad quæ velut parum ad præſentem rerum conditionem facientia Rex ſat frigide, ac ſenſu ambiguo reſpondebat: per ſe hactenus non ſtetiſſe, quo minus pax cum Polonis fiat, ſed in cauſa eſſe Auſtriacos & Brandenburgicos, de quorum molitionibus multa querebatur, ac ſi per eos pax quoque imperii turbetur, ſe culpa vacare, ac eo nomine ad Dei & orbis judicium provocare. Doluerat inter alia Regi, quod ſuperior Circulus Saxonicus Polonis caviſſet exercitui Svecico tranſitum per ejus circuli terras haut amplius concedendum, habebant porro hi Legati & iſtud in mandatis, ut explorarent, num Regi animus ſit ſolam Auſtriam invadere, an vero totum imperium ob guarantiam pacis non præſtitam aggredi. Hoc quippe caſu decretum erat electionem properare, ac fœdus Rhenanum contra ipſum dirigere.

Berk Gerſtorf. Blumius Caunius.

Brandenburgicus.

Circa electionem Moguntini fundamenta. 22. 24.

§. 55. Aſt Leopoldus cum plerisque Electoribus pacem Poloniæ cordi eſſe videretur, è qua & Germaniæ quies pendere videbatur, jam declarabat ſe iſtam pacem promoturum, eoque fine Gallos ſequeſtres admiſſurum. Sed revera id agebat, ut oſtentato pacis ſtudio Electores demulceret, quoad diadema adeptus eſſet, inde prout rationes ſuæ dictarent facturus. Quanquam prævaluiſſent hiſce artibus Electores, ſi omnes ad eundem ſcopum concordi ſtudio conſpiraſſent. Inter ipſos Electores Saxo inſignem pacis amorem privatim ac publice oſtendebat. Quantum poterat connixus, ut Leopoldus ad æquas rationes adduceretur. Sed egregia ejus deſtinata intervertebant miniſtri quidam, ac inprimis Henricus Friſius, Auſtriacis Hiſpanisque plane addictus. Moguntinus, Colonienſis & Palatinus maſcule loquebantur, Brandenburgicus ambigue. Pegneranda converſatione Moguntini abſtinebat, Leopoldus quoque ac Archidux raro cum eodem congredi, Auſtriaci miniſtri, prout negotia incidebant, admodum frigide. Iſti Præſuli deſtinatum fuerat ita circa negotium capitulationis & electionis procedere, ut pax conſervari, omniumque actorum rationes proximis Comitiis univerſo imperio adprobari poſſent. Cæterum idem faſtigium Cæſareum in Auſtriaca Domo retinendum cenſebat, quod ea potens foret, ac locuples tantis ſumtibus ſuſtinendis, ac tegendæ Germaniæ contra invaſiones Turcarum ſimul tuendis ritibus Romanis. Nec in proclivi fore eandem tamdiu poſſeſſa dignatione dimovere citra ingentes tumultus, quos iſte quam maxime horrebat. Quod ſi tamen Collegis eadem ſententia ſederet, volebat iſte, ut electio perſonæ eſſet libera, nec ad primogenitum defuncti Cæſaris reſtricta velut ſucceſſionis jure. Tum ut electus Cæſar imperium gubernaret, juxta leges publicas, exterminato Hiſpanorum conſilio fœderumque nexu in fraudem Germaniæ tendente, ac ut Ordines

pro

1658. pro ſuo quisque jure in adminiſtratione Imperii conſulere & agere queant. Turbabat tamen honeſtum animum & egregia deſtinata Jeſuitarum aſtutia, ſcrupulos conſcientiæ injicientium, ac nonnulli conſiliarii Auſtriaco ſtipendio illigati, imminentem familiæ ipſius perſecutionem poſt ſua fata oſtentantes, infenſo inſuper Pontifice, cujus Nuntius omni modo invidiam ipſi conciliare nitebatur. Contra ipſe viciſſim, ut iſti ægre faceret, optare ſolebat Carolum Guſtavum ritui Romano addictum, tunc enim neminem ipſo potiorem fore adipiſcendæ Cæſareæ dignitati ac Pontifici ejusque curiæ reformandæ. Eum porro Præſulem fulciebat Joannes Chriſtianus Boineburgius, vir patriæ libertatis amantiſſimus inſigni prudentia ac eruditione, ac pro bono publico loqui & agere intrepidus, cujus iſto rerum articulo inſignis in rempublicam opera habebatur.

Circa fœdus Rhenanum conſiderationes.

§. 56. Moguntinus porro tunc actionibus ſuis præcipuum fundamentum collocabat in fœdere cum plerisque Principibus Rheno adſitis, quod velut gradus futurum erat melius formandæ communi pacis evictioni, ac in præſens mutuo fœderatorum firmamento. Id fœdus ſi Rex bellum in Imperio movere vellet, eidem noxæ potius, quam uſui futurum erat. Sed ſi Regi ſalva cum Imperio pace cum ſolis Auſtriacis certandum foret, è re videbatur, protinus eidem accedere, velut conſervationi pacis, & defenſioni contra turbatores inſtitutum. Et qui illud inituri erant, Auſtriacam potentiam minus formidabant, velut ab horum ditionibus diſſiti excepto Brandenburgico, cui in idem acceſſus non patebat, niſi poſtquam Regi reconciliatus foret. Simul hoc ipſo Gallia Sveciaque præcipuos ex utraque religione in partibus habituri erant, præter conjunctionem in hoc negotio in Comitiis pro libertate Ordinum fortius locuturos. Unde Moguntinus Biærnclovium urgebat, ut eidem & Rex accedere ne moraretur. Sed cum hic parum in fœdus affectaret, iſte lente moliebatur, cauſatus, prius ſibi Capitulationem inſpiciendam, num Inſtrumento pacis ac rationibus Sveciæ congruat, tum contendens, ut Provinciæ Regis Germanicæ citra exceptionem eidem includerentur. Qui lentor cum Moguntini animum non parum dejiceret, Biærnclovius extremam Regis ſententiam ſibi explorandam ducebat. Aſt Rex, quanquam fœdus id vel protrahi adhuc, vel in fumum abire maluerat, præſertim cum fœderati nullo modo præſentibus ipſius bellis miſceri vellent: tamen cum tot Principum vel ſterilem amicitiam repudiare haut è re videretur, Georgio Snoilſcio ut id ſubſcriberet, mandabat, ea cum exceptione, ut actio, quæ Regi in univerſum Imperium competebat ad exigendam guarantiam adverſus pacis turbatores ſalva perſiſteret. Tum ut Brandenburgicus eo fœdere excludatur, velut Auſtriacis innexus ad invadendas Svecicas provincias, cui deſtinato exequendo ſola occaſio defuerit, & quod pax Danica conatus ipſius anteverterit. Unde cum iſte jam revera hoſtium numero ſit, eo fœdere eundem in Sveciam obfirmari abſurdum erat, ſimul integrum Regi eſſe debebat ad præſtandam cautionem ipſum compellere. Ne tamen is ſolus notari videretur, placebat in univerſum illos excludi, qui quovis modo cum aliis Principibus fœdus adverſus Sveciam iniverint, aut adhuc inituri ſint. Etſi Brandenburgici peculiari cum Auſtriacis fœdere jam firmato, ultro ſeſe tractatibus hujus fœderis ſubducebant, cui & Auſtriaci quantum poſſent, reluctabantur. Cæterum eo fœdere excludebatur Pomerania ea lege, ut poſt finitum præſens bellum ea quoque provincia reciperetur, ſi Rex vellet. In quod Rex hactenus conſentiebat, ut id fraudi non eſſet guarantiæ, quam univerſum imperium circa Pomeraniam ipſi deberet. Declarabant quoque ſocii iſtius fœderis, ſe provincias Regis in Saxonia Inferiore & Weſtphalia ſitas defenſuros, ſi à Brandenburgico invadantur: ſed ſi Rex Brandenburgici ditiones in iisdem circulis ſitas ultro invaderet, ſe neutrarum partium fore. Simul Brandenburgico denuntiabant, ut iſtis ditionibus abſtineret. Poſt & Montecuculum in Holſatiam deſcendentem monebant, ne Albim tranſiret, ſimul copias in Saxoniam inferiorem ex fœdere debitas contrahebant, ſic ut id fœdus Regi futuro bello Bremenſem & Verdenſem Ducatum tutum præſtiterit. Cæterum cum jubente Rege Biærnclovius ſuper præſtanda

1658. Ordinum guarantia inſtaret, ſi cum Auſtriacis non conveniret, Boineburgius oſtendebat: Moguntinum jam Noribergæ, cum ſuper executione pacis ageretur, guarantiam perfecte adornare cupiiſſe, ſed alios obſtitiſſe, quibus haut expedire viſum Ordines armis inſtrui, aut qui periculo ingruente ſibi ipſis ſe ſufficere judicarint. Nunc Imperii corpore haut completo difficile fore, opus iſtud heic perficere. Fœdus tamen Rhenanum tantiſper iſti ſuccedaneum poſſe haberi, in quo & Galli rationes ſuas fundarant, etiam, Rege Sveciæ ei adſcribi recuſante, idem perfecturi.

Auſtriaci ſeſe promptos in amicitiam Regis ſe-runt.

§. 57. Inter iſta dum electio protrahitur, Auſtriaci moris amputandis cupidinem ſimulare inſtituunt, cum Rege Sveciæ in gratiam redeundi. Unde Curtius Boineburgio ſignificabat: ſe juſſum à Leopoldo indicare Moguntino, non ſuper amicitia ſolum, ſed & fœdere cum Rege Sveciæ actum iri, ſi huic videatur. Eam declarationem quare nunc expromerent Auſtriaci, in cauſa erat, quod electio hactenus ad hanc fere conditionem adhæſerat, ac fœdus Rhenanum jamjam perficiendum erat. Nec parum ipſos mordebat, quod Poloni iſtorum beneficia non ſatis æſtimare viderentur, ac odium pro gratia rependerent. Sed & Brandenburgicus fœdus quidem cum ipſis ratum habuerat, cum certa tamen exceptione, ſic ut metus eſſet, ne iſte iterum in Svecorum partes tranſiret, ſi idoneis id conditionibus fieri poſſet. Cumprimis autem fama de pace cum Moſco rationes eorum inſigniter turbaverat. Regi ea res gratiſſima fuiſſet, ſi ſerio Auſtriacis ageretur, ac ni pro antiquo more ſuo ſententiam ipſius explorare, & poſt omnia ſiniſtre interpretari inſtituerent. In eventum tamen Biærnclovio mandabat circa renovationem amicitiæ has conditiones ſtipulari, cum Auſtriaci ipſum in Polonia aggreſſi ſint, in poſterum eo abſtineant, copias ſuas inde revocatas exautorent; omnibus fœderibus contra ipſum initis renuntient, ſimul libertatem ipſi relinquant, rem in hoſtes ſuos gerendi, iſtisque ſe bellis ne immiſceant. Porro ut inſtrumentum pacis Weſtphalicæ ſtabiliatur, ac illa cumprimis quæ Sveciam tangunt, novas quaſi vires accipiant, eaque pax per certas cautionis leges conſervetur, utque Rex in Germania aliorum Ordinum jure fruatur tum circa alia, tum circa innoxios tranſitus, conducendique militis licentiam: ut quæ è pace Weſtphalica adhuc Sveciæ debeantur, citra moram præſtentur, inprimis ut Auſtriaci inveſtituram de Germanicis provinciis non amplius impediant, & mota obſtacula removeant: ut Svecia jure ſuo adverſus civitatem Bremenſem & collegium ibi Canonicorum potiatur. Ut vectigal ad oram Meclenburgicam ad liquidum deducatur, nec ejus ceſſio in dubium ab ullo revocetur. Denique quia Evangelicorum cauſa in Provinciis Auſtriacis apud tractatus Weſtphalicos ſat neglectim habita fuerit, ac ipſi hactenus ne hilum quidem favoris inſtrumento pacis promiſſi obtinuerint, interventione Sveciæ ac interceſſione Ordinum inſuper habita, hoc negotium quoque ſerio moveret, ſiquidem Auſtriaci lente circa hanc rem agant. Sed ubi alacriter ad finem properent, iſta peculiaria poſſe præteriri, & communi renovatione inſtrumenti pacis acquieſci. Quod ſi inter tractatus quærant Auſtriaci, num Rex Boruſſia ceſſurus ſit, & quodnam æquivalens deſideret, non niſi laxioribus verbis diceret, ea pace Regi potiſſimum ſecuritatem ſuam quæri, ac viciſſim interrogaret, quam Regem Poloni poſt fata Joannis Caſimiri creaturi ſint, Auſtriacum, an Moſcum: A neutro horum ipſum ſecuritatem ſibi poſſe promittere, ſed cum alio facile ſibi conventurum. Hanc quippe rem eſſe valde favorabilem apud omnes, qui neque Auſtriacos neque Moſcos Boruſſia potiri optent. Interea tempore extracto aliquid futurum. Quod ſi Auſtriaci circa retinendam Boruſſiam & tractatum maritimum ipſi favere velint, ſe viciſſim iisdem applauſurum circa retinendam Cracoviam & alia eo tractu loca: tum & ita ſe Auſtriacorum rationibus innexurum, ut fœdus Gallicum deinceps curaturus non ſit, ſinceram de cetero cum iſtis amicitiam culturus. Quod ſi Brandenburgicus partem Majoris Poloniæ pro Boruſſia ſua in penſationis vicem acceptare velit, arripiendum id eſſe, ſin minus, ne Auſtriaci Brandenburgicum contra Regem fulciant, ſed ſolum cum ſolo decernere patiantur.

1658.

Cæte-

1658. Cæterum uti Rex ſerio pacem cum Auſtriacis optabat, ita ad fœdus quoque cum iisdem ineundum paratus erat duntaxat contra Polonos Moſcosque aut etiam Brandenburgicum, non tamen adverſus alios amicos tam Proteſtantes, quam Catholicos, inprimis Gallos & Anglos, etſi à Gallis rationes ſuas ſeparare integrum ſibi duceret, ab iſtis inter dura deſtitutus. Et eos tractatus cum Auſtriacis Biærnclovius urgere jubebatur etiam ringente Gallia, aut etiam, ſi interim pecuniæ quid ſolviſſet, qua ipſam emungi piaculum non erat. Enimvero res ipſa oſtendebat, ſtudium concordiæ ab Auſtriacis eo duntaxat fine jactatum, ut electio acceleraretur, ad quam jam rui cæptum etiam Regis lite cum Auſtriacis nondum expedita. Ac jam hi Furſtenbergios Fratres beneficiis delinierant, ut Colonienſem Electorem ad ſibi cupita pertraherent. Premebat quoque pecuniæ penuria non Leopoldum ſolum, ſed & Electores, ut quisque domum reſpiceret. Contra Electionem protrahere nitebantur Galli, Sveci & Poloni. Ac Reyus quidem apud Saxonem de differenda electione inſtabat, quoad pax inter Polonos & Svecos confecta eſſet, inprimis quia Auſtriaci amicitiam & fœdus Moſci in fraudem Poloniæ affectabant. Nam iſti perſuadere Moſcis conabantur, ut eventuali ſucceſſione in Poloniam cederent, accepta viciſſim parte Lithuaniæ, ipſi coronam in fratrem Leopoldi Carolum Joſephum translaturi: quæ Poloniæ laceratio & libertati Nobilitatis & vicinis valde periculoſa habebatur. Nec ſegnius eam dilationem Biærnclovius urgebat, quoad Regi ſatisfactum foret adſtipulante Moguntino, Colonienſi & Palatino, cui ſi Saxo acceſſiſſet, res pervinci poſſe videbatur. Sed Auſtriaci ſerio cum Rege tractare declinabant. Equidem allatum jam erat Biærnclovio procuratorium, quod is ſtatim Moguntino, hic Curtio oſtendit, hortatus, ut hanc occaſionem amplectatur avertendo periculo, quod Auſtriacis provinciis immineat. Simul Biærnclovius literas Regis ad Moguntinum ſcriptas inter Ordinum legatos ſpargebat, è quibus multi anſam arripiebant Auſtriacos ad compoſitionem cum Svecis hortandi. Enimvero Auſtriaci jactabant: Biærnclovium per aſtutiam multa jactare de ſtudio pacis, cum tamen Sveco ſententia ſtet ipſorum ditiones invadere. Aſt Nicolaum Brahæum, qui Legatus à Rege Francofurti tunc expectabatur, alia poſtulata allaturum. Nam quo fine hic veniret, ſi Biærnclovio idonea mandata forent? Ita eo obtentu electio promovebatur, tractatus eludebatur. Inter hæc increbeſcens de reditu Regis in Germaniam fama exhilarabat pacis in Imperio ſervandæ cupidos, contra Auſtriacos non parum turbabat, quos & clades Hiſpanorum ad Dunquercam afflixerat, & nunc imminens à Rege bellum terrebat, abjecta jam ſpe Daniam iterum in bellum pertrahendi, non parum indignatos artibus Moguntini electionem hucusque productam. Cui & Pegneranda vehementer iraſcebatur, quod iſte dixerat. Electores nolle ab Hiſpanico Miniſtro Cæſarem creari. Unde & idem cum Boineburgio & Schænbornio Electoris fratri literas collybi dediſſet ad certam pecuniæ ſummam accipiendam, ſi Leopoldi electionem promoverent, poſt electionem eas literas repetebat. Moguntinum quoque Auſtriaci arguebant, Gallos & Svecos Francofurtum pertraxiſſe, ipſisque rationes ſuppeditaſſe electionem ſuffiaminandi, ſimul proxima hyeme, cum Rex tanta vi in Daniam rueret, Leopoldo diſſuaſiſſe, ne iſtum invaderet. Ita dum ceſſim eunt Auſtriaci, Moguntinum & electionem reſpicientes, Brandenburgicum quoque non potuiſſe Daniæ ſubvenire, ibique Svecorum potentiam frangere. Eoque revera Moguntinum in culpa eſſe, quod Svecus Daniam oppreſſerit, & nunc valido ſuccinctus exercitu imperium invadere paret. Quas tamen accuſationes Moguntinus facile à ſe amoliebatur. Idem & una cum Saxone Auſtriacos ad reconciliationem cum Svecis ſerio hortabatur, ſed qui iſta ſurda aure transmittebant, id in præſens præcipue agitantes, ut Flandriam exitio ſubducerent. Cui fini inſervitura erat ruptura pacis in Germania, quo Hiſpani deinceps citra obſtaculum auxiliis tam Auſtriæ, quam aliorum ibi amicorum frui poſſent. Ac ut iſti rupturæ eo ſpecioſior color foret, expectabant, ut Rex prior Brandenburgicum invaderet, quo ipſum agreſſorem ac pacis violatorem arguere poſſent. Quem ad

8. Jan. Rey. 15. Jan. 22. Jan. Brahe. Schardius 26. Jan.

1658. ſcopum præſentem rerum faciem ſibi valde opportunam judicabant, quod non ſolum de auxiliis Polonorum & Brandenburgici certi forent, ſed & ſperarent, Moſcos, Coſaccosque ſimul Danos Belgasque Svecicas ditiones invaſuros, ubi Rex primum bello Auſtriaco ſeſe immerſerit. Ac talia primarii ipſorum miniſtri citra diſſimulationem differebant. Auſtriacis porro ſuccinebat Trevirenſis, Bavarus & Brandenburgicus. Saxonis egregia deſtinata Henricus Friſius Hiſpanico auro emtus eludebat, qui usque eo domini ſui offenſam negligebat, ut cum is aliquando ſuffragium Saxonicum in conſeſſu Electorum recitaret, ipſe Saxo in diverſam ſententiam cum Colonienſi proxime aſſidente diſſereret, hoc animadvertente, ac miniſtri audaciam mirante, à Principis ſui mente diverſa proferentis. Unde Moguntini Colonienſis & Palatini ſalutaria conſilia numero ſuffragiorum elidebantur.

Electio præcipitatur.

§. 58. Interim Auſtriaci Brandenburgicos, qui hactenus Francofurti ambigue locuti fuerant, plane in ſuas partes pertraxerant, ſic ut majore ſuffragiorum parte citra controverſiam potirentur. Unde jam ferociter agere ac minas jacere, ni Moguntinus diem Electorum ingreſſui in conclave nuncuparet. Quin Leopoldus aulicis ſuis edicebat, ut itineri ſe pararent, velut Cæſaream Coronam parum curaret, & quia Francofurti tempus ſtudio extrahatur, ſe hinc abiturum, atque expectaturum, quoad diadema ultro cum precibus ſibi offeratur. Non dubitabat quoque Trevirenſis Moguntino in os dicere, ſi ipſe circa maturandam electionem tergiverſari pergat, ſe aſſumtis Collegis idem ſentientibus, ac Leopoldo Noribergam abiturum, ibique huic electo Coronam impoſiturum. Cui Moguntinus faceret, quæ omittere non poſſet, ſciret tamen, rationem ipſi eo nomine apud Imperium reddendam. Ac ſi Trevirenſis Noribergæ Leopoldum eligere audeat, ſe cum reliquis Francofurti Neoburgicum electurum: ac ſpem eſſe plerosque Ordines ſibi adſtipulaturos. Sane Carolus Guſtavus ut id fieret ſtimulabat, Neoburgico ſe omnibus viribus
29. Jun. adfuturum pollicitus. Sed defervescente iſto impetu demum in Collegio Electorali per majorem partem concludebatur, reliquis tamen non contradicentibus, ut ad octavum diem Julii electio fieret. Nec Galli amplius repugnabant, obtenta in Capitulatione cautela adquieſcentes, velut quæ inſervitura eſſet, Mazarini bello & actionibus populo adprobandis, & ut huic perſuaderet, pacem ſe cupere, ſed per Hiſpanos ea potiri non poſſe. Ac jam iſti diſceſſum adornabant, nihil pro cauſa Svecica locuti, Lionnæo ſeram in ſpeciem nunc operam offerente, ac inanes querimonias movente: diffidium Regis cum Brandenburgico omnem hactenus negotiationem alteraſſe, & quod apud Saxonem reſpectus boni publici parum valuerit. Significabat tamen injunctum ſibi confirmare Regi de ſubſidiis animis ducenties mille uncialium, ſi res in bellum eruperit, in quam ſummam etiam fœdus concluſurus ſit: Biærnclovio regerente, minimum octingenta millia ea lege expectari. 1658.

Extremus circa reconciliationem conatus.

§. 59. Cæterum Curtius non apud Moguntinum tantum, ſed & apud Saxonem declaraverat, Leopoldum non amicitiam ſolum, ſed & fœdus Sveciæ cupere. Quorum hoc Moguntino parum arridebat, velut qui nunquam Hiſpanis fidebat, ſed adverſus hos a Gallia & Svecia præſidium ſibi ſtructum ibat, eoque Carolum Guſtavum arctius innecti Auſtriacis nolebat. Unde Biærnclovius per Saxoniæ Electorem, ejusque miniſtrum Joannem Georgium Rechenbergium id negotium agere inſtituit, non quidem magna ſucceſſus ſpe, ſed ut Auſtriaci tanto magis de injuria convincerentur, ſi oblatam amicitiam tam pertinaciter recuſaſſent. Id negotium Saxo magno cum
1. Jul. ſtudio ſuſcipere videbatur, ac mox Biærnclovio ſignificabat, Curtium cum ipſo congredi ac tractare velle. Ita dies ſtatuitur colloquio inter hunc & Curtium, Octinganumque Comites habendo. Sed quia iſte multis ex indiciis judicabat Uladislaus Reyum Polonicum ablegatum de pace inter Sveciam & Poloniam maturanda inſtare, Franciſco Gieſio Cancellario Neoburgico
Gieſ. de iſthoc colloquio ſignificat, quo is Reyo clam de eodem panderet, ut hic ſtatim Warſaviam referret, ſuisque ſuaderet, ut circa pacem Auſtriacos prævertant. Ac confirmabat Lionnæus, Polonos paratos eſſe Regi cedere Livoniam, Curlandiam & Semigalliam, ſi modo Auſtriacos & Moſcos amo-

Rechenberg.

1658. 4 Jul. amoliri poſſent. Cæterum congreſſu Biærnclovii cum Auſtriacis nil aliud agebatur, quam ut ipſe cauſas belli Polonici enumeraret, hiſce parum cognitas, & plerasque auditione nondum perceptas, ac uti Brandenburgicus Elector menſe Februario Anno 1655. cum Rex de bello conſultaret, ſocietatem armorum contra Poloniam per Waldeccenſem Comitem huic obtulerit. Porro Regi neque in Svecia neque in Polonia animum fuiſſe Auſtriacos invadere, neque eum in finem fœdus cum Gallia habuiſſe, ſed integra ſibi omnia ſervaſſe, ut data occaſione Auſtriacis ſe jungere poſſet. Equidem ipſum non latuiſſe, Cæſari ſe ſuſpectum velut bellum huic inferre meditaretur, nec eam ſuſpicionem eximendi ullam fuiſſe viam, cum tamen eadem nullo fundamento ſubnixa, ac non niſi à turbidis hominibus alita fuerit. Quos inter non poſtremum locum ſortitus ſit Franciſcus Liſola, quem familiaris cum Razievio converſatio nihil amici agitare arguerit. Ac Anno 1656. duos literarum faſciculos Liſolæ inſcriptos in manus Regis incidiſſe, quos tamen hic aperire noluerit, ſed intactos eidem tradiderit. In iis faſciculis epiſtolam fuiſſe, qua Cæſar Joanni Caſimiro viginti militum millia auxilia promiſerit, ſi tractatus abruat. His literis acceptis Liſolam inſalutato Rege Elbinga Gedanum ſe contuliſſe, ac fatentibus ipſis Polonis inſtantes tractatus evertiſſe. Haut eo ſecius Regi ſemper conſtitiſſe propoſitum amicitiam cum Auſtriaca Domo colendi, ſi amotis inanibus ſuſpicionum paria cum ipſo facere vellet. Ita ſibi grata eſſe Auſtriaci teſtabantur, ac ſe ad Leopoldum relaturos. Eo congreſſu habito quidam Electorum cenſebant, electionem tantiſper ſuſpendendam, quoad id negotium 5. Jul. confectum foret. Sed Trevirenſis, Bavarus, Saxo & Brandenburgicus facto prius decreto inſiſtebant. Unde denuo Biærnclovius Collegio Electorali ſcriptum exhibebat, ac reſponſum flagitabat, tam ad Regis literas, quam ſuos libellos, ſed nullo cum fructu. Equidem dicebat Boineburgius, ipſum ſtatim poſt electionem in urbem reverti ac tractatus cum Auſtriacis auſpicari poſſe. Enimvero fumum iſti vendebant, ac faſſus erat Reyus, Auſtriacos ſibi caviſſe, quæcunque heic in gratiam Electorum ſimularent, ea fœderi cum Polonia & deſtinatis adverſus Sveciam fraudi non fore. Equidem ad libellum Biærnclovii Electores reſponſum conceperant, quod tamen Hanoviæ demum ipſi traditum fuit, quo ſeſe iſte ſub Electionis diem contulerat. Id reſponſum frigidum erat ac ambiguum ac mera ludificatio. Nec obſcure Leopoldi acta probabantur, & quæ in leges pacis ab iſto patrata fuerant, ſilentio involvebantur. Ita Electores cum pacem procurare in manibus ipſorum fuiſſet, jam per electionem autoritatem ſuam in eos transferebant, queis nihil minus quam par cordi eſſe videbatur. An autem deinceps aliqua compoſitionis ſpes ſupereſſet, rationes in utramque partem valentes ambiguum reddebant. Sane Auſtriacis, Hiſpanisque utut per clades non modicas ſubinde caſtigatis, ſupereſſe animum ſtruendi Monarchiam Europæ. Ordinesque Imperii ſub jugum mittendi, velut ejus machinæ fundamentum. Ac vix antea eos ſibi perſuaſiſſe, jus ſuum, quod prætendant, ad Coronam Cæſaream ita in animis Electorum radicatum eſſe, uti hoc interregno apparuerat, dum inſuper habitis Auſtriacorum ſecus actis, Ordinumque querelis Leopoldum Cæſarem nuncupant, prioribus nondum emendatis. Sed nec perſvaderi Auſtriacis poſſe Sveciæ rationes ullo modo ad ſumma Auſtriacorum deſtinata attemperari poſſe. Fiduciam quoque iisdem addere, quod jam credant, Polonos, Moſcos, Danos, Brandenburgicum, Belgas præſto ſibi eſſe ad Svecos Germania expellendos, adeoque abrumpendam Ordinum cum eo regno conjunctionem. Spem quoque eſſe inteſtinum Galliæ atque Angliæ ſtatum turbari poſſe, quo fulcro ſubducto Sveciam facili negotio ſubruendam. Has ob cauſas domeſticis licet rebus ſat languidis, ac florente exercitu Svecico oblatam Regis amicitiam parum curaſſe, ac congreſſum habitum magis Moguntini ſtudio, quam propria pacis cupidine. Non tamen deerant rationes, quæ ſpem aliquam compoſitionis alerent. Sane primam coitionem ſat bene ſucceſſiſſe, qua ſibi ſatisfactum fuiſſe Curtius apud Moguntinum teſtabatur. Qui & nil ſtudii eum in finem omiſſurus erat, quod eam ſibi ad Leopoldi

gratiam

1658. gratiam viam ſtrueret, pararium amicitiæ inter ipſum & Sveciæ regem fuiſſe. Ac modeſte diſſerebant Auſtriaci: nil ſe amplius à Rege cupere, quam ut conjunctim cum Polonis & Brandenburgico pax concludatur, nec Sveciæ rerum quidquam, nec Polonicam Coronam affectare, ſed ſecuritatem ſuam unice quærere. Sed & ipſam rerum neceſſitatem, ſtatusque ſui conditionem id exigere. Nam quod Francofurti longius progredi noluerint, cauſam fuiſſe, quod actionibus ipſorum Reyus & Brandenburgici imminerent. Diſcedentibus Francofurto Gallis Biærnclovius exprobrabat, ipſos heic proprias tantum res egiſſe, earumque fundamentum exiguam chartulam, & Electorum atque Ordinum gratiam ſtatuiſſe, poſtrema ſcriptione ne verbo quidem de Sveciæ ſatisfactione addito. Sane Grammondus triſtis ac pudibundus abibat, tanta vi pecuniæ in caſſum profuſa, niſi quod pauca verba Capitulationi inſeri curaſſent, ad demulcendam in Gallia plebem, & fidem eidem faciendam, Regem pacis cupidum, nec è mera libidine bellum gerere. Non prius tamen Moguntia confirmabant ſe diſceſſuros, quo ſe Francofurto conferebant, priusquam Carolo Guſtavo de conſtanti auxilio Galliæ cautum foret, quæ tamen hactenus tam jejuna ſpecimina ſuæ amicitiæ dederat.

Poſt recentiorem inanis labor cum novo Cæſare ſumitur.

§. 60. Quanquam autem Biærnclovius tam ſolicita opera Francofurti navata nil aliud obtinuiſſet, quam ut paucula verba ſat languida Capitulationi Cæſareæ inſererentur, ac ab Auſtriacis nil niſi bellum imminere videretur: Rex nihilominus id negotium nondum deponendum cenſebat, ſaltem ut moderationem & æquitatem ſuam Orbi adprobaret. Jubebat igitur iſtum, ſi certa ſpes ſucceſſus arrideat, Pegnerandæ opera uti, oſtenſo, quantopere Hiſpaniæ & Auſtriæ interſit amicitiam cum Svecia colere. Eamque Regis propenſionem declararet non in Leopoldum duntaxat, ſed & in Hiſpanos, apud quos ſi parem affectum reperiat, legationem in Hiſpaniam ſe miſſurum, arctius jungendæ amicitiæ. Quod ſi autem Auſtriaci iſta reſpuant, interpoſita proteſtatione Ordinibus, inprimis Palatino, Wurtenbergico, Haſſo, Brunſuicenſibus, aliisque iſtorum injurias demonſtraret, & quam præter ſuam culpam Rex in hoc diſſidium inciderit, & quid ab illis expectandum ſibi ſit, exploraret, ſaltem ut neutrarum partium maneant, ac delectus militum innoxiumque tranſitum ipſi permittant, ac inter ſe arma propriæ defenſioni parent. Enimvero poſt electionem facies rerum Francofurti plane immutata erat, Auſtriacis jam magna ſpirantibus, ac compoſitionem cum Svecia parum curantibus, præcipua fiducia in Moſcis & Belgis poſita, per quos Sveciam ſe attrituros ſperabant. Cum tamen Moguntinus inſtaret, ut tractatus cum Biærnclovio continuentur, quibus præſens tempus valde commodum ſit, Rege adhuc in Holſatia hærente, Curtius reponebat, haut perſuaderi ſuis, à Rege ſerio id agi, & cum Auſtriacis ipſi conveniat. Sed iſtum hoc tractatu tantum ſuſpicionem Polonis & Brandenburgico injectum ire, ac anſam præbere ab Auſtriacis ſe disjungendi, quo is totam belli molem in horum ditiones devolvere queat. Et quia Biærnclovii procuratorium ſolum Leopoldum ſpectet, Sverinus quoque Flensburgo ſat frigide dimiſſus ſit, ſatis adparere Regem Electori valde offenſum, ac utique manus cum ipſo conſerere ardere, quem deſtituere Cæſarem exiſtimatio, & aliæ cauſæ non patiantur. Alias Curtius iſte in hanc reconciliationem pronus erat, ſed ut Porciam in parem ſententiam adducere non valeret, una cum Archiduce & Schvvartzenbergio Hiſpanicæ factioni addictum. Nec ipſi Porciæ ad tam arduam functionem ſat ingenii, nec meliora ſuadentes ſequi norat. Ac ipſe Curtius prudentia licet, rectique amore in ea aula præſtantiſſimus, ſenio feſſus haut omnibus negotiis ſufficiebat, nec illis ſe opponere audebat, per quos Cæſaris gratia & beneficia diſpenſabantur. Sed nec apud Electorale Collegium in favorem Sveciæ obtineri quid poterat, majore parte refragante; Trevirenſi, Bavaro, Saxone, Brandenburgico. Ne quid Ordinum Deputati efficere poſſent Auſtriacum directorium impediebat, omnia ad libidinem ſuam vertere doctum. Evangelici tantum non Saxoni ſupplicabant, ut conſilia paci utilia capeſſeret, ſed cujus honeſtum ſtudi-

Sverin.

um

1658. am corrupti miniſtri plane eludebant, ſed & Curtius fœderis Rhenani ſocios minis juxta ac blanditiis permoverat, ne Pomeraniæ defenſionem adverſus Auſtriacos & Brandenburgicum ſuſciperent. Simul jactabat, Cæſarem nullo modo concedere poſſe, ut Sveci Boruſſia potiantur, è qua non ſolum Poloniam premere, & diſſidentes à Romanis ritibus fulcire, ſed & Auſtriacorum ditiones infeſtare queant. Brandenburgici quoque apud novum Cæſarem inſtabant, ut, quoniam Sveciæ Rex ipſum invaſurus ſit, avocatoria edicta promulget, ac Electorale Collegium ad auxilia ſibi ferenda promoveat. Adverſus quæ Biærnclovius libellum opponebat, quo Electorem injuriæ arguebat, nec penes Regem culpam extractæ pacis fuiſſe. Tandem congreſſum cum Biærnclovio iterum habebant Curtius, Oetinganus & Volmarus, qui de ſtudio Cæſaris in pacem ample teſtabantur, ſed ſummam difficultatem in nexu fœderatorum Polonorum & Brandenburgici verti, à quibus Cæſar disjungi nequeat. Excipiebat Biærnclovius, modo Cæſari ac Regi inter ſe conveniat, circa ſocios quoque viam inventum iri. Cæſarei ad hæc: modo norint, quid ſatisfactionis Rex expetat, tentaturos ſe num Polonos ad amplectendam pacem permovere poſſint. Nam Electorem nolle Svecos in Boruſſia pedem figere. Biærnclovius; ſi conſiderare velint, quam lubrica conſilia Brandenburgicus agitaverit, ſatis judicaturos, illum Boruſſiam commiſiſſe. Cæſarei nil aliud, quam meditaturos ſe ferebant, quæ ratio ipſis circa fœderatos ſuos ineunda ſit. Inde poſt mutuam teſtationem de ſtudio pacis diſceſſum. Ac videbantur iſti id potiſſimum quæſiviſſe, ut aliquid à Biærnclovio expiſcarentur. Quanquam enim de ſtudio Regis in pacem non inviti audiſſe viſi erant, per complures tamen dies de permutandis invicem procuratoriis mentionem haut faciebant, cum tamen ſerio rem à Rege agi ex adventu Nicolai Brahæi judicare poſſent, qui iſtis diebus Francofurtum Legatus advenerat. Sed præcipua cauſa, quæ iſtos ab hoc tractatu retraheret, videbatur, quod metuerent, ne Poloni & Brandenburgicus ſuſpicione exinde perfuncti compoſ-

30. Jul.

21. Jul.

tionem cum Svecis occuparent, ipſique tunc ſoli deſtituerentur. Id quod Curtius palam jactabat. Ad quæ Biærnclovius reponebat; ſi Cæſari reconciliatio cordi ſit, eum metum ſupervacuum eſſe. Nam Polonos propriis viribus non ſubſiſtere, ſed tutoribus opus habere. Ac ſi Auſtriaci heic tranſigant, Polonis neceſſum fore acta reverenter probare. Nec eſſe, quod Cæſar Brandenburgico facta promiſſa reſpiciat. Friderico Jenæ id familiare dictum: Principes non diutius pacta ſervare, quam ipſis commodum ſit, Curtius pollicebatur, ſe cum Cæſare Herbipoli plura hac de re locuturum. Idem Boineburgio dixerat, ſi Electores initio Electionis Leopoldo pacem cum Sveco velut conditionem adpoſuiſſent, illi eandem neceſſario amplectendam fuiſſe, plauſibili prætexto apud Fœderatos, velut coacto. Sed poſtquam Electores eam occaſionem neglexerint, amiſſo quoque jam apud Fœderatos eo colore, cautius deinceps ipſi agendum, ne fœderatos inter res anguſtas deſtituiſſe, ac ſua commoda unice reſpexiſſe, arguatur. Inſtabat quoque tunc Brandenburgicus apud Cæſarem de avocatoriis in Regem Sveciæ edictis promulgandis qui id ad Collegium Electorale rejiciebat, cui tamen ſatis conſtabat, Regem transactionem cum Auſtriacis enixius quæſiviſſe, quam forte dignitatem ipſius decebat. Nec eo minus pro iſtis publicandis ſuffragia ferebant Trevirenſis, Bavarus, Saxo & Brandenburgicus, ut tamen eadem laxioribus verbis conciperentur adverſus omnes illos qui ſtipendia mererent apud aliquem, cui bellum in quempiam ex imperii Ordinibus dirigeretur. Contra tendebant Moguntinus, Colonienſis & Palatinus his rationibus adductis, quod avocatoriis, licet eo modo conceptis ſolum Sveciæ Regem tangi cuivis pateat, velut quæ Brandenburgicus ſolus deſideraverit, nec cuipiam in imperio controverſiæ quid ſit, quam ipſi cum Rege Sveciæ. Hunc autem ejusmodi edictis notari par non eſſe, qui paci & compoſitioni ſe obtulerit. Nec conſtare ſibi, quis injuriam fecerit, & aggreſſor vocari queat, cum Brandenburgici ipſis cauſas diſſidii haut demonſtraverint. Regem æque inter Ordines imperii cenſeri, quam Brandenburgicum, ac iſtum queri, ab hoc

1658.

Wirtenberg.

Digitized by Google

1658. fœdera in ipſum velut ejusdem Reipublicæ participem inita ad invadendas Sveciæ provincias Germanicas: ſic ut edicta verbis laxioribus concepta magis in favorem Regis, quam Electoris ceſſura ſint. Denique ejusmodi concluſa pro legitimis haberi non poſſe, cum Brandenburgicum ea res tangat, eoque idem ſenatu exeſſe, nec in propria cauſa ſuffragium ferre debeat. Haut eo minus tamen quatuor iſti ſuæ ſententiæ inſtitere, ac concluſum velut majoris partis ad Cæſarem retulerunt. Cæterum voluerat Cæſar per octo adhuc dies Francofurti morari. Sed cognito Brahæi adventu propere inde movebat ad declinandos cum Rege tractatus, jactans, ſibi hactenus ab uno Sveco ſat impedimenti & moleſtiæ datum fuiſſe, nunc alterum accedere, qui ſine dubio nova negotia faceſſiturus ſit. Ita Cæſar Francofurto diſcedebat, antequam iſte commiſſa ſibi proponere poſſet, 25. Jul. eadem cauſa ex urbe abitum feſtinandi erat Trevirenſi, ne in Collegio Electorali amplius ſuper negotio Svecico conſultari poſſet. Unde tradebantur quidem literæ Regis ad Collegium Electorale & Deputatos, addito prolixo libello, uti Rex reconciliationem cum Domo Auſtriaca fruſtra quæſiverit, annexa proteſtatione, ac ut Ordines guarantiam pacis Regi præſtarent. Id ſcripti quidem Ordinibus communicatum, ſed neque in conſultationem deductum, nec decreti quid ſuper eo conditum, Electoribus in procinctu ſtantibus & Deputatorum congreſſibus ad Octobrem usque menſem prorogatis. Id ſolatii tunc Carolus Guſtavus ab Ordinibus imperii retulit. Nonnullum operæ precium in fœdere Rhenano fuit, ad quod perficiendum magnopere incumbebant Moguntinus & Colonienſis, præſidio adverſus Cæſarem ſibi circumponendo. Regi vel eo nomine id non inutile erat, ut aliquot è Catholicis in partibus ſuis haberet. Id demum Moguntiæ abſolutum, Cæſareis nequidquam obluctantibus, cui nomina dederant Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Neoburgicus, Monaſterienſis, Rex Sveciæ velut Dux Bremenſis Verdenſisque & Dominus Wismariæ, Duces Brunſuicenſes & Landgravius Caſſellanus Scopus fere-

1658. batur ad defenſionem ſuarum ditionum adverſus hoſpitia, tranſitus, exactiones & injurias militares. Regis Sveciæ provinciis excepta Pomerania defenſio promittebatur, ſi invadantur, non autem ſi Rex ditiones Brandenburgicas in Saxonia Inferiore aut Weſtphalia invadat, eoque nomine iterum impetatur, tunc enim fœderatos neutrarum partium fore. Eam autem ob cauſam fœdus id inviſum erat Cæſari, quod per id amica communicatio inter utriusque religionis Ordines aleretur, quibus eo inito animus acceſſurus erat ad miſcenda conſilia pro conſervanda libertate & Juribus adverſus Auſtriæ & Hiſpaniæ deſtinata. Sane à tempore ſacrorum reformatorum in Imperio exemplum conjunctionis inter Catholicos & Evangelicos haut extabat. Quanquam nec hic facultas defutura erat eam conjunctionem divellendi, dum Catholicis pro more ingeritur, quicquid à Proteſtantibus ſuſcipiatur, ad extirpationem religionis & curiæ Romanæ tendere. Cæterum & Regis juſſu Biærnclovius apud Moguntinum proteſtationem interponebat, quod Regi non integrum ſit inveſtituram feudorum à Cæſare accipere, niſi antegreſſa reconciliatione, quod indignum foret illi fidem jurare, qui arma contra gerat, ac par eſſe Regem prius beneficio pacis tam intra quam extra imperium frui, quam fidem ſuam eidem obſtringat.

§. 61. Aſt Gallis, cum poſt electionem ægre viderentur ferre Biærnclovii cum Cæſareis colloquium, hic demonſtrabat: Sveciam poſt pacem Weſtphalicam circa hancce velut amicitiæ fundamentum conſervandam cum Gallis conſilia ſemper communicaſſe, & quia Ferdinandus III. non pauca iſti paci repugnantia tam adverſus Galliam, quam Sveciam patrarit, Regem Galliæ Avaugurio mandata dediſſe, ſuper arctiore fœdere contra Auſtriacos pro tuenda Weſtphalica pace, qui cum & Miniſtri Svecici Elbingæ tractatus orſi ſint. Inde ſecutum eſſe, ut, cum Joannes Caſimirus Avaugurio, circa conciliationem pacis Polonicæ ſatagenti, objiceret, Carolo Guſtavo pacis tractatus cordi non eſſe, ac potius ipſius rationes belli continuationem exigere, hic reſponderit:

Cum Gallis poſt electionem actæ.

10. Aug.

1658. derit: esse sane isti causas bellum in Austriacos gerendi. Unde hisce opinionem enatam, velut Rex fœdere in ipsos inito hostilia meditetur, quæ nullo modo iisdem eximi potuerit. Post Ferdinandi fata, & Leopoldi in Poloniam irruptionem Regem damnorum & injuriarum sibi illatarum reparationem quæsivisse non armis, sed per amicam transactionem. Sed facile perspectum, ni Reges operam jungant quærendæ reparationi, in eventum sequiorem certo fœdere inito, apud Ordines Imperii parum, apud Austriacos nihil effectum iri. Unde initio Legationem Gallicanam ad utrumque paratam se declarasse, sed ad extremum rationes suas superstruxisse qualicunque cautioni Collegii Electoralis, fœdere & conjunctione armorum sepositа. Quin nec agnoscere voluisse instrumentum pacis ab Austriacis per arma in Poloniam translata violatum, eamque privatam Sveciæ litem esse, nec se eo nomine ad guarantiam teneri. Id exemplum se quoque secutum, & libellis memoralibus rem egisse. Unde secutum sit, ut Electores regnorum causam disjungere, ac Galliæ prius satisfacere instituerint, neglecta Svecia. Verba quidem Legatos pro Svecia interposuisse, sed quibus majus pondus futurum fuerat fœdere concluso. Inter istas Austriacorum tergiversationes Gallis duas vias fuisse propositas, fœdus, & pecuniam absque fœdere. De utroque spem factam, neutrum secutum. Igitur quomodo Sveciæ vitio vertendum, quod cum Austriacis transigere quæsierit? Ac videri Gallos optare, Regem bello Austriaco implicari nullo ipsorum sumtu, ut his districtis occasio sit Flandriam pro lubitu insultandi. Enimvero Regis alias rationes fore ineundas. His commoti Galli formulam fœderis proferebant, antehac jam ostensam, qua non plus offerebant, quam ducenta uncialium millia annua, ac si his contentus esse Rex nequeat, addebantur alia ducenta millia nomine residuorum ex priore fœdere in triennium ea lege, ut Galli Svecis syngrapham dare velint, se hisce sexcenta adhuc millia veterum subsidiorum debere, intra triennium exsolvenda. Vicissim Sveci Gallis scripto declararent, hos ipsis nihil debere, eoque sexcenta illa millia gratuitum subsidium fore, nec pacem concluderet Rex non præscia & consentiente Gallia, ac facta pace id subsidium gratuitum cessaret. Addebant, Regem Galliæ examinari jussisse prætensionem Svecorum in residua, eamque jure nixam haut invenisse. Eo tamen vocabulo residuorum uti velle, ut color sit auxilio adversus Austriacos subministrando. Quæ dura licet à Biærnclovio haut plane respuebantur, quod optaret Gallos citra obligationem reciprocam pecunia posse emungi. Et quia Cardinalem à pecunia Svecis danda tum exprobrationes Pontificis, tum propria tenacitas retrahebat, Rex integra sibi omnia cum Austriacis servare cupiebat, ut occasionem cum his transigendi arripere, si offerretur, aut eo cuneo Gallos ad repræsentanda auxilia compellere posset. Sed discedentibus in Galliam legatis ea negotiatio inanis fuit.

Judicium Cæsareorum de renovato per Regem bello Danico.

§. 62. Inter hæc cum de expeditione Regis in Selandiam Francofurtum nuntiaretur, Volmarus quidem hactenus gaudebat, Regis arma ab Austriacis terris aversa esse, addebat tamen, amicis juxta atque inimicis incumbendum, ne Svecus Dania & Norvegia potiatur. Cum quoque Moguntinus paulo ante electionem Leopoldum ad compositionem cum Rege urgeret, Curtius fatebatur, istius demonstrationes solidis rationibus niti, ac utilem Leopoldo esse Sveciæ amicitiam. Sed cum expenderetur quo tempore ea reconciliatio fieri deberet, utrum statim & separatim à Polono & Brandenburgico ad avertendam Regis expeditionem à provinciis Austriacis, an vero conjunctim cum istis, & alio quam Francofurti loco, dicebat Curtius: Austriacos Carolum Gustavum longe prudentiorem judicare, quam ut præsenti Daniæ statu, eoque Danorum agendi modo isto regno excedat, ac alio se bello immergat, nisi Dania prius oppressa. Interea dum hoc peragitur, sat occasionum sibi fore adornandæ cum Svecia adjunctis suis sociis reconciliationi. Nec inficiabatur, atrocia in Sveciam consilia Hafniæ tunc agitata fuisse, quæ Austriacis animum addiderint, ut oblatam amicitiam adspernarentur. Sed & Cæsarei accepto Lincii eodem nuntio valde gaudebant, tamdiu extra periculum se esse, quamdiu bellum in-

1658. Dania duraret. Porro quia exigua ſpes erat, Francofurti cum Auſtriacis tractandi, Rex Nicolaum Brahæum inde revocabat, quod nec neceſſarium, nec è dignitate eſſet, duos legatos ibi agere. Biærnclovium tamen aliquantiſper ibi ſubſiſtere juſſit, ut ſi occaſio tractandi offeratur, præſto ſit, ac ubi forte Deputatio menſe Octobri reviviſcat. Tum ut effectum fœderis Rhenani urgeat, ſi hoſtis provincias eodem comprehenſas invadere inſtituat. Poſt id tempus Biærnclovius ſemel extra urbem cum Volmaro è condicto congreſſus eſt, ubi de ſtudio pacis utrinque verba, ac Regem cum Cæſare ſuper negotio Polonico conventum. Id quod Volmarus ad Cæſarem ſe relaturum pollicebatur. Addebat: Francofurti rem ad tractatus fuiſſe deducendam, ni Galli Reyum inſtigaſſent, ut interpoſitionem Gallicam tam acriter urgeret, quæ ab Auſtriacis admitti nequeat. Ad Volmari tamen relationem ex aula reſponſi nil allatum, ac ad arma potius omne ſtudium converſum, Brandenburgico cumprimis non ſine minis conjunctionem Cæſareārum copiarum expoſtulante ad expeditionem in Holſatiam ſuſcipiendam, circa quam Montecuculus primum tergiverſabatur. Conjunctis copiis vocabulum exercitus imperii indebatur, cum tamen publicis ſcriptis profiterentur, arma ideo ſumta, ne Regi Sveciæ plus potentiæ adcreſcat: etſi teſtarentur, ſibi haut animum eſſe provincias Regis Germanicas invadere. Tum & edicta advocatoria publicabantur, Biærnclovio contra apud Moguntinum, Colonienſem, Palatinum, utrumque Landgravium & Brunſuicenſes inſtante, ne in ipſorum ditionibus affigerentur, quod nihil aliud ſint, quam indictio belli inconſultis Ordinibus à Cæſare adverſus Capitulationem ſuſcepti. A Rhenani quoque fœderis ſociis literæ ad Cæſarem & Brandenburgicum dabantur, ut terris Svecicis in Saxonia Inferiore ſitis abſtinerent.

Cum Brandenburgico acta.

§. 63. Inter Regem atque Brandenburgicum Electorem offenſæ indies gliſcebant, prout inter eos ſolet, qui abrupta amicitia in hoſtilitatem vertuntur. Ac eo acrius defenſioni ſuæ adornandæ incumbebat Elector, quo magis terræ ſuæ Svecorum invaſionibus repoſitæ forent, durius ſe à Rege, ubi hic prævaleret, habitum iri metuens, velut à quo amicitiæ violatæ inſimularetur. Sane Rex offenſam in ipſum apertius exſerebat, dedignatus aliquid cum ſubmiſſionis aut timoris ſpecie facere ad ejusdem amicitiam recuperandam. Sub finem anni ſuperioris navigium Svecicum pulvere bellico onuſtum Pillavienſi in oſtio adpulerat, quod cum obſtante glacie Elbingam pervenire non poſſet, Laurentius Lindanus à præfecto Pillaviæ petebat, ut ejus navigii protectionem adverſus aliorum vim interim ſuſciperet. Eo prætexto caſtelli præfectus ipſe manum eidem injiciebat. Quo nomine compellatus Princeps Radzivilius Boruſſiæ Gubernator id defenſionis cauſa factum excuſabat, ut tamen relaxare ſe iſtud poſſe negaret. Rex iſto Lindani facto valde indignabatur, quod pulverem non in Neringam exponi, aut navigium retro vertere curſum juſſiſſet, cum ſatis noſſet, à Brandenburgicis parum amici amplius expectandum. Nam eo facto intempeſtive cum Electore collidi poterat, cum id diſſimulatione transmittere parum deceret. Et hactenus infenſa licet animo volvens Elector nondum in hoſtilia palam eruperat; Temperandum tamen ſibi judicans Rex per miniſtrum in aula Electorali redditionem pulveris poſtulabat, & quo iſta detentio ſpectaret, exquirebat. Ad quod reſponſum: eum pulverem cuſtodiæ cauſa in caſtellum comportatum, ubi requiratur, reſtituendum. Cæterum ſubtrahendos ſibi ſexaginta centenarios, quos ipſe quondam Novadvvori Regi mutuo dederit, nondum receptos. Quod ludibrium eo magis Regem urebat, quod ipſe Electori tradita Posnania longe ante ejusmodi materiæ conceſſiſſet. Nec tanti eam rem eſſe, ut ſtatim ad repreſalias ſit recurrendum. Sed majoris momenti erat, quod tunc in Sveciam fœdus Leopoldum inter Hungariæ Regem & Electorem Berolini cuderetur. Ibi initio quidem Leopoldus, cum pro candidati modeſtia pacem ita publice infringere non auderet, defenſivum fœdus ſuadebat. Sed quia Electori media conſilia diſplicebant, ſimul legatus Danicus Detlevus Alefeldius ruentes Daniæ res molli brachio haut fulciri jactaret, fœdus offenſivum & defenſivum fuit properatum.

Cujus

1658. Cujus ſumma eo ſpectabat, ut intra menſem à die ſubſcriptionis Regi Daniæ cum exercitu, triginta duobus millibus bellatorum conſtante, ſubveniretur, quem ipſe Elector ſummo cum imperio in Holſatiam deducturus erat. Addebatur tamen proteſtatio, utut poſtulante Rege Poloniæ bellum in Provincias Sveciæ Germanicas ſit transferendum, velut armorum in ſocios ſeminaria, non tamen fœderatis animum eſſe, ullo modo pacem Imperii turbare aut violare. Et eminebat tunc ardor Electoris quamprimum rem gerendi, antequam Daniæ letalis plaga inferretur, cum Auſtriaci lentius molientes Daniam ſub cultro relinquerent. Inter hæc tamen non minus amicitia verbis jactabatur, ac Otto Sverinus ad limitem provinciæ
9. Jan. proficiſcebatur cum Slippenbachio collocuturus, de quo iſte Leſſinio & Danico miniſtro indicabat, ſuſpicioni adimendæ, confirmans, id nullum aliu-
9. Feb. um finem ſpectare, quam ne Svecis occaſio ſit querendi, Electorem à pace abhorrere. Rex contra, nondum liquido glacialis expeditionis eventu, Slippenbachio injungebat, de ſua erga Electorem amicitia confirmaret, modo hic ita ſe gerat, prout leges medii ſtatus bona fide culti, vetusque cum ipſo conjunctio ac publicum, reique Evangelicæ bonum requirat. Aſt Slippenbachius ex ſuo potius judicio quam Regis præſcripto loqui & agere ſvetus, iſto congreſſu multa jactaverat, de quibus Regi in mentem non venerat: quæ velut rebus ſuis noxia, ut is retractaret, Rex non parum offenſus imperabat. Interea pax Danica Berolini nuntiata non modicam conſternationem excitaverat. Igitur ne quid repente ſuſciperetur Sveciæ noxium, Slippenbachius, qui in Pomerania agebat, Chriſtianum Habbæum Berolinum miſit, ut Electorales inani ſpe lactaret, quoad Regi occaſio foret poſt impletam pacem Danicam toto cum exercitu movendi. Apud quem Electorales viciſſim differebant, neceſſitate ſe compulſos ad talia, quæ Regi diſpliceant, nec cujuspiam agitare offenſam, cæterum, ut ſuæ defenſioni invigilent, à nemine vitio ſibi datum iri. Optari à ſe pacem Regis cum Polonis & Auſtriacis. Nam in Polonia bellum geri non poſſe, niſi ut ſua quoque Boruſſia tangatur. Quod ſi in Sileſia & Bohemia bellum Svecis proſpere ſuccedat, metuendum eſſe, ne hi Colbergam in præmium belli ſibi ſtipulentur, Electori cura relicta æque pollens ſibi circumſpiciendi. Ubi res male ab iisdem geratur, ſedem belli in terras Electorales devolutum iri. Apparebat tamen, ipſorum conſilia vacillare, ac metum eſſe, ne fœderatis ſuis ſuſpicionem moverent. Confirmabant tamen, nihil ſummam rerum tangens adverſus Regem ſuſceptum iri, ac ſibi cum lupis ululandum, & ſæpe falſa ſtudio ſpargi, ut uni vel alteri ſatisfiat. Contra Rex de amicitia Electoris ita ſibi caveri cupiebat, ut per Pillaviæ & Memelæ oſtia, ac ſi neceſſitas exigat, per ipſius terras tranſitus liber ſit, pulvis ablatus reſtituatur, edicta avocatoria antiquentur, delectus Svecici ne impediantur. Tum ut inita contra Regem fœdera aboleantur, Electorque operam det, ut iſte tuta pace & ſatisfactione à Polonis potiatur. Nec Regem repugnaturum, quo minus & Auſtriaci operam ſuam interponant conciliandæ paci Polonicæ, ſi absque dolo rem tractare velint; Sed ſi Auſtriaci infeſta in ipſum machinari pergant, Polonosque obfirment, Electori ſecum fœdus incundum, ac junctis viribus operam navandam, ut bellum Polonicum utique, prout indolos heſtium fert, componatur. Eo caſu Electori in promtu fore ſupremum Boruſſiæ imperium, cum Warmienſi Præſulatu juxta priora pacta obtinere. Quod ſi tamen Elector ſerio Regi velit jungi, legatos ad hunc ab ipſo mittendos. Nam ut Rex legatos ultro mitteret ad eum, qui hoſtibus fœdere junctus erat, parum decere videbatur. Tanto ægrius ferebat Rex, quod Slippenbachius ſuo in juſſu poſt Prentzloæ cum Sverino congreſſus eſſet, ubi inter alia is de permutatione Pomeraniæ ac tradenda Pillaviæ, Spandoæ, magnaque exercitus parte jecerat non ſine graviſſima Regis offenſa, quod ejusmodi inconſiderati ſermones magnam ipſi ſuſpicionem atque invidiam excitarent, ac Elector iſtis minis perſtrictus fœdus cum Rege Hungariæ concluſum ratificare properaret. Inter iſta literæ propria manu ab Electore ſcribebantur, multam amicitiæ ſpeciem pro ſe ferentes. Quibus haut diſpares à Rege reponebantur. Nec

1658. tamen ad eum modum facta ipsa erant. Pulvis Pillaviæ detentus non reddebatur, postulante ministro Regio Wolfsbergio. Color dicebatur, propter pacta cum Polonis eum restitui non posse, pretium tamen solvendum, quanti Regi constiterit. Omnes quoque delectus extranei in Electoris ditionibus prohiberi, avocatoria edicta promulgari, transfugæ foveri, Regis denique actiones tum apud alios passim, tum præcipue apud Jepsonum legatum Anglicum suspectæ reddi. Unde cum Regi non amplius è dignitate videretur, Wolfsbergium in Electoris aula agere, istum digredi inde jussit, obtentu negotii apud Augustum Præsulatus Magdeburgici Administratorem expediendi. Eidem injunctum aliquantisper Magdeburgi subsistere, firmandis ibi civium animis, qui nuper Regem oraverant, ut pro ipsis apud Electorem intercederet, ne ad homagium quod juribus suis adversum arguebant, compellerentur. Quanquam autem Regi haut consultum videbatur alibi districto, & exercitu suo absente, ea intercessione suspicionem Electori injicere, tamen cum metueret, ne ubi in bellum res eruperit, præsidium ab isto urbi imponeretur, ut sibi cives caverent, monendum ducebat, promisso quoque suo auxilio, si vis admoveatur. Nam in casu belli cum Brandenburgico Regis quam maxime intererat, eam urbem in potestate habere. Halam inde profectus Ducis Augusti animum tentaret, num orto bello in partes Regias transire placeat, & num quid operæ pretium per se suosque facturum se confidat, ostentata in præmium ditione Magdeburgica jure perpetuo possidenda. Dehinc reliquos Saxonicos Duces ac Luneburgicos adiret, obstiturus, ne Brandenburgico assistatur, neve copiæ publicæ Inferioris Saxoniæ, quod tunc agitabatur, ad Regis iter impediendum contraherentur.

Brandenburgici legati irriti discedunt.

§. 64. Regi porro uti magna cura fuerat amicitiam cum Austriacis instaurandi, ita circa Brandenburgi, cum Electorem haut quidquam par studium erat. Nam bello adversus Polonos continuato istius terris haut ita libere uti poterat Rex, si Elector amicus foret. Et quia amicos istius Principis penitius inspexerat premendum censebat eundem, ne glisscente potentia Svecis formidabilis fieret, de quo & Rex ominari solebat, ipsum nunquam quieturum, sed semper quæsiturum, ut ipsi successoribusque quovis modo noceat. Tum & plenum Maris Baltici Imperium affectanti Electoris ditiones huic mari adsitæ obtinendæ erant, quibus adquirendis nulla nisi per arma via patebat. Et quia spes erat bellum Danicum, quod jam meditari cæperat, brevi patrandum, inde tota vi terra marique istum obruere parabat. Adversus quam tempestatem uti Elector fœderibus sese munierat, ita cum Slippenbachius Prentzloæ Sverino congressus vehementer suasisset, ut ipse obviam Regi profectus alio eum avertere tentaret, antequam in Electoris terras cum exercitu irrupisset, eam legationem haut omittendam Elector censuit. Adiere igitur Regem Flensburgi tunc agentem ab Electore missi Otto Sverinus & Daniel Weimannus, qui facta legationis suæ fide audiri ab isto postulabant. Præsumserat Rex animo ab hisce proponenda, ut nempe ad cedendam Borussiam ipsum hortarentur, ni postulato annuat, minas sparsuri, aut bellum indicturi. Quæ sibi in os dici indignum censebat. Suberat & arcana causa, ut quo apertius offensam adversus Electorem expromeret, eo magis Danorum suspicio averteretur, velut ipsis infesti quid à Svecis immineat, cum Rex irarum manifestus in Electorem rapi videretur. Unde placuit Regi, antequam Legatos audiret, his per deputatos nonnulla proponere, per quæ suæ de isto querelæ demonstrarentur, & ad eas abolendas via muniretur, simul ut Electoris inclinatio, legationisque scopus exploraretur. Et quia commodum Domus Luneburgicæ & Landgravii Cassellani legati tunc Flensburgi aderant, queis præcipuum negotium erat, concordiam inter Regem atque Electorem reducere, visum Regi fuit, hos deputatorum propositioni adesse, velut testes animi sui in amica & æqua omnia proni, ac ne forte Brandenburgici dicta inficiarentur aut detorquerent, si absque arbitris congressus fieret, operam dein suam negotio com-

ponen-

1658. ponendo accommodaturos. Aſt legati Brandenburgici ejusmodi congreſſum antequam à Rege auditi forent, abnuebant, velut rem exemplo carentem, ac nil aliud, quam ut à Rege audirentur, poſtulabant. Regi contra mirum videbatur, iſtos Delegatorum ſuorum propoſitionem audire nolle, ſibique tractandi modum præſcribere audere. Eoque ſuæ ſententiæ immotus inſiſtebat, quod non ex dignitate videretur, illos ante admittere, quam declaratum ſit, hoſtis, an amicus Elector eſſe velit, ne forte ſibi bellum ab iſtis in eos indiceretur, Idque legatis ſcripto ſignificabatur. Sed hi ejusmodi congreſſum recuſare, præſertim Luneburgicis & Caſellanis arbitris. De quibus in colloquio adhibendis etſi Rex remittere vellet, haut eo minus iſti nulla ſignificatione facta, nec ſalutato quopiam ſummo mane iter Hamburgum verſus ingreſſi ſunt. Præſenſerat Slippenbachius iſtos ejusmodi diſceſſum animo agitare. Unde ſcripto eosdem monuerat, ut negotium id penitius expenderent. Nam ideo Regem ſuper admiſſione ſcrupulum moviſſe, quoad fidem fecerint, idonea ſe facultate inſtructos amicitiam inter Regem & Electorem inſtaurandi. Citra hoc Regi conſtare non poſſe, quo modo recipere ipſos debeat, cum diſcrimen non ſit inter hoſtem, & ab eo legatum. Nec Romanos quondam è dignitate Reip. judicaſſe, hoſtium legatos in curia audire. Si enim de pace cum Polonis & aliis ineunda verba facere velint, Sequeſtrium munus affectare, id quod conſtitere non poſſit cum fœderibus, quæ Elector cum Regis hoſtibus ferierit. Quod ſi autem conditiones pacis proponere velint, addito, ni Rex illas admittat, ſibi per pacta in Polonorum partes diſcedendum, judices ſe ipſos ac feciales ſimul ferre. Unde Regem ab iisdem audire quid aliud nolle, quam quod inſtaurandæ inter ſe & Electorem amicitiæ faciat, eoque iſti utique prius ſciendum, quid ab hoc expectandum ſibi ſit, quam legatos admittat. Ad quæ Sverinus nihil aliud reponebat, quam ſe Hamburgi alia mandata ab Electore expectaturum. Unde judicabat Rex, haut fuiſſe ipſis mandata ad ſolidi quid tractandum. E ſermonibus eorundem colligebatur, aliquid ſuper pace Polonica ejusq; conditionibus fuiſſe proponendum, oblata ſimul Electoris opera circa eam pacem conciliandam. Atqui ad Polonicos tractatus alii jam Commiſſarii plenis cum mandatis deſignati erant, quos parum ſibi cordi eſſe Polonihactenus oſtenderant. Ac ad iſthoc officii obeundum Electorem fœdera ſua inhabilem reddiderant, Rex autem utique prius, quam iſtos audiret, noſſe cupiebat, quæ mens Electoris ſit, & num is ab hoſtibus ipſius ſe disjungere, ac ſuper amicitiæ pacisque reparatione tractare velit, tum quæ legatis in eam rem mandata ſint. Hæc enim ſi idonea iisdem ſuppetant, protinus ſuſcipi tractatus poſſe, in minus, iſta Flensburgi, Chilonii, Slesvici vel etiam Hamburgi expectanda. 1658.

Super hac admiſſione legatorum diſceptatio.

§. 65. Legati iſti velut contumelia aut injuria accepta, quod, prout voluerant, auditi non eſſent, epiſtolam poſt publicabant, qua Electoris actiones defendebantur, Regis arguebantur, ac inprimis, quod contra jus gentium admiſſio negata foret. Iſtis nomine Deputatorum Regiorum ſat acerbe reſpondit David Mevius: Jure gentium nullam eſſe neceſſitatem Legatos ſtatim & nullo diſcrimine audiendi. Nil frequentius quam differri legatos, ac multis diu expectandum fuiſſe. Nunquam auditam tantam alicujus legati indignationem, ſi altero vel tertio ab acceſſu ſuo die non ſit auditus, ſi de quapiam re cum ipſo in anteceſſum communicatio poſtulata fuerit, nedum tam abruptam diſceſſionem. Non legatorum arbitrii, ſed regii judicii fuiſſe, quo modo ipſos audiri conveniens foret, cui legem præſcribi non potuiſſe. Antiquam juxta ac recentem hiſtoriam infinita præbere exempla Reges ac populos liberos ſuo judicio relinqui voluiſſe, quomodo Legatos audirent. Non ſolum circa veniendi ſolennia, ſed & communicandi modum utique ipſis licuiſſe diſcrimen facere, ab amico an ab hoſte venirent, ſincere an inſidioſe, ſalva fide an rupta is egerit, bono an pravo propoſito legati venirent, denique fida & decora, an ſuſpecta & proterva afferrent. Jam autem veniſſe ipſos à ſocio hoſtium, nec præter lenocinia verborum quidquam attuliſſe. Unde valde interfuiſſe, ut ſciretur, cum amici, an cum hoſtis legatis agendum foret. Hoſtium legatos admittere & audire meri rem eſſe arbitrii, nec unquam à Regibus & po-

1658. & populis liberis admissos, nisi explorato prius, quo fine venirent, ideo interrogari solitos. Igitur nihil peccatum, nisi forte, quod adhuc ambigui tam humaniter sint excepti. Injuriosos non alloqui nisi pœnitentes, morem, jus, ac rationem hominum dudum servare. Esse sane rationem habendam dignitatis ejus, qui mittit: Ast non insuper haberi par esse dignitatem ejus, ad quem mittitur, nec hanc ob istam prostituendam. Quid autem indignius, quam indigna, insolita & iniqua proponentes, si non ex lubitu respondeatur, acerbas exprobrationes aut belli denuntiationem in os ingerere? Sic Romanos non modo Legatos hostium, sed & qui ab illis veniebant, quibuscum nulla adhuc erat amicitia, in curiam non admisisse, sed extra urbem in æde Bellonæ senatum iis dedisse. Sæpe Romanos eorum, quorum dubia erat fides, sociorum præsertim Legatos urbe, imo & finibus arcuisse, aliquando in curia acerbe reprehendisse, exire jussisse, castigandos duxisse. Denique admissionem non denegatam, sed idoneam duntaxat amicitiæ declarationem prius postulatam. Ita magis indies exacerbatis animis dubium non habebatur, quin utrinque in arma prorumpendum foret. Ac jam in Borussia à Brandenburgicis hostilia in Svecos sumi, miles Svecicus ubi deprehendi poterat abripi, & Legionibus Brandenburgicis admisceri, omnes Elbingensium merces, quæ per Pillaviam transibant, publicari, vici exspoliari, quibus Rex paria reponi jubebat.

Cum Belgis agit. §. 66. Sed nec à Belgis meliora Regi expectanda erant, quorum amicitia frustra affectabatur, quamdiu sibi metuerent, ne ab isto commerciis ipsorum detrimenti quid in Mari Baltico adferretur. Equidem conciliando istorum favori Rex Legatis Belgicis Dorpio, Huberto & Isbrantio Wismariæ significarat, se futuris cum Dano tractatibus acriter institurum, ut vectigal Oresundicum plane aboleatur, velut radix omnium dissidiorum inter Borealia regna. Et quia Belgæ quoque hac ratione ab omnibus molestiis liberandi sint, spem esse, ipsos non minus ad hunc scopum obtinendum operam navaturos. Ad quæ Legati differebant, Ordinibus Fœderatis votum esse honestam pacem conciliare, quæ neutri partium fraudi sit. Vectigal Oresundicum inter reditus Coronæ Danicæ esse magni momenti, possessione memoriam excedente stabilitum, ac omnibus nationibus agnitum. Igitur vix sibi persuaderi, istos ab hoc abrogandum operæ quid collaturos. Ad quæ Sveci: Non magnis Dano competere jus ad exigendum in Oresunda vectigal, quam populis accolis freti Britannici, Gaditanive, ac similium maris angustiarum. Oresundam & Balten liberos esse transitus, Oceano & Mari Baltico connexos. Vectigalis exactionem usurpationem esse, quæ sola facilitate ac patientia aliarum nationum irrepserit, ac stabilita fuerit, à quo cives Sveciæ semper immunes fuerint, nunquam tamen citra vexationem sub specie inquisitionis, num extraneorum merces Svecicis navibus vehantur. Omnes quoque fraudes, quibus aliorum merces sub Svecico nomine immunes transierint, inde præcipue profectas, quod mercatores Hollandici, aliique ministros suos Holmiam, inque alia Sveciæ oppida mittant; civitatis jure ibi donandos. Ex quo Hollandi lucrum capiant, nullo Coronæ Sveciæ emolumento, ut ita iniquum sit è fraudibus privatorum quæ his solis lucro cedunt, semper ansam arripi offensarum & bellorum in Sveciam eo tempore, quo hæc aliis bellis implicita hæreat. Ea de re jam anno quadragesimo quinto fuisse agitatum. Nullo modo omnia mercatorum artificia ita circumscribi posse, ut nemini querelarum causa supersit. Legati ista ad Ordines Generales rejiciebant. Qui illis rescribebant se ad tollendum vectigal Oresundicum nolle operam conferre, ex hoc duntaxat fundamento, quod ipsi ex pacto in certum tempus ad id solvendum sese ultro adstrinxerint, ac verbis stare velint. Cæterum se nunquam id vectigal pro fundato Regali Coronæ Danicæ agnovisse, nec pro tali idem adhuc agnoscere velle, ne Sveci, si forte isto freto potiantur, idem sibi vindicare possint. Moverat ea Regis oblatio non paucis saliyam, sed prævalebant, qui judicabant, Daniam hoc modo nimium enervari, eoque semper Svecorum invasionibus obnoxiam reddi. Nec quod offertur à sincero affectu

1658. affectu proficisci, cum eodem tempore Rex ipsos Equestres adspernetur. Eos enim admittere Rex nolebat, nisi ratihabito prius pacto Elbingensi, quod tamen Belgæ a se ullo modo fieri posse negabant, cum rationibus sui status plane adversetur, ad oppugnandam Daniam auxilii quid conferre. Et cum istud pactum citra *elucidationes* imperfectum sit, ratificationem ejus valere debere non à die concluſi pacti, sed à die perfectæ elucidationis. Ac palam jactabat Joannes Wittius, nullam fuisse difficultatem circa ratificandum id pactum, nisi bellum Danicum interveniſſet, in quo valente eo pacto Sveciæ adversus Daniam assistendum fuerit, eoque mutatis rebus dilatam ratificationem elucidationum ludibrio. Quanquam nec Rex ea rerum facie ratificationem magnopere curabat, quod in Boruſſia cum aliquo suo damno Belgis circa eum tractatum favisset, cum spes esset, Danos eo perfecto quietem acturos, quæ ratio nunc cessaverat. De cætero testabantur Belgæ, quæ fiant non fieri odio in Regem, sed mero studio statum suum conservandi, id quod Rex pro sapientia sua non sit in siniſtram partem accepturus. Et huic sententiæ inhærebant, quicquid in contrarium rationum occineretur. Ac sane acriter apud istos disceptabatur super auxilio Danis ferendo, quorum res in exitium ruere videbantur, provincia Hollandia cumprimis eam rem fervide agente. Ac mirabantur, Austriacos nondum aperte bellum Regi indixisse, Quo cum accederet diffidentia inter Austriacos & Polonos ac Brandenburgici dubitatio, ipsi quoque lente ad auxilia pro Danis expedienda procedebant. Unde & cum Brandenburgici Ministri Hagæ postularent, ut Ordines Fœderati tractatum inter Polonos & Electorem præstandum susciperent, quo Regi Sveciæ facultas vindictæ sumendæ adimeretur, dissentientibus suffragiis id tunc omisere.

Regis consilium circa delinendos Belgas. 13. Jan. Beverning.

§. 67. Inter hæc Hieronymus Beverningius Appelbomio secreto proposuerat, si Rex in Belgarum interpositionem & pacem consentiat restitutis omnibus, quæ in Dania & Polonia armis occuparit, Belgas facile permoveri posse, ut bellum in Austriacos gesturo insigni pecuniæ summa adsistant, qui & curaturi sint, ut Rex promta pace cum exclusione Austriacorum & æqua satisfactione in Dania & Polonia potiatur, ut hosce statim alacriter invadere queat. Eas conditiones si Rex acceptare nolit, extrema Belgis pro conservanda Dania esse expedienda. Rex etsi hisce nil soliti subesse judicaret, jubebat tamen Appelbomium omnia adhibere remedia istis hominibus deliniendis, quod adparebat pacem non tam Regi quam sibimetipsis quærere, quo sua commercia tuto exercere queant, Rege ad satietatem usque cum Austriacis colluctaturo. Beverningio autem demonstraret, Regi non solum decretum esse commerciis plus favoris, quam Dani exhibere, sed & ipsum promte ad pacis tractatus descensurum, haut dubitantem, quin Commissariis utrinque congressis omnes difficultates superari queant. Inprimis se cupere fœdus cum Belgis in Austriacos jungere, modo isti operam navare velint, ut ipse prius è bello Danico honeste eluctetur. Nam Polonici belli aliam esse indolem, cui Austriaci tam profunde immersi sint, ut inde separari nequeant. Tum & insinuaret, Regem jure è prioribus & nupero fœdere Elbingensi quæsito desistere velle, ac passurum, ut eorum effectus sit in suspenso, quoad tractatus cum Danis operam navantibus Belgis, prosperum eventum sortiantur. Ut tamen interim Belgæ non solum subsidii nil Danis clam palamve submittant, sed & Danos statim permoveant ad omittendos communes tractatus, quos animo agitent, ac peculiarem cum Svecis negotiationem ordiantur, commodissimam pacandis regnis Arctois, ac instaurandis per has oras commerciis. His utrinque conditionibus ipsorum officium posse admitti, ut tamen fidem dent, sincere se isthoc obituros, nec per invidiam erga successus Regis in hostium partes inclinaturos, uti superiori bello Danico fecerint. Enimvero uti hoc modo Rex Belgas ab auxilio Danis ferendo avertere cupiebat, ita hi viciſſim post bellum cum Dano & Polonis finitum eundem cum Austriacis committi optabant, ne per pacis otia rebus domi dispositis potentia Sveciæ glisceret,

Digitized by Google

1658. non defutura occasione successus Regis per occulta momenta librandi, dum is bello à Mari remoto destinetur.

Belgæ Danos fovent. 7. Jan.

§. 68. De cætero quam bene tunc Regi cuperent Belgæ, ex eo adparebat, quod in consessu Ordinum Hollandiæ decerneretur, operam esse navandam, ut pax inter Sveciam & Daniam fiat ea lege, ut utrinque ablata restituantur, omnia in priorem statum reponantur, & pax Brœmsebrönensis confirmetur, spondentibus Ordinibus Fœderatis. Post arma posita mutuæ querelæ utriusque Regni amice & interventu utrinque Fœderatorum sopiantur. In Polonia quoque par fiat ea lege, ut Svecus Borussia cedat, acceptis alibi quibusdam emolumentis. Ista Gallis Anglisque communicanda, ut ad eundem secum scopum conniti velint. Interim Rosenvvingius Danicus Minister apud Belgas acriter auxilium flagitabat, quod Fridericus Rex ipsorum instinctu, & ob commune bonum bellum susceperit, coërcendis Svecis commercia Maris Baltici turbantibus. Et quicquid rationum occineret Appelbomius, prævalebat vetus Belgarum institutum potentiam Regnorum Borealium in æquilibrio tenendi, eminente præ cæteris studio provinciæ Hollandiæ, quæ immensa hoc bello damna senserat, impedita facultate merces Indicas distrahendi. Missis autem in Daniam auxiliis spes erat finem se bello pro lubitu impositurus, lautasque pro commerciis conditiones stipulaturus; præcipue Brandenburgico quoque manum admoturo. Reliquæ tamen provinciæ nondum in ista auxilia consenserant, veritæ, ne hac occasione Respublica novis molestiis involvatur, jam tum bello Lusitanico implicita, ac eo casu Gallos forte Anglosque Sveciæ suppetias laturos. Sed & arcana causa suberat auxilii ex Hollandia in Daniam submittendi, ubi quinque legiones pro Dano scribebantur, ut Friderico soluta legibus imperandi potestas compararetur, eversa authoritate Senatus, & equestris Ordinis, in quem Rosenvvingius atrocibus convitiis sæviebat, proditores eos, nequam & nauci homines increpando tum Andream Bildium dignum, qui multos ante annos laqueo vitam finivisset. Dissuadebant tamen ministri Gallici atque Anglici, ne Belgæ auxilia in Daniam expedirent, non nisi bello extrahendo 1658. infervitura, ac à se quoque Svecis tunc auxilia ferenda. Quin sociarent potius secum operam ad æquam pacem inter ea regna conciliandam. Ad quod Belgæ paratos se declarabant, ab Anglis postulantes, ne quid sibi prærogativæ præ ipsis circa commercia in Mari Baltico stipularentur. Id quod & Thuanus pro Gallis pollicebatur. Inde Belgæ proponebant, ut insignis pecuniæ summa Carolo Gustavo à Dano procuretur. Nam Daniam superiore bello ita deplumatam, ut terrarum nil amplius eidem decerpi queat, si justi instar regni retinere debeat. Simul magnam Carolo Gustavo invidiam faciebant, velut ad formidandam potentiam grassaturo, nisi in tempore sistatur. Cæterum Hagæ pro Svecia sat valide loquebatur Georgius Dovvningius Ablegatus Anglicus, jussu Cromvelli Belgis denuntians, hunc eadem mensura Svecis, qua Belgæ Danis auxilia missurum. Sed Jacobus Augustus Thuanus Legatus Gallicus, etsi à Rege suo injunctum sibi ferret, pro Sveciæ commodis contendere, publice tamen apud Ordines Generales nihil movebat, sed privatim eo se officio apud Wittium & alios proceres defungi dicebat, cujus tamen nullum pondus sentiebatur, quod is vel plane à Belgarum libidine penderet, vel seria mandata non haberet. Sane vir iste Belgis tunc servilem in modum adulabatur, quod Gallia Belgarum favorem captaret, paulatim se Cromvelli amicitia iterum exsolutura, cui ad diuturnitatem parum fidebat. Quin constabat Gallos clanculum Belgis animum addere ad auxilia Dano ferenda, quo Carolo Gustavo necessitas adferret, cum Danis pacem ineundi, ut inde tota vi in Austriacos movere posset. Et jam magno studio armare classem cœperant Belgæ, cum nuntii de irruptione Svecorum in insulas Danicas, secutaque pace repente inanem paratum sisterent.

Dovvning.

De Thu.

Habitus Belgarum post pacem Dano factam.

§. 69. Inter hæc inusitati Regis successus Belgarum animos mire turbabant. Victoriam in Fionia partam cum Appelbomius Ordinibus Fœderatis exhibito scripto denuntiaret, hi vicissim, uti solet, gratulatione apud eundem haut defungebantur.

Mox

1658. Mox nuntius de pace non parum ipsos consternabat, ut ancipites consilii hærerent, ac jam amicitiam Regis optarent, de qua iisdem mala conscientia exiguam spem faciebat, ac culpam non ratihabiti pacti Elbingensis in solos Danos rejicerent. Joannes Wittius, Jacobus Opdamus, Bartholdus Gentius, alii, siniſtre admodum de Friderico Rege loquebantur ob acceptatam pacem tanto cum Daniæ detrimento conjunctam, ac satius fuisse in hostium arma ruentem oppetere. Equites Ordinis ab Elephanto nuncupati effigiem belluæ sub tunica occultabant, quidam plane deponebant. Ac uti Rosenvvingius cum lacrymis querebatur, Belgarum legatos hoc bellum sufflasse, ita multi proceres censebant, Fridericum debuisse aliquo vel extra regnum profugere, ac interim unum & alterum locum summa vi tueri. Tunc enim honeste ipsi ab amicis potuisse succurri, nec inusitatum esse, Reges ad tempus regnis suis excedere. Sed nunc nulla ratione rem restitui, aut pacem irritam reddi posse, præsertim cujus evictionem præstandam Gallia & Anglia susceperit. Dolebant etiam quod Carolum Gustavum in Polonia non detinuerint, longe à finibus hujus Reipublicæ, prout eam ob rationem quondam Gustavum Adolfum ab occupanda Colonia averterint. Negabant quoque Legatos suos jussu publico Hafniæ id bellum excitasse, sed culpam omnem penes Beuningii calorem esse. Antequam tamen liquido de exitu rerum constaret, decretum erat Hollandis, si Selandia adhuc salva esset, propere duo peditum millia in Oresundam mittere, quos mox quinque millia secutura erant, circa quos contrahendos tanta cum trepidatione Amstelodami satagebatur, ac si de ipsius Belgii salute certaretur. Ac si res moram ferret, & Croneburgum ac Hafnia per tres septimanas teneri possit, viginti quinque naves bellicas eodem vela facturas. Porro in pace Roschildensi id maxime Belgas offendebat, quod Sveci exclusionem exterarum classium è Mari Baltico stipulati essent, quo se potissimum notari satis intelligebant, & quod Beuningius ad tractatus admissus non esset. Solatio tamen fuit fœdus inter Polonos & Brandenburgicum, quod tunc Ordinibus per Ministros Electoris communicabatur, cui in posterum consilia sua contra Sveciam superstructuri erant.

Opdam. Gent.

9. Mart.

§. 70. Ast Rex ut ejus nationis acerbitatem adversus se temperaret, Appelbomio injungebat, ut de pace Danica Ordinibus Fœderatis solenniter significaret, ac uti victoria Numinis beneficio parta modestissime usus sit, prout & toto belli hujus tempore, in quod invitus pertractus sit, nihil aliud quam securitatem suam quæsiverit, qui & hujus tractatus unicus scopus fuerit. Ac spem esse, cum pax ex utriusque partis voto successerit, sinceriorem deinceps amicitiam inter Borealia regna cultum iri, quod sibi nullo modo propositum sit vicino suo ullam injuriam inferre, ac jam ditionum suarum securitati sic satis cautum sit. Commerciis quoque & navigationi nil se præjudicii allaturum, sed omni potius ratione liberum eorundem cursum tuiturum. Confidere quoque Ordinibus Fœderatis, velut veteribus Sveciæ amicis, quæ inter ea regna convenere, placitura, nec eosdem ulli pravo affectui locum daturos ad veterem Regni Sveciæ & Reipublicæ Belgicæ necessitudinem alterandam. Idem quoque jubebatur de ratificatione pacti Elbingensis nihil movere, ac si Belgæ de eadem ultro instent, dextre rem declinare. Id quippe pactum si scopus spectetur, vix aliud esse, quam renovationem fœderum annis 1640. & 1645. initorum, quæ contra Daniam directa fuerint, ac fortasse cum Dano fœdus feriendum super mutua Regnorum & Maris Baltici securitate, quod aliquatenus pacto Elbingensi repugnaturum sit. Igitur post tantam rerum mutationem haut placebat Regi præcipitata istius pacti ratificatione manus sibi ligare, quod hactenus neque à Belgis servatum, nec sibi utile extiterat, sed potius per adversæ parcis libidinem in sui fraudem elusum, & siniſtra interpretatione detortum fuerat. Quod tamen res novæ stabilirentur, Ordines jactato amicitiæ vocabulo demulceret, ut sana consilia sequantur, nec in aliquod negotium se immergant, se juxta, ipsosque difficultatibus involuturum.

Belgæ verba honoris parum curant. 21. Febr.

1658.

1658. Enimvero ista apud Belgas parum proficiebant, qui Caroli Gustavi destinata semper rationibus suis suspecta habebant, ac eo altiores animo iras eundem adversus ipsos coquere, quo plus humanitatis verbis præ se ferret. Nec cessabat flabellum discordiæ Beuningius animos jam antea ægros suspicionibus agitare, modo referens, Regi propositum Gedanum terra marique invadere, quo fine articulus IV. paci Roschildensi insertus sit, modo spem faciens executionem pacis Danicæ vado adhæsuram. Etsi præcipua fiducia in conjunctione Austriæ, Poloniæ & Electoris Brandenburgici, inque Galliæ & Angliæ invidia adversus progressus Caroli Gustavi collocabatur. Simul quadraginta octo navium classis instruebatur Gedano subventura, si quid in eam à Rege tentaretur, è quibus viginti quatuor mense Majo in arenis Doggeranis ancoras jaciebant, observaturæ, quo Rex se versurus esset. Interim Dorpius legatus ad Regem se conferre jubebatur elucidationis negotio absolvendo, simul ut confirmaret, gratum Ordinibus esse, quod bellum in Dania finitum sit. Sed revera speculabantur isti, quo Rex arma conversurus esset, inde & ipsi consilia capessituri. Ac interim semper arcana cum Danicis Ministris commercia miscebants qui & ipsi, non obstante pace cum Svecis facta, cum ministris Austriacis, Polonicis & Brandenburgicis Hagæ solicite concursabant. Neoportus quoque legatus in Angliam remittebatur, invidiam Svecis apud Cromvellum facturus, simul postulaturus, ut is operam navet circa restituendam Borussiam, ac ut Gedano caveatur. Tum ut eundem induceret, ad strictius fœdus ineundum tuendis commerciis Baltici Maris, ac ut obviam eatur fœderi, quod jam inter Svecos ac Danos in fraudem Angliæ & Belgii agitetur.

5. April.

Neoport.

Beuningii in Dania machinationes.

§. 71. Sed cumprimis cives juxta suos ac Danos in Svecos instigare haut cessabat Cunradus Beuningius. Postulaverant Hafniæ Legati Svecici, ut negotiatio sua circa fœdus secreta haberetur. Contra Beuningius apud Danos ejusdem communicationem acriter urgebat, simul Medovium instigabat, ut idem exigeret. Et cum intellexisset, super defensione Maris Baltici agi, Danis magno ardore ingerebat, Svecorum destinata non publico solum bono, sed & Daniæ noxia esse, quæ cum unicum fere Hafnienſem portum ad Mare Balticum possideat, id per fœdus onus sibi impositum eat, tot portus & oppida Svecorum tuendi, ipsorum portubus ad Oceanum defensione vacuis, non sine invidia vicinorum, simul Svecus viam muniat exiguis cum copiis navalibus præstantissimas regiones & civitates ad Mare Balticum subigendi. Et quia Beuningio persuasum erat, Svecos è Dania quamprimum discedere cupere, eoque ad absolvendos tractatus incumbere, Danis suggerebat, ut tempus extrahendo id fœdus eluderent, Belgarum auxilia ipsis ostentans. Sane crediderat Beuningius, idemque Danis persuaserat, Regi Sveciæ propositum esse, Brandenburgicum subito impetu opprimere, quod cum longe majoris momenti esset, quam quæ in Dania restabant negotia, arbitrabantur Regem per hæc à proposito suo haut dimotum iri, quam ob causam tam pertinaces moræ circa executionem pacis Hafniæ nectebantur. Cum contra alius stolidum videretur hosti reconciliato ultro ansam præbere cum sexaginta quatuor legionibus, quæ viginti bellatorum millia implebant, visceribus Daniæ incumbendi. Nec eo minus Beuningius literis suis gloriabatur, se Daniam conservasse, ac Svecorum destinata circa fœdus cum Danis irrita fecisse, cum revera, dum hosce adversus Svecorum postulata annuenda obfirmat, in novum eosdem bellum conjecerit.

1658.

§. 72. Interim Belgæ, quoad destinata Regis erupissent, in ambiguo agere, ac circa colendam cum Svecia amicitiam verbis testari. Quorum & jussu Dorpius Regem, cum hic Gothenburgo Elensburgum adpulisset, accessit, ac post prolixe expromta verborum inania super absolvenda elucidatione, & Gedanensis civitatis inclusione agere cæpit. Sed Rex, cui ea res parum cordi erat, extrahendo tempori respondebat: Ordinibus prius declarandum esse, quod ipsius hostibus auxilium non sint laturi, ac Appelbomium uberius mentem suam iisdem declaraturum. Quod responsum Belgis parum arridebat, ac jactabat Wittius: ni intra

Super ratificatione pacis Elbingensis frustra agitur. 11. Jul

mens

1658. menſem Rex ſententiam ſuam declararet, facile Belgas aliam viam inituros fœdere cum Auſtriacis & Brandenburgico concluſo: eoque negotium id tandem abſolvi inſtabat. Perfecta enim elucidatione ſummam manum tractatibus imponi, ac cauſas diffidentiæ tolli, ſimul invidis materiam ſubtrahi diſſidia inter ipſos ſerendi. Nec à ſe quid amplius poſtulari, quam quod Rex antea Thorunii, & proxima æſtate Elensburgi jam annuerit. Sed reponebatur: Belgas tunc, quæ offerebantur, non acceptaſſe, & eam Regi conditionem præ oculis fuiſſe, ſi adverſus Daniam aliosque hoſtes ſibi aſſiſterent. Sed nunc tempora mutata, & cum Belgæ nil minus, quam iſthoc præſtiterint, non teneri quoque Regem tanta emolumenta gratis iisdem indulgere. Sane acta eorum probabant, haut omiſſuros obtentu commerciorum deſtinata Regis diſturbare, ſic ut perinde foret, amicos an hoſtes ſe profiterentur. Ac tantopere elucidationem urgebant, quod ſibi ab inæqualitate vectigalium metuerent, & ne Rex propriis civibus aut exteræ cuipiam nationiali quid privilegii in præjudicium Belgarum concederet. Juſſus inde Appelbomius fuerat Ordinibus Fœderatis ſcripto demonſtrare, quomodo ipſi non ſolum priora fœdera violarint, ſed & poſt pactum Elbingenſe infeſta conſilia per Miniſtros ſuos continuarint, ac nunc de claſſe in Mare Balticum mittenda agitent in favorem Brandenburgici, obtentu commerciorum, quæ nemini moleſtia afficere in animo ſit, quo ipſo impedire ſtudeant, ne Rex adverſus apertos hoſtes & qui fœderibus includi aſpernati ſint, rem gerere queat. Tum velle quidem Regem pactum Elbingenſe ratum habere, prius tamen noſſe cupere, num amicos reipſa ſe gerere ac conventa præſtare, nec hoſtibus ipſius auxilii quid ferre velint. Nam ſi eo, quo hactenus, modo agere pergerent, haut placere ſibi id pactum firmare. Ad quæ Belgæ reponebant, non videri ſibi rationis eſſe, ejusmodi cautionem à ſe in anteceſſum fieri, antequam Rex pariter promiſerit, ſe ipſis circa commercia & alia juxta pactum Elbingenſe ejusque elucidationem ſatisfacturum. Nam ſuper hac denuo incerta tractatuum tentare ſibi haut placere. Cæterum abſoluto pacto Elbingenſi petitam declarationem re ipſa præſtari, poſt cujus elucidationem adprobatam Belgæ Regis hoſtes nullo modo ſublevaturi, ac per omnia legibus pacti ſeſe attemperaturi ſint. Ut tamen Electori Brandenburgico & Gedanenſibus integrum ſit incluſionem admittere, ac intra menſem à ſubſcripto elucidationis actu notificatione facta declarare, num tractatu comprehendi velint, an minus. Cæterum magis ſibi cordi eſſe elucidationem, quam pactum ipſum. Iſti rei componendæ operam ſuam offerebat Dovvningius, eo temperamento propoſito, ut Belgæ ſtatim pactum ratificent, Regique caveant, ſe ipſius hoſtibus, Auſtriacis, Brandenburgico, Gedanenſibus haut adſituros ipſamque elucidationem Cromvelli arbitrio ſubjiciant. Id quod Joanni Witzio non diſplicebat, qui petebat, ut Appelbomius id ad Regem referret. Ac jam præter ſolitum amice loquebantur Belgæ, teſtati ſe Regem non amplius offenſuros, modo circa elucidationem ſibi ſatisfiat, ne in caſſum cavillati fuiſſe, ac nunc amicitiam Regis ex formidine affectare videantur. Iſtis quoque Cromvellus ſerio denuntiaverat, ne obtentu commerciorum Regis deſtinata impediant. Ad quæ Belgæ teſtabantur, ſe conventis ſancte ſtaturos, nec hoſtibus Regis auxilia laturos, modo circa elucidationem Rex ſibi gratificetur. Id quod ut fieret Dovvningius valde ſuadebat. Nam hoc modo eam Rempublicam in pace detineri, cujus diuturnitate militia ipſorum plane peſſum eat, qua collapſa neceſſum fore, ut ipſa ab amicis ſuis pendeat. Quia autem Dovvningio à Cromvello ſerio injunctum erat, ut omnem operam navaret circa amicitiam inter Regem & Belgas inſtaurandam, Wittius hunc eodem modo, ſicut Medovium Beuningius corrumpere conabatur, ut Cromvello perſuaderet, Regi propoſitum eſſe in fraudem Angliæ & Belgarum Dominium Maris Baltici & commerciorum ibi invadere, ſic ut in neutrius deinceps poteſtate futurum ſit remedium adferre, ni in tempore obviam eatur. Appelbomio dehinc 3 Aug. Ordines declarationem poſcente de auxilio hoſtibus Regis non ferendo, hi quidem in conſeſſu tale reſponſum conceperant, quo elucidationi utri-

1658. que insistebant, ac se Brandenburgicum & Gedanum pacto velle includere, ne Regi contra has auxilium ex pacto ferre necessum foret. Id tamen decretum supprimebant, quoad pateret, quo sese Regis arma versura essent. Interim Wittius multis verbis apud Appelbomium testabatur, quanto desiderio teneatur cum Svecia ad veterem amicitiæ cultum revertendi, petebatque apud Regem operam navaret, ut super elucidatione in Cromvellum compræmitteretur. Sane valde anxios tenebat Belgas iter Regis, ne forte in Daniam infensi quid agitaret, cui conjecturæ inter alia ansam dederat, quod Rex solito ferocius Dorpio respondisse visus esset, ac minora navigia per Daniam detineret. Unde mox nuntio allato de Regis in Selandiam excensione, procul jam pactum Elbingense & elucidationes, ac nil aliud in animo, quam Daniam, quantocunque dispendio, præsenti exitio eripuisse.

Rex Anglos frustra ad fœdus & pecuniam urget. 4. Jan.

§. 73. Tot inter hostes Regi semper curæ fuerat cum Angliæ Protectore ita conjungi, ut reipsa aliquid levamenti atque subsidii ex ipsius amicitia haurire daretur, postquam per inania verborum blandimenta rebus suis parum consuleretur. Enimvero ille pro more lente agere tam circa fœdus, quam præstationem pecuniæ dudum promissæ, insuper habito onere ac periculo, quod Regi à tot potentibus hostibus imminebat. Et quia non amplius dubium erat, quin Austriaci ac Brandenburgicus digesta diu consilia propediem expromturi sint, assumtis Polonis Pomeraniam invadendi, aut totam colluviem in Holsatiam effundendi, quibus omnibus idoneas vires opponere penes Regem haut erat, huic sustinendis rebus suis necessum erat, ut vel ab amicis majori studio idque mature sublevaretur, aut cum Austriacis quoquo modo transigere tentaret. Sed cum isthoc communi Protestantium rei valde noxium videretur, jubebat Rex legatos suos apud Cromvellum circa fœdus absolvendum insistere, ne diutius de hujus animo incertus ageret, ingenti suo cum damno ac periculo. Id fœdus dirigendum adversus Domum Austriacam ejusque adhærentes Polonos, & qui cum Austriacis jam fœdus in Sveciam iniverint, vel deinceps inituri sint, sub quibus & Dani com- 1658.
prehendantur, fœderi cum Polonis & Brandenburgico innexi, Austriacorum sociis, & qui non solum Polonos & Brandenburgicum stimularint ad distrahendas Regis vires, sed & Pragæ non citra exprobrationem protestati sint, quod debita ac promissa auxilia tamdiu non repræsententur. Quod si autem Cromvellus insuper habitis his rationibus Daniam aperto bello petere abnuat, id saltem agendum, ut Danus inter alios adhærentes Domus Austriacæ referatur, si peculiari fœdere huic sese illigaverit. Eum in casum Cromvello ejusmodi conditiones erant proponendæ ut Belgarum invasionem arceat, si vel aperto Marte huic negotio se ingerant, vel clam submisso milite, pecunia & navibus Daniæ assistant, & ipse par auxilium Regi præstet. Inprimis ut Cromvellus Daniam promoveat ad satisfactionem ac ejusmodi cautionem Regi præstandam, ne si vi ipse fœderis Anglicani aliis negotiis districtus sit, iterum à Dania transversim incurrente impediatur. Quia porro Rex haut libenter Austriacos per Imperii terras invasurus erat, declinandæ Ordinum offensæ fœdus eo dirigeretur, ut invasio per Borussiam & Poloniam fiat. Tum ut quatuor peditum millia ex Anglia submittantur, in Borussia in terram exponenda, & quotannis ad hunc numerum supplenda. Ut Cromvellus se obstringat ad tuendam Borussiam secundum tractatum cum Brandenburgico initum una cum expectativa ad Ducalem ejus provinciæ partem, sive durante bello, sive ubi res ad tractatum deducatur. Inprimis ut idem Regi subveniat insigni pecuniæ summa saltem decies mille librarum Anglicarum in singulos menses, de qua tamen summa aliquid remitti possit, si priores conditiones, ac præcipue pedites præstentur, ac pecunia in tempore exsolvatur, quo mature adparatus pro viribus hostium fieri possit. Ista serio urgere jubebantur, testati, res Regis istam cunctationem diutius non ferre, sed aut Cromvello promte concludendum, aut isti alia consilia capessenda, de quibus ab initio cogitatum non sit, & ad quæ ipse ægerrime descendat. Has conditiones si Cromvellus acceptet, majus negotio pondus accessurum, si Gallia ad idem

fœdus

1658. fœdus permoveatur ad eundem ſcopum connixura, quoad honeſta pax de conſenſu omnium concludatur. Cæterum temporis cumprimis rationem habendam eſſe, ne ſito incaſſum elapſo negotium corrumpatur. Quod ſi perſpexerint, hoc Parlamento ob domeſtica negotia extranea ſeponi, aut nil niſi inania & incerta ab Anglis jactentur, Friſendorfius diſceſſum ſimularet, ac priori fœderi adquieſceret. Flet-vvodus autem operam daret, num per Parlamentum id negotium promoveri queat, etſi alias Rex cum Cromvello, quam Parlamento rem ſibi eſſe mallet. Addebatur de repræſentanda pecunia tamdiu promiſſa, ac ſi Cromvellus offenſam populi obtendat, oſtenderent, tanto magis opus ipſi eſſe arctiore cum Rege conjunctione, ac domeſtico ipſius ſtatui conducere, ſi mature Regem adverſus hoſtes ſuos fulciat, quo paria officia ab eodem recipere queat. Mox cum Rex poſt occupatam Fioniam in Selandiam tenderet, legatis ſuis mandabat, Cromvello proponere ſuper fœdere circa tuendam Daniam à ſe occupandam, quo fini efficaciſſimam operam conferre Anglia poterat, coërcitis Belgis, qui præcipue deſtinata iſta impedire volebant. Ad eam rem ſi Cromvellus milite ac claſſe Regi adſiſtere velit, jubebatur ipſi Friſendorfius offerre partem Daniæ, aut ſi malit Boxtehudam & caſtellum ad Leam, quin ſi Rex tota Dania & Norvegia potiatur, integrum Ducatum Bremenſem in perpetuum tenendum, additis quoque inſignibus privilegiis nationi Anglicanæ circa merces in Svecia provenientes, & immunitate in freto Oreſundico, ni magis placeat eam libertatem omnibus nationibus indulgere. Quæ mandata tamen mox, cum pax Danica coaleſceret, revocabantur.

Inanis cum Cromvello negotiatio.

§. 74. Enimvero Cromvellus, legatos quidem Svecicos è fauſto Parlamenti eventu parem negotiationis ſuæ ſucceſſum expectare jubebat, ſimul Bremenſem ſibi provinciam ad palatum eſſe oſtendebat, ſed circa quam abſque Parlamenti conſenſu nihil ſuſcipere queat, cujus conſeſſus propediem habendus ſit, quo magnum operæ pretium pro cauſa Regis futurum ſperet. Ac ſane commendabat is Regis negotium Parlamento lucu-

20. Jan.

lenta oratione, potiſſima ratione à ſacris deſumta, non obſcure Belgas perſtringens, quibus quæſtus ante religionem, aut potius in vicem religionis ſit. Sed quæ ex Parlamento concepta erat ſpes mox decollabat, quod quidam è Domo inferiore ſuperiorem Domum nollent agnoſcere, in qua tres duntaxat è vetere Nobilitate comparuerant, reliquis negantibus Domum ſuperiorem abſque Rege dari poſſe. Iſti cum omnia confundere inſtituerint, Cromvellus Parlamentum ingreſſus id domum faceſſere juſſit. Ita negotium Svecicum iterum ad conſilium ſtatus revolvebatur, à quo Commiſſarii nuncupabantur, qui cum Svecis tractarent. Quibus legatus Gallicus confirmabat, ſibi ex aula mandatum eſſe Svecorum deſideria apud Cromvellum de meliori nota commendare. Id quod verum eſſe Legatus Luſitanicus negabat, ac potius Gallos ad Svecorum in Anglia negotiationem ſufflaminandant incumbere. Ita duo menſes fruſtra elabebantur per invaletudinem Thourlovii & ob negotia Parlamenti, ſopiendasque inteſtinas turbas, populi animis ob iſtud diſſolutum tumentibus. Nec Cromvello pecuniæ ulla facultas. Ac voluerat Rex à privatis mercatoribus centum librarum Anglicarum millia mutuo ſumere, conceſſo iſtis jure protimiſcos in commercio picis, ut hoc à Belgis averteret, idque jus duraturum quoad ſors exſoluta ſit, uſuris à vectigali, quod pro exportata pice debebatur, detractis. Sed mercatoribus haut placebat, pecuniis ſuis in longum carere, queis præſens lucrum, & quod manibus teneri poſſit, quæritur. Porro internis Angliæ turbis compoſitis Svecica negotiatio reviviſcebat, oblata per legatos formula fœderis contra Auſtriacos fere expreſſa ex eo, quod Sveciæ quondam cum Gallia bello Germanico fuerat, qui ut intra quindecim dies liquidum reſponſum daretur, inſtabant. Congreſſu habito Sveci de inani verborum pompa hactenus adhibita querebantur. Angli jam tandem ſerio ad rem ſe acceſſuros ferebant. Prima ibi diſceptatio ſurgebat de hoſtibus, in quos fœdus dirigendum foret. Sveci ita exprimi volebant, *contra Domum Auſtriacam & quoscunque adhærentes futuros*

1. Febr.

Thourl.

24. Febr.

1658. *futuros vel præteritos.* Angli contra *adhærentes* nominetenus exprimi volebant, & non incluſos pro excluſis habendos. Nam vago illo vocabulo non ſolum utrinque ingens onus imponi, ac in ambiguo relinqui, an non univerſi Principes Romanis ſacris addicti, & per aliquem eventum ipſe Turca ſit intelligendus, ſed & apud Gallos id ſuſpicionem excitaturum velut & in ipſos tanquam Catholicos id fœdus cudatur. Reponebant Sveci: ea verba reſtringi è ſcopo fœderis qui ſit incolumitas & ſecuritas utriusque ſtatus & regnorum, tum ſublevatio & defenſio communium amicorum, quomodo ipſa Gallia cum Svecis antea convenerit. Ac nomine hoſtium neque Catholicos neque Evangelicos, prout his aut illis ſacris addicti ſunt, intelligi, ſed prout huic fœderi, & libertati publicæ adverſantur, ſic ut Catholici quoque in id fœdus adſciſci queant. Ex quo conſequatur, ut in præſens iſti nomine exprimi nequeant, quod poſt cæptum bellum fortaſſe multi adverſis partibus accedere, alii contra iſtis deſertis ad nos tranſire queant. Ac poſt incommodum fore, quovis caſu emergente nova fœdera concedere. Unde optime laxioribus verbis inſiſti. Ad quæ Angli nil quod reponerent habebant, niſi quod innuerent, ſe inter hoſtes utique Hiſpanos, nequaquam autem Danos intelligere velle. Equidem dubium non eſſe, quin poſt concluſum fœdus cum Danis in bellum prolapſuri ſint, ſed ut diſertis verbis hoc tempore Danos hoſtium numero cenſeant, fieri non poſſe, quamdiu Legatus Anglicus pacis conciliandæ cauſa apud iſtos agat, ac in præſens Auſtriacos Daniæ eſſe adhærentes, non vice verſa. Poſt longam diſceptationem placuit, Hiſpanos & Polonos nominetenus exprimendos, cæteros verbis generalibus, *contra totam domum Auſtriacam, Reges Hiſpaniæ & Poloniæ omnesque illos, qui actu ipſo auxilia præſtent, uni illorum vel omnibus contra hoc fœdus, vel in eo comprehenſos.* Diſceptabatur etiam ſuper ſenſu vocabuli adhærentes, quod Sveci intelligi volebant, de quolibet modo auxilii ferendi, ſeu milite, ſeu pecunia, aut paratu bellico ſubminiſtrato, ea mente, ut Fœderatis noceatur. Contra Angli: hoc modo tolli libertatem commercandi, pecunias mutuo dandi, & ſimiles actus, 1658.
ſua indole non hoſtiles, ac immerentes, in bellum trahi. Si enim Auſtriaci ſimul nobiſcum & cum Turcis bellum gerant, & alius quispiam ipſis pecuniam mutuo det ſui lucri cauſa, aut in Turcas adhibendam, quam Auſtriaci poſt contra Svecos impendant, num is propter ſiniſtrum eventum rei bene cogitatæ hoſtis loco habendus ſit? Ad hæc Sveci: tanta ſubtilitate opus non eſſe, cujuslibet mentem è manifeſtis indiciis colligi poſſe. Ita manebant verba: *qui ipſo actu auxilia ferunt.* Quæſitum inde, quinam amici & ſocii habendi vel adſciſcendi ſint? Ubi ab Anglis movebatur an non Gallus ſtatim velut principalis contrahens aſſumendus ſit, quod is alias ægre laturus ſit, ſi ex poſtfacto & velut acceſſorius fœderis adoptetur. Reſponſum à Svecis: haut facile hoc loco cum Gallis tractari poſſe, quibus nec Legatus cum plenis mandatis heic adſit, ne facile huc mittendus videatur, ob æmulationem dignitatis. Nec alias iisdem tabulis cum hiſce conveniri poſſe, quod ordine unum Regnum alteri non cedat. Ac ipſos Anglos initio dixiſſe, ſe Svecosque Principes in hoc fœdere eſſe oportere ad adimendam Galliæ importunam præſumtionem: cui tamen, ſi videatur, ante concluſionem res communicari queat: quibuscum & Francofurti à ſe tractetur. Sveci quoque cenſebant, Belgas non magnopere invitandos eſſe, velut qui manifeſto in diverſam partem inclinent. Alia Anglis erat ſententia, præſertim quod Belgæ Cromvello declaraverint, ſe Dano auxilia non laturos, quibus & Cromvellus denuntiarit, quantum iidem pro Dania faciant, ſe pro Svecis facturum. Nec tamen repugnabant Sveci, quo minus Belgæ invitarentur, ſi pactum Elbingenſe confirment, & ex legibus amicitiæ ſe gerant. Idem de Brandenburgico habendum, etſi de hoc parum ſpei ſuperſit. Ita demum concluſum invitandos Gallos, Luſitanos, Ordines Fœderatos, Brandenburgicum, Tranſylvanum, Ordines Imperii, Evangelicos, & civitates Hanſeaticas. Volebant Angli adjungere Gedanum, & ipſum Regem Daniæ: id quod cum irriſu à Svecis rejectum.

§. 75.

1658. *In præfentia hoc fœdere.*

§. 71. Sed uti iſthæc facile expediebantur, ita in eo ſumma difficultas vertebatur, quid Angli ex hoc fœdere Svecis præſtare deberent. Cum enim Sveci eam rem ad formam fœderis Gallici adornari cuperent, Angli contra declarabant, Domum Auſtriacam utriusque partis capitalem hoſtem eſſe. Eam duobus brachiis conſtare Hiſpanico & Teutonico. Illud ſicuti potentiſſimum ſit, ita præcipuas ejus vires conſiſtere in theſauris Americanis, citra cujus ſubſidium Cæſares nunquam eximii quid efficere potuiſſe. Iſthoc igitur ſi impugnandum ſibi ſumant, ac parti adverſæ vitalem iſtam venam abſcindant, maximi ſe momenti opus præſtitiſſe, & vix à Fœderatis ulla opera exæquandum. Sane claſſem, quæ ſemper armanda ſit, pluris ſibi conſtare, quam ſi duo validi exercitus terreſtres alendi ſint, præſertim cum ex fœdere claſſis illa augenda, & hac parte bellum omni vi gerendum ſit. Iniquum autem fore, ſi cum Rege Sveciæ res quoque terra gerenda ſit, ac non ſolum proprius ibi exercitus alendus, ſed & Regius tantis ſubſidiis fulciendus, & quidem in ſolius Regis emolumentum; ut ipſi ſecuritas contra domum Auſtriacam comparetur. Eſſe quoque Regi non pulcherrimam ſolum occationem è continenti bellum Auſtriacis inferendi, ſed & graviſſimam rationem urgere, ut partas in Germania provincias & recentium victoriarum fructuum tegat, cui nec unquam ab iſtis tuta pax expectanda, poſtquam tam ſolenniter concluſa haut ſervata ſit. Sibi contra ne latum pedem in continenti poſſideri, unde Auſtriacorum terræ infeſtari queant, eoque immenſis ſumtibus ea deſtinata tibi perſequenda transportandis in Germaniam copiis, quibus & valida claſſis præſidio adjungenda ſit, ſi Belgæ iſtis ſe objiciant, ſed nec ea ſe ambitione titillari, nec idonea cauſa moveri ad Auſtriacos illa parte invadendos tam longe remotos, & à quibus inſulæ ſuæ nullum unquam periculum immineat. Ita nullum ſibi pretium ſuſceptæ operæ fore. Galliæ diverſam rationem fuiſſe bello Germanico, quæ propriam magis quam communem, minime autem omnium Sveciæ utilitatem reſpexerit. Galliam tunc cum Hiſpanis de ſumma rerum per Europam certaſſe. Angliæ Regem, cujus familiam id bellum tangebat, parum ad id contuliſſe. Belgas & Germanos Principes ſuum negotium egiſſe, ac tamen ita fere ſe geſſiſſe, ut Svecis plurima querelarum cauſa fuerit. Enimverò ſibi decretum reipſa præſtare, quæ promittant, nec verbis ſed re ipſa bellum gerere, quibus is unicus ſcopus una cum bono publico Sveciæ incrementa promovere, id quod nunc longe difficilius ſit, quam quondam bello Germanico. Nam tunc propter evidentem intentionem vindicandæ libertatis publicæ, à qua peculiares rationes Angliæ ſeparatæ fuerint, applauſum & favorem omnium Svecica arma comitatum fuiſſe, cum nunc eo plus occultæ inimicitiæ & invidiæ ſurgat, quo apertius privatum ipſius emolumentum pelluceat. Præſertim cum in præſens adverſa pars ſpecioſo prætexto quietis publicæ ſe involverit, invidia excitatarum turbarum in Regem derivata. Accedere quod per hoc fœdus loco unius hoſtis, qui cum nunc bellum gererent, totam molem tot populorum, qui ſine dubio Regem obruituri ſint, in cervices ſuas attractum eant, Polonos, Moſcos, Danos, Belgas. Cum in præſens non diutius cum Hiſpanis bellare ſibi neceſſum ſit, quam commodum videatur, proficua pace protinus obtinenda. Sed nec in animo ſibi eſſe, Regi, ut Auſtriacum bellum ſuſcipiat, perſuadere, ni ipſe id è re ſua aut neceſſarium judicet. Adhæc Sveci reponebant: iſta ſpecioſius, quam ſolidius, jactari. Nam id jam non quæri, quos & quot hoſtes unus & alter in præſens, quid commodi aut incommodi in futurum ſortiturus videatur, aut quæ ſpes ſucceſſus allubeſcat. Nam Sveciæ in promtu fore huic ſe negotio ſubducere, ac eandem facile ſocios inventuram, quo ſe cunque vertere placeat. Sed id in quæſtionem venire, an non præter eos hoſtes quibuscum utraque pars jam conflictatur, tertius, idemque primarius hoſtis ſociatis viribus ita ſit invadendus domique debilitandus, ne pernicioſa conſilia circa adjungendam ſibi Poloniam exequi, ac communi cauſæ tantum præjudicii adferre queat. Nam hoc modo ſcaturiginem omnis mali obturari, quæ, poſtquam compoſito

1658. bello Germanico arma Svecica amolita fuerit, mox hinc inde eruperit, ingentesque turbas excitaverit, quæ dudum preſſit, nunc effectui datura? Eſſe equidem eam domum inimicam Sveciæ, eoque Regem mature conſilia conferre, ut communis ſalus & æquilibrium Europæ conſervetur. Sed eandem non magis hoſtem & infenſam Sveciæ, quam Angliæ, quin potius huic magis, quam cuipiam alteri. Non ignotum Anglis, quam de ſe opinionem apud omnes excitarint, & quid ab uno & altero ſerius ocyus ſibi immineat. Si Auſtriam non timeant, eo magis timendam eſſe Hiſpaniam, quæ reliquis exſoluta negotiis tota mole in ipſos ruitura ſit. Poſſe levi caſu repeti, quæ tempore Eliſabethæ intentata ſint. Et quo magis Anglia à reliquis populis diviſa ſit, eo magis opportuno poſitu eſſe quorumvis invaſionibus. Poſſe quoque Auſtriam Angliæ interventu aliorum nocere, per autoritatem Cæſaream, ingentes clientelas, egregium militem Germanicum, citra quem non magis Hiſpani bellum gerere poſſint, quam citra argentum Hiſpanicum Auſtriaci. Et quid credendum hos facere poſſe aut velle in favorem Hiſpanorum, Stuartorum, Belgarum, ſi ab iſto latere pacem nanciſcantur, Svecia quoquo modo in partes ſuas pertracta, aut ſaltem extra partes detenta? Falli quoque ipſos ſi credant, Regem jam cum Auſtriacis bello implicitum, aut id declinari non poſſe, nec aliam rationem ſe conſervandi eidem ſupereſſe. Etſi enim Auſtria Regi ſat offenſarum præbuerit, iſtas tamen intra ſpem compoſitionis eſſe, pace Germanica nondum abrupta, & quia poſt delatum Poloniæ diadema ſubmiſſo illuc auxilio magis pro ſuo pugnare, quam Sveciæ injuriam facere voluiſſe videatur. Nec colliſioni cum Dania ac ſimilibus factis colorem defuturum. Multo minus Regem è ſua parte in bellum erupiſſe, aut id pro temporum facie conſultum judicaturum, prout heic conſilia capi videat. Nam priore bello parta tantum abeſt, ut Regem in bellum contra Auſtriacos trahant, ut potius eundem ad pacem cum hiſce, & tota Germania colendam invitent, quod illorum poſſeſſio pace ſtabiliatur, bello nutet. Recens quæſita ferro quidem primum defendenda, ac ideo Regem nunquam armis ſe plane exui paſſurum. Sed rebus ſic ſtantibus utilius fore cum Auſtriacis quovis modo tranſigere, forte haut ægre huc deſcenſuris, ac vicini potius, quam proprias terras in ſedem belli præbituris, ac reliquis hoſtibus acriter incumbere, quam propter incerta ac futura præſentem fortunam aleæ exponere. Ita Regi non plus emolumenti oſtentari, quam Angliæ, quin contra quo propior iſtis ſit, eo plus periculi ab iisdem ſibi imminere. Qui &, ni potior publici, quam privati boni reſpectus foret, negotia ſua longe aliter diſpoſiturus fuerit. Unde nec Rex ipſos ad fœdus in Auſtriacos perſuaſurus ſit, quo ipſe facile ſuperſedere queat. Et tamen dici, non quod Regem ab Auſtriacis in ſe patrata leviter tangant, alias enim non tamdiu Anglorum declarationem magna cum rerum ſuorum jactura expectaturum fuiſſe, ſed quia neceſſitas durum telum ſit, quæ lege careat, & ne Hercules quidem adverſus duos valeat, & quia ratio non dictitet alium magis, quam ſeipſum, amare. Denique Regem nil amplius deſiderare, quam pecuniam, quæ ſibi maxime deſit, ipſi autem erogare in proclivi ſit ſecuritati ſuæ ſtabiliendæ. Quanquam enim Rex Anglicano exercitui commodam occaſionem præbiturus ſit in terram exſcendendi, ac ab ipſis per Flandriam occupata eo magis in tuto locanda ſint, quo longius à ſuis finibus hoſtem diſtrahant: tamen ſi in partem fortunæ Regiæ venire nolint, nil reliquum eſſe, quam ut idonea pecuniæ ſumma Regem ſublevent, belli gerendi onere in ipſum ſolum tranſcripto. Porro bellum maritimum, quod Angli in Hiſpanos gerant, non magis pro æquivalente præſtatione haberi poſſe, quam à Gallia quondam factum, quæ utut bello cum Hiſpanis implicita Sveciæ inſigne ſubſidium pecuniarium contulerit, ac armis pariter cum ipſa rem etſi minore mole geſſerit. Et Galliam tunc pro gloria pugnaſſe Angliæ nunc pro ſalute certandum. E bello ipſorum maritimo nondum fructum in publico perceptum ac non conſtare, utrum magis privati lucri cauſa & ob commercia, quam ob commune bonum id bellum geratur, et ſi idem bellum ſumtus requirat, etiam lucrum inde proventurum, alias id plane omitti ſatius fore. 1658.

Sed

1653. Sed nec idem deinceps plus utilitatis fœderatis daturum, quam hucusque factum. Nam nosse Belgas artificium, absque periculo argentum huc adportandi: & Hispanos hactenus adeo parum id bellum curasse, ut eo flagrante novum bellum Lusitaniæ intulerint. Etsi ne istud quidem ad summam rerum faciat, & quo plus pecuniæ Hispani recipiant, eo uberiorem prædam esse, nec Sveciam superiore bello è pecunia Hispanica multum incommodi sensisse. Denique bello Austriaco stabiliri causam publicam, quæ Anglis semper in ore sit, propagari puriora sacra in Polonia, averti in Svecos hostem potentissimum, ut ipsi nullo obstante in Flandria rem gerere queant. Nec Regem unquam cum communi hoste pacem facturum, antequam Angliæ satisfactum sit. Quin & eundem peculiaribus quibusdam commodis rationi Anglicanæ gratificari posse, prout hujus studium in se reipsa deprehenderit. Istis auditis non parum Anglorum alacritati decedere videbatur, ac se amplius deliberaturos ferebant. Quo minus de fœdere in Daniam ageretur, nuntius de pace ibi concluſa efficiebat.

Post pacem Danis cum Anglis factam. 19. Mart.

§. 76. Post Roschildensem pacem Rex a Cromvello petebat, ut ejusdem evictionem in se reciperet, simul ut Belgas compesceret, ne eam pacem turbarent, in quibus Danis fiduciam repositam constet. Et quia jam maximum obstaculum fœderi, sublato bello Danico, amotum erat, paratum se invadendis Austriacis Rex ostendebat, modo ab amicis ad tantum opus exequendum necessariis subsidiis instruatur, quo fine diu agitatum fœdus idoneis conditionibus sit absolvendum. Ad hæc Cromvellus infinitam blandorum verborum vim profundere, hactenus plus præstare penes se non fuisse, guarantiam à se lubenter suscipi. Belgarum motus accurate observaturum, ne qua nocere queant, circa fœdus omnia facturum, suosque mandatis instructurum. Omnia supra votum, si res verbis responderent. Nec tamen eo alacrius fœdus, aut res pecu-
23. Mart. niaria succedebat. Et proximo congressu Angli querebantur, Svecicos Legatos minus candide Regis destinata cum ipsis communicare. Nam & famam esse, pacem in Polonia propediem futuram, & Legatorum Svecicorum Haf-

1653. niæ negotiationem fervere, ipsis ignoratam, cum tamen Belgarum amicitiam prope consumserint, dum ita acriter per Svecorum causa contendunt. Sed par dissimulatio Anglis vicissim exprobrabatur. Cæterum testabant Angli, se nolle Regi authores esse ad suscipiendum cum Austriacis bellum: sed si ultro istud susceperit, ad idem collaturos, quantum res domesticæ patiantur. Nec ea se gloriæ cupidine duci, ut exercitus in Germaniam mittere velint, rem viribus suis superiorem, & quibus haut expediat, militem tam longe domo disjungere. Sic quæ ab Anglis expectari poterant, huc redibant, ut acta Regis favore prosequerentur, Belgasque compescerent, si aperte huic infestos se ferrent, ac bellum in Hispanos acriter persequerentur, quo Austriæ parum inde subsidii venire queat, ac in universum hostes hostium, amici amicorum Sveciæ forent, pacem Danicam præstarent, ac Borussiam Svecis ne inviderent. Enimvero remoram negotio tunc injiciebat, quod Rex Scotiæ irruptionem in Angliam agitaret. Et quia Gallicum fœdus contra Austriacos tam languide movebat, Angli quoque non parum refrigerabantur. Et quæ Mazarinus ad Legatum Gallicum in Angliam scripserat de promovendo fœdere inter Sveciam & Angliam pro mero ludibrio habebantur. Triginta millia librarum dudum promissa quotidie repetebantur, nunquam solvebantur, quod Hispanicum bellum omnes proventus absorberet, ac turbulentus miles non nisi argento placari posset. Nec populum tributis onerare licebat, Parlamento re infecta dissoluto. Unde querebatur, Svecorum postulatum circa subsidia intolerabile sibi esse, ac plus satis se præstituros, si bellum in Flandria omni vi urgeant. Sed nec obscure *9. April.* innuebant, mala domestica obstare, quo minus exhibere possint, quantum cupiant, ac res ipsa exigat. Fœdus cum Rege se desiderare, sed perfectionem ejus differre, quoad è statu rerum suarum judicare liceat, quantum subsidii pecuniarii repræsentare queant, quod propitio populi genio, & salvis Regni legibus dispensandum sit, quo idem eo stabilius procedat, modo tam felicibus sibi esse contingat, ut domesticas res componere queant. Id quippe toto imperii sui tempore Cromvello longe

1658. moleſtiſſimum fuiſſe, quod per pecuniæ inopiam præſtare non potuerit, quæ promiſerit. Ea porro Cromvelli tunc deſtinata erant, Hiſpanicum bellum terra marique perſequi, tum claſſem in promtu habere, compeſcendis Belgarum conatibus, quos ſe haut amplius diſſimulaturum Regi confirmabat. Idem quoque Regi ſuadebat, ut quocunque modo Danos ad ſtrictius ſecum fœdus ineundum permoveat, quod nulla res ad Belgarum conſilia turbanda magis valeat, quam Borealium Regnorum conjunctio. Denique & de Boruſſia Regi ſe libenter gratificaturum profitebatur. Iſta uti Regi in ſe accepta erant, ita, quid demum circa fœdus, & quod potiſſimum reſpiciebat, pecuniarium ſubſidium futurum eſſet, noſſe cupiebat. Nam ſi nil ſolidi expectandum foret, inutiles tractatus abrumpi, & Friſendorfium inde diſcedere volebat.

Sveci Cromvellum urgent. 30. April.

§. 77. Nec ſegnius, quam juſſi erant, legati concluſionem tractatuum urgebant, quod Regi ſumma conſiliorum in horum eventu verſetur, ac jam tempus rei gerendæ labi incipiat, ac ni ab amicis & fœderatis ipſi, prout res exigit, ſubveniatur, conſilia temporibus & rebus eidem accommodanda eſſe. Inſinuabant inſuper Cromvello quæ Beuningius ſcripſerit, Medovium diſſeruiſſe ab ipſo progreſſus Regis in Mari Baltico limis oculis adſpici, nec pacem Danicam, ac futurum cum Dania fœdus per omnia eidem probari, ac quod Belgæ ſemina invidiæ inter Regem & ipſum ſpargere ſtudeant. Ad quæ Cromvellus erectis digitis ad jurantis morem negare, ſe Regis progreſſibus invidere, quin longe majores optare. Moram tractatuum excuſabat, quod hactenus de ſalute & vita ſolicitus fuerit: ſperare tamen eo jam redactam rem, ut ſaluti publicæ & amicorum curandæ vacare queat, ac per Parlamentum brevi convocandum effici quid poſſe. Denuo quoque Commiſſarios cum plenis mandatis deſignaturum, qui, quantum per domeſtica liceat, ad concluſionem cum ipſis properaturi ſint. Pecuniam ut Regi præſtet, propria ſe prædia pignori expoſiturum. Quæ tanta cum aſſeveratione proferebantur, ut ficti quid ſubeſſe haut poſſes agnoſcere. Ac oſtentando candori ſuo ultro indicium faciebat, quinam in conſilio ſtatus rebus Sveciæ faverent, & qui minus. Simul denuntiabat, modo domeſticas res ordinaſſet, ultro ſe negotium Svecicum feſtinaturum, ut eo minus importunitatis Legatis adhibendum foret. Cum multum temporis ſilentio elapſum eſſet, Sveci demum declarationem poſtulabant, vel dimiſſionem. Angli domeſticas turbas excuſabant, ac intra tres ſeptimanas triginta millia librarum ſe repræſentaturos, primo quoque die declaratione circa fœdus facienda. Jactabant præterea, decretum ſibi eſſe duplici ratione cum ipſis paciſci, velut Rex fidei ipſorum committat, quod omnia pro virium captu facturi ſint, vel ſi id non ſufficiat, ut de certa ſumma conveniatur conditioni temporum attemperanda, ea cum exceptione, ſi præter ſpem eo redigantur, ut promiſſa repræſentare ſupra vires ſit, ideo violati fœderis ne arguantur. Nam ſi nolle plura promittere, quam præſtare queant. Tum & expeditionem ſuam in Flandriam magni imputabant, per quam Hiſpani Auſtriacis ſubvenire impediantur. Aſt cum Sveci incertis promiſſis haut adquieſcerent, ac utique noſſe cuperent, quantum Angli præſtare valerent, hi omnia in ſpem futuri Parlamenti feliciter ſucceſſuri, & annuenda ab hoc tributa rejiciebant. Nec citra hujus conſenſum Cromvello integrum eſſe certis ſe ſubſidiis adſtringere. Enimvero iſta in longum prominebant, ac Parlamentum id non minus, quam proximum re infecta diſſolvi poterat. Repetebatur tamen paulo poſt Anglorum congreſſus, cum Svecis, ubi teſtationum immenſa vis, ac perſuadere illi hiſce conabantur, ut Rex, quæ ipſi hactenus contra Hiſpanum mari, ac nunc terra in Flandria geſſiſſent, æquivalentia ſuis deſtinatis æſtimet, aut ut liquidiorem declarationem ad inſtans Parlamentum expectare ne gravetur. Contra Sveci demonſtrabant, iſta in compenſationem deduci non poſſe. Nam ab Anglis bellum contra Hiſpanos jam cæptum peculiares ob rationes, ac in poſterum eo acrius perſequendum, quo validius à Rege Auſtriacorum vires diſtractæ fuerint. Sed Regis bellum in Auſtriacos nondum ſuſceptum, nec inevitabile, ac forte per

1658. 7. Maji. 21. Maji. 25. Maji.

Capi-

1658. Capitulationem Cæsaream intercipi posse, sic ut Regi integrum sit, in aliam occasionem id negotium differre, si à fœderatis sibi rite haut subveniatur. Domesticas ipsorum res per novem se menses incassum expectasse, ac Regem iis digerendis longiorem moram ferre non abnuere, sed nunc à tempore eundem urgeri, ut in alterutram partem certus sit, antequam expeditionem ingrediatur. Igitur liquida sibi declaratione opus esse, dubitationem negationis loco habituros. Unde Angli interrogabant, quid demum peterent, & ab ipsis expectarent, & quanto utique opus sit? Reponebant Sveci: decem millia librarum Anglicarum menstrua se petere, ac ut Belgas à Rege avertant, ac si necessitas exigat, Bremensi provinciæ proprio milite subveniant, accepta tamen pro hoc duntaxat officio solutione. Sane his majora à Rege Angliæ quondam Daniæ Regem bello Germanico fuisse stipulatum. Id quod Angli Cromvello relaturos se ferebant, obiter addito, maluisse se ipsos negotio manum admovere, ac ob evidentem utilitatem propriam, aliquid conferre, si Rex ipsis de certo loco, unde expeditionem suam ordiri possent, cavere voluisset. Nam à Rege oblata nullius pretii fuisse, aut talia, quæ ipse tueri nequiverit. Jepsonum eam fere solam ob causam ad Regem fuisse missum, sed hunc parum proclivem ad tale quid concedendum inveniisse. Ita irriti Sveci discessum minabantur.

Rex eas moras agre fert.

§. 78. Istas moras, ac repetitas subinde excusationes Rex ægre admodum ferebat, ac inprimis quod Angli arguerent ipsum in leges amicitiæ delinquere, quod de actis in Dania & tractatu cum Polonis istis haut communicarit. Nam judicabat ejusmodi prætexta inde provenire, quod declarationi circa summam rerum dilationem quærerent, vel Belgis aures præberent, qui ipsius actiones toti orbi suspectas reddere satagebant. Igitur de Danico fœdere responderi jubebat, id in nullius fraudem tendere, ac peculiarem securitatem Regnorum Borealium spectare, eoque fine initio tractatuum à Danis affectatum & propositum, ne hoc bello debilitati inimicis suis prædæ cederent. Cum igitur Sveciæ valde interfit, ne Dania cujusvis libidini exponatur, sed ut potius è Svecia præsidium petat, quam Belgarum se arbitrio iterum submittat, Regem in hos tractatus consensisse, qui cum neminem alium spectent, ut aliis communicentur, opus non fuisse. Etsi legatis Svecicis hactenus magis super executione pacis, quam aliis rebus laboratum fuerit. Circa pacem Polonicam nihil quidem adhuc fuisse actum, id tamen Cromvello nulla usi circuitione denuntiarent: quia amicis ipsius, Gallis, Anglis, & quibusdam in Germania Protestantibus causam communem amplecti non placeat, sibique soli totam molem sustinere tot hostibus simul incumbentibus non detur, amicis nil nisi verba conferentibus, nec statum suum amplius tanto periculo expositum relinquere consultum sit, pacem sibi non cum Polonia solum, sed & Austriacis quærendam, qua & brevi potiri queat. Ubi Cromvellus sensurus sit, quam damnosum ipsi fuerit, totam Pontificiæ factionis molem, quam nunc tam modica pecuniæ summa divertere licebat, in se solum traxisse. Demum extremam declarationem super fœdere exposcerent, quod inevitabiles rationes status nullam amplius moram ferant, præsertim quia res cum Austriacis nondum eo profecta sit, quin omnia facile per honestam compositionem in integrum restitui queant. In quem sensum & literæ à Rege ad Cromvellum dabantur.

Cromvelli declaratio.

§. 79. Hæc Regis mandata Sveci Thurlovio citra ambages exponebant, qui hactenus crediderat, generosum Caroli Gustavi animum haut idoneum digerendis Austriacorum injuriis esse, aut ut è bello sperata incrementa cum pace commutaret, præsertim cum nec rationes Regis ferrent, ut vel plane armis se exueret, vel numerosas copias propriis in ditionibus aleret. Unde is hoc sermone non parum turbatum se ostendebat, præsertim cum Legati discessui paratos se ferrent. Igitur paulo post id responsi à Cromvello referebat, se quidem, quid Rex circa Legatos disposuerit, corrigere non posse, ac si utique discedere placeat, id ferendum esse. Cæterum valde sibi acerbum accidere, quod à se hactenus capta consilia & actiones non aliam apud Regem ejusque Legatos opinionem generaverint, quam hunc non nisi inanibus promissis & infinitis dilationi-

1658. tionibus lactari, nec à se plura in futurum expectanda, cumprimis ægras hucusque domi res non plus commiserationis in animo Regis excitasse, cum tamen haut eo minus ipse in tam nobilem constantiam sese obfirmaverit, ut in Regis gratiam Belgas, aliosque gravissime offenderit, qui nunc ipsi magis quam Sveciæ succenseant. Imo cum decreverit universum potius orbem irritare, quam Regis partes deserere, his fulciendis quicquid facultatum sit periculo expositurus: cui fini ut capax foret, quotidie desudasse, & hoc ipso circa extremam suam sententiam adornandam sategisse. Quod si ergo abruptio tractatuum & Frisendorfii discessus eo spectet, dissimulare non posse, quin profiteatur, id summopere sibi displicere, nec tale quid unquam expectasse. Se ipsis Legatis judicandum relinquere, postquam Europæ oculos adverterint, velut arctissimam heic amicitiam & conjunctionem formaturi, quid utilitatis utrinque proventurum sit, si palam fiat, negotium tamdiu agitatum ita repente abruptum, & quanto gaudio Belgis futurum sit, si Zizania sua nullo impediente seminare, ac divisos impune insultare deinceps queant. An tanti esse moram paucarum septimanarum, ut ejus momenti negotium perimendum sit? Speravisse Cromvellum à Legatis Regem plenius de serio suo affectu edoctum fuisse. Ad quæ Sveci: Haut eam esse Regis mentem, ut amicitiam minuere, multo minus abrumpere velit. Sed quia jam tempus exigat bellum Austriacis facere, aut pacem cum iisdem habere, Regi citra moram constare debere, quid expectandum sibi ex Anglia sit, & num sat virium suppetat tanto negotio sustinendo, antequam id suscipiat. Ac ipsi merito ab Anglia initium faciendum, velut inter Protestantes potentissima, cujus amicitiæ quam maxime inniti queat, velut privati lucri rationibus haut corruptæ, sed cujus plus fortasse quam cujuspiam alterius interest, communem Evangelicorum rem salvam esse. Cujus exemplum non Protestantes solum in Germania, sed & ipsi Belgæ facillime imitaturi sint. Ut autem Rex absque cautione omnium his partibus addictorum molem suis humeris imponat, aut uti hactenus factum, sustineat, id nullam rationem dictitare. Ac tum demum Angliam sensuram, quantum lucri sibi adferat æmulorum vicinorum amicitia, quantum detrimenti pariat, à Rege vires hostium non amplius distrahi. Nunc autem quæstionem non esse, quo in statu Angli in præsens versentur, aut ad quem pervenire cogitent, & quid difficultatum unum aut alterum tempus comitetur. Nam nullum mortalium plane consilii expertem esse, in quocunque statu hæreat. Ac si utique caute velint procedere, sua consilia temporibus adaptarent, ac liquido pronuntiarent, quid in præsens facere possint ac velint, & quid futuris ac melioribus facturos se confidant. Nam id sane inauditum, ad vagas & incertas conditiones fœdus concludere. Angli his convicti dicebant, se id facturos bonorum virorum fide, ac rogabant, ut Legati sua destinata tamdiu differant, & secreta teneant, quoad ad Regem literas scripserint & responsum acceperint, Sveci reponebant, si intra paucos dies scriptam declarationem tradere velint, tantisper se eam cum patientia expectaturos, nec opus esse literis ad Regem datis, cum sibi satis mandatorum sit. Angli quoque intra octiduum pecuniam se daturos confirmabant. Aliquot diebus elapsis cum Sveci responsum postularent, iidem ostendebant, se statim cum ipsis fœdus concluturos, quod eosdem cum Rege amicos hostesque sint habituri. Super summa subsidiorum aliisque conditionibus itidem cum ipsis conventurum sibi spem esse, modo ne tam angusto tempore negotiationem circumscribant, ac responsum à Rege ad literas suas expectare velint. Interea se consultationibus vacare, quomodo ipsis satisfaciant. Pecuniam sibi non esse, nec modum eam parandi nosse, si vel de vita sua agatur, quoad Parlamentum convenerit, quod ad proximum mensem Septembrem convocare decreverint. Interim annum amplius circa ultro promissa triginta librarum millia se torquebant, quæ tamen ad extremum in irritum cadebant. Nec ideo pollicita cumulare desistebant, ac jam Regi imputabant victoriam suam in Flandria & Dunquercam captam, Eam urbem ipse Galliæ Rex Anglis 1658. 11. Jun.

1658. glis in manus tradiderat, ac Mazarinus conſcenſam & luſtratam Anglorum claſſem magna admiratione & laude tulerat, addito, non mirum eſſe, Galliam inſignibus progreſſibus contra Hiſpanos haut gaviſam, quod ejusmodi claſſe inſtructa non fuerit. Enimvero Anglia hucusque paſſa non fuerat Gallos ingentem claſſem parare, & cum quondam hi naves exſtruere & armare inciperent, Angli ſtatim ſciſcitatum miſerant, quo fine id fieret. Nam ſi Galli opus iis habeant, ab Anglis commodato accepturos. Ea denuntiatione ſi Galli nollent adquieſcere, Angli omnes ejusmodi naves, ubicunque iis potiri poſſent, invadere ac incendere ſolebant.

Angli eadem chorda oberrant.

18. Jun.

§. 80. Cum dehinc Sveci Anglos ſubinde monere non deſiſterent, Thurlovius jactabat, maximam ſe Regi injuriam facturos, ſi quid promittant, antequam exploratum ſit, num id à ſe præſtari poſſit. Interim alios fœderis articulos adaptandos, & de pecunia ad Parlamentum rejiciendum, ubi procuratores Svecorum futuri, ac ſupra votum rem præſtituri ſint. Aſt Sveci reponebant, caput de pecunia totius negotii fundamentum eſſe, qua deficiente reliqua omnia inania ſint. Demum poſt multas vacillationes iſte declarabat: ſuper articulo ſe ſtatim certi quid cum ipſis concluſuros. Sed ante Parlamentum pecuniam repræſentare tantis conatibus parem, id æque ſupra vires eſſe, quam è pumice aquam elicere. Poſt aliquot dies ipſe Cromvellus declarabat: affectus & voluntatis ſibi affatim, ſed ſumtuoſum bellum maritimum, expeditionem Flandricam, ſtatum domeſticum, nuperi Parlamenti pervicaciam, omnem ſibi facultatem ademiſſe, certum ſubſidium pecuniarium promittendi. Interim non poſſe improbare, nec diſſuadere, quæ Regem Sveciæ ſuæ conſervationis neceſſitas facere ſubigat. Sveci iſta ferre cogebantur, ne ultra vires iſtum urgere velle viderentur. Id tantum querebantur, hanc declarationem non ante aliquot menſes datam, cum tamen interim res ipſorum in deterius prolapſæ non ſint. Enimvero in ſingulos dies ipſis ſpem factam optati reſponſi, à quo hactenus ſumma rerum Svecicarum ſuſpenſa fuerit. Nunc hac declaratione Regis deſtinata plane

25. Jun.

alterari, ipſorumque agendi modum inſigni injuriæ ac damno Regi cedere, quippe qui tam firmis promiſſis ſuas rationes ſuperſtruxerit. Ad hæc Cromvellus humeros contrahere & ingemiſcere: Dolere id ſibi, ac neceſſitate ſe ad idem compelli. Si tamen ex æquo & bono cum ipſo agere velint, ſe ulterius hoc negotium cum Conſiliariis ſuis expenſurum. Sed ad Regem ſcripſiſſe, ac tractatum certo concluſurum, modo Legati præcipitato diſceſſu id non impediant. Rex his omnibus intellectis judicabat, Anglis haut eſſe ſolitam extèrarum rerum notitiam, quod propria ſua commoda ita neglectim haberent, non quidem quod idonea informatio deſit, ſed quia res aliter comprehendant, atque in ſe ſint. Nam ſe ipſo conſiderare, velut quorum totus Orbis indigeat, ipſi nullius auxilio opus habeant, ac uti toto orbe diviſi ſint, ita & ſolos in reliquum orbem pugnare poſſe. Cujus diverſum tamen experientia doceat, quippe cum nulla ratio, continentem incolens, tam ſæpe & à tam variis populis ſubjugata ſit, quam Britannia. Et quod iſtud poſt Normannorum tempora non amplius factum, id non domeſticis ipſorum viribus, ſed aliis plane cauſis adſcribendum, quippe cum ex eo tempore magis, quam antea, inteſtinis turbis fuerint diſtracti. Sed & illud ſatis obſervabatur, Cromvellum continuis ſucceſſibus id confidentiæ cepiſſe, ut ipſam fortunam in mancipio habere videretur. Denique *pacem* duntaxat *in diebus noſtris* Anglos quærere, futuri incurioſos, eoque illa tantum curare, quæ ſub manibus ſunt. Ac æſtimare quidem eos amicitiam Svecicam, ſed tanti eandem emere nolle, ac potius optare, ut Rex jam expeditionem ingreſſus ſit, quo ſtatim præſens emolumentum inde percipere poſſint. Sed & Gallorum tunc amicitia capti erant, qui tamen prudenter proſpexerant, ne Anglia aliquando ipſis foret formidabilis, inita conventione, ne quid in Flandria præter Dunquercam & Mardicum poſſideant, reliqua omnia penes Gallos ſint, & cumprimis Winoxberga Dunquercæ imminens, quæ & ipſa Angliæ oneri ſit, dum huic è Flandria nihil tributi alendo præſidio exigere liceat. Simul convenerant Galli, ne plus quam ſex militum millia in Flandriam mittere,

1658. mittere, Anglis integrum sit. Sed & constabat, Gallos juxta ac Belgas ad Svecorum in Anglia negotiationem turbandam cœcas per artes incumbere. 1658.

Angli negotiationem utcunque continuant. 21. Jul.

§. 81. Post aliquot dies interjectos denuo Svecos accedebant Anglici Commissarii sera jam vespera, qui mos ipsis erat, & paulo antequam tabellarii discederent, ut neque facultas esset, ex tempore ad meditatos ipsorum sermones respondendi, neque acta plene ad Regem referendi. Isti tunc proponebant: Sibi jussu Protectoris constitutum in tractatu progredi, ac si fieri possit, eidem colophonem imponere. Sed nunc ex quo tempore tractatus cœptus sit, res eousque mutatas, ut Rex in locum Austriacorum arma præcipue adversus Brandenburgicum, Gedanenses, &, uti fama sit, Lubecenses dirigat. Quo ipso incendium inter Protestantes oriturum sit magno cum emolumento & gaudio adversæ partis, simul scopum fœderis, qui sit defensio religionis Evangelicæ & libertatis publicæ, everti. Id quod Cromvello ingratum, ipsiusque persona indignum sit, nec futuro Parlamento adprobandum, si istud fœdere & auxilio lato fovere instituat, cum contra ad stabiliendam concordiam & salutem Protestantium omnem operam conferre gavisurus sit. Unde è Svecis nosse cupiebant, quousque destinata Regis adversus istos tendant, quo ministros suos idoneis mandatis instruere queant, vel ad amicam compositionem surgentium dissidiorum operam navaturi, vel cognita Regiæ causæ justitia aliis remediis eundem fulturi. Simul an & quousque Rex ad propositum scopum boni publici collimet, ut & ipsi consilia sua rite disponere queant, quousque fœdere inito & præstitis auxiliis in partes sibi descendendum sit. Quæ consiliorum communicatio non minus necessaria sit futura, quam societas animorum & armorum ab ipsis desiderata. Ad ea Sveci: ne externas rerum species normam consiliorum & actionum statuerent, sed serias potius Regis testificationes, & tractatus tandem al quando absolverent. Quæ ipsi augurentur destinata se ignorare. Sed quæ consilia Regem ipsorum cunctatio capessere adigat, eorum culpam penes se non esse. Cæterum in memoriam sibi revocarent Angli superiore hieme dicta, fœdus non è solis Protestantibus consistere posse ac debere, quod per quorundam prava consilia nobis ita felicibus esse haut detur, contra nec adversus Romana sacra, & omnes hisce addictos dirigendum, propter Gallos, Lusitanos & alios, quibus id prodesse queat. Unde & tunc utrinque placuisse numerum communium inimicorum definire nullo discrimine religionis, nempe omnes, qui Domui Austriacæ, Regibus Hispaniæ & Poloniæ quovis modo adhæreant, aut auxilia præstent. Quo posito Brandenburgicum, Belgas & Gedanenses non posse considerari velut Evangelicos, sed velut adhærentes Austriæ. Addebatur de actis Brandenburgici & Gedanensium, queis nulla metuendi causa sit, nisi quam istorum conscientia dictet. Neque vero Legatorum Brandenburgicorum negotium ita amicum fuisse, prout ipsi jactent, quod Regem adstringere vellent, ut certis conditionibus, quas ipsis sua libido suggesserat, cum Polonis juxta & Austriacis transigeret, terris insuper suis, ne à Regio exercitu tangerentur, stipulaturi. Cum tamen satis constet, Regem veteres & recentes hostes, quibus Brandenburgicus fœdere innexus est, nisi transitis hujus terris attingere non posse, ac cum ii satis nossent, eo tantum fine ista proponere voluisse, ut injuriæ suæ aliquem colorem circumponerent. Si itaque Regi ob positum terrarum Brandenburgicus primo invadendus sit, non id agi, ut hic primarius sit hostis, Austriaci accessorii loco censeantur: sed quia per rerum naturam saltus ejusmodi fieri nequeat, nec ratio belli ferat, hostem à tergo relinquere. Quod si Cromvellus interpositione sua Brandenburgicum ad alia consilia flectere queat, id optandum esse. Porro uti præpostere de Regis destinatis inquirat, fœdere nondum perfecto: ita æquitatem dictare, ut concluso licet fœdere Rex ad impossibilia ne adstringatur, ac susceptio communis causæ cum debito moderamine temporis & circumstantiarum intelligatur, sic ut Regi cum veteribus hostibus prius conciliari liceat, quam cum novis manum conferat, ac communem hostem non nisi quando

commo-

1658. commodum ipſi ſit, adoriri. Præſertim cum Rex haut valeat totam in ſe Germaniam irritare, niſi Gallia & Anglia juſtis cum exercitibus rem ſimul gerere velint, ſed duntaxat Auſtriacos per Boruſſiam & Poloniam invadere. Sed nec Regem adſtringi poſſe, quo minus ſe ipſi objicientes, ſalvo curſu fœderum & conſiliorum prius evertere poſſit, multo minus, ut ultro laceſſentes toleret. Hoc reſponſo Angli plane ſibi ſatisfactum teſtabantur, ac ſe deinceps magno ſtudio ad abſolvendum fœdus incubituros. 9. Jul. Igitur ſequenti congreſſu ſcopus fœderis definiebatur, qui non ſolo ſacrorum reſpectu abſolvatur, & unice in Catholicos tendat, ſed ut è Catholicorum factione promanantia conſilia exitioſa, quibus ſe nonnulli Evangelicorum in fraudem ſuarum partium innexuerint, per idonea remedia retundantur, ac communis libertas & æquilibrium Europæ, ac inprimis pax Germaniæ conſervetur. Inde procedebatur ad modum rei gerendæ, ubi Angli poſtulabant, ut provinciæ Auſtriacorum exprimerentur velut extremus fœderis ſcopus, ne ſedes belli in Brandenburgicis, aut aliis ditionibus collocetur. Tum ut certus modus exercitus, triginta bellatorum millia certumque tempus ordiendo bello deſignetur. Reponebant Sveci: Regem ita preſſe ſtringi non poſſe. Cæterum exercitum in promtu eſſe, ac ſola ſubſidia deficere. Prius tamen cum Moſco pacem ineundam, & contra illos cautionem proſpiciendam, qui à tergo infeſtare queant. Demum tamen declarabant Sveci, Regem tres menſes à ratihabito fœdere, ſi Angli debita rite præſtiterint, cum viginti quinque bellatorum millibus rem geſturum, qui numerus pro judicio Regis augeri vel minui queat. Sed cum Sveci interrogarent, quid viciſſim Angli præſtare velint? hi reponebant: an non Hiſpanicum & Flandricum bellum Regis actionibus æquivalere cenſendum ſit? Quod cum Sveci ſufficere negarent, hi ad Cromvellum ſe relaturos ferebant. Inde ſcripta Svecis declaratio tradebatur, ſed dilatoria, utut Sveci oſtenderent, quanti ipſis eſſet temporis diſpendium, ac Neoportus è Belgio expectaretur: conſilia ipſorum, turbaturus. Sed nimirum manum crumenæ admovere horrebant Angli, & quam minimo decidere cupiebant, qui tantos ſpiritus gerebant, ut ſubſidia ab aliis accipere potius, quam dare par judicarent. Inde ob receſſum Cromvelli 16. Jul. Hamptoncurtum aliquot dies incaſſum elabebantur. Cum inter hæc Sveci declarationem ſuper ſubſidiis urgerent, Angli ad prius mota ſuper Brandenburgico revolvebantur: cum è rejecta legatione pateat hunc peti, Cromvellum per conſcientiam in id conſentire non poſſe. Super hoc dubio cum ipſis ſatisfieret, denuo declaratio primo quoque die promittebatur. Cæterum conſtabat, Brandenburgicum Anglis per Belgas ſcrupulum ſuper actionibus Regis injicere. Cromvello diutius Hamptoncur- 23. Jul. ti morante, Sveci ad eum excurrebant, inprimis poſtulantes, ut ſi Belgæ Regis ſe deſtinatis objiciant, milite & navibus huic adſiſtat, id quod iſte laxioribus verbis pollicebatur; Cum etiam declarationem circa fœdus peterent, Cromvellus ſimulabat, ſe, ubi id negotium hæreat, ignorare, ac ſerio Turlovio imperabat, finem negotio imponere, ſed qui mox remoram injiciebat. Cum enim Cromvellus Thurlovium interrogaret: in quonam tractatus hæreret, hic reſpondebat: Svecos pecuniam velle. Sed id à ſe deliberari, num Angli eam debeant, ac eidem ſolvendo pares ſint, & inprimis, num rationis ſit, promittere, antequam exploratum ſit, promiſſum expleri poſſe. Interve- 26. Jul. niebat dein morbus filiæ Cromvelli, qui & ipſe moram negotio adferebat, ſimul Neoportus è Belgio adpellens Anglos refrigerabat, vires Regis admodum elevando. Et alias Angli ſatis torpebant, ubi ad pecuniam perventum erat, cujus inopia ipſi premebantur. Nam eo tempore Anglia argento valde exhauſta erat, incumbente exercitu terreſtri, & expeditionibus maritimis nullo fructu ſuſceptis, & quia privati opes ſuas fere occultabant. Sed & expectare cupiebant Angli, quomodo primus Regis impetus ſucceſſurus eſſet, ut eo tutius incederent. Repetebat interim Turlovius toties ingeſta, pecuniam ſe annuere non poſſe, niſi proximo Parlamento ſi articulum de pecunia in commodius tempus differre velint, &

1658. alia interim capita adornare, protinus se manum negotio admoturos.
6. Aug. Interim filia Cromvelli ipsi dilectissima fato fungebatur, & ipsius valetudo vacillabat. Neoportus quoque Regi invidiam faciebat, velut hic Borussiam retinere, Gedanumque & Lubecam subjugare institueret, pleno dominio Maris Baltici vindicando, specioſum morarum prætextum jam antea nil solidi agere cupientibus.

Rex tædio istarum morarum capitur. 8. Aug.

§. 82. Istæ morarum & excusationum in idem semper revolutarum ambages jam dudum Regis patientiam consumserant, ut Medovio eas non sine verborum acerbitate exprobraret. Quo intellecto Angli non parum perturbari videbantur, ac repetito colloquio priora de Brandenburgico & Gedanensibus ingerebant, sed ubi de subsidiis movebatur, præter inania verborum nil reponebant. Demum interrogabant, num concludere ipsis non placeat citra conditionem subsidiorum? Sveci respondebant, gratis ista nunc quæri, ad quæ infinities responderint. Quærebant quoque Angli, quid prærogativæ sibi circa commercia & vectigalia in Svecia tribuendum sit? Ad quæ Sveci: de hoc mature nimis moveri. Inter ista Cromvellus per Medovium Regi sequestrem se inter ipsum ac Polonos & Brandenburgicum obtulerat. Id quod Regi rejectum velut haut quadrans fœderi, quod agitabatur adversus Austriacos, Polonos eorumque adhærentes. Et cum Poloni Austriacorum instinctu Gallos sequestres recusarint, jam antea acceptatos, multo magis Anglos rejectum iri ob disparitatem sacrorum. Nec difficile erat Regi inde colligere, Cromvello fœdus cordi non esse, eumque tempus tantum inanibus verborum blanditiis extractum ire, quod crederet, Regem utique ultro cum Austriacis manus conserturum. Cæterum Cromvello demonstrare jubebantur legati, se non posse fœdus concludere, nisi etiam contra adhærentes Domus Austriacæ, quin commodius Regi esse, ob situm regionum cum Brandenburgico & Polonis simul quam cum solis Austriacis rem gerere. Et perinde fore, ac si quis Cromvello suadeat, Burgundiam aut Lucenburgicam invadere, a tergo relictis Flandriæ & Brabantiæ urbibus. Et quia sibi Borussiam gratis omittere non placeat, Poloni autem & Brandenburgicus, Austriacis inseparabiles, nisi hac cessa, pacem aspernentur, pacem cum Polonis nisi conjunctim cum Austriacis fieri non posse. Igitur nolle se Cromvellum invitum ad isthoc fœdus pertrahere, modo ut liquido mentem suam declararet, quo ipse consilia sua ad eam attemperare possit. Quod si ambigue respondeatur, Frisendorfius discederet. Medovio Rex dixerat: posse a se Cromvellum sequestrem acceptari, si valde velit, sed ea ipsa hora, qua is sequester adscitus sit, fœdus cum ipso inire non amplius posse, velut infructuosum. Et si dimissa Borussia pax cum Polonis facienda sit, cum Austriacis quoque se in gratiam rediturum. Ad quæ Angli reponebant, interpositionem illam in speciem quæsitam, quo Belgas & alios scopus fœderis celaretur. Cæterum se nil aliud quærere quam ut officia Regi exhibeant, sive ad pacem sive ad bellum cum Polonis res perveniat. Addebat Thurlovius: cum Rex ita acriter subsidia urgeat, quæ sibi tam difficulter expediantur, nec tamen ad summam rerum pertingant, scopum Regis videri, non Austriam, sed mare Balticum, cui negotio & Angliam implicare velit. Cum Frisendorfius ista refelleret, iterum inania verborum spargebantur, & quod utique Belgas, ne Regem invadant, cœrcere velint. Sed quo minus fœdus statim concludant, causam esse, quod incerti sint, quousque futurum Parlamentum pecunias suppeditaturum sit, promissis ipsorum repræsentandis.

Cromvellus Brandenburgicum Regi incassum conciliare nititur.

§. 83. Inter hæc Cromvellus Jepsonum ad Electorem Brandenburgicum miserat, huic suasurum, ut consilia & arma iterum cum Rege sociaret, qui cum ipse eosdem amicos hostesque habeat, utque operam det, quo Corona Cæsarea cuipiam extra Domum Austriacam conferatur, quæ Germaniam tamdiu exercitam tenuerit. Ei responsum: Electorem quidem cupere Regi arcto fœdere jungi, sed quia ipse in præsens Polonis illigetur, prius honestam rationem circumspiciendam, qua eo vinculo exsolvatur, eoque fine se Suerinum cum idoneis conditionibus ad Regem missurum. Cæterum se unum esse Electorem, nec Collegarum suffragia in manu sua habere: facturum

F
F
Breda

Digitized by Google

1658. rum tamen omnia, quæ tempus & occaſio ferat. Iſti Jepſono in Angliam
20. Jul. regredienti Rex ſuadebat, ut quia Belgæ nullo modo Cromvelli in Flandria progreſſus laturi ſint, ad hoſce compeſcendos Embdam occupare conaretur, cui fini ipſe operam collaturus ſit. Favente ſucceſſu longiuſcule à mari progrediendum, ac Meppam ſimul invadendam. Hoc modo Auſtriacorum delectus in Weſtphalia impediri poſſe, quos exinde in Belgium Hiſpanicum mittant. Et ea ratione ſe quoque non parum levari, & ex illo latere tutum præſtari, ut eo validius in Auſtriacos rem gerere poſſit. Sed ea conſilia mox ſecuta rerum converſio eluſit.

Inſtructio legatorum Sveciorum ad tractatus Polonicos.

§. 84. Initio hujus anni cum triplici bello Rex premeretur, Auſtriacis inſuper hoſtilia minantibus, levandæ oneris parti, & averruncando Regni ſui periculo conſultiſſimum eidem viſum, quod hactenus magno ſtudio quæſierat, tractatus cum Polonis ante omnia proſequi. Nam his amotis Dani validius premi poterant, tum & Moſci ferocia poſita pacem amplexuri erant, ſimul Auſtriacorum machinationes prævertebantur. In negotium aliquot ante menſes adornare Rex cæperat per Lumbranum Legatum Gallicum, ter in aulam Polonicam miſſo Akakia, qui reverſus retulerat, Joannem Caſimirum & Ordines Poloniæ in pacem inclinare, ac Gallum ſequeſtrem acceptaſſe, admiſſo quoque Belgarum officio. Ac brevi idem è Polonia reverſurus erat, ſuper præliminaribus ſententiam Polonorum relaturus. Hiſce tractatibus obeundis à Rege
de la Gardie. deſignati fuere Magnus Gabriel Gardius, Benedictus Oxenſtierna, Carolus Chriſtophorus Slippenbachius, Co-
Gyldenclo. mites & ſenatores, ac Andreas Gyldenclovius. Locum tractatuum Brandenburgicus Elector Francofurtum ad Oderam cupiebat. Sed Regi varias ob rationes locus aliquis in Boruſſia magis probabatur. Legatis injunctum iter non ingredi, niſi idoneis diplomatibus à Polonis, Auſtriacis & Brandenburgico allatis, deducente quoque præſidio militari Svecico & Polonico. Mediationi obeundæ adhibenda potiſſimum Lumbrani opera & Belgarum, ſi eam decenter Regi offerant. Brandenburgicus ſequeſtris munus non affectaverat, nec eo hiſce tractatibus adeo opus videbatur, ut hoc nomine à Rege monendus eſſet. Non tamen abnuebat Rex, quo minus iſte commoda ſua apud eos tractatus obſervaret, pacique includeretur. De quo & Rex Electori nupero congreſſu Slippenbachii cum Sverino ſpem fecerat. Circa locum aliquem Boruſſiæ tractatibus adhibendum perinde Regi erat, modo ipſius dignitati & legatorum ſecuritati caveatur, & locus congreſſuum ita adaptetur, ne rixa aliqua & offenſa in congreſſibus exſurgat. Tum ut ingreſſus, acceſſus & ſeſſio utrinque pariter honorabilis ſit, de quo legatis cum ſequeſtribus conveniendum. Tempus Regi proximum quodque maxime arridebat. Circumjecta regio ad aliquot milliaria bellicis moleſtiis eximenda, quo miniſtris Legatorum veredariisque, & ſi qui cum literis extra ordinem mittantur, acceſſus abitusque liber ſit. In diplomatibus diſerte exprimendum, ut tractatibus licet re infecta diſſolutis, Commiſſariis, quo placeat, libere diſcedere integrum ſit. Tum ut ſigillum reſpondeat titulo, ne ex illo Poloni quid prætenſionis ſibi reſervent. Majoris etiam ſecuritatis cauſa centenos aut ducentenos utrinque milites præſidio adſumere liceat. Quanquam autem is præcipuus ſequeſtrium uſus ſit, ne ipſæ partes congreſſæ rerum odioſarum diſceptatione exacerbentur, integrum tamen fore Commiſſariis ipſis ad maturandum negotium convenire, & per colloquium negotia componere. Circa procuratorium à Joanne Caſimiro dandum Poloni ſat ſpecioſe contendebant, ut ſingularia ſeponerentur, & tractatio haut eo ſecius procederet ea lege, ut quando circa princeps negotium transactum ſit, procuratoria ad eam normam utrinque formentur. Nam incongruum eſſe in procuratoriis aliquid decidi, quod primarium negotium tangat, & hoc deciſo nil amplius ſupereſſe, de quo tractetur, quippe eo ipſo ſublata belli cauſa. Enimvero obſervatum fuit, Polonos plerumque procuratoriis ſuis verba & ſententias inſeruiſſe, quibus Regi ſuo actionem ad Sveciam reſervare, Svecisque rebellionis aut defectionis à legitimo Rege notam adſpergere inſtituerant, ſæpe quoque Regis 1658

1658. Sveciæ vocabulum penitus omiſſe, in ejus locum nominatis Ordinibus Sveciæ, aut ſi iſtius nomen exprimerent, Regiam dignationem eidem detraxiſſe. Eam ob cauſam Sveci haut commodius remedium judicarant, actionem illam Regis Poloniæ elidendi, quam per procuratoria, & quia in hoc cardo controverſiæ vertebatur, circumſpecte admodum circa procuratoria egerant, ac in Polonicis ipſas minutias notarant, quod ingens Regi Regnoque Sveciæ, futurisque tractatibus præjudicium metuendum foret, ſi vel minimum conceſſiſſet. Eo fine Sveci per certas rationes evicerant, procuratoria & titulos ante omnia ad liquidum deducendos, ac anno 1629. rem eo deduxerant, ut Sigismundus, etſi reſervata ſua qualicunque actione, Guſtavo Adolfo plenum titulum tribuere neceſſum haberet. Anno 1635. longius proceſſum, ut clauſula reſervatoria diſpungeretur, ac titulus utrinque per ſigna *abbreviationis* mutilaretur, titulo Svecico apud ſolos Sveciæ Reges expreſſo. Id temperamentum metus erat, ne Poloni jactarent non niſi durantibus induciis locum habere, ac nunc ceſſare, poſtquam res in apertum bellum eruperit. Igitur Legatis utique pervincendum erat, poſtremum temperamentum *etcaterationum* in procuratoriis obſervandum, prorſus uti procuratoria cum titulis & ſigillis adornata fuerant, quæ Leſſinius & Naruſſevicius à Rege & Republica Poloniæ anno 1655. Holmiam attulerant. Præſertim quia flagrante jam bello ipſe Joannes Caſimirus mutilato titulo uſus erat, ac Carolo Guſtavo legitimum titulum, ſed itidem truncatum tribuerat, tam in literis, quas Prziemſcius apud oppidum Colam adferebat, quam in pacto deditionis Warſavienſis. De cætero Rex ſupervacuum ducebat, Legatos inter ipſos tractatus ultro, & niſi à Polonis neceſſitas adferatur, de jure Regni diſputare, ſed illud velut extra controverſiam ponere & declinare velut rem odioſam & abſoletam. Quia porro Ordinum Poloniæ procuratorio opus erat, & vero fieri poterat, ut interim comitia haut celebrarentur, quibus iſtorum plenipotentia expediri poſſet, eo caſu adquieſcebat Rex plenipotentia Senatorum, tam ſuo quam Ordinum nomine concepta in debita forma, & ad ratificationem Ordinum. Quia autem Joannes Caſimirus declaraverat, ſe non niſi communes tractatus admittere poſſe, adſcitis omnibus ſibi fœderatis, inprimis Auſtriacis & Danis, Regi videbatur, cum Danicum bellum ex alia plane Cauſa ortum, diſparique à Polonico indolis ſit, id merito ſeparatum locum, & diſceptandi modum deſiderare. Sed Auſtriacos, cum Polonico ſe bello ingeſſerint, meliore prætexto ad tractatus admitti poſſe, ne denegato acceſſu iisdem neceſſitas adferatur hoſce tractatus ac pacem Poloniæ impediendi. Sed ſi Poloni ad tractatus accedere nolint, niſi admiſſo Dano, id quoque Rex concedebat, ut tamen Danicum negotium non niſi per legatos Cromvelli, & Ducis Gottorpienſis diſceptetur, quibus à Polonis & Danis diplomata juſta forma ſpondanda. Quæ & pro Coſaccis & Ragozio poſtulanda erant, modo ipſi negotia ſua ibi tractare velint. Præliminaribus expeditis ad primarios tractatus accedendum. Ubi ſi Poloni pro ſolita ſibi inſolentia ruptas induciias exprobrent, Legati id declinarent eo prætexto, quod illud in præſens, quando pacis cauſa conventum ſit, non niſi exaſperandis animis faciat, nec ea res cujuspiam arbitrio ſubmittenda ſit. Sed ſi Polonis utique vulnus refricare placeat, Legati oſtenderent, graviſſimas rationes ſibi in promtu, quas genuinus induciarum ſenſus, & Polonorum actiones tam in bello Germanico, quam tractatibus Lubecenſibus ſuppediterent, ubi Svecis indignæ & intolerabiles conditiones propoſitæ, ac apud Polonos nihil minus deprehenſum, quam ſerium honeſtæ pacis ſtudium. Unde Regi neceſſitatem allatam Regni ſui ſecuritatem ſtabiliendi per eam viam, quam natura indulſit, ubi alterius ſaluti inſidiæ tenduntur. In ipſo pacis tractatu ab amneſtia initium faciendum, quæ omnibus modis perfecta eſſe debeat, ac ut illorum, qui Regi militarunt, perſonis, bonis ac dignitati caveatur, nec cuipiam fraudi ſint pacta à Palatinatibus & Quartanis cum ipſo inita. Nulla urbs Bonaſiæ nec civium quiſpiam ex odio partium, quibus addictus fuit, dignitatu, muneribus, bonisque ſuis exuatur, ſed ſtatu, qui ante bellum fuit, fruatur,

1658. tur, illæſis quoque provinciæ & oppidorum privilegiis. Ob bona depoſita in oppidis Boruſſiæ, quæ à Rege velut caduca aliis donata ſint, in hæc nulla actio detur, eademque ab omni reſtitutione immunia ſint, velut iſtis jure belli ablatis. Ne qua mutatio circa ſacra poſt hoc bellum in Boruſſia inſtituatur. Huic quoque tractatui includatur cauſa Ragozii & Coſaccorum. Quia Rex Ducis Croyani nomina penes Coronam Poloniæ hærentia in ſe pacto transtulerit, eoque titulo eidem dynaſtiam Slochovienſem in Pomerellia attribuerit, hæc eo tractatu ipſi confirmetur, ſub Regni Sveciæ protectione poſſidenda. Opera detur, ut Domus Radzivilia, ſi id petat, plene reſtituatur tam circa bona quam munera & beneficia regalia, quæ ante bellum poſſedit: Wittenbergius ipſiusque filius ad vitam fruatur Caſtellanatu Grona in ſolatium exhauſtarum injuſta captivitate moleſtiarum. Nec oblivione prætereundam cauſam Nobilium Polonorum & Boruſſiorum, qui nondum Regi Poloniæ reconciliati ſunt, inprimis Prziemſcii, Coritzcii & Niemericii, ut reſtituantur in bona, officia & beneficia, quibus ante bellum gaviſi ſint. Radzievius quoque in bona ſua hæreditaria & beneficia regalia, quæ antea poſſedit, reſtituatur, ut iis libere extra patriam ſuam frui queat, utque alterius Principis miniſterio ſe addicere liceat, ſi velit, modo ne ei apertum cum Polonia bellum ſit. Sed munia ejusdem Regis ac Reipublicæ gratiæ commendanda, ut de iis prout viſum, conveniant. Iſtas privatorum cauſas, à bello Polonico ortas, Legati initio quidem tangant. Sed impedimenti quid allaturæ ſint primario negotio, quod Regem & Regnum ſpectat, tantiſper ſeponantur, ac propius ad rem accedatur de ceſſione tituli & actionis, quam Rex Poloniæ in Regnum Sveciæ obtentat, ſuper qua lis per ſexaginta annos agitata ſit. Quod ſi Poloni initio de prætenſo in Sveciam jure jactare incipiant, prout Lubecæ auſi ſint poſtulare, ut Ordinum Sveciæ decretum ſuper Sigismundi ejusque poſterorum excluſione aboleatur, oſtendant, etſi iis hæc Polonis quantivis videatur, Svecis tamen eam leviorem haberi, quam quæ in controverſiam deduci mereatur. Equidem Sigismundum fuiſſe Regem Sveciæ, ſed legibus & certis conditionibus adſtrictum, à quibus cum diſceſſerit, Sveciamque cruento bello involverit eoque in hoſtem patriæ degenerarit, ipſum poſterosque omni jure ad Coronam excidiſſe. Joannem Caſimirum nunquam Regem Sveciæ fuiſſe, nunquam jus hæreditarium ad Coronam habuiſſe, quod dudum commiſſum fuerit, eoque per injuriam titulum Sueciæ uſurpaſſe. Poſt Sigismundum, cui ab Ordinibus Sveciæ abrogatum Regnum, imperaſſe Carolum IX. Guſtavum Adolfum, Chriſtinam, nunc regnare Carolum Guſtavum, cui Ordines ſe obſtrinxerint, qui nullum alium Regem agnoſcere poſſint nec velint, multo minus permiſſuri, ut vel apex de patriæ decreto adverſus Regis jus & faſtigium in dubium revocetur, & qui tale quid moveant, nil aliud quærere, quam ut ſtatum Regni funditus ſubvertant, omnemque paci viam occludant. Et quia Legati non venerint diſputatum de jure Regis aut lite Regni, velut quod magis utriusque partis animos exacerbaturum, quam tractatus promoturum ſit, nec judex detur, qui ſententiam ferre, aut in quem partes compromittere queant, omnes ejusmodi disceptationes in caſſum ſumi, poſtquam hæc cauſa non aliter, quam armis ex jure & more gentium decidi potuit. Sed ſi Polonis pax cordi ſit, eorum Commiſſarios eam disputationem mox omiſſuros, nec Joannem Caſimirum inanem ulterius litem moturum in Regnum Sveciæ, avitaque bona ibi ſita, cum tolli tam diuturnum & cruentum bellum non poſſit, niſi per ceſſionem, exciſa illa radice. Eam autem ceſſionem non ſolum pactis oportere inſeri, ſed & ſolenne ejusdem diploma, manu & ſigillo Joannis Caſimiri firmatum, exhibendum, quo pro ſe ſuisque hæredibus renuntiet omni juri ac prætenſioni in Sveciam ſubjectasque provincias ac univerſos ejus Regni ſubditos, tum avita ibi bona, ac regio titulo nunc & in futurum deſiſtat. Ubi & accuratiſſime providendum Legatis, ne quid heic inſeratur, quod illum dubium relinquat, aut vel minimam ſpeciem habeat, Joanni Caſimiro aliquid juris aut rationis in Sveciam & Majorum hæreditatem tribui. Inde urgendum, ut Poloni

Slochov.

1658. Svecis totam Livoniam cedant. Nam uti Svecia prioribus ſexennalibus induciis victam Livoniam una cum Mariæburgo, Elbinga, Pillavia & Haupto jure belli retinuerit, ita poſtquam Polonia variis modis viginti ſex annorum inducias violarit, Regem & Coronam Sveciæ reparandis acceptis injuriis damnisque merito exigere poſſe ceſſionem reliquæ Livoniæ, cum Curlandia & Semigallia ſalvo jure & ſtatu Ducis Curlandiæ, ac tanto fortius ei poſtulato inſiſtendum, quod Leſſinius & Naruſſevicius è decreto Comitiorum Warſavienſium, Anno 1655. in mandatis habuerint totam Livoniam cedere, ac, ſi id non ſufficiat, tres inſuper uncialium milliones addere, prout Niemericius & Myrcinius ſecreto retulerint. A Polonis quoque exigendam obligationem ad recuperandam propriis viribus & ſumtibus eam Livoniæ partem, quam Moſcus occupavit, Svecosque in ejus poſſeſſionem immittendos, ut tamen non definiatur certum tempus, intra quod Poloni eam Livoniæ partem Svecis tradere teneantur. Quæ traditio antequam fiat, videndum, num tantiſper cautionis in vicem locus aliquis accipi queat: ſin minus, ſcripta cautione adquieſcendum. Cum præterea Svecia merito ſatisfactionem exigat pro tantis ſumtibus factis, & quod Poloniam Moſcorum faucibus eripuerit, quod nec ipſi Poloni iniquum agnoſcant. Legatis initio haut figillatim declarandum, quid eo nomine poſtuletur, ſed ut iſti Polonorum ſuper ea re ſententiam explorare ſtudeant, ac ita rem moderentur, ut licitatio à Polonis proficiſcatur. Nec injuria id poſtulatum ad totam Boruſſiam porrigi poſſe ex hac æquitatis ratione, quod uti Svecia induciis Stumdorfianis publica fine & Polonorum promiſſis nixa, pacta inviolata ſervatum iri, Boruſſiam reſtituerit, ita ſecuritatis ſuæ gratia armis eandem provinciam recuperaſſe neceſſum habuerit, immenſis ſumtibus in id bellum factis. Cum enim à parte Polonorum cauſa ceſſarit, ob quam Sveci in reſtituendam Boruſſiam tunc conſenſerint, non potuiſſe alium inde effectum promanare, quam qui nunc ſecutus eſt, ut ad eam provinciam recuperandam iidem incumberent, quo nomine æquum ſit, læſæ parti de expenſis & damnis ſatisfieri. Enimvero quia Rex jam declararit, ſe Boruſſia 1658.
ceſſurum, non tamen addito, qua lege, aut quo redhoſtimento, non dubium eſſe, quin Poloni huic declarationi ſint inhæſuri. Igitur in refuſionem expenſarum & penſationem pro ablatorum reſtitutione ſummam pecuniæ exigendam, quæ à viginti ad ſex uncialium milliones remiſſione gradatim facta deſcendat, uno tempore numerandos. Ea ſumma quoad ſolvatur, hypothecæ titulo Regi relinquendam omnem, quam in præſens poſſidet, Boruſſiam cum omni jurisdictione citra exceptionem, ut à Sveciæ Regno dependeat, prout ejus pars ſexennalibus induciis à Svecis poſſeſſa fuit. Cui accedere debeat contra Thorunium ſitus Caſtellanatus Bydgoſtia ſeu Bromberga cum finibus & ſubjectis terris. Quod ſi Poloni Culmenſem Palatinatum in hypothecam concedere abnuant ob Thorunium & Viſtulæ navigationem, aut ob bona Eccleſiaſtica, ejus loco Næringia tota, aut quantum ejus Guſtavus Adolfus quondam tenuerit, cum aliqua pecuniæ ſumma tradatur. Thorunio tunc privilegia circa ſacra & civilia ſalva maneant, nec in idem detur actio ob depoſita, quæ Rex titulo caducorum abſtulit. Tum & ea civitas à Rege conceſſa retineat, inter quæ Cœnobium Monialium, templumque à Sigismundo oppidanis ſubtractum reſtituatur, nec urbs præſidio oneretur, ſi vel maxime decuriones jure præſidii in fraudem civium cedere velint. Plura loca Polonis tradere Rex nolebat, inprimis, quamdiu ipſi arctiore amicitia haut jungerentur. Quod ſi Poloni in favorem urbis Gedanenſis Hauptum reſtitui contendant, liberandæ fluminis navigationi, iis oſtendendum, id munimentum cum oppoſitis duobus caſtellis & vicis Keſemarco ac Smerbloco cedi non poſſe, quamdiu Rex nullum portum in Boruſſia poſſideat. Quia autem terræ in hypothecam conceſſæ non ſufficiant alendis validis præſidiis duodecim aut quatuordecim millium, Regi concedenda vectigalia ad Gedanum, Pillaviam & Memelam, prout illa ſexennalibus induciis taxata fuerint, aut ea ſaltem in tres partes dividenda, quarum unam Svecia, alteram Polonia, tertiam dominus loci, ubi vectigal exigitur, capiat: ac ut par ſit taxatio vectigalium dictis tribus locis, quam

Niemeritz. Myrzinſki. *Keſemarc. Smerbloc.*

1658. quam definire penes Regem Sveciæ sit. Quod si in partem vectigalis Memelensis hunc admittere nolint Polonus & Brandenburgicus, id inter se dividant, pari taxatione, quam Gedani & Pillaviæ. Regno insuper Sveciæ conferatur expectativa in Borussiam Electoralem linea mascula Electoris deficiente, id quod Polonis eo minus molestum sit futurum, quod ipsi nunquam in possessione ejus provinciæ fuerint. Aut si hoc nimis invidiosum videatur, & Poloni contendant, aliquot locis provinciæ Ducalis ob situs commoditatem regiam provinciam carere non posse, Regi saltem concedantur partes, quæ mare & Lacum Dulcem tangunt, inprimis Mons Regius & Samlandia cum præfecturis Tapiavia & Labiavia. Sit quoque Regi facultas saltem absque tympanorum strepitu militem conducendi per oppida Borussiæ, ut tamen peculiaris Poloniæ miles, aut qui alienæ jam militiæ se addixerunt, ne intercipiantur, & ut conducti minutis agminibus abducantur. Ac commodiorem locorum evacuationem inducias præmittendas. Interim Rex maneat in possessione omnium per Borussiam occupatorum, quoad ratificatio conventis quadrans exhibita fuerit. Intermedio tempore quilibet possessa teneat, prout induciis mos est. Tradita ratihabitione evacuentur loca, quæ jure perpetuo aut hypothecario penes Sveciam mansura non sunt. In restitutis locis relinquantur, omnes machinæ & apparatus bellicus qui ante bellum fuit, nisi durante hoc abductus fuerit. Sed aliunde allata iterum avehantur, Polonis necessariam vecturam subministraturis. Captivi utrinque restituantur, ac Poloni captivos in Tartaria Svecos intra certum tempus redemtos in Pomerania aut Borussia sistere teneantur. Cossaccis hi tractatus fraudi non sint, quibus & includantur, iidemque Legatos huc suos diplomatibus Polonicis instructos mittere queant commodis suis observandis. Si alio loco transigere velint, Regem sequestris vices obiturum. Ragozius non solum amnestiæ includatur, sed & onerosa obligatione à Polonis impacta absolvatur, præsertim cum ipsi promissa servata non sint, tum & ejusdem bona hæreditaria in Polonia restituantur. Si Moscus ea pace comprehendi velit, hac lege admittatur, ut restituat omnia loca hoc tractatu nominata, & quicquid in Livonia occupavit, simul omni prætensioni renuntiet, quam à Polonis ad ista se loca accepisse putet, ac ut pro damnis hoc bello illatis Sveciæ data pecuniæ summa satisfaciat. Circa Austriacos operam dent Legati, ut negotium cum Polonis prius transigatur, cum in progressu tractatuum satis adpariturum sit, quo animo in istos sint Poloni, ac num eos paci includere, ac ipsi cum Rege arctius contra eosdem jungi velint. Cæterum Legati cum Austriacis tractatus haut abnuant, sed ut omnia dissidia componantur, operam dent. Vicissim tamen Regi caveant Austriaci, eum sociosque ipsius in Germania adversus leges pacis directa aut obliqua via haut turbandos, nec eosdem bello Danico se ingesturos, nec urbis Bremensis aut Capituli causam defensuros. Tum ut Evangelici in provinciis hæreditariis libertate conscientiæ fruantur, aut saltem pro lubitu bona sua vendere queant, si emigrare placeat. Impediant quoque, ne Austriacis refusio expensarum hoc bello factarum promittatur, neu prætensione ad Coronam Polonicam potiantur. A Danis quoque, qui tunc utique Polonicis tractatibus adesse volebant, quid satisfactionis postulandum, Rex præscripserat, quod parum abibat ab illis, quæ post Roschildiæ convenere. Addebatur de observandis Hamburgi commodis: & quia Meclenburgicus Dux hoc bello non parum damni senserit, Danus actionem aboleat, quam nomine pecuniæ mutuo datæ in Ducem habet, reddita hujus syngrapha. Tum ut Lubecensibus pro damnis acceptis satisfiat, quod Rex transitu per ipsorum terras carere non potuerit. Denique si Poloni restitutionem è Warsavienſi tabulario actorum & documentorum exigant, Legati ad eam obstringi se posse negent, causati, vel eadem ante per ipsos Polonos ablata, quam Sveci Warsaviam pervenerint, vel post licentia militari distracta, nec à se iterum investiganda.

Königsberg. Tapiam. Labiam.

1658.

§. 85. Hisce mandatis quasi publicis adjungebantur secreta in hunc sensum: cum dubium non sit, quin Regina Poloniæ, & plerique Proceres magis indies periculum ab Austriacis immi-

Secreta instructio.

nens

1658. nens metuere incipiant, quod prætexto auxilii ab his ferendi sibi attraxere verosimile esse, ipsos optare, ut eosdem amoliri queant, si commoda occasio detur. Ad quem finem Galli haut segniter incubituri sint, tum ob propriam securitatem, ne isti accedente Polonia ipsis fiant intolerabiles, tum ob privatas Reginæ rationes, si Joanni Casimiro brevi quid humanitus accidat. Eam ob causam Legati quidem haut difficiles se exhibeant circa istos ad tractatum admittendos, pacique includendos, quod spes sit, Polonos ab istis ad pacem compulsum iri, ac ut Svecis in Borussia satisfactionem præstent. Nec minus tamen offensam inter Austriacos & Polonos glisscentem dextre in commodum suum vertant, ac si Austriaci postulatis Regis circa Borussiam & vectigal faveant, omnibus modis ipsos deliniant, promisso quoque, si Polonos ad ista præstanda compellere velint, Regem cum Gallis & Anglis fœdus haut initurum. Quæ tamen negotiatio non ab omnibus Legatis simul, sed à duobus tantum recte sit suscipienda. Ast si Austriaci illudere ipsis instituant, Polonos Gallosque in istos incitare studeant. Quod si Poloni favorem in Gallos ostendant, & Svecos Austriacis immittere cupiant, Legati eam rem in medio relinquant, jactantes, prius constare sibi debere, quo loco amicitia inter Sveciam Poloniamque sit, & occulte intestinas Polonorum, & cum Austriacis dissensiones foveant, initio plausibiles Polonis conditiones offerendo ad appetitum negotii excitandum: sed simul turbas ipsorum alant, ut eorum tædio Regem ultro auxilium poscant. Unde & initio Legatis haut verba facienda de fœdere, sed potius super Borussia vel cedenda, vel pro summa pecuniæ restituenda transigendum. Uter igitur seu Polonus seu Austriacus Sveciæ lautiores conditiones obtulerit, cum eo prius transigendum, potius tamen cum Polonis, si rite se gerant. Sed si Austriaci faciliores se ostendant, Legati Polonos & Gallos inter se committant, prout è re videbitur. Quod si Poloni Regem ad fœdus suum invitent, concesso Palatinatu Mariæburgensi cum Neringia Dantiscanorum & vectigali, jure perpetuo, simul expectativa in Ducalem Borussiam, ejusve partem, Regem statim Culmensem Palatinatum cessurum, accepta pecuniæ summa pro captu moderanda: ac ut Rex Hauptum castellum & Neringiam reddere non teneatur, quoad Pillaviam & Memelam vi expectativæ aut pacto cum Electore nactus sit. Ratio autem, quare Rex initio loca Borussiæ hypothecæ titulo obtinere malebat, erat, quod non dubitaret, successu temporis Polonos ultro ab ipso auxilia petituros, quo casu sat occasionum fore titulum possidendæ Borussiæ mutare. Quod si Poloni Agnatis Electoris in Franconia successionem Borussiæ concesserint, operam darent Legati, eam ita temperari, ut istis Agnatis dominium utile partium mediterranearum relinquatur, directo dominio penes Regnum Sveciæ manente, ut tamen penes hocce utrumque dominium in partes maritimas sit. Curlandiæ quoque & Semigalliæ insisterent, saltem ut, si aliud obtineri nequeat, expectativa in eam provinciam in casum extinctæ familiæ Ducalis, Sveciæ conferatur. Denique, si Regi Palatinatus Mariæburgensis jure perpetuo aut hypothecario cedi queat una cum Pillavia & Memela, Electorique è Culmensi districtu refusio fiat, Regem statim solo æquaturum Hauptum cum oppositis duobus castellis ea lege, ne ista à Polonis aut Gedanensibus unquam iterum extruantur. 1658.

Mandata Legatorum illustrantur.

§. 86. Cæterum uti Rex etiam post partam in Dania pacem ex hisce conditionibus non pauca moderaturus erat, modo conclusio maturaretur, ut, quo exercitus è Dania movendus foret, nosset: ita Poloni contra rem extractum ibant, artibus Austriacorum, quorum intererat, Regem molestia belli Polonici haut expediri. Unde Rex perspecta Polonorum pertinacia Legatis suis denuo injungebat, ut in præliminaribus circa titulum, diplomata & procuratoria nihilum à prioribus mandatis discedant, &, antequam Poloni ista præstiterint, tractatus ne auspicentur, sed expectent, quam viam Deus suppeditaturus sit isti negotio promovendo. Nam Poloni circa titulos eam inire rationem cupiebant, quæ in tractatibus anno 1629. & 1635. recepta fuerant. *25. Febr.*

Sed

1658. Sed quia Poloni per Legatos Holmiam missos, ac durante bello plura heic remiserant, Rex jam concessis, & quorum in possessione erat, merito insistebat. Cæterum quauquam facie rerum per Danicam pacem mutata satisfactio petenda non citra rationem insigniter intendi posset: tamen quia Rex magnopere isto bello quamprimum exsolvi cupiebat, conditiones ita temperare statuerat, ut de
22. Aprilis successu tractatuum dubitare non liceret, modo ad congressum Legatorum res deducta sit. Circa Cosaccorum diplomata concedenda si Poloni difficiles sese exhiberent, Legati demonstrarent, ita fœdere cum istis inito Regem stringi, ut citra eosdem tractare nequeat, idque in ipsius Poloniæ salutem cedere, si iidem huc admittantur, cum maxima nunc opportunitas allubescere videatur, solidam Poloniæ quietem stabiliendi. Satisfactionem haut ulterius intendere placebat, quam ut tractus litoralis cum vectigali & expectativa in Ducalem Borussiam peteretur, ac processo Culmensi Palatinatu, Pillavia & Memela cum Braunsberga. Sed si hostilia in Sveciam induerent, Elector, & Curlandiæ Dux, non dubitaturus erat Rex, integras eorum provincias citra exceptionem prætendere, ac spes erat, Polonos, velut qui nunquam has provincias possederant, minus difficiles fore circa easdem Sveciæ cedendas, quam circa totam Regiam Borussiam. Expeditissimam porro viam hæc obtinendi videri, si secreti cum Polonis tractatus promoveantur, ac promte citra strepitum concludantur, eaque res ante omnia clam Brandenburgicos peragatur, excluso quoque à negotii conscientia Slippenbachio, secretis tacendis parum capace. Ac Regis propediem in vicina cum exercitu accessus haut parum ponderis negotiationi additurus erat. Præsertim cum in secretos tractatus Regina quoque Poloniæ inclinaret, Austriacis juxta ac Brandenburgico infensa. Ad quos suscipiendos Rex Gyldenclovium mandatis instruebat, jussum tamen hoc negotium caute agere, ac inprimis observare, ut idonea à Polonis procuratoria adferantur, ac quinam viri ab hisce heic adhibeantur. Nam si procuratoria haut recte se haberent, sic ut Joannes Casimirus ad implenda promissa haut satis stringeretur, judicandum erat, eos tractatus non alio fine susceptos, quam explorandæ Regis sententiæ. Porro ut Poloni ad locum tractatus pertraherentur, haut efficacius remedium erat, quam de æquitate conditionum spem facere. Nam si intollerabilibus se conditionibus urgendos crederent, vel ex desperatione cum Moscis transacturi, vel Austriacis arctius sese innexuri erant. Ast nunc vel sola fama congressus Moscos ad pacem compulsura erat, qua ut Rex potiretur Sveciæ quam maxime intererat. Sed & eam ob causam Rex tota Borussia excedere consultum haut ducebat, quod non constaret, quis Poloniæ Regno post Joannis Casimiri fata potiturus esset. Nam contingere poterat, ut tunc Borussia in ejusmodi manus perveniret, unde plus periculi Sveciæ oriturum sit, quam si à Polono possideatur, nec tunc in proclivi fore, eandem tam iniquis possessoribus iterum eripere. Sic igitur hisce tractatibus cardo rei in eo præcipue vertebatur, ut Rex quidem declararet, Borussia se cessurum, adversa autem pars, quid satisfactionis eo nomine præstare velit. Enimvero uti Rex judicabat, prout tunc sese Poloniæ res habebant, pacem cum hac magis optandam quam sperandam, ita maxima cura erat, ut sibi suoque Regno idoneam securitatem conciliaret. Unde consultissimum videbatur, id agere, ut propositio de cedenda Borussia dextre declinaretur, ac adversæ parti necessitas adferretur, vicissim aliquid proponendi, per quod liquido super ea cedenda responso supersederi posset; simul ut, quantum licebat, invidia vitaretur, quæ apud amicos juxta ac hostes Regem mansura erat, si penitissima ipsius super Borussia mens inspiceretur. Igitur Legati Polonis ostendere jubebantur, Regi necessarium videri, ut circa Poloniam securitati suæ, tam in præsens, quam futurum tempus, quantum possit, prospiciat. Ac in præsens quidem Regi, antequam ullam declarationem edat, constare debere, quid satisfactionis Poloni dare decreverint. Tum quia iidem cum quibusdam Regis hostibus fœdere connectuntur, quid acturi sint, si hi in æquam pacem pariter consentire nolint, sed iniquis postulatis Regem

1658.

1658. urgeant, ac num eo casu Poloni à suis fœderatis separari se velint? circa futurum autem necessum fore, siquidem Rex in cessionem quarundam terrarum, accepta idonea satisfactione & cautione, consentire debeat, ut Poloni prius declarent, cuinam post obitum Joannis Casimiri coronam conferre velint, ut in antecessum Regi cautum sit, istum quoque successorem, quæ nunc ineantur, pacta observaturum. Nam antequam Regi constet, ea corona aliquem hostium suorum non potiturum, ad cessionem aliquarum terrarum, hoc bello partarum, descendere, suaque commoda è manibus amittere haut posse: nec prudentis esse, accepta duntaxat charta & atramento munita oppida reddere, ni cautum sit, Poloniam neque Austriacorum neque Moscorum fore.

Poloni tractatus declinant.

§. 87. Enimvero Polonis persuaderi haut poterat, Carolo Gustavo pacem serio cordi esse, sed eo duntaxat fide conventum Legatorum ab ipso quæri, ut Fœderatos Polonia avellat, ac Moscum hoc terriculamento ad pacem permoveat. Unde ad conventum accedere prius nolebant, quam Rex exponeret, quo pretio Borussiam restituere vellet. Ac sane Regis intentionem valde suspectam reddiderant secreta Slippenbachii colloquia, qui suo ex ingenio longe diversa differebat, ab illis, quæ Rex publice declaraverat, inter alia jactans, Regi majoris æstimari Borussiam, quam provincias bello Germanico partas. Tum & illud diligenter Rex egerat, ut Moscum in Polonos incitaret, & eo ipso tempore, quo de Borussiæ restitutione testatus fuerat, apud Leopoldum de partienda Polonia proposuerat, sic ut huic corona Poloniæ cederet Borussia penes Sveciam relicta. Sed & restitutioni Borussiæ annexa erat conditio satisfactionis, qua pro lubitu intensa, Rex tractatus abrumpere poterat. Quo accedebat, quod Rex Hungariæ Gallum sequestrem repudiaret, his rationibus allatis, quod sui legati Gallis priorem locum concedere non possent, & quod Gallus ipsi inimicus sit, velut qui apud Brandenburgicum institerit, ne suffragium eidem nanciscendo fastigio Cæsareo daret. Sed nec Gallos id agere constabat, ut honestam & tutam pacem Poloniæ conciliarent, sed ut Svecica arma Austriacis provinciis immitterent. Et quia reliqua capita inter Svecos & Polonos nil difficultatis habebant, ubi super Borussia convenisset, metuebant Austriaci, ne Gallorum opera pax promta sequeretur. Unde Poloni Braunsbergam, ubi prævia tractatio expedienda erat, Legatos mittere abnuebant, simul caveri sibi postulabant, ne Carolus Gustavus durante negotiatione Polonica cum Mosco tractaret. Tum & Austriacæ & Polonicæ copiæ ad fines Silesiæ & Pomeraniæ, observandis Svecici exercitus motibus collocabantur. 1658.

Gallorum & Belgarum opus circa pacem Polonicam.

§. 88. Inter hæc circa instruendos eos tractatus satagebant Lumbranus Gallicus, & Isbrantius Belgicus Legatus, quibuscum Poloniæ Vice Cancellarius Posnaniæ super satisfactione colloquebatur, quam Sveciæ Rex pro restitutione Borussiæ exigeret. Ubi Polonus quidem Joannis Casimiri nomine protestationem repetebat, se in satisfactionem, quæ prætendatur, haut consentire, cupere tamen cognoscere, quid & quantum Svecus postulet, ut ex eo judicari queat, serio is pacem, an minus velit. Nam si enormia petantur, indicio esse, istum à pace abhorrere, ac ideo duntaxat conventum Legatorum affectare, ut Fœderatis Poloniæ suspicionem injiciat, eosque hujus societate abstrahat. Ad quæ Legati reponebant? ignorare se modum satisfactionis, nec credere Svecum de ea significaturum, antequam ad tractatus perventum sit, quod istam intendi aut remitti moris sit pro successu armorum & rerum utrinque statu. Tentaturos se tamen, ut istum ad liquidam declarationem permoveant. Neque tamen è postulata ingenti summa statim colligi animum à pace aversum. Nam sæpe peti iniquum, ut æquum obtineatur. Reponebat Vice-Cancellarius, stare Joanni Casimiro sententiam, tractatus haut ordiri, ni exploratum sit, eosdem optatum exitum fortituros, nec eundem tanti momenti negotium fluctuare velle, sub ambiguis belli successibus: eoque pressiorem declarationem à Svecis exigendam, ut constet, statim atque Legati convenerint, negotium transigi posse. Sed quia ad hanc obtinendam spatio aliquo temporis opus sit, &

1658. & Joannes Caſimirus negotium quantum poſſit accelerari cupiat, teſtabatur, Joannem Caſimirum poſſe conſentire in conventum Legatorum non ſolum ſuper præliminaribus, ſed & primaria cauſa, ſi ipſi fide jubere poſſint, & velint, ſuſceptos tractatus utique ad finem perducendos, circa quos & ipſorum Principes cautionem præſtare non ſint recuſaturi. Id vero à ſe fieri poſſe Legati negabant, operam tamen enixam, & quantum in ſe ubertim polliciti. Reponebat Polonus: conſtare ſibi de ſtudio Principum, ac nulli ipſos operæ parſuros huic bello componendo. Præſentem tamen Poloniæ conditionem pleniore cautione opus habere de felici tractatuum eventu, antequam hos ullo modo queat ordiri, ne hinc periculo ludibrii ſe exponant, inde ſociis offenſam præbeant, Czari cumprimis, qui magno cum exercitu finibus Lithuaniæ immineat, ac, ne cum Svecis pax fiat, ſolennem proteſtationem interpoſuerit, ſimul liquidum reſponſum expoſcens, num conventionem Vilnenſem confirmare velint, an minus. Unde neceſſitas allata ſit intra decem ſeptimanas Comitia indicendi, quibus ea conventio ratificanda, & Czari ſatisfaciendum utique videatur, perpetua cum hoc pace inita, niſi ante eum diem plenior cautio à Sveco obtineatur. Ac pollicitus fuerat Czar, ſi ſibi aut filio Corona Poloniæ conferatur, ſe Reipublicæ Livoniam, Joanni Caſimiro Regnum Sveciæ redditurum, pace inſuper cum Coſaccis conciliata. Nec eo minus Legati conventum Braunsbergæ ſuper præliminaribus urgebant, velut nullam fœderatis ſuſpicionem daturum, cum primaria ibi cauſa non ſit agenda. Alias Regem crediturum Polonis pacem cordi non eſſe, ac ſibi ex eo anſam præbitum iri, Sveci mentem accuratius explorandi. Quæ etſi Polono non ſatisfacerent, promittebat tamen, ſe ad Joannem Caſimirum relaturum. Ita tunc negotium pacis ad declarationem ſuper ſatisfactione adhæreſcebat. Cæterum Polonia eo tempore in ſummo videbatur periculo verſari amittendæ libertatis, cui hinc Moſcus, inde Auſtriaci imminebant, promiſſa juxta ac minas oſtentantes, quorum cum uterque Polonicam libertatem licitaretur, omnes patriæ amantes cives optabant, æquis conditionibus cum Sveco poſſe decidi. Nec recuſaturi erant partem Boruſſiæ hypothecæ titulo Svecis relinquere, poſtquam tota ea provincia carere non poſſent, quæ vitalis quaſi ejus Regni ſpiritus ſit. Nec tamen ſalvos conductus pro Legatis Svecicis edere audebant, ne Sveciæ Rex eos nactus Moſco mitteret, ipſumque ad fœdus contra Polonos incitaret, quo facto Polonia conclamata videbatur. Etſi Poloni cum Sveco tractare, quam Moſci jugum ſubire mallent. Cum contra Lithuani non parum in Moſcum inclinarent, Polonosque ut cum hoc tranſigant, impellerent. Aſt ſequeſtres intellecta Polonorum ſententia Wismariam profecti ſunt, ut Carolum Guſtavum ad planiorem declarationem permoverent. Qui & Lumbrano teſtabatur, ut Moſcum ad pacem impelleret, ac Danico negotio eo acrius incumbere poſſet, ſe quinque uncialium millionibus contentum fore, imo & tribus, modo legati congreſſum accelerent, cui ſummæ etiam detrahendum ſit, quantum Ragozius Polonis ex pacto debebat. Pro qua ſumma Mariæburgenſem Palatinatum hypothecæ loco retinere velit. Qua Regis declaratione Lumbranus contentum ſe ferebat. Idem negotium Wismariæ agebat Isbrantius, præcipuam cauſam, quare Poloni Braunsbergam accedere graventur, eſſe, ne fœderatis ſuis ſuſpicionem injiciant, & quia prius certi eſſe velint, ſuſceptos cum Svecis tractatus brevi ad optatum finem deduci poſſe. Unde petebat, ut Rex extremam ſententiam circa pretium pro reddenda Boruſſia panderet, ſpe facta non præviam ſolum conventionem, ſed & ipſum tractatum ocyus ſucceſſurum, dummodo ſumma ſit moderata, & præſentibus Poloniæ viribus attemperata. Quo fine unum millionem uncialium proponebat, ſuper quo, ſi Regi videatur, cum Polonis acturus ſit. Ac negotiationi hoc tempus opportunum judicabat, durantibus adhuc Warſaviæ Comitiis, & quia nondum in apertum hoſtilitatem res cum Brandenburgico eruperat. Cui Rex reſpondebat: per ſe non ſtetiſſe, quo minus tractatus dudum inſtituti atque abſoluti ſint, ſuosque

1658.

22. Jul.

25. Jul.

1658. Legatos diu Stetini expectasse. Cæterum dignitati suæ rerumque suarum præsenti conditioni haut congruere petitam declarationem edere. Nec ulla se necessitate urgeri, ut Borussiæ decedat, eoque par esse, talia sibi offerri, quæ istam cessionem solari queant. Quod propositam millionem spectet, se quidem tres milliones daturum, si Borussia sibi relinquatur. Utrisque tamen id responsum scriptò tradebatur: Joannes Casimirus citra exceptionem in Regnum Sveciæ, & quæ inde pendent, Respublica in Livoniam renunciet, addita illa parte Livoniæ, quæ hucusque sub Polonia mansit. His accedat directum dominium in Curlandiam, velut à Livonia dependens, ac ut Dux eodem modo Sveciæ deinceps subsit, quo hactenus sub Polonia fuit, aut ut Duci pro Curlandia Samogitia detur. Pro Borussia extremum redhostimentum, quod acceptari possit, quinque milliones fore, ut tamen hoc postulatum de satisfactione pro cessione Borussiæ vim obligandi non habeat, priusquam ad tractatus accessum sit, & quidem his legibus, ut successio Regni Poloniæ neque Austriacis neque Moscis detur, ne Borussia in manus tam potentium Principum Sveciæ infestorum incidat, ac ne ipse Borussia teneatur excedere, quoad conventa pecuniæ summa plene soluta sit. Locum tractandi Braunsbergam fore, ac Legatos suos brevi in Borussiam profecturos. Addebatur monitum de diplomatibus, ut debita forma exhibeantur, omisso titulo & insignibus Sveciæ. Ad ista Isbrantius regerebat, Polonos negaturos Curlandiam à Livonia dependere, quam ipsi partem Lithuaniæ contendant. Quinque milliones exsolvere supra vires Polonorum esse, & Polonos ad desperata consilia impulsum iri, ut cum Mosco transigant. Cui Slippenbachius reponebat: à desperatione nullum esse Joanni Casimiro periculum. Tractatum cum Moscis ludibrium esse, nec Polonos eam dementiam subiturum, ut Moscum Regem ultro adsciscant. Enimvero Carolo Gustavo in manu esse Mosco successionem in Polonia conciliare, traditis locis, quæ ipse in Polonia teneat, pro quibus lautas ab isto conditiones stipulari liceat. Per propositos quinque milliones Polonis caveri, quod Rex majorem summam non sit postulaturus, non quod immotus iisdem insistere velit. Nam si Poloni circa alia capita faciles sint, aliquid remitti posse. Hac cum declaratione uterque Legatus in Poloniam remeabat. Sed nimirum in eum prolapsa statum erat Polonia, ut propriis è consiliis non amplius penderet, ejusque pax in aliena manu esset. Ac Warsaviæ decretum fuerat, Czaris filium Romano ritu imbuendum, si diademate Polonico potiri velit, manifesto in Moscos ludibrio. 1658.

§. 89. In Borussia ab initio anni nihil gestum, quod ad summam rerum faceret, nec Poloni digresso in Daniam Rege, & pulso Ragozio in oppida Borussiæ à Svecis occupata, quid tentaverant, suspicione ac diffidentia, ne & ista Austriaci suo milite insidere vellent, uti Cracoviæ fecerant, ubi ab oppidanis juramentum fidelitatis exegerant. Unde minus malum habebatur ea tantisper à Svecis obtineri, quam in istorum manus incidere. Descendebant tamen bis mille quingenti Austriaci milites hybernis in Warmiensi præsulatu fruituri, quorum Dux Gotofredus Heisterus, dum incautius Mariæburgo propinquat, à Svecis equitibus interceptus eodem captivus abstrahitur. Quem ut redimerent Poloni Joannem Wrangelium Zamoiscii detentum, inde Laurentium Cantersteinium & Slangenfeldium pro ipso permutare volebant. Sed maluerat Rex Israelem Ridderhielmium à Tartaris captum, pro isto libertati restitui. Etsi Heisterus ille post aliquot menses custodia elapsus ad suos rediit, fugam contra datam à se fidem susceptam haut alio colore excusans, quam quod arcta nimis custodia septus, ac permutatio ipsius tamdiu dilata fuisset. Iidem porro Austriaci, antequam Frauenburgi consedissent, non paucos hinc inde à Svecicis catervis interceptos amiserant, aliquos transfugia, aut frigus in itinere absumserant. Præcipuus istis scopus fuerat, aperta Borussiæ loca exedere, ne Svecis usui esse possent. Cum Gedanensibus secreti tractatus agitati fuerant, inprimis super obturandis Vistulæ aggeribus, ac ut Hauptum recuperarent. Sed Rex de istis non alia conditione annuere volebant, quam liberato Königsmarckio. Sed

Per Borussiam gesta.

Heister.

Slangenfeld.

Ridderhielm.

isti

1. Conjuges [illegible]ensissim. Regina Femina[illegible]ria.

4. Cives Holmenſes Armati

5. Equitatus Legionis Splendidæ in foro Suburbii Septentrionalis.

BIBLIOTECA

Digitized by Google



1. Ana Vidua Hermelis Fleaxea.
2. Duobus Senatoribus Reg. Illustr. Dn. Barone
Illustr. Dn. Barone Carolo Mornero.
3. Sustinebant Ill. Dn. Com. Stenbock et
Sparre cum Dn. Ioanne Ekeblad
9. Marschallus Illustr. Dn. Gulielmus Taube
Regn. Sue. Senator.
10. Duo Reges Armorum Dn. Ericus Gyldenbrack
et Dn. Ake Wrang.
11. Satellites Reginam ab utraq. latere Stipantes.

4

BIBLIOTECA NAPOLI

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Livonia
Finnonia
Septentrionalis
Uplandia
Palatium
Admiralitatis
ADOLPHUS IOANNES .
1. Illustr. Dn. Ba
2. Illustr. Dn. Bar
3. Illustr. Dn. Bar
4 Illustr. Dn. Bar
5. Illustr. Dn. Com
18. Serenißimus Rex CAROLUS . portabatur
19 Extrema Pally Regij lorabantur a duobus Cubicullariis
Dn. Gustavo Lillie crona . et
20 Dn. Baro Gustavo Ulfvaare .
NAPOLI

Digitized by Google

Esthonia
Sudermania
Suburbium Meridionale
F E R R A R I V M
NAPOLI

Digitized by Google



H

Dn. Baro Axelius Leyonyhjeld, et Dn. Pohlman.
Wahustium. Dn. Carolus Schoding.
Dn. Gabriel Falkenberg, et Dn. Rumsward.
Osilia. Dn. Iacobus Tornshield.
Dn. Carolus Falkenberg, et Dn. Kuhlbars.
Carelia. Dn. Iohannes Printz.
Dn. Birnus Gyllenankar, et Dn. Taurell.
Westmannia. Dn. Andreas Appelbohm.
25. Dn. Petrus Ulf, et Dn. Linde.
26. Bremæ. Dn. Iohannes Gream.
25. Dn. Ioannes Stiarna, et Dn. Bernardus Tiernhusen.
26. Verda. Dn. Ludovicus Fritz.
27. Dn. Magnus Thesenhusin, et Dn. Nachitz.
28. Stettinum. Dn. Erland Kasle.
29. Dn. Gyllu patrum, et Dn. Rosenschield.

NAPOLI

9

Digitized by Google



. Dn. Andreas Poſſe.
. Ornehufvud. & Dn. dela mott.
Dn. Nicolaus Nicolai ab Broekum.
Silfver mucquet. & Dn. Ioan. Reſenſchiold.
. & Dn. Uddfeldt.
. & Dn. Erich Stiern Krentz.
alat. Wilhelmus Brakenhielm.
. Lyſing. & Guſtavus Oxenſtierna.

27. Nylandia. Dn. Daniel Uttermarck.
28. Dn. Ioannes Dudren. & Dn. Hartvicus Nyding.
29. Dalalia. Dn. Trobanus Wadenkiamb.
30. Dn. Stiernhöök Iunior. & Dn. Laurentius Ekeberg.
31. Bothnia Orientalis. Dn. Wiſtenbergh.
32. Dn. Johan. Gyldenpiſtohl. & Dn. Laurentius Lilliecrantz.
33. Blekingia. Dn. Simon Roſenbergh.
34. Dn. Petrus Teet. & Dn. Gabriel Kloeckerſchiöld.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Gestrikia . Dn. Emanuel de Geer .
Dn. Reinc et Johannes Appelgren .
Medelpadia . Dn. Jonas Burs .
Dn. Stephanus Lohhammar, & Dn. Joanna Klärk .
Palatinatus Rheni . Dn. Bahr .
Dn. Magnus Ongelen, et Dn. Gerädt .
Bavaria . Dn. David Gyllenklou .
Dn. Ioannes Soop, et Martinus Berling Junior.

27. Juliacum . Joh. Marquardus Sternhielm .
28. Dn. Otto de Mengden, & Tungell .
29. Clivia . Dn. Johan. Axelsen .
30. Dn. Berthar. Taube de meidel, et Dn. de Voll .
31. Montes . Dn. Johan. Papekaya .
32. Dn. Andreas Sörg Junior, & Dn. Brakell .
33. Veldentz . Dn. Sahell .
34. Dn. Adam Scheurs, & Dn. Gustavus Wrangelius de Hamar.

NAPOLI

Digitized by Google

Palatinatus
Templ. S.ti Francisci
ovulgo Rulderholmkirka

Digitized by Google


MESELANDT
FLU
Aggeris pro
formandi
incept.
Turrium Suer. Pom. aggerum collocatio.
NTOUW
DER

Digitized by Google

Ichnographia
ppidi et Castri MARIEBURGI in Prussia Re
a foederatis Austriacorum, et Polonorum Exercitibus, d. 12 Julij An°
obsidione cincti, sed quæ 30. Septemb. eiusdem anni iterum solvebatur.
Notarum Explicatio.
nd. Mariburgum. B. Castrum Vetus. C. Castrum Novum. D. Opera à Succis
exstata. E. Turris Buttermilchs Turm dicta. F. Turris Rätzturm. G. Turris Civit
arris Danzicanorum. I. Pistrinum. K. Armamentarium. L. Forcipulæ vulgo Te
lle. M. Mortaria Succorum. N. Mortaria Polonorum. O. Polon. Opera et acces
is. P. Succor. accessus, quib' hosti obviam ibatur. Q. Suggest. Polon. octo maioribus
et duob' minoribus tormentis instructus. R. Dolium pilis Granatensib' repletum a
Polon. aggeri infossa. S. Castelli Polon. Campestre. T. Templ. Mariaburgense.

Digitized by Google



1. Du Tribunus P… nductores. Scortarus Ioh. Schantz et
Equester Up… edus Wolker.
2. Du. Protribun…
Wgt man…

6. Baronissæ et Virgines Nobiles 172 paria.
7. Baronissæ et Nobiles fœminæ 162 paria.
8. Cives Holmenses Armati pompam claudentes.

BIBLIOTECA NAPOLI

Digitized by Google

1658. isti malebant haut exigua damna perferre, quæ denuo irruentes per abruptos aggeres aquæ dabant, quam tanti nominis ducem è manibus amittere. Et Rex malebat secretis istis tractatibus à Fratre supersederi, quod speraret, confecto bello Danico Gedanensibus haut parum ferociæ decessurum. Ast Poloni in Culmensi Palatinatu hibernantes Thorunienſi & Strasburgensi præsidio interceptis subvectionibus famem conciliatum ibant. Inde Lipincam arcem assultu expugnare aggressi à Bomstorfio subtribuno, qui id insidebat, rejecti sunt, desideratis quadraginta amplius. Iidem quoque vacuum castellum apud Lissoviam vicum cis Vistulam situm occupaverant, ac munire cæperant, ut ex eo Majorem insulam infestarent. Sed Dux Adolfus Joannes contracta manu strenue licet resistentes, mille etiam Gedanensibus ex altera ripa fulminantibus, ad deditionem compulit, & dimissis ductoribus quadringentos, qui superfuerant, gregarios sub sua signa redegit. Sed & Joannes Pleitnerus tribunus Strasburgo subinde excurrens non parum prædæ captivorumque in oppidum pertrahebat, & quia Poloni molendina ejus oppidi incenderant, captivi molis manuariis farinæ conficiendæ admovebantur. Sed & Thorunii præfectus Bartholdus Hartvicus Bulovius assumto tribuno Drakio Brombergam primo diluculo irrupit, ubi duæ cohortes præsidium agitabant, quas magnam partem concidit, octoginta captivos insigni cum præda abduxit. Mense Majo à Rege missæ in Borussiam adpulere duodecim peditum centuriæ, supplendis præsidiis, quæ in Neringia, in terram exponebantur, quarum exscensioni tuendæ Dux Adolfus Joannes cum equitatu ad littus tantisper stationem ceperat. Ex his trecenti sexaginta Thorunium destinabantur, qui Graudentum jam progressi flumine Thorunium penetrare non amplius poterant, quod Poloni in utraque ripa stativa posuissent, insessa insuper medio in flumine insula. Eosdem cum adsumta equitum manu eodem deducere instituerat Wurtzburgius supremus vigiliarum præfectus apud Mariævverderam Czarnecium obvium habuit, qui cum confecta pugna, cum hic numero prævaleret, isti fortiter pugnando Stumam recedendum erat, non amplius sex suorum desideratis. Sed è peditibus illis, cum secundo flumine Graudento descenderent, quinquaginta duobus cymbis apud Meram vado adhærentibus in manus hostium inciderunt. Cæterum multa jam æstate Austriaci ex hibernis Warmiensibus Thorunium versus adscenderant, quo & alii diversis è locis accedebant, obsidio cominus isti urbi circumponendo, quo & post finita Warsaviæ Comitia ipse Joannes Casimirus se conferebat. Animus fuerat Adolfo Joanni digressis Austriacis Warmiensem præsulatum tributis subjicere. Sed præverterunt Brandenburgici infesso Frauenburgo, & custodito Passario flumine, ne Sveci illuc penetrare possent. Qui plura indies hostilia patrare cæperunt, direptis Elbingensium vicis, interceptis mercibus & palantibus militibus. Nec tamen hostes adhuc profiteri se volebant, ac videbantur, expectare, ut à Svecis prima aggressio fieret. Inter hæc Adolfus Joannes Dux apud Mesolentiam navali ponte Vistulam stravefat, suspicioni excitandæ, velut Rex Chilonio in Borussiam navigaturus esset, ut ibi eum exciperet. Unde & Brandenburgici littus in Neringia insederant, prohibendæ exscensioni. Ast mox cum cognitum foret, Regem in Selandiam adpulisse, Svecicæ quidem copiæ per Borussiam animis non parum collabebantur, quæ Regis adventu incumbentibus se hostibus levatum iri speraverant. Simul oppidani juxta atque agrestes rerum Svecicarum desperatione contumaciam induebant. Ac prementi jam pecuniæ inopia, & tenuitate annonæ famem & obsidia horrore præcipiebant. Cum contra Poloni atque Austriaci Suchio Duce obsidio Thorunii per otium varent.

April. *Lipinca.* *Bomstorf.* *Lissov.* *Pleitner.* *Bulow.* *Drake.* *Wurtzburg.* *Mariaw-verder.* *Jun.* *Mesolenta.*

§. 90. Postquam Rex è literis Legatorum suorum Moscoviæ detentorum intellexisset, spem pacis cum Moscis affulgere, omni studio eam amplecti statuit. Eoque Magno Gardio injunxit nullum momentum negligere, ac omnes respectus ac scrupulos, quos fovere videbatur, seponere, ac presse mandata sua exsequi Literæ, quæ à Rege ad Legatos dabantur, sine occultis notis scribebantur, quod eas Mosci utique resignaturi essent, quo pacem ab ipso serio quæri perspicerent.

Rex pacis cum Mosco est cupidus.

1658. Non repugnabat porro Rex, ut initio induciæ inirentur, monens tamen, ne ideo suæ copiæ in securitatem laxarentur. Tum ne Gardius has ulterius vano labore attereret, neu plures milites è Finnonia petendo ejus provinciæ limites nudaret. Nec ignotum sibi, istis locis supplemento opus esse, sed unde id petendum sit, nihil consilii suggeri. Sane cui multi simul hostes incumbant, ubi suas vires dissipet, nullibi operæ pretium facere: sed unum hostium tota vi quantum detur premendum, ut reliqua inde servari ac defendi queant. Cæterum quia hostes Regis, si de Moschi in pacem inclinatione perciperent, sine dubio ad ipsum inde avertendum connixuri erant, Slippenbachius & Wolfsbergius Berolini eam rem elevare jussi sunt, jactantes, à Legatis missum nil nisi pecunias quæsiviſſe istorum suspentationi. Quin & concluſa cum Danis pace Rex Legatis ad tractatus Moscicos scribebat, ita hanc victoriam in usus suos verterent, ut tamen inde à pace, quæ præcipuus scopus sit, ne exciderent, neu conditiones nimium intendendo Moscos protelarent. Rex porro ad literas à Conrado Bernero allatas declaraverat, se utique pacem cum Moscis cupere, ac Legatos hactenus detentos, sed nunc liberos dimittendos, tractatibus vacaturos, quibus eo fine nova procuratoria & mandata mittantur. Tractatus in limite suscipiendos, quo loco commodissimum videatur. Nec de successu dubitandum, quod utraque pars pacem adpetat, modo nemo se ingerat, qui privatas ob rationes negotium turbet. Legati insuper Czari confirmarent, Regem posthabitis aliis respectibus immotum persistere in proposito amicitiam & pacem cum ipso instaurandi: ac sperare, Czarem Polonos circa hanc præventurum, ac res suas adversus hos insigniter firmaturum. Præsertim cum plus adhuc fallaciarum ipsi à Polonis sit expectandum, quam à Danis, qui prolixe eidem caverant, se cum Svecis citra ipsius consensum pacem haut facturos. Inprimis autem Moscis nunc pulcerrimam occasionem præberi, intolerabilem injuriam & ignominiam ulciscendi, à Polonis & Austriacis illatam, Corona Polonica ultro ostentata, ac prostituta, nunc cum ludibrio retractata.

20. Febr. Berner.

15. Mart. Haut eo minus tamen spem Regis de-

pace cum Mosco obtinenda turbabat, quod is nuper valida cum manu Ingriam irrupisset, ac Jamam oppugnare instituisset. Vulgata tamen jam pace Danica mox erupturum erat, quid is animo foveret, ac si in transversum abiret, protinus impressionem aliquam in eundem facere decreverat. Unde & Wrangelio injungebat, paratum se teneret ad valida supplementa in Livoniam adducenda, & Cakenhusam expugnandam, quo Mosci conatus præverterentur, denuo Rigæ ac Revaliæ minantis; idemque ereptis grandioribus machinis, & adparatu bellico ibi depositis ad amplectendam pacem compelleretur. Interim Rex Helmfeldio Rigæ Gubernatori injungebat, ne Moscos lacesseret, quoad adpareret, num hi serio ad tractatus descendere velint, an minus.

1658. Jama. 2. April.

§. 91. Contra mense Martio quinque Moscorum millia in Ingriam irruptione facta Narvæ circumtusa postulabant, uti aliquis ex oppido colloquii causa ad ipsos accederet. Ad quos à Christierno Hornio Lodius emittebatur. Huic Govvanscius Moscorum Dux proponebat, ut terra sancta, tam validis arcibus firmata, quæ ab exordio mundi ad Czarem pertinuerit (ea verba erant) huic restituatur, alias hunc vi eam sibi vindicaturum. Cui pro ferocia militari responsum datum. Et commodum sequenti die supplicatio pro parta pace Danica habebatur, ubi Narvæ juxta ac Ivvanogrodæ omnes circa machinæ displodebantur. Isti festivi strepitus per omnia Livoniæ oppida pariter auditi, non parum consternationis Moscis adferebant, quod nulla natio sit, quæ magis inanibus ducatur, & apud quam plus exterior species valeat. Scrupulum quoque ipsis injiciebat, quod Magnus Gardius è Livonia evocatus esset, obeundis cum Polono tractatibus. Nam metus erat, ne ipsi à Polonis præverterentur. Indicium quoque desideratæ ab iis pacis erat, quod Legatum Anglicum digressum tam solicite in Curlandia & Borussia investigatum mitterent, quem revocare cupiebant, quodque Berneri reditum a Rege anxie expectarent. Inter hæc Mosci Jamæ obsidium susceperant, quam incassum non sine sua strage oppugnatam demum eo redegerant, ut præfectus deficiente pulvere super deditione transigeret. Ac jam intra

Moſci in pacem inclinant. 15. Mart. Lodii Govvanscii. 16. Mart.

sex

1658. sex horas locus ex pacto Moscis tradendus erat, cum Christiernus Hornius Narva movens Moscis inopiantibus ingruit, pugnaque per quatuor horas conserta loco istos pellit, cæsis ducentis, quinque signis ereptis, cum ipse quatuordecim duntaxat dimachas desideraret. Non paucæ quoque Moscorum sarcinæ curribus impositæ avehebantur, reliquæ flammis corrumpebantur. Ita cum paratum bellicum arci intulisset Hornius cum suis retrocedebat. Nec longe post Mosci quoque inde facessebant. Sed Narvæ cum per sex septimanas Mosci in cassum assedissent, Govvanscius aliquem ad colloquium emitti postulabat, quod cum Christiernus Hornius initio abnueret, demum isto valde instante concessit. Ubi Dux Moscicus significabat, sibi à Czare imperatum deserta Narva in Russiam reverti, & hostilibus abstinere. Simul captivos permutari petebat. Cui amice responsum, & inter discedentes prius futuræ amicitiæ poculis litatum. Inter potandum Mosci differebant, Polonos rebellionem induere, ac datam Czari fidem fallere, indignati quoque, ab Austriacis Polono auxilia submissa. Intermedio tempore, quo Narvæ adsederant Mosci, Sveci eruptione facta non paucos istorum acri velitatione conciderant. Mosci quoque interim castellum ad Nyam flumen assultu tentaverant, sed ubi acriter, ac non sine damno repulsi fuerant.

Cum Moscis inducia ad finem usque tractatuum ineuntur.

16. *April.*

§. 92. Reversus Moscoviam Bernerus cum de pace Danica explorata retulisset magnum Moscis desiderium injecit amicitiam cum Svecis instaurandi. Simul libido subibat cum Polonis ad arma redeundi, ni ab his pactum Vilnense ratum habeatur, ac Czaris filio de corona caveatur. Unde statim decretum, cum Legatis Svecicis Moscoviæ hactenus derentis tractatus suscipere. Ab his Mosci initio postulabant, ut ad locum quidem tractatuum proficiscerentur, apud Moscicos tamen Commissarios manerent, & eodem reliquos suos collegas evocarent: tum ut Moscis mandata sua prius exhiberent. Quæ velut absurda à Svecis repudiabantur, demonstrato, moris haut esse aliorum Legatorum mandata inspicienda postulare, aut hos eadem aliis edere. Sed & sibi non nisi super præliminaribus injunctum, quæ primarium tractatum 1658.
spectent, Narvæ apud Collegas inventum iri. Porro non Legatos se, sed captivos fore ad tractandum ineptos, quamdiu in Moscorum potestate hæreant, & antequam in Regis sui ditionem revertantur. Unde Czar declarabat, se tractatus utique suscepturum, ipsosque dimissurum, Legatis quoque suis ad fines missis. Tum ex ædibus, quibus hactenus detenti fuerant, magna cum pompa in palatium non procul arce, ubi Cæsarei Legati antea agerant, deducebat. Sequenti die in arcem evocati sunt, super præ- 29. *April.*
liminaribus acturi. Ubi primo declarabat Czar, verba titulo suo recens inserta Regi Sveciæ fraudi non fore, nec plus per ea intelligi, quam quæ jam possideat. Unde & Rex isti, quem sibi deposcebat titulum, tribuere non amplius dubitabat. Conventum ibi est, Gustavum Bielkium, Alexandrum Essenium & Philippum Crusenstiernam hinc Narvam dimissos cum aliis designatis Commissariis Benedicto Hornio & Joanne Silberstierna sese conjuncturos, & inde una cum Czaris Commissariis ad tractandum accessuros. Tractatum non procul Narva, qua Plusa amnis fluento Narvico miscetur, (Plusamunda vocabulum est) instituendum, ut tamen locus iste pro limite non habeatur, quamdiu tractatus durat. Legatis utrinque præter ministros suos centum duntaxat equites, ducenti pedites adsisterent, qui amice inter se agerent, in eam rem instrumento conficiendo, quod utrinque jure jurando confirmandum sit. Tractatibus initium fieret ad diem 17. Junii, ni vis major accessum Legatorum impediat. Interim armistitium sit, à die 21. Maji duraturum non solum inter tractatus, sed & hisce citra fructum dissolutis quatuor insuper septimanas, idque apud omnia præsidia promulgandum. Maluerant Legati Svecici de induciis in annum aut ad certum tempus convenire, sed cum Mosci ex eo suspicarentur, pacem ipsis cordi non esse, horum placito adquiescendum erat. Interim ad locum tractatuum utrinque libera subvectio foret, & utriusque partis subditi invicem amicos se gererent. Cum verbo jam super hisce convenissent, Mosci post iisdem in scriptum redactis multa in fraudem

Sveciæ

1658. Sveciæ tendentia infarserant, quibus hi per multas disceptationes erant depellendi. Ita adaptata instrumenta permutabantur. Moscis sequestres tractatibus adhibere haut placuit, quod citra hoc melius sibi cum Svecis conventurum crederent. Donis inde Legati à Czare mactabantur, sed valde tenuibus, quatuor pellium Zobellinarum fasciculis, nec ut Czari publice valedicerent, permissum. Qui læti inde invisam captivitatem exibant, ac Narvam incolumes adpellebant. Ubi contingebat, ut cum Legati vix ante sesqui horam Sapsea, conscensis navigiis, discessissent, loco decem milliaribus Narva dissito, cursor advolaret cum mandatis à Czare, ut Legati retraherentur, sed qui jam bono suo cum fato in tuta evaserant. Cujus subitæ mutationis quæ causa fuerit, nobis non compertum. Sane jamdudum conventa dies elapsa erat, cum Moscici Legati nuspiam comparerent, re subinde extracta, sine dubio, ut eventum tractatus Vilnensis perspicere, & ad eum consilia sua exigere possent. Nam eo ipso tempore, quo Svecici Legati Moscovia discedebant, Moscici quoque Vilnam ad tractatus cum Polonis abibant. Tum & inanes querelas jactabant, ut pro captu rerum suarum prætextum non deforet, si in arma iterum erumpere placeret. Ast Rex receptis suis Legatis non parum gavisus, negotium pacis iisdem diligenter commendabat, quod ipsi quanti vis habebatur, modo ditiones suas recuperare posset. Tum & jubebat, ut fœdus Mosco contra Polonos offerrent, demonstratis fraudibus, quibus hi ipsos illusissent. Circa minutias non laborarent. Si Moscici circa adjectam titulo Svecico Scaniam scrupulum moverent, procuratorii exemplum in promtu erat, quo ejus provinciæ vocabulum haut exprimebatur. Et quia Czar declaraverat, se citra sequestres tractaturum, Gallico Legato Jacobo Minierio, eam ob causam Revaliam profecto id modeste insinuabatur, nec per Regem stare, quo minus opera ipsius admittatur. Cæterum quia Rex judicabat, Moscos ob tractatus Vilnenses negotium extracturos, quorum optatum eventum nondum desperaverant, quod Polonos in eo statu versari crederent, ut annuere cogerentur, quicquid ab illis postularetur, igitur Rex jubebat Legatos suos pro dignitate agere, ac de conditionibus haut propere effutire, ac si pax haut successura videatur, inducias concludere, levandis provinciis Svecicis, sed quibus Lithuani non sint includendi, prout Nassokinus Wolmariam & Ronneburgum iis comprehendere agitabat, à Gosievio occupata oppida. Tum si Moscos cupidos animadverterent, his offerrent oppida Borussiæ à Rege insessa, pro quibus ipse totam Livoniam, Curlandiam & Semigalliam cum tractu aliquo apud Kexholmiam versus Mare Album stipulaturus sit, ut istos à transactione cum Polonis averterent. Sed & Helmfeldium destinata circa invadendam Cakenhusam omittere jubebat durantibus induciis, & quamdiu spes sit tractatus successuros, ne talibus irritata gens à pace retraheretur, Regi tantopere desiderata, cujus propiorem jam spem Russici Legati mense Augusto iter ingressi ostendebant, Polonis frustra jactantibus, se omnia Vilnæ conventa impleturos.

1658.

10. Jul.

De Minierii.

25. Aug.

§. 93. Sic tandem Livoniam, ab hoste ac pestilentia miserrime habitam, spes aliqua lenioris fortunæ iterum afflabat, præsertim cum & Lithuani, qui Gosievio duce superiore anno irruperant, hoc anno inglorii valde iterum excederent. Circumposuerat iste idoneis locis cis & ultra Dunam validas militum stationes, quibus omnem subvectionem Rigæ intercluserat, jam ad magnam rerum necessariarum penuriam redactæ. Ad Ulenbrogi villam non procul Cobroni castello septem dimacharum, quinque equitum turmæ cum tribus peditum cohortibus consistebant. Kircholmiæ quinque, Neumulæ novem turmæ stativa habebant. Helmfeldius conditione illorum diligenter explorata, cum spes boni successus arrideret, ortis tenebris quicquid equitum Rigæ esset, sub tribunis Alfendelio & Rosa, adjunctis trecentis quinquaginta peditibus sub Philippo Sassio tribuno trans Dunam misit, invadendis quindecim turmis, quæ apud Ulenbrogi villam tendebant. Adjungebantur duodecim, qui mala punica & piceatas coronas jacere callebant, & centurio cum viginti quatuor militibus secures & breves sariissas gestantibus. Pridie ejus diei in ista hostium stativa quinque turmæ Neumula accesserant, istis castris diffisæ, de quibus Helm-

Per Livoniam gesta.

6. Jan.

Alfendel.

Rosa.

1658. Helmfeldio nihil cognitum fuerat. Ad hoſtium caſtra cum circa mediam noctem perventum eſſet, quatuor Lithuani deprehenſi, qui circum explorabant, quorum unus interceptus, reliqui tres ad caſtra propere faceſſebant. 7. Jan. Eos protinus inſecuti Sveci cum ipſis portam caſtrorum irruperunt, in quibus equi octo turmarum ſtabant. Lithuani ſubito tumultu conſternati relictis armis & equis ad altera caſtra refugiunt, quæ foſſa, trabibus Hiſpanicis & lorica probe munita erant, ubi dimachæ & machinæ conſiſtebant. Heic vero acerrima pugnâ ſurgere Lithuanis ſtrenue reſiſtentibus. Sed Helmfeldius cum peditibus per portam irrumpens equitibus quoque aditum pandebat. Ita viginti hoſtium turmæ mille capita expientes, oppreſſæ, caſtra incenſa, tres machinæ æneæ, duodecim ſigna parta: præfectus vigilum, præfectus turmæ, tres optiones, quatuor ſigniferi, & aliquot inferioris gradus ductores cum tringinta gregariis capti. E Svecis cecidere unus optio, duo decuriones & decem gregarii, ſeptendecim ſauciati. Eo tumultu tres equitum turmæ conglobatæ per averſam caſtrorum portam erumpentes à tergo Svecos circumire parabant: Sed turmæ equitum Svecicorum, quæ agmen claudebat, impactæ, maleque multatæ in fugam pellebantur. Qui cædi ſuperfuerant, paſſim diſpergebantur. Annona in caſtris hoſtium reperta, Rigam avecta Svecis non modico levamento fuit. Ea clade territi, qui apud Neumulam hærebant, raptim inde faceſſerunt, quod caſtellum ab Helmfeldio deſtructum. Magni momenti ea victoria fuit, quod Rigenſes undique incluſi, jam animis fatiſcere cœperant. Nec melius Goſievio res ad Pernaviam ſucceſſit, ubi aſſultum tentare auſus inſigni cum ſtrage repulſus fuerat, multisque quoque per *Adricas.* crebras Fabiani Adricaſii præfecti eruptiones trucidatis, etſi plures frigus, peſtisque abſumeret. Unde id obſidium urgente aſperrimo frigore in- *1. Febr.* fecta re ſolvendum fuit. *Oberpalen.* Oberpalam tamen aſſultu Lithuani expugnavere, centum amplius deſideratis, quam *25. Jan.* incenſam iterum deſeruere. *Freiden.* Contra caterva Riga emiſſa Treidam arcem occupabat, cæſis viginti quatuor, qui inſidebant, peditibus, nemine Svecorum deſiderato. Ipſe Goſievius Pernavia pulſus, Kircholmiam veniebat, ubi facta captivorum permutatione cum ducentis equitibus per Curlandiam Warſaviam abiit. Reliquus ipſius miles Wolmariam & Ronneburgum ſe conferebat, deſerto apud Kircholmiam caſtello, quorum tergo ab Helmfeldio immiſſa caterva centum amplius concidit. Nec pauci ab agreſtibus trucidati, apud quos Polonorum favor jam exoleverat. Demum qui ſuperfuerant Lithuani equites & ipſi Livonia excedebant, è quinque millibus bellatorum ad exiguum numerum redacti præſidio peditum & dimacharum Wolmariæ & Ronneburgi relicto. Inde Magnus Gardius emiſ- *25. Maji.* ſa ſub Glasnapio tribuno manu Hel- *Glasnap.* metum arcem à Polonis inſeſſam oc- *Helmet.* cupabat cæſis plerisque reliquis captis, quæ arx incenſo pulvere diſjecta fuit. Contra Naſſokinus poſt aliquot ſeptimanarum obſidium, Polonis Wolmaria machinas commodantibus, Mariæburgum Livoniæ expugnabat, poſtquam peſtilentia nonniſi viginti ſex defenſores vivos reliquerat. Naſſokinus quoque iſta duo oppida Wolmariam & Ronneburgum à Lithuanis inſeſſa ſibi vindicatum ibat, velut ab hiſce Czari tradita. Quod tamen præfectus Polonicus abnuebat, ac utut Naſſokinus huic denuntiaret, ne quid hoſtile in Svecos tentaret, velut induciis inter Svecos & Moſcos initis comprehenſus: is ta- *3. Jul.* men haut eo minus trecentos Tartaros, ac centum quinquaginta dimachas emittebat, Svecis intra hoſpitia ſua opprimendis. Sed quos Fridericus Levvius, conatu eorum præco- *Levv.* gnito, ita excepit, ut pauci domum reverterent. Poſt tamen Naſſokinus eo poſtulato deſiſtebat, quod de iis oppidis pacto induciarum mentio facta non eſſet, ac clam ſignificabat, ſi Sveci iſta vi invadere vellent, ſe non interceſſurum. Cæterum ſtatim atque Duglaſſius Rigæ adpulerat, quem *18. Jul.* in locum Magni Gardii Rex in Livoniam miſerat, aliquot turmas præmittebat, Wolmariæ eminus includendæ. Ipſe mox cum copiis acce- *29. Jul.* dens oppidum machinis verberare cœpit. Præfectus Lambecius ſubtri- *Lambek.* bunus initio acriter reſiſtere, & eruptionem tentare. Sed Svecis propius ſuggredientibus, & parato jam

1658. cuniculo deditioni se offerebat. Po-
6. Aug. stulabat Duglassius, ut ipse ex oppido veniret, aut præcipuos ductorum mitteret. Id quod is ex animi consternatione faciebat, ac multis acceptis obsidibus duos turmarum præfectos, totidem centuriones oppido emittebat, qui statim in castra deducti sunt: mox formula deditionis per
9. Aug. tympanotribam intromissa sequenti die post modicam disceptationem deditio scripto concepta est. Sed quia præfectus iste per temulentiam adversus deditionis leges multa abducere conabatur, ad se non spectantia, Duglassius quidem permittebat, ut oppido excederet, cum quingentis dimachis, ducentis Tartaris, præter eos, qui Svecis antea militaverant. Sed egressos post demonstratum delictum armis exutos, Rigam deducebat, inde in Pomeraniam trajiciendos. Sed quatuor ductores in castris detentos, velut extra culpam violati pacti positos, liberos dimittebat.
5. Aug. Inde Ronneburgum petitum, cujus præfectus per triduum resistere ausus, mox territus oppidoque prodiens Duglassio portam tradebat Quem hic
8. Aug. cum suis liberum abire passus est, (centum fere erant) præter eos, qui Svecicam antea militiam secuti fuerant. Ronneburgi munitiones disjectæ, quod miles non supereſſet, qui præsidio imponeretur. Ita tunc Lithuani tota iterum Livonia expul-
12. Aug. si sunt. Quo peracto Duglassius Rigam revertit, simulatione expeditionis in Lithuaniam mandata Regis circa Curlandiæ Ducem exsecuturus.

Cum Duce Curlandiæ acta. §. 94. Hic quippe cum jamdudum leges amici, qui neutrarum se partium fert, violasset; Rex Helmfeldio mandabat, ut è Curlandia de annona sibi prospiceret, insuper habita neutralitate, ad quam Dux provocabat, quam Rex nunquam confirmarat, sed quamdiu is intra limites officii se contineret, istius usum connivendo eidem indulserat. Sed & nunc studium in partes ostenderat, quod subsidium sustentandis copiis Svecicis abnuisset, de quo tamen Polonis hostibus Regis gratificatus fuerat, etsi idem quæ fecerit necessitate excusabat. Cæterum Duglassio hæc secreta mandata Rex dederat; Cum Dux multis clandestinis machinationibus adversus Sveciæ statum & commoda, ac in- 1658
primis variis cum Polono & Mosco collusionibus destinata Regis impedierit, Mosco inter alia à tractatibus absterrito, dataque opera, ut Elector Brandenburgicus partibus Svecicis abstractus Polonis adjungeretur, simul secretus cum Benedicto Skyttio pactis violatis, ac vero Rex ista diutius citra detrimentum suarum rerum tolerare nequeat. Duglassius ubi de induciis cum Mosco explorata spes sit, à Duce cautionem de non amplius offendendo exigat, tradita Mitavia & Bauschia, ac si ultro consentire nolit, ea loca, totamque provinciam ac naves ipsius, quin si absque ingenti strepitu fieri queat, ipsum Ducum cum tota familia ac suppellectile in potestatem redigat, quem tamen pro dignitate humaniter habeat. Cæterum copias non late per provinciam distribuat, uti antea factum, ne ex improviso clades aliqua accipiatur. Porro cum Duglassii adven- 10. Jul.
tus in Livoniam paulo longius extraheretur, Rex Helmfeldio injungebat, ut ea mandata circa Ducem & Mitaviam exequerentur. Quæ literæ antequam advenirent, Helmfeldius jam cum Duce super exhibenda annona convenerat, tradita vicissim cautione, ut Dux ejusque subditi ab omnibus hospitationibus, tributis, exactionibus ac injuriis exemti sint, ut tamen hujus conventionis valor à Regis adprobatione pendeat. Rex etsi id ab Helmfeldio haut factum maluisset, haut eo minus destinata in Ducem effici jubebat. Duglas- 23. Aug.
sio tamen scribebat, ne cum Duce tractatus suscipiat, nec de ultronea traditione munitorum locorum proponat, sed quantum possit Mitaviam invadat, antequam Dux milite se firmaverit. Tum subacta Curlandia per Samogitiam & Lithuaniam progressus suos extendat, ut tamen Mosco suspicionem ne injiciat, aut cum illis negotii quid contrahat, qui istius tutelæ se commiserunt.

Rex denuo Selandiam invadit. §. 95. Ista rerum Svecicarum facies erat, quando Regem rationes necessitatis vim habentes Selandiam denuo invadere subigebant. Ad quæ destinata cum satis adpareret ab amicis nil auxilii collatum iri, ac inimicos omnem

by Google

1658. omnem lapidem moturos his eludendis, rationis erat, ita promte iſta effectui dare, ut eadem fama initium conatus, finemque ferret. Unde & Rex, cum Chilonii ſuper modo exequendi conſultaretur, cenſuerat, ut tota cum claſſe curſus recta Hafniam dirigeretur, portuque perrupto in ipſa urbe exſcenſio peditatus fieret. Nec deſperandum, quin conatus iſte, utut non parum ex audacia trahens, ſucceſſurus ſit, ſi intrepido animo & valido impetu ſuſcipiatur, inter primam Hafnienſium conſternationem, & omnibus ad reſiſtendum in urbe imparatis. Verum cum id conſilium ab omnibus ducibus conſenſu rejiceretur, velut ſucceſſu cariturum, ac ſi primo impetu cladis quid acceptum foret, totam expeditionem hæſuram, apud Corſæram placuit exſcenſionem facere, cum alii ad dextram flectere ſatius judicaſſent, ac præter Mœnam in altero Selandiæ latere Coagii militem in terram exponere, oppido tribus milliaribus Hafniæ diſtante, ubi opinione citius ad portas Hafniæ miles adparere poterat, cum Corſæra ſedecim milliarium terreſtre iter Hafniam eſſet. Ea mora primam ſalutis ſpem Hafniæ attuliſſe videbatur, quod oppidani uno & altero die interjecto animos à prima conſternatione utcunque recipere, ac defenſioni ſe parare poſſent, contracta è vicinis
6. Aug. urbi locis agreſtium manu. Cæterum Rex omnibus profectioni paratis Chilonii claſſem conſcendit, undecim navibus bellicis, ſexaginta majoris minorisque formæ navigiis conſtantem, cui quatuor peditum millia, mille ducentos equites impoſuerat, fama dicta velut Boruſſiam peteret. Sequenti die in portu hærendum erat, quod idoneus ventus non flaret, ſed qui mox è puppi ſurgens brevi tempore claſſem Corſæram pervexit.
6. Aug. Miles in terram expoſitus amicum ſe ferebat, ac ſubventurum Regi Daniæ, in quem ſui Nobiles inſurgerent. Ac prohibuerat Rex, ne quid noxæ provincialibus inferretur, omnique rapina abſtineretur. Duodecim equitum Germanicorum turmæ per Selandiam hoſpitabantur, mille capita explentes. In hos ſtatim | emiſſus cum quadringentis equitibus Claudius Tortius plerosque per hoſpitia ſparſos oppreſſit, ac ſub militiam Svecicam redegit, ut tres tantum turmæ Hafniam evaderent, quo & Tottius ruebat eo ipſo tempore, quo naves Svecorum bellicæ ante portum anchoras jaciebant, omnesque terra aditus ad urbem obſtruebat. Reliquus tamen exercitus non ea, quam præſens negotium requirebat, celeritate inſequi potuit. 1658.
Ringſtadii Carolum Guſtavum à Fride- 9. Aug.
rico miſſi adiere Legati Magnus Hæ- Hack.
ckius & Chriſtianus Schelius, qui cum Scheel.
nox jam ingrueret, ſequenti demum 10. Aug.
luce admiſſi ſunt. Hi poſt redditas à Rege Daniæ & Stenone Bielkio literas longum ſermonem ingreſſi expoſuere, bellum inter hæc Regna exortum, non ſolum pace Roſchildenſi compoſitum, abolita anteactorum memoria, ſed & cum nonnulli ſcrupuli orti eſſent, ſuper quorundam articulorum genuino ſenſu, alios Hafniæ tractatus ſuſceptos, quibus priores difficultates remotæ, & omnia ita transacta ſint, ut nil amplius deſiderari crederetur. Quæ cum ita ſint, Regem Daniæ non poſſe ſatis mirari, cum è ſua parte omnia impleta ſint, quod nunc repente nulla denuntiatione facta hoſtili modo invadatur. Sed cum Fridericus Rex ſummo pacis conſervandæ ſtudio ducatur, ſe miſſos ad removenda omnia obſtacula, & offenſas, quæ novo bello anſam poſſint præbere, eoque ut Commiſſarii ſibi adjungantur petere. Nec dubium ſibi eſſe, quin abunde ſint demonſtraturi, Fridericum ab omni belli meditatione alienam fuiſſe, Ad quæ Carolus Guſtavus repetitis quæ priore bello contigerant, reponebat, affatim cauſarum ſibi fuiſſe ad hoc bellum continuandum per injurias ſibi à Dania illatas, quæ nunquam ceſſet quotidianis machinationibus Sveciæ exitium quærere. Id quod ſatis doceant interceptæ ipſorum literæ, turbata commerciorum libertas in freto Oreſundico, infinitæ tergiverſationes & dilationes circa executionem pacis Roſchildenſis, ſic ut non magis ſecuritati ſuæ adverſus Daniam cautum ſit, quam ante bellum fuerat. Quo ipſo neceſſitatem ſibi allatam, ultra conventum tempus in Dania hærendi, ac hoſtibus ſpatium indulgendi, ut alibi res ſuas ſtabilire potuerint. Sic ut aliis locis ingens ſibi damnum provenerit ac tempeſtas anni jam elapſa ſit rebus alibi gerendis idonea. Et cum Dani per pacta Roſchildenſia obligati

1658. fuerint pro virili prohibere, ne exteræ classes in mare Balticum se penetrent, id obnixe recusasse, incassum jactata virium suarum tenuitate, cum tamen citra illum articulum sua securitas semper in lubrico versetur. Denique oblatam suam amicitiam rejecisse, ac veteribus consiliis, in Sveciæ perniciem tendentibus, inhærere maluisse. Ad quæ isti de sua innocentia testari, pactis se per omnia satisfeciisse, non constare sibi de literis, quæ interceptæ dicantur, quæ ut producantur petere. Guineense negotium ante Cojeti discessum jam absolutum. Supra vires suas esse postulatas à Rege naves suppeditare, aut oneroso se fœdere illigare. Igitur denuo Commissarios rogare, ut si quæ supersint controversiæ componantur, & flamma, quæ utrique Regno noxæ possit esse, sopiatur, priusquam in majorem violentiam eruperit. Quibus manantes ubertim lacrymæ pondus addebant. Ad hæc Rex parum regerere, tantum quærebat, num ipsi pro se privatim suam protectionem peterent? Quod cum abnuerent, dictum fuit, ipsos jam extremum responsum accepisse. Ita Legati valedicto Rege in diversorium discedebant, comitantibus Regis jussu Gabriele Oxenstierna & Slippenbachio, qui sciscitabantur, num quid aliud proponere velint præter ea, quæ apud Regem differuissent? Et cum Dani nil præter jam memorata repeterent, à Slippenbachio responsum, Danos suis dilationibus ansam dedisse, ut non solum Poloni, Mosci & Brandenburgicus vires suas per otium firmarent, ac fœdera in Sveciam cuderent, sed & electio Cæsaris præcipitaretur. Non ignotum ipsis, quantum pretium temporis sit, quod semel elapsum, ne à Numine quidem revocari queat. Et cum imminens Daniæ ruina declinari non posse videatur, præsentissimum remedium seipsos servandi eligerent. Sveciæ Regem apertis jam provinciæ locis potiri, mox & munitionibus potiturum. Occupandam igitur victoris clementiam tutelamque amplectendam. Parum ipsorum interesse, posse Carolo an Friderico Regi eorundem sit vocabulum. Solum Deum de Regnis disponere, ac fatalem Daniæ horam jam ingruere. Optare se tamen, ne tam nobilis urbis ruinis tot incolarum millia sepeliantur. Svecos si possessionem totius Daniæ ceperint, justitiam causæ suæ orbi facile adprobaturos. Cum jam abitum pararent legati, traditæ sunt ipsis literæ ad Fridericum Regem paucis verbis constantes, in proclivi esse ipsi cogitare, quibus de causis exercitus Svecicus in Selandiam reverti necessum habuerit. Addebantur ad Stenonem Bielkium literæ, quibus is Hafnia evocabatur, & si quæ à Friderico de se & sua familia proponantur, ea ad se referret. Legatis dictum, si super eventu hujus expeditionis soliciti sint, talia Bielkio proponerent, quæ præsenti ipsorum statui quadrent. Ast Dani Bielkium urbe emittere abnuebant, sed in Regis horto honorata custodia tenebant, prætexto sumto, ne is forte à furente plebe violetur, quæ culpam renovati belli eidem impingere queat. 1658.

§. 96. Ast Hafniam perlata celeriter fama de Svecorum adventu aulam juxta ac urbem ingenti terrore oppleverat, ac plerique jam imminens excidium horrore præcipiebant. Tumultum augebant agrestes agminatim in urbem ruentes qui de viribus & multitudine hostium in majus jactabant. Ac multi velut jam conclamatis rebus clementiam victoris promta deditione occupandam fremebant. Nec minor in aula consternatio, ubi multi Friderico suggerebant, ut maturo in Belgium aut Norvegiam refugio melioribus se temporibus servaret. Quod si factum foret, ne horam quidem Hafnia deditioni moram fecisset. Ast Fridericus regia generositate ferebat: in nido se submoriturum, nec superstitem suo Regno fore, ac timida consilia aspernatus reliquis vel animum addidit, vel pudorem, ut se cum Rege vivere ac mori velle declararent. Sunt, qui tradant, Fridericum Regem Carolo Gustavo denuntiasse, se quo loco assultus dandus sit, ipsum adfuturum, ac in armis potius moriturum, quam id gaudii eidem conciliaturum, ut se vivo, aut quopiam è sua familia potiatur. Quin si eam controversiam duello finire placeat, se cum armis in campum proditurum, pugna adversum eum solum suscepta. Cui à Carolo Gustavo id responsi repositum: quanquam plus suo Regno, quam sibimet ipsi, debeat, eoque de sua persona pro lubitu disponere nequeat, nunquam tamen *Obsidium Hafniæ suscipitur.*

Accurata delineatio
Castrorum Suecicorum, ut
HAFFNIÆ,
Regni Daniæ Metropolis.
Upsal
Sollerod
Kongelundhi
Stubbemak
Lundtof
ENSIS.
Stockerup
Wangede
Ib Ioipp
Auerdrup
Damm
Claves Hollandiæ
Stationes Exercitus Suedici durante obsidione.
Depositio Legionum in Castris Urbi imminentibus soluta arctiori obsidione

Digitized by Google

1658. tamen omiſſurum occaſionem, ſe, ubi opus ſit, periculis belli exponendi. Enimvero tali modo decidere litem, quæ non tam ſe, quam Regnum ac cives ſuos ſpectet, haut congruere. Alias ſe omnibus præliis in prima acie verſari ſuetum, ac ſi cum ipſo pugna ſit conſerenda, adfuturum, qua aſperrimus bellantium labor ſurgat: ibi ſe à Friderico inventum iri, ſi tanta cupido ſecum certandi ſit. Quod quidem ſuo loco relinquo, cum hujus facti veſtigium tabularium Regni excutiendi nunquam occurrerit, nec de eodem, cum Hafniæ iſtius obſidii tempore agerem, nec poſt apud Svecos ullo idoneo autore mihi auditum meminerim. Cæterum Hafniæ ſtatim emittebantur, qui milites non procul urbe hoſpitantes ac agreſtes armis idoneos in Urbem contraherent. Oppidanos Joachimus Gerſtorfius ad conſtantiam animabat, ac ut ſtrenue Regis ac patriæ ſuæ defenſionem ſuſciperent, oſtentatis inſignibus privilegiis, quibus à Rege ſint donandi. Creditum fuit, Hafnienſes, ideo quoque animos ſumſiſſe, urbi ſuæ defendendæ, quod perſpicerent Scanenſes novo ſub Svecorum Imperio inſolitis oneribus ſubjici cæpiſſe. Beuningius quoque capitis ſui devotione ſpondebat, auxilia è Belgio non defore, modo tamdiu Urbem tueantur, quoad claſſis adeſſe queat. Qui & raptim navem, quæ ante portum parata ſtabat, conſcendens in Belgium properabat, auxilia iſta maturaturus; in itinere

Flecker. quoque Fleckeram Norvvegiæ accedens de renovato bello nuntiabat, ac ut per Norvegiam rerum ſuarum ſatagerent, hortabatur. Inter hæc cum reverſi à Carolo Guſtavo Legati nullam ſpem pacis retuliſſent, ac Bielkius, cui Regis literæ redditæ erant, negaret, ſibi ſuper pace mandatorum quid eſſe, Hafnienſes omnem in armis ſalutem repoſitam cernentes, quæ defenſioni facerent ſumma vi connixi parant, & cum jam copiæ Svecicæ in conſpectu eſſent, ſuburbiis flammam injiciunt, ac deſertis exterioribus munitionibus intra vallum ſe recipiunt. In Urbe non plus quam duodecim peditum centuriæ erant, ſed oppidanorum ingens numerus, qui citra exceptionem

11. *Aug.* omnes arma cupiebant. Aſt Carolus Guſtavus propius movens caſtello Wardoa, & prædio regio, aliisque operibus externis occupatis pedem ibi figebat, loricis utrinque ad mare dimiſſis totum ſuburbii ſpatium operibus complecti inſtituebat. Quanquam autem decretum fuerat, protinus aſſultu facto Urbem oppugnare, humili ſicchque foſſa cinctam, & vallo alicubi ita lacero, ut junctis curribus ſuperari poſſet: tamen cum Rex acrem defenſionem parari cerneret, ac de multitudine oppidanorum relatum eſſet, quæ ipſius copias numero excedebat, animoque in deſperationem obfirmato mori, quam dominum mutare malebat, è conſilio ducum impetum reprimere ac tutiora ſequi compulſus eſt. Præter ancipitem oppugnationis exitum & ruinam exercitus, ſi res ſecius cecidiſſet, oſtendebatur, quam intutum eſſet, & rationibus belli haut congruum arcem Cronenburgum à tergo relinquere, freto imminentem: qua expugnata aditu Hafniæ arceri poſſe claſſem, è Batavia ſine dubio venturam, ſed quæ in Belgarum manus tradita rebus Svecicis ingentia incommoda allatura ſit, nullo quoque Regi in omnem eventum per Selandiam receptu. Id conſilium maxime urgebat Wrangelius, cui ab Hannibale Seeſtedio perſuaſum creditur, eam arcem pretioſiſſimis rebus refertam, ipſi in prædam ceſſuris, ubi ejusdem oppugnationem ſuſceperit. Seeſtedius iſte audito Svecorum in Selandiam adventu ſtatim Hafniæ exceſſerat, ac obtenta in prædiis ſuis manendi venia. Regis procerumque animis ſpecie candoris mirum in modum adrepſerat, conſilia Regis contra Daniam eludens, cui ſervandæ moram deſtinatis Svecicis injecit, Danisque reſpirandi anſam præbuit. Terlonus quoque Legatus Gallicus, qui & antea Danicos Legatos ad conſtantiam & acrem defenſionem hortatus fuerat, aſſultum diſſuaſerat: non noſſe Regem vires ejus Urbis; longe plus ineſſe hominum ad ejus defenſionem, quam extra eidem oppugnandæ. Non eſſe aleæ exponendas copias, robore magis, quam numero æſtimandas. Ita in longum ibat Hafniæ obſidium, exigua apud prudentes ſucceſſus ſpe, quod Svecicus miles uti præliandi optimus, ita ad obſidionum artes haut pari dexteritate erat, nec ea machinarum ac paratus bellici vis, quæ urgendis obſeſſis

1658.

1658. ſeſſis requirebatur. Ac plerique credidere, lubentibus Sveciæ proceribus id obſidium irritum fuiſſe, in fauſta ſemper Sveciæ cum Daniæ conjunctione, ac ne ſedes Regni in Daniam transferretur. Etſi Regi propoſitum fuiſſe tradatur Hafniam captam ſolo æquare, caſtello duntaxat ad tuendum portum relicto, ac privilegia Malmogiam aut Landscoronam transferre, ſimul ſedem Imperii in Scania collocare. Quæ & ſimilia uti forte cogitationibus volutata fuere, ita quid ſtatuendum fuerit, ubi in rem præſentem veniendum eſſet, conſtare tanquam circa res infectas non poteſt.

Bellum alibi quoque erumpit.

§. 97. Sed & aliis in oris bellum jam recrudeſcebat, quod Rex Philippo Palatino Sultzbacenſi, quem copiis in Holſatia relictis præfecerat, ſecreta mandata dediſſet, ut ipſo in Selandiam delato tam militem Danicum quam oppida intercipere conaretur. Igitur paſſim Danici ductores capti, hoſtilitatis novæ ſecuri. Sed quæ Rendesburgo & Crempæ ſtruebantur, inſidias vigilantia Danorum eluſit. Eberſteinii tamen tota legio pedeſtris, per paluſtrem regionem in hoſpitiis diſperſa, intercepta fuit. Conabatur poſt Dux Gottorpienſis Rendesburgum in ſuam poteſtatem redigere, tractatu cum præfecto oppidi & Ordinibus provincialibus ſuſcepto qui pollicebantur, ſe Glucſtadium & Crempam in Ducis manus conſignaturos, ſi Rex copias ſuas Holſatia educat, ac provinciam tributo bellico onerare pareat. Quod antequam Rex annueret, noſſe cupiebat, quibus conditionibus illa oppida Duci tradenda forent, & qua ratione ſibi cavendum, nil hoſtile in ſe illis è locis tentatum iri, de cætero haut recuſaturus, quo minus ſocer tota Holſatia & Slesvicenſi ditione potiretur. Sed & paſſim à Svecis navigia ſiſtebantur, non Danorum ſolum, ſed & aliarum nationum, quæ Landcoronam deducta eousque detinebantur, quoad Cronenburgum expugnatum foret, ne ad alios nuntii perferri poſſent, quo loco res Daniæ forent. Joannes Fridericus quoque Luneburgicus Dux, ad inviſendum Regem affinem Hafniam tendens, à Svecica claſſe Malmogiam abductus eſt. Quod factum Rex miſſo Balthaſare Marſchalkio rationibus belli excuſavit, ac honorifice habitum navi bellica Lubecam iterum avehi curavit.

Cronenburgum expugnatur. 16. Aug.

§. 98. Cæterum Rex non tam ſuam quam Ducum ſententiam ſecutus Wrangelium cum tribus militum millibus ad expugnandum Cronenburgum ablegavit, qui & protinus ſtatione ante arcem capta acceſſus, ad portam usque ejusdem promovit, operibusque totam circum arcem, qua mari non alluitur, amplexus eſt. Tum & ſuggeſtibus idoneo loco extructis viginti majoribus machinis munimenta arcis quatere, ac defenſioni inutilia reddere: ſimul non procul foſſa tria mortaria conſtituere, è quibus emiſſi globi ignivomi, molesque lapidum noctu diuque obſeſſos fatigabant. Ita propugnacula arcis, quæ terram verſus minus firma erant, quam quæ aquam ſpectant, proruta in foſſam deſidebant, tum valli lorica dejiciebatur, ac pleræque machinæ defenſioni ineptæ reddebantur, porticu jam per foſſam acta, & perfecto cuniculo, ſic ut aſſultui omnia parata forent. Quæ opera promte ſuccedebant faventibus ædificiis, quæ ſub ipſam usque arcem extructa erant, queis deſtruendis ac ſolo æquandis præſidio ſat temporis haut fuerat, improviſo Svecorum adventu. Ita præſidiarii animis collapſi frænum mordere, ac defenſionem velut inutilem abnuere cæperunt. Auxerat terrorem Wrangelius dicto rumore velut Hafnia capta, cui fini in ſignum victoriæ feſtiva machinarum diſploſione, excitatisque ignibus & aliis lætitiæ imitamentis ab obſeſſoribus perſtrepebatur. Ac immiſſus à Wrangelio tympanotriba quibusdam militibus apud primariam ſtationem dixerat, illorum nemini veniam vitæ faciendam, ſi tota jam Dania ſubacta ipſi ſoli moram facerent. Qui terror, cum à præfectis non ſtatim in primas conſternationis autores animadverteretur, totum præſidium labefactavit, cum alias nec annona, nec paratus bellicus deficeret, abundante pulveris copia & octoginta majoribus machinis. Ita cum miles in ſeditione perſiſteret, præfecti Paulus Benfeldius tribunus, & Carolus Bruno ſubtribunus cum Chriſtophoro Bildio in has leges deditionem fecerunt, ut cum ſeptem machinis more militari excedentes

Benfeld.

Bilde.

Gluc-

NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google


Panorama Telonium et
mitium Oppidi Helsing
ors
I A
M
Pars Classis
Suedicæ
N D I

Promontorium Kolln
D U C A
F R E
O O R E
Succorum Regis Statio navis

NAPOLI

Digitized by Google


Templ. Sti Spiritus
Curia
S. Nicolai
Stagnum
Castrum
Palatium
S. Reg. Maj. Sueciæ

NAPOLI

Digitized by Google



NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by

Templum rabiosum
Pagus Amagriæ Sundby in cinerem redactus
Suecicus
Suecici
B
F
G
H
E


Digitized by


INSULÆ AMAGRIÆ
PARS
Brevia
Arenosa
Arenosa
Pontus Danicus
Via Norwegorum
Coagum versus et Fretum
Balthicum
Via Coquorum
Via Crenburgen
Delineatio Geometrica
URBIS HAFFNIÆ DANIÆ REGUM
Sedis vt et munitionum nuper exstructarum Castelli quoq.
et Suburbiorum vti erant cum à Ser. Rege Sueciæ ab 11.
Augusti A. 1658. usq. in 29. d Octob. eiusdem anni obsiderentur et vti ampliari debuerant secundum Archetypum Seren.
Regi Daniæ A. 1649 exhibitum.
Accurante E. I. Dahlberg Locumt. sup. Castr. Motat.
a. Templum S. Nicolai. b. Forum Amagriæ. c. Templum S. Spiritus. d. Templum
Academicum vulgo Regens kurck. e Templum B. Virginis. f. Templum Ger
manorum. g. Forum vetus. h. Templum Admiralitatis. i. Templum novum. k. Stadel
hus. iudicatorium vulgo maidbahn. l. Templum rotundum in Rosenburg. n. ha
bitationes nautarum. o. Telonium. p. Mansiones à Dano derelictæ et à Su
edis occupatæ. q. Succorum excubiæ equestres.

1658. 6. Sept. Glucſtadium deducerentur. Exceſſere arce ducenti quinquaginta milites, cum ab initio, quadringenti fuiſſent, quibus durante obſidio centum ſexaginta noctu Hafnia itinere maritimo ſubſidio venerant. Reliqui eruptionibus aut telis hoſtium in arce periere. Machinæ ibi partæ adverſus Hafniam adhibebantur. Tum & Calmariæ quondam regnante Carolo IX. ereptæ & contumelioſis inſcriptionibus à Danis notatæ recuperabantur. Maximi momenti habitum fuit, validiſſimam arcem viginti dierum ſpatio in Regis poteſtatem redactam, Wrangelio omni vi connitente, ut & gloria expugnatæ tam nobilis arcis, ac ſpoliis quamprimum potiretur. Danicis præfectis judicio militari capitis damnatis Rex Fridericus vitæ veniam fecit.

Hafniæ obſidium. §. 99. Dum maxima vis in Cronenburgum vertitur, obſidium Hafniæ non poterat non languidius procedere. Poſtquam igitur omnes viæ ad urbem obſtructæ eſſent præter eam, qua urbs ab Amagria inſula aditur, ac pedites juxta equitesque idoneis locis diſpoſiti forent, Sveci acceſſus agere cæperunt verſus portam occidentalem, ubi ad dextram mari, ad ſiniſtram lacu, à Divo Georgio dicto tegebantur. Contra Dani duo ingentia navigia plano ac lato alveo, parum ſuperficiem aquarum eminentia, multisque machinis armata, ad latus acceſſum adducebant, quæ Svecos maxima moleſtia afficiebant, globis è transverſo immiſſis eo majore noxa, quod de loco in locum traduci poſſent, qua maxime opportunum videbatur. Nec loco iſta depellere valebant Sveci, utut excitatis ex adverſum ſuggeſtibus ſtrenue in eadem fulminarent, quod globi ex altiore loco incaſſum illa transvolarent, aut aquis ante impacti tranſilirent. Quæ navigia toto obſidii tempore magno uſui Danis fuere, quorum ictibus inter alios etiam Jacobus Caſimirus Gardius ſupremus vicarius occubuit. Ac interim Dani Urbis munitiones non parum firmaverant, Rege civium alacritatem per inſignia privilegia accendente. Tum gliſcente audacia repente eruptionem fecere verſus acceſſus ad portam Occidentalem cum duabus equitum turmis, ducentis peditibus, queis ſecures, & luciferi arma erant. Hi ſubito aſſultu Svecos acceſſibus iſtis expulere, quibusdam cæſis aut captis, ipſi non niſi centurionem & tres gregarios deſideravere. Quo modico ſucceſſu non parum animi ac ſpei obſeſſis acceſſit. Unde & rejectæ Terlonii literæ, quæ ea die in Urbem afferebantur, queis eos ad tractatus cum Svecis invitabat, ac ut conditiones proponerent præſentibus rebus fere deſperatis accommodas. Sveci contra acceſſus ſuos adverſus repentinas eruptiones magis muniebant, etſi opera ipſorum opinione tardius ac difficilius procedebant, ob uliginoſum ſolum, & quia machinis è turri occidentalis portæ valde infeſtabantur. Unde ei turri dejiciendæ ſuggeſtus quinque machinis inſtruebatur, quam tamen mox Dani ultro demoliebantur, quod diſſilientia paſſim ſaxorum fragmina multum damni obſeſſis darent. Tum & ſiccæ Urbis foſſæ aqua è mari antliis hauſta ad juſtam profunditatem implebantur, ad quod opus captivi Sveci adhibebantur, quibus ut par pari referrent, hi quoque ſtruendis ſuis operibus Danos interceptos admovebant. Dani quoque allicendo ad transfugia Svecico militi proclamaverant in ſingulos Germanicos equites, qui ad ipſos tranſire velint, quinquagenos, in pedites denos unciales, inani effectu. Contra Sveci tubos, queis aqua in urbem derivatur, interceperant, id quod obſeſſis magnam moleſtiam daturum erat, ni aquæ pluviæ, ac putei hinc inde effoſſi eum defectum ſupplevi ſſent. Ac jam intra tubi longioris à foſſa jactum Sveci opus promoverant, cum Dani priore ſucceſſu, & periculo Urbis animati, quod unicum remedium erat iſtis progreſſibus ſiſtendis, iterum eruptionem tentant. Ei conatui deſtinabantur omnes equites duce Chriſtiano Ulrico Gyldenlevio, ac ſeptingentorum peditum manus, quam ſtudioſi, nautæ, opifices, ac pauci milites componebant. Hi ipſa meridie tanta alacritate verſus acceſſus ruebant, ut Suanto Banerius tribunus, qui ibi curabat, ad reſiſtendum ſe componere non poſſet, ac Svecicus miles magna cum ſtrage acceſſibus expelleretur. Eo terrore compulſi centum quinquaginta pedites, qui proximum caſtellum inſidebant, Schackio ſe dediderunt, præſentem omnibus mortem minato, ſi vel minimum reſiſtere auderent. Iſti captivi ac plures alii cum quinque machinis in Urbem pertra-

1658. 13. Aug. 23. Aug. Schack.

1658. pertrahebantur, aliæ machinæ clavis configebantur. Petrus Sparrius tamen tribunus ſumma vi connixus mox ſtationem, qua ſui expulſi erant, recuperavit. Ea clades accepta fuit, dum Rex in claſſe abeſt, & quia equitum ſtatio officium non fecerat, cum hoſte manus conſerere non auſa. Deſiderabant tunc Sveci quadringentos amplius cæſos & captos, quos inter Suanto Banerius Petri F. & alii præfecti. Cum tamen turmatim jam advolarent Sveci, Dani fere inulti in Urbem ſe receperunt, amiſſis triginta non amplius præter ſaucios & quos accenſus pulvis afflaverat. Creditum fuit, ſi Dani ſtatim pontem apud prædium Regium interſcidiſſent, ne per eum equitatus Svecicus adcurrere potuiſſet, ipſos omnibus Svecorum machinis fuiſſe potituros, quod tunc Svecis equitibus longo circuitu accedendum fuiſſet. Sequenti quoque nocte Dani per intenſas tenebras eruptione facta, parva navigia, quibus Sveci in Amagriam inſulam trajicere parabant, pleraque incenderunt, alia in urbem abſtraxerunt, Svecis ſtationes negligenter obeuntibus. His damnis Sveci cautiores redditi majore cura ſtationes ſuas ante Urbem loricis, foſſis, palorum ordinibus & reductibus firmabant, ac intenti magis agebant, Danorum eruptionibus repellendis. Cum contra Dani quicquid erat arborum in hortis Reginæ & alibi ac parietinarum ex incendio ſuburbii deſtruerent, ne Sveci illis tegi poſſent. Sed iidem cum aliam eruptionem tentarent, ac jam porta egreſſi eſſent, animadverſo Svecicorum equitum motu irriti rediere. Sveci dehinc globos ignitos in Urbem per noctem cumprimis magna copia immittere cæperunt, qui plus terroris quam damni dederunt, ſtationibus in Urbe paſſim diſpoſitis, quæ oborta incendia ſtatim extinguerent. Nec qui jactabantur cavi globi pulvere oppleti multum noxæ urbi intulere. Sveci interim acceſſus ſuos denuo verſus Urbem majore quam antea circumſpectione promovent, probeque firmant, tum aggerem Divi Georgii lorica ac palorum ordine muniunt, ac è ſuggeſtu viginti duobus machinis oppoſitum propugnaculum quatiunt. Tum & alium ſuggeſtum in caſtello apud prædium Regium novem machinis ac alium apud Wartoam duodecim inſtruunt, è quibus continuis ictibus munitiones urbis verberant. Contra obſeſſi duo itidem navigia lata & plana ad orientale latus urbis defendendum deducunt, quæ acceſſibus Svecorum apud Wartoam & verſus caſtellum urbis non parum moleſtiæ afferebant, quæ & à Svecis eo loco depelli non poterant, utut iſtorum tecta globis dejicerentur. Inter quæ Dani 30. Aug. iterum porta ſeptentrionali egreſſi, quadringenti equites peditesque magna celeritate ad ſtationem Svecorum ultra Beblingam lacum ruunt, ac primo impetu eam paululum loco pellunt, ſed mox advolantibus equitibus intra vallum rejiciuntur, deſiderato uno centurione & ſedecim gregariis. Nec eo caſu territi Dani iterum quinquaginta milites in proximos acceſſus immittunt. Quorum impetum Sveci in proximos reductus regreſſi eludebant, donec ex aliis ſtationibus accurrentes Danos cum ſtrage repellerent, ad necem ſauciatis tribunis Urnio & *Urnæ.* Bremero, qui poſtera die in Urbe expirabant. *Bremer.* Spectaverat eum conflictum è valloFridericusRex, in cujus digreſſi locum ſubiens tribunusLangius mox glo- *Lang.* bo pectori impacto proſtratus eſt. Dani cum eruptionibus nihil amplius proficere ſe viderent, novis operibus tum alias partes, tum præcipue propugnaculum Helmeri vocabulo dictum firmabant, qua parte Urbs debiliſſima erat, adverſus quod Sveci opera in aggere inter lacumDiviGeorgii &Beblingam promovebant, qui & ſumma diligentia acceſſus ſuos munierant, omnesque ſtationes linea communicationis junxerant. Inter hæc continua utrinque machinarum fulmina, & quotidianæ fere velitationes exiguo utrinque damno. Aſt obſeſſos multorum jam penuria rerum premere cæperat, etſi Regis exemplum, ac parca diſtributio annonæ anguſtiam non parum ſublevarent, ſimul nuntii de auxiliis terra marique ſe moventibus erigerent. Etſi contra amiſſum Cronenburgum animos non parum dejiceret, præſertim cum Sveci ingentibus machinis, & magna vi pulveris, quo antea non abundabant, ibi potiti eſſent, ac nunc junctis viribus Urbem premerent. Poſt tamen cum claſſis Svecica in Oreſundam ad nuntios adventantiumBelgarum ſe conferret, non pauca navigia invitante lucri magnitudine in Urbem irrepebant,

non-

1658. nonnullo inopiæ levamento. Centum quoque ſexaginta milites è Lalandia littus legentes noctu in urbem penetrabant, ſed & navigium Cronenburgicis ſpoliis onuſtum, dum Hafniam prætervehitur, prodente famulo Wrangelii, natione Dano, & ſedecim Selandicis ruſticis adjuvantibus, in portum Urbis deducitur. Dani dehinc cum centum & quinquaginta militibus in proximos acceſſus irruentes centum operarios cædebant, qui ſera jam veſpera à labore reſpirabant, ac paucos milites. Sed mox accurſu plurium repelluntur, amiſſo centurione & ſeptem gregariis. Paulo poſt & alia eruptio tentata in reductum adhuc imperfectum, à quo itidem Dani poſt occiſos complures foſſores cum aliqua jactura rejecti ſunt.

1. Oct. 4. Oct.

Sueci in Amagriam inſulam deſcendunt.

§. 100. Aſt claſſis Svecica cum aliquandiu in freto ſubſtitiſſet, nec de Belgarum adventu quid intelligeret, ad oram Hafnienſem revertit, ac Dracoram usque progreſſa undecim peditum centurias, trecentos equites in Amagriam inſulam expoſuit, favente denſa nebula, ac pauci milites agreſtesque, qui excubias ibi agebant, Svecis ſubito ingruentibus in urbem ſe proripiebant. Indulſerat ejus inſulæ incolis Fridericus, ut in prædiis cum pecoribus & rebus ſuis manerent, quod fidem darent, ſeſe aditus inſulæ diligenter cuſtodituros, nec ita ſubito ſe opprimi poſſe, quin ſpatium ſit futurum, pecora & amicorum ſuam in urbem adducendi. Sed improviſus Svecorum adventus vix hominibus pecoribusque in urbem effugium permittebat. Sveci protinus locum, ubi in terram deſcenderant, ſubitaneis munimentis amplecti inſtituunt, receptui adverſus ingruentes Danos. Cæterum prodibat quidem in inſulam Fridericus Rex cum omnibus equitibus, ſed cum Svecos in vico Dracora ſe muniviſſe numero inſuper prævalentes cerneret, laceſſere eos non auſus in urbem revertit, incenſo prius vico Sundbya. Mox tamen accepto nuntio de adventu claſſis Belgicæ Carolus Guſtavus inſulam deſerere iterum conſtituit, direptam prius, & tectis igne deletis. Quod negotium Palatino Sulzbacenſi committebatur, quem Rex cum equitum manu propius urbem ſuggredi juſſit, prohibendæ Danorum eruptioni. Aſt Dani, cum transfuga monuiſſet, Svecos tota inſula diſperſos prædis agendis vacare ac facile opprimi poſſe, eruptionem in hos facere inſtituunt. Prodibat Urbe ipſe Fridericus cum cuſtodibus corporis ac ducentis quinquaginta equitibus ſub Gyldenlevio & Joanne Alefeldio. Accedebant pauci dimachæ, & expediti pedites, ac quatuor minores machinæ. Phalanx peditum in ſubſidiis ſtabat. Sveci cum iſtos ingruere conſpicerent, apud vicum Hollandorum conſiſtebant trecenti equites fere tirones & centum pedites. In hos Dani impetu dato poſt acrem conflictum ordinibus turbatis eosdem retrocedere cogunt. Ac in periculo verſabatur Carolus Guſtavus cum Sulzbacenſi & Wrangelio, ni Guſtavus Bazius Leyonhielmus vigilum præfectus cum peditibus impetum Danorum in ſe avertiſſet, cæterisque in tutum ſe ſubducendi ſpatium feciſſet, etſi ipſe poſt acrem pugnam caperetur, plerisque ſuorum cæſis. Eo conflictu Svecorum centum amplius deſiderati, Danorum triginta cæſi aut ſauciati. Ita Rex cum cæteris claſſe conſcenſa inſulam deſeruit. Paucos poſt dies idem grave periculum vitæ incurrit, dum cymba, quæ è Selandia in Scaniam trajiciebat, è navigio per ventum & fluxum maris impacto everſa, omnes vectores in mare effundit, quorum plerique ſubmerſi ſunt. Ipſe Rex funem projectum tenens in navem pertrahebatur, amiſſo pileo & baculo. Eodem modo & Slippenbachius, qui una vehebatur, ſervatus eſt. Eodem die, quo in Amagria pugnatum fuit, trecenti ex urbe egreſſi opera Svecorum ad lacum Beblingam tentabant, ſed inde pulſi re infecta in urbem rediere. In eo aggere novum ſuggeſtum extruebant Sveci, cui octo machinas & duo mortaria imponebant, è quibus continuo faxa & globi ignivomi in urbem projiciebantur. Poſt diſceſſum Svecorum ex Amagria quadringenti milites in reductum ante portam occidentalem irruebant, ac obſeſſores globis manuariis inde expellebant, ſed accurſu plurium in urbem rejiciebant, exiguo damno dato acceptoque. Cæterum Sveci, etſi tota vi connixi, non tamen niſi lente opera promovere poterant ob frequentes obſeſſorum eruptiones & continuas è vallo diſploſiones. Nec

1658. 10. Oct.

Baaz Leyonhielm.

Sundbij.

1658. eo ſecius ſcopo ſuo potiti forent, ſi ſat temporis fuiſſet, cum jam non amplius quinquaginta pedes à foſſa diſtarent, ac ad tectam viam acceſſus urgerent, ut aggerem, qui aquas foſſæ ſuſtinebat, perrumperent. Quo facto aqua humiliore ibi ſitu emanans foſſam ſiccam relictura erat, facili dehinc in vallum aſcenſu. Sed cum Belgica claſſis propinquaret, Rex pacis ſe cupidum ferens, id miſſo tubicine Danis ſignificabat, ſed qui ſpe propinqui auxilii tractatus rejiciebant, non minus atque inducias, quæ à Gallico & Anglico Legato proponebantur. Igitur paulatim machinæ ſuggeſtibus dimovebantur, & omnia ſolvendo obſidio parabantur, ut ſine tumultu copiæ abduci poſſent, ſi prohibere non daretur, quo minus ad obſeſſam urbem Belgica claſſis perumperet.

Rex circa Belgas conciliandos fruſtra fatagit. 18. *Aug.*

§. 101. Belgas ut ab auxilio Danis ferendo averteret Rex, Appelbomium juſſerat ordines Fœderatos de cauſis & neceſſitate renovati belli Danici edocere, iisque de ſua amicitia confirmare, ſi candide cum ipſo agere, nec Svecicis ſe negotiis ingerere velint, neu Sveciæ hoſtes palam aut clam obſirment atque fulciant. Nec in animo ſibi eſſe eorum navigationem & commercia turbare, ſed ea potius promovere, ac cum iisdem ſuper moderatione vectigalium convenire. Offerebatur quoque pars elucidationum indulgenda, nam integras, de quibus Thorunii actum fuerat, concedere haut placebat, quod illæ tunc verbo duntaxat promiſſæ eſſent, ac ſub conditione auxilii in bello Danico ſibi ferendi, nec abſolutæ aut ſubſcriptæ forent. Sed ſi circa alia gratificari iſtis poſſit, amicitiam ſuam reipſa experturos. Excuſaret quoque detentionem navium Belgicarum, quæ Hafniam prætervectæ ſint, id quippe moris eſſe, nec noxæ quid illis inferendum. In quem ſenſum literas quoque ad Ordines Fœderatos ſcribebat, queſtus, Beuningium facem belli Hafniæ fuiſſe, qui ſpe auxilii à Belgis ſubmittendi Danos obſirmarit, quo minus pacta implerent. Ad quas literas modeſtum, & humanis verbis conceptum reſponſum fuit repoſitum, nec claſſem ſuam aliud ſpectare, quam ut Daniæ ex fœdere debitum auxilium ferat, nullo Regem offendendi animo, ſed & viginti duo uncialium milliaRex Appelbomio mittebat, ſi largitionibus quosdam procerum devincire poſſet, ut auxilia in Daniam deſtinata ſiſterent. Neque enim omittere quid placebat leniendæ invidiæ, quæ ex repetita in Daniam expeditione cum apud alios, tum præcipue apud Belgas ſurrectura erat, animo per hæc tempora ſemper in Danos pronos, à Svecis averſos; Capto dehinc Cronenburgo, Miniſtrum Belgicum Mærium, qui nulla neceſſitate per ſtolidum timorem in eam arcem adventu Svecorum ſe abdiderat, Rex ad ſe admiſſum cauſas hujus belli edocebat, & quanti Belgarum interſit, amicitiam cum Svecia fœdusque parti utrique tam fructuoſum colere, confirmans decretum ſibi commercia nullo modo turbare, ac omnia præſtare, quæ firmius adſtringendæ amicitiæ faciant. In quem ſenſum & literas ad Ordines Fœderatos perferendas ipſi tradebat. 1658.

La Maire.

Belga Danis auxilia ferre conſtituunt.

§. 102. Enimvero audita Regis in Selandiam exſcenſio ingenti Belgas conſternatione implebat, ac ſtatim provincia Hollandia, aliique Sveciæ malevoli apud Ordines Fœderatos per plura ſuffragia pervincebant, ut auxilia in Daniam decernerentur. Et quæ ab Appelbomio aliisque contra movebantur, eo minus valebant, quod iſti de cauſis hujus expeditionis Regisque deſtinatis haut conſtaret. Regis quoque literæ poſt feſtum adferebantur, cum facta decreta non amplius revocari poſſent. Nec Belgis fides fiebat, à Rege vectigal Oreſundicum haut intenſum iri, quem tanta argenti inopia premi norant. Quo in propoſito eos valde confirmabat mors Olivarii Cromvelli, in id tempus incidens, ſic ut nullum ex Anglia obſtaculum amplius metuerent, quo & Neoportum Legatum mittebant ad invidiam Carolo Guſtavo faciendam, ſimul Anglos hortaturum, ut cum ipſis ad ſervandam Daniam ſe accingant. Sane uti omnes Regis hoſtes amicos ſumebant ad ipſum invadendum, bello Danico implicitum, velut quem moles negotiorum conſilii demum inopem ſit oppreſſura, ita ab Anglia & Gallia parum eidem ſperandum erat, quod Belgica claſſis Regis deſtinata infractum iret, quo ipſis occaſio naſcitura erat, operam ſuam reducendæ paci interponere, ſervandæ pariter Daniæ ac ſiſtendis Sveciæ incrementis. Ac apud Curtinium Mazarinus geſtibus ſatis indicabat, Regis ſibi actionem haut probari, etſi eidem diceret, Regem recte feciſſe, nec aliter ſe fuiſſe facturum, ſi ip-

1658. si ipsius loco fuisset. Nam magis ex animi sententia idem Borello Legato Belgico dixerat: Galliæ Regem invasionem Daniæ à Sveco factam haut probare, nec optare hunc majora justo incrementa capere. Sed & Thuanus Gallicus HagæLegatus admodum trepidare videbatur, anxie causas istius expeditionis apud Appelbomium scisscitatus. Cui & nemo Legatorum captum Cronenburgum, ut solet, gratulabatur, præter solum Lusitanum, qui jactabat, Regis sui salutem in eo sitam, ut ea expeditio feliciter succedat, quo Belgarum ferocia frangi queat. Belgæ quoque Dovvningio, Ministro Anglicano valde blandiebantur, eundemque sinistris opinionibus super consiliis Svecicis imbuebant, haut obscure innuentes, modo Anglia quiescat, sibi non defore facultatem, Svecos iterum Dania dimovendi. Idem contra Belgas monebat, ne quid præcipitanter agerent. Sed apud Appelbomium differebat, Cromvello haut fuisse animum quid prærogativæ circa commercia Maris Baltici suæ nationi quærere: sed causam communem Protestantium unice ipsi præ oculis fuisse, quæ nunc novo hoc bello haut parum detrimenti captura videatur. Nam commercia Maris Baltici eo minoris Angliæ æstimari, quod omnes merces inde peti solitas Nova quoque Anglia suppeditet, etiam ipsos navium malos. Cæterum Regem justitiam hujus belli ægre orbi probaturum, nisi claris documentis demonstret, Daniam novo se fœdere illigasse. Belgas porro per se pronos Cæsarei, Poloni, Dani ac Brandenburgici stimulabant, ac inprimis Beuningius è Dania redux velut vaticinabundus volitabat, tantum non dolore se rumpi, cum videat tam potenti Reipublicæ tanta mala intentari à Svecia plane viribus exhausta, quæ temerario ausu omnia aleæ exponat, haut male cedenti, ni contra vivida consilia capiantur. Nec languidius in confessu Ordinum declamabat Joannes Wittius, ni mature obviam eatur, aliquando sibi à Sveco intentari posse, quod nunc Daniæ inferatur. Per fœdus quoque ipsos teneri ad auxilia Dania præstanda summum in mora periculum esse. Nec Belgium commerciis Maris Baltici carere posse, quæ quotannis sortem octoginta millionum occupent, ac solum vecturæ pretium navium, quæ eo commeant, quotannis quaterdecies centenis uncialium millibus taxari. Ita promte decernebantur auxilia, pecuniæ, milites, naves, instrumentum bellicum. De tentanda prius amica compositione nullum verbum. Ac primo placebat, sex peditum millia subsidio mittenda. Sed cum Beuningius ostenderet tenuem annonæ copiam Hafniæ esse, duo millia sufficere visa, quæ comitantibus triginta navibus bellicis eo sint deducenda. Quæ omnia eo fidentius ab Hollandis suscipiebantur, quod nec Gallicus nec Anglicus Legatus quicquam in favorem Sveciæ loqueretur, excusans juxta ac querens, Principibus suis à Rege super hoc bello destinatisque nihil significatum, sic ut nulla officia ipsi, causæque communi præstare queant, quod alias sibi in proclivi foret, simul paci istorum opera conciliatæ, ac per sponsionem eorundem firmatæ contumeliam illatam. Quin nec satis invidiam erga incrementa Sveciæ premebant. Nec obscure fremebat Dovvningius: Regi magis propria commoda, quam publicum Protestantium bonum cordi esse, ac in proclivi eidem fuisse cum Brandenburgico & Belgis transigere, ac Cromvelli officium repudiatum, quod magnum momentum componendo bello Polonico adferre potuerit. Idem tamen Belgis scisscitantibus, quid de hoc bello Cromvellus judicaret, respondebat: ipsum in neutram partem statuere quid posse, antequam Regis rationes intellexerit. Ex eo etiam, quod Thuanus raro admodum Appelbomium inviseret, judicabatur, à Gallo Regis actionem in Dania improbari. Sane Gallos & Anglos valde mordebat, quod Rex ipsos hocce destinato celasset, non obscure jactantes, Regem non prius amicorum suorum meminisse, quam eorum ope indiguerit. Nunc & se facile ferre posse, ut is paulisper prematur, saltem hactenus, ut necessum eidem sit cum Dania transigere, ne eam plane in ditionem redigere detur. Et acceperat quidem à Mazarino mandata Thuanus, ut Sveciæ commodis invigilaret, sed quia hic ista mandata supprimebat, dicis causa duntaxat ea missa videbantur. Qui & alias blanditiis suis Belgas insolentiores reddiderat, & Anglum animosius pro Svecia sentientem non parum refrigeraverat. Cæterum Belgæ, cum Danici Ministri con-

1658.

1658. contenderent, ut irruptione in Bremensem ditionem facta Rex distraheretur, id quidem abnuebant, ne Cæsareis occasio daretur ibi nidulandi. Simul decernebant sese intra limites auxiliarium mansuros, nullo suo nomine hostilitate exercita. Vicissim & Rex post captum Cronenburgum detentas hactenus mercatorias naves dimisit, ne hostilia à se cæpisse viderentur, etsi multi suaderent, eas tamdiu detinendas, quoad Belgæ declararent, num auxilia Danis mittere velint, an minus. Nam priore casu recte in prædam eas cedere posse, quæ quatuor amplius millionibus taxabantur. Sed Regi ista præda tanti non videbatur, ut jam alias sat inflammatos in furorem dare vellet. Quin contra illis demulcendis Appelbomio injungebat, ut iisdem plenam immunitatem à vectigali Oresundico offerret, si Daniæ defensione supersederant, insuper dimidiam immunitatem in provinciis recens adquisitis de illis mercibus, quæ apud ipsos natæ aut confectæ huc advehantur, nec minus de illis mercibus, quas ex iisdem provinciis ad se aut alios, modo non in Svecicos portus exportent. Sed hac conditione cumprimis in Norvegia ipsos gavisuros. Ac si quid amplius desiderent, super eo tractari posse. Tum & picis liquidæ commercium liberum permittendum, postquam tempus societati indultum elapsum fuerit. Si Borussiam Rex retineat, Belgas eadem ibi conditione cum civibus Svecicis gavisuros. Si Rex Daniam subigat, æs alienum exsoluturum, quod Dani ipsis debeant. Si ista non sufficiant, dimidiam immunitatem à vectigalibus daturus erat in omnibus Sveciæ portubus de iis mercibus, quæ ex ipsorum portubus huc advehantur, & vice versa, non autem de illis, quæ hinc inde inter portus Svecicos vehantur. In re dhostimentum harum conditionum nil amplius postulabat Rex, quam ut veterem amicitiam fideliter colerent, pactum Elbingense ratihaberent, Sveciæ hostibus nulla ratione assisterent, nec ipsi cum hisce luctanti sese ingererent. Nolebat tamen Rex ista omnia iisdem offerri, ni in antecessum cautum foret, hoc pretio se Daniam posse adquirere. Nam alias ipsis occasio præbebatur in futurum plura postulandi, & in præsens quantum poterant, Regi nocituri erant. Sed ad ista quidem omnia Belgæ aures obturaverant, speciosa quidem & lucrosa, sed è libidine Regis pensura, si is destinatis suis potitus sit. 1658.

§. 103. Ita Belgis fixum sedebat Daniæ succurrere, eminente civitatis Amstelodamensis studio, quæ armandæ classi, instruendisque auxiliis tres florenorum milliones levissimis usuris mutuo dabat. Copiis terrestribus præficiebatur Pichlerus tribunus, classi Jacobus Wassenarius Opdami dominus, cui succenturiati erant Witto Wittenius, & Petrus Floris. His injunctum erat, si Cronenburgum & Hafniam jam expugnata sit iter inhibere, ac in tutum aliquem portum se conferre, quoad nova mandata accepissent. Constabat ea validis ac probe instructis navibus bellicis triginta quinque, sic ut par octoginta intra annos in Belgio conspecta non esset. Sequebatur ingens numerus navigiorum, quæ militem & annonam vehebant. Unde sibi haut persuaserant, Svecicam classem prælium tentare ansuram. Nam hac victa provincias Regis tot hostium invasionibus patere. Sed Belgis licet vapulantibus sat opum esse novæ classi parandæ, & ubi omnia male succedant, opera Galliæ & Angliæ semper facultatem fore æquis cum Svecia conditionibus transigendi. Ea porro classis, cum diu adversis ventis in portu Flevensi detenta fuisset, demum Oceanum ingressa est. 7. Oct. *Belgica classis in Daniam tendit.* *Pichler. Wassenaer Opdam Witte Wittens.*

§. 104. Eadem classis cum intra unum milliare à faucibus freti adpulisset, retro brevia à Lappis dicta per sex dies in anchoris stabat, secundum ventum expectans. Rex interim & ipse classem suam contraxerat, non minus validam ac navium numero Belgis prævalentem, virisque probe instructam, & quia in angusto mari confligendum erat eludendis Belgarum artibus suas naves hostilibus navibus copulari jusserat, ut pugna velut stataria, & terrestri similis surgeret, in qua veterani peditis insignis esse usus posset. Cum in conspectu Belgica classis staret, ac Svecicæ in proclivi esset secundo vento marisque fluxu in eam devehi, multi suadebant, ut Belgæ adverso sibi vento ultro impugnatum irentur. Nam haut statim bellum Belgis inferri, si ipsorum auxilia ad obsessam à Rege *Prælium navale cum Belgis.* 21. Octob.


Helmigher
N. 76.

Digitized by Google

Digitized by Google

N. Pitau. sculpsit

S.R.M.ti Regniq; Sueciæ Senator Marschi: gener.lis Gubernator in Pomerania, Præses Regij Collegij militaris, nec non suprem: legifer Upландiæ, ut et Academiæ Gripswaldensis Cancellarius,

CAROLUS GUSTAVUS WRANGELL,

Comes in Salmis, Liber Baro in Lindesberg, et Ludenhoff, Dominus in Skeeklyster, Bremsöde, Wrangelsburgh, Spijker, Ekebyhoff, et Greifenberg &c.

1658. ge urbem tendentia repellantur, cum eodem jure, quo iidem salva cum Svecis amicitia Danis suppetias latum veniant, hæ à Svecis intercipiantur. Posse ita repente ad ipsos tendi, ut rudentes anchorarum abscindere necessum ipsis sit, spatio ad illas fundo extrahendas non suppetente. Ac si vel æquali pugna decertetur, retro istis vela facienda, & portum quærendum esse, quem nisi in Norvegia aut Hollandia invenire non detur. Ita in cassum cadere auxilia illa, & ingruente interim hieme Hafniam ad extrema redigendam, civium quoque animis desperatione collapsuris. Contra si Belgicæ classi integrum sit secundo vento fretum ingredi, etiam summa ope connixos Svecos prohibere non posse, quo minus maxima pars ejusdem Hafniam penetret. Ac fuerat id consilium revera salutare, quod se non secutum Regem post sero pœnituit. Sed prævalebant, qui tutiora in speciem ingererent. Sine dubio Belgas, antequam fretum & obstantem Svecicam classem perrumpere audeant, tractatus ac compositionem oblaturos. E castellis freto utrinque imminentibus ingens istis damnum posse dari. Tum, si Belgæ usu rei nauticæ prævaleant, sub istis castellis ac in vicino Landscoronæ portu receptum Svecicis navibus fore. Ea cum sententia sederet, expectatum à Svecis, quoad Belgæ ultro primum impetum darent. Ita die vicesima nona
29. Oct. Octobris Belgæ secundum & validum à tergo ventum nacti levatis anchoris decoro ordine fretum petebant. Eorum classis in tria agmina digesta erat. Primum erat Wittonis Wittenii, undecim navibus constans. Mediam velut aciem ducebat Opdamus supremus classis præfectus tredecim navibus stipatus. Postremo agmini, quod undecim naves componebant, Petrus Floris præerat. Svecica contra classis quadraginta duabus navibus constabat, in quatuor agmina divisa, quorum
Gerdson. primum ductabat Henricus Gerdsonius, natione Zelandus, sed qui diuturnam sub Svecis militiam deserere nolebat, etiam quando in populares ipsius pugnandum foret. Primario agmine succinctus incedebat Carolus Gustavus Wrangelius Sveciæ Archithalassus. Proximo post hunc imperio gaudebat Claudius Bielkenstierna, in subsidiis Huenam versus cum 1658.
octo navibus Gustavus Wrangelius consistebat. Inter octavam & nonam horam Belgica classis medium inter duo castella spatium ingressa est, nulla pro amicorum more facta salutatione, de qua exhibenda cum displosis citra globos machinis moneretur, ac haut eo minus silentio in Svecicam classem recta tenderet, ex utroque castello in eam fulminatum est nullo damno, nisi quod globus Helsingburgico castello evibratus in Petri Floris navem incidens tres viros prostravit. Usque adeo falsa fuit deprehensa opinio, quasi ope istorum castellorum classis hostilis aditu Maris Baltici arceri queat. Nam latitudo ejus, quæ in novem ulnarum millia patet, major est, quam ut certi ictus in naves cumprimis instabiles possint dirigi. Cæterum uti classis Belgica commodissimo destinatis suis vento ferebatur: ita idem Svecicæ classi adversus hunc non parum turbabat, ut naves non adeo accurate designatum ordinem servare, nec sibi invicem subvenire possent. Nec minus tamen magno animo Belgarum naves à Svecis exceptæ. Ac Wrangelius quidem suum agmen prægressus cum Opdamo pugnam conseruit, sed cum reliquæ, quibus obliquato cursu sequendum erat, non mature subvenissent, septem navibus Belgicis circumdatus, cum acerrime ex utroque latere fulminasset, tandem clavo facto pugna excedere, & sub Cronenburgo anchoras jacere navis reparandæ causa coactus est, quod negotium tamdiu occupatum ipsum tenuit, ut in pugnam reverti non posset. Et quo minus, quod cupiebat, in aliam navem transcendere posset, validior ventus inhibebat. Bielkenstierna dehinc cum Wittenio copulatus post asperrimam pugnam, accedente & altera nave Svecica Belgicam expugnavit, cæso ipso Wittenio & plerisque vectoribus. Etsi & Bielkenstiernæ navis ita læderetur, ut & ipsa reparatione opus haberet, nec in pugnam reverti posset. Nec minus Gerdsonii navis ita concussa est, ut & ipsa è medio se subducere necessum haberet. Is casus Svecorum classi non parum nocuit, tribus primariis navibus post unius horæ pugnam extra prælium subductis. Nec eo secius reliquæ ita strenue rem gesserunt, ut

1658. ipſi Belgæ faſſi ſint, ſe nunquam tam fervido certamine interfuiſſe. Et quia Belgæ videbant Svecos ſtatariam pugnam affectare, navibus invicem copulatis, horum impetu declinato, quantum poterant, curſum Hafniam verſus intendebant, inſiſtentibus ſub Huenam usque inſulam Svecis, ac longius ſecuturis, ni novem Danicæ naves Hafnia egreſſæ, Belgis ut ſubvenirent, laboraſſent. Eo prælio cumprimis Opdami navis male habita fuit, cui utrinque duæ Svecicæ naves, Phoſphori & Pelicani vocabulo adhæſerant, ſed in ſubſidium veniente altera Belgica, utraque Svecica demum ſubmerſa fuit. Opdamo jam ſex pedum aqua carinam compleverat, ut infimum portarum ordinem claudere neceſſum eſſet. Quem & intercipere in proclivi fuiſſet, ſi Guſtavo Wrangelio à ſuis licet monito invadere eundem animus fuiſſet. Cujus viri ignavia Opdamo tunc ſalutem dedit. Præter duas haſce naves Sveci nullam deſiderarunt, pleræque tamen tam acri prælio valde laceratæ. E Belgica claſſe præter Wittenii navem ſexaginta machinarum, quatuor aliæ ſubmerſæ aut exuſtæ. Præter Wittenium quoque ac Petrum Floris quinque navarchæ, ac octingenti amplius epibatæ cæſi. Subſidiis Belgicis intra Urbem delatis Carolus Guſtavus militem ſuum acceſſibus ſubductum longius ab *Walby.* Urbe ad vicum Walbyam per triduum in acie conſtituit, ſi forte Danis manum conſerere placeret. Sed cum nemo *Bronsby.* prodiret, in vico Bronsbya duobus paſſuum millibus ab Urbe caſtris munitis, ac ad oppidi fere inſtar extructis conſedit, omni aditu ad Urbem è Selandia intercluſo. Poſt pugnam Svecica claſſis intra portum Landscoronenſem ſe receperat damnis acceptis reparandis, quam cum iterum ad pugnam evocare fruſtra tentaſſent, Belgæ Danis junƈti, eandem ibi perpetuo includere conabantur, aliquot vetuſtis navibus ſaburra oppletis in oſtio portus demerſis. Sed iſte conatus in irritum cecidit, navigiis ſubmergendis per Svecos ad latus pertractis, ſic ut ea ſuggeſtum deinceps vicem præberent, portui tegendo. Ea in actione Carolus Guſtavus haut exiguo in periculo verſatus eſt, dum denſam per nebulam explorandi cauſa ſub hoſtilem claſſem progreſſus, ea repente per ſolem diſcuſſa intra tubi majoris jactum ab hoſtibus conſpectus eſt, in quem retro 1658. vertentem ingens globorum grando circum effuſa citra noxam fuit, niſi quod inſultantes æquori globi ſubinde aquarum vim adſperſere.

§. 105. Nec minore ſtudio Daniæ auxilium laturus ingruebat Elector Brandenburgicus, ſuis cæſareisque copiis ſuccinƈtus, cui ſpes fuerat ope claſſis Belgicæ Svecos per inſulas Daniæ ſparſos opprimere, facili dehinc negotio poſt deletum exercitum eosdem provinciis Germanicis expulſurus. Sed eos conatus nihil moratus Rex haut eo ſegnius Daniæ incumbere ſtatuit, quantivis faciens Sveciam ex eo latere in tutum repoſuiſſe. Tum & ne facilis in inſulas exſcenſio foret, Nyburgum, Foburgum, & alia idonea loca munitionibus, quantum poſſet, firmari juſſit. Adverſus Fœderatos in Holſatia Palatinum Sultzbacenſem & Georgium Fridericum Waldeciæ comitem cum ſex equitum, duobus peditum millibus reliquerat, queis injunƈtum, quoad poſſent, ad Eidoram flumen ſubſiſtere, aut ſi major vis ingrueret, demum Friderixuddam tenere, quæ magno ſtudio novis operibus muniebatur, ſingenti vi annonæ è vicina regione eodem comportata. Tum & legiones in Alſiam & Arroam inſulam *Alſen.* adSunderburgi defenſionem diſpoſitæ. *Arroa.* Cæterum gratum erat Regi, hoſtes in Holſatiam vertere, ubi ſpes erat, copias, è pluribus nationibus compoſitas, ſoluta diſciplina, à Svecis relicta, brevi conſumturas, mox cum fame acriter luƈtaturas, nullo alio operæ pretio facto. Et quia Brandenburgicus Pomeraniam illæſam præterierat, Rex Wirtzio Stetini Gubernatori injungebat, ne & ipſe quid hoſtile in Electoris ditiones exerceret, quoad ab hoc initium hoſtilitati eſſet factum. Sed & increpabatur Conradus Mardefeldius Wismariæ præfectus, quod catervis eo oppido emiſſis aliquot captivos è fœderatorum copiis intercepiſſet, quos ſtatim iterum dimitti jubebat, ne auxiliis è Rheniano fœdere debitis ſe privaret, ſi prior fœderatos laceſſiſſe argueretur. Ipſe porro Elector cui ſummum in fœderatas copias imperium collatum fuerat, valido cum equitatu in Holſatiam præibat, quem reliqui lentis itineribus ſequebantur, vigiati quatuor bellatorum millia explentes. Ibi cum Fridericum Holſatiæ Ducem

Federati Daniæ ſuccurunt.

non

Digitized by Google

Digitized by

1658. non parum premerent, innoxia affinitatis invidia laborantem, Rex huic per Sultzbacenſem ſuadebat, quantum poſſet, hoſtibus ſe opponeret, omiſſis conſiliis mediis, quorum in præſens uſus non ſit. Nec eſſe quod Cæſarei vocabuli reſpectu moveatur, cum Cæſar id bellum absque conſenſu Ordinum ſuſceperit. Sed & eo in Gottorpienſem Domum odio flagrare Danos, ut illi ab hiſce non niſi infeſtiſſima ſint expectanda, quantamcunque modeſtiam circa hos demulcendos adhibuerit. Nec eo magis ditiones ſuas à Cæſareis & Brandenburgicis ſervaturum, ſi amicum ſe, aut neutrarum partium ferat, quam ſi omni vi prohibere inſtituat, ne totam provinciam impune devorare queant, cum utique hoſtili exercitui quacunque via quærendum ſit, unde vivat, ni fame perire malit. Tum metuendum eſſe, ne ſi ipſe neutri ſe partium addicere ſe velit, Tœninga cautionis obtentu exuatur, ditione ipſius militum hoſpitiis aſſignata. Ac ipſam anni tempeſtatem compeſcendis atque atterendis hoſtibus non parum opportunam. Spem quoque eſſe tractatus Polonicos ſucceſſuros, ubi ipſe haut alia lege cum Cæſareis tranſacturus ſit, quam comprehenſo ſocero. Ac ſi fortuna deſtinatis ſuis in Daniam foveat, ipſum Dani ibi ditiones interveniente pacis renovatione cum Cæſareis poſſeſſurum id quod affectare nullo colore poſſit, ſi nunc quietus deſidere velit. Ac quam maxime ſe optare ſolido beneficio eam ſibi Domum devincire. Nec dubitare ſi modo tractatus Polonici ſuſcipiantur, illos jam pro concluſis habendos; cum circa cedendam Boruſſiam ipſe nihil difficultatis ſit facturus, Daniæ Regno illam jacturam penſaturo. Enimvero quanquam iſtud Regis ſtudium Duci non poſſet non eſſe gratiſſimum, tamen cum Sultzbacenſis à bello ipſum abhorrere videret ſenio & armorum inſolentia, hanc ipſi viam belli moleſtias declinandi proponebat, ut Dux totam Holſatiam ſua protectione amplecteretur, Ordinesque provinciales ad eam probandam diſponeret. Quo facto omnes Svecicas copias Holſatia educendas. Sed eam propoſitionem Holſatiæ Ordines adſpernabantur, obtentu fidei Regi Fridericio datæ, ac Belgarum fiducia, qui ultro Gluckſtadium pecuniam, militem & paratum bellicum miſerant. Sed nec ſinguli Nobiles, quos Sultzbacenſis tentabat, huic conſilio aures præbebant. Et mox ingruentibus Fœderatis hic deſerta Holſatia Friderixuddam Dux deſerto Gottorpio Tœninga ſe recipiebat. 1658.

§. 106. Cæterum Hafnia ſex bellicæ naves multis cum minoribus vela Holſatiam verſus fecerant, transportandis in Danicas inſulas Fœderatis. Quæ tamen nullum niſi circa occupandam Alſiam operæ pretium fecerunt, in quam ſe ex Holſatia Aſchebergius & Knauſtius tribuni receperant. In ea inſula ſtram arcem Sunderburgum cum Fœderati aliquot per dies è continenti machinis verberaſſent, primo ducentos pedites, duas equitum alas in inſulam transmiſere: mox tria peditum millia, quingenti equites ſequantur. Unde relictis operibus ad littus tumultuario excitatis, Aſchebergius Sunderburgum, Knauſtius Norburgum ſeſe recepit, Aſchebergius deditionem imperantibus ferociter reſpondebat, ac per unum & alterum diem ingruentes ſtrenue propulſabat. Sed cum undecim Svecorum naves bellicæ adpparerent, quas ad perſequendas Danicas Hafnia progreſſas Rex miſerat, iſto convaſatis quæ poterat cum viris & armis easdem conſcendit, in prædam hoſti relictis bis mille equis. Sed Knauſtius, qui cum ſexcentis equitibus Norburgi agebat, quod dimidio milliari à mari diſtat, nulla effugii, aut defenſionis facultate cum ſuis ad unum in poteſtatem hoſtium incidit. In animo quoque fuerat Belgis fœderatos in Selandiam trajicere, ni gelu ingruens & fluctantia glaciei fragminibus æquora prohibuiſſent. Ita à fœderatis parum in Holſatia effectum, quod Rex eorum adventu copias ſuas in munita loca & inſulas ſubduxerat, & aperta agrorum ultro vaſtaverat. Polonorum plerique domum revertebant, longo itinere haut parum attriti. Porro Cæſar & avocatoriis edictis Regem urgere inſtituebat, queis is color dicebatur, quod Rex Holſatiam velut imperii feudum invaſiſſet. Quibus promovendis ab Electore Saxoniæ literæ ad Regimen Pomeraniæ dabantur: cui Rex quale congruebat reſponſum reddi curabat.

Tœninga.

Fœderatorum geſta per Holſatiam.

Knauſt.

§. 107. Sed & ſtatim atque de renovato in Dania bello auditum fuerat. Nidroſienſis diſtrictus incolæ frenum mordere cæperunt. Alienaverat ejus gen-

Nidroſia & Bornholmia rebellant.

1658. gentis animos præter communem aversationem extranei imperii insolitus militum delectus, recentis regiminis triste documentum, conscripta ex agrestibus peditum legione, quæ in Borussiam transportaretur, nunquam patriam revisura, simul dispositi per hospitia equites ferocem nationem non parum irritaverant. Magis adhuc istos asperaverant insueta vectigalia à Svecicis publicanis summo cum rigore exacta circa asellos cumprimis, qui præcipuum ejus loci commercium absolvunt, circa quos isti etiam minutias magna cum acerbitate consectabantur, cum si moderato vectigali saltem ab initio contenti esse voluissent, in promtu videretur aliorum Norvegiæ locorum commercia eo avertere. Cum itaque rebellibus ex aliis Norvegiæ locis miles subsidio mitteretur, & Svecos in oppido obsessos tum vis hostium, tum inopia pulveris premeret, Rex Ericum Drakenbergium subtribunum laborantibus suppetias ferre jubebat, manu è Jemtia adducta. *Drakenberg.* Sed quia omnes angustiæ inter hanc provinciam & Nidrosiam ab agrestibus obsessæ erant, Drakenbergius perrumpere impotens, vel non satis ausus re infecta viam relegerat. Ac senatus ipsi scripserat, ne militem periculo exponeret. Nam capta Hafnia Nidrosiam quoque, utut nunc omittatur, facile recuperari posse. Sed copiis illis profligatis Sveciam ea parte hostium incursioni patere. Rex tamen eo facto valde indignabatur, quod iste inter retro vertisset, nulla re tentata. Nam agrestes metuere bellatoris haut esse, quos invadere, ac viam sibi vi aperire debuisset. Nam sua magnopere interesse, & eos, qui Nidrosiæ obsidebantur, & ipsam provinciam servari, ubi inter alia quotannis bis mille quingenta ponto nautica cupri conficiebantur. Et quia ipsi injunctum fuerat Nidrosiam penetrare, mandata exequi debuisse, non interpretari, quantacunque militum jactura ea expeditio constitisset. Ita provinciæ præses Claudius *Sternschild.* Sternschildius cum nulla auxilii spes adpareret, facta deditione isto oppido, totoque districtu cedere cogitur, cum suis Herrendaliam usque deductis. Jusserat equidem Rex postea Sternschildium iter relegere, ac tentare, num Nidrosiam recuperare possit, sed ab hoc de conditione ejus regionis edoctus, ea jussa revocavit, satis habens, aditus Jemtiæ & Herrendaliæ adversus Norvegorum incursiones defendi. Nec minus Bornholmensibus rebellio sua successit, qui conspiratione facta Joannem Princenschildium præfectum Hammershusa arce in subjectum oppidum ad convivium evocant, inde repente coacti ipsum & quotquot ibi Svecorum reperiebant, trucidant. Arx præfecto destituto aliquandiu vim hostium sustinuit, sed subvenientibus aliquot Hafnia navibus demum arbitrio rebellium sese dedere coacta fuit. *Princzenschild.*

1658.

§. 108. Cæterum postquam Belgæ jam revera hostes sese in Regem exhiberent, utut vocabulum abnuerent, ab ipso in consultationem deducebatur, quid facto adversus istos opus sit, bellumne indicendum, an vero opera danda sit, ut cum istis in gratiam redeatur? quibus bellum tota vi cum iisdem gerere placebat, differebant, multis modis ipsos meruisse, ut armis petantur, velut qui Danos, Polonos, Austriacos in Regem incitarint, pactum Elbingæ solenniter concluſum eluserint, classe hostilem in modum ipsum invaserint, ejusdem destinatis ubique se objecerint, hostes auxilio sublevarint. Istorum Rempublicam communi Protestantium causæ insigni præsidio fuisse, quamdiu veterem agendi viam institerit, culta illorum amicitia, quorum auxilio & favore ad istud fastigium enixa fuerit. Sed postquam Monasterii destitutis amicis suam sibi pacem seorsim fecerint, & Hispanorum sese artibus præbuerint, abjectoque boni publici studio soli avaritiæ lucroque proprio se mancipaverint, eosdem plurimum nocumenti communi Protestantium causæ intulisse. Sane Angliæ præsenti bello Hispanico plus damni dedisse, quam ipsos Hispanos: unde & spem esse, eam vires suas sociaturam adversus istos vindictæ sumendæ subigente insuper invidia ob commerciorum velut dominatum. Nec dubium esse, quin Svecia & Anglia junctis viribus Belgas sursum deorsum sint versuræ velut propriæ ditionis bonis haut subsistentes, sed qui ad cornicis Æsopicæ instar nudi & despecti sint destituendi, si alii sua ab istis sibi erepta repetitum eant. Esse præterea Regi classem non spernendam, quæ Curlandicis quibusdam navibus & aliquot ex Anglia petitis augeri queat, ac nupero prælio captum *Consultatio super bello Belgis indicendo.*

1658. ptum ſpecimen, Belgas mari haut quidquam invictos eſſe. Quod ſi inſuper terreſtri exercitu invadantur, plurimum negotii faceſſi ipſis poſſe, modicis eorundem copiis terreſtribus, ad quas ſupplendas ægre deſcendant, quod ibi haut ita privatis lucri occaſio ſit, ſicuti ubi claſſes inſtruantur. Poſſe inſuper commercia ipſorum valde turbari occluſis freti Danicis, eoque ipſo interceptis commerciis Maris Baltici, quæ quantopere ipſis cordi ſint, indicio eſſe, quæ impediendis Regis deſtinatis in Boruſſia & Dania machinati ſunt. Inde quippe panem peti, & quæ navibus inſtruendis faciunt. Tum & magnam partem mercium, quæ ex India advehuntur, in regionibus Mari Baltico adſitis conſumi. Quin patente licet Oreſunda inanem eorum navigationem in Mare Balticum eſſe, ſi Svecicis provinciis, & Gedano excludantur, ſed & per excurſiones maritimas è Marſtrandia & Gothenburgo in Oceano è portu Caroli & Wismaria in Mari Baltico valde infeſtari poſſe. Gallis quoque & Luſitanis prædonibus ſtrenuam operam navaturis, præſertim cum ipſorum naves fere inermes iter ingrediantur. Unde eorundem cives facile frænum morſuros ob ſumtus in claſſes faciendos & ceſſantibus commerciis. Sed & eosdem Sveciæ implacabiles eſſe, quamdiu hæc incrementa ſua per navigationis & commerciorum culturam quærit. Nam iſtos ſtatim atque vidiſſent pace Brœmſebroënſi fundamentum poſitum ſecuritati Svecicorum commerciorum & immunitati in Oreſunda, maxima in Sveciam invidia cæpiſſe æſtuare, quæ prout gliscere viſa ſint, ſe ſemper intenderit, poſtquam per noſtrorum naves portus Svecici iſtis fere infructuoſi fuerint facti. Unde quæ Sveciæ adcreſcunt, ab iſtis inter damna ſua reputari, quod credant, quicquid eſt ubique commerciorum ſibi mancipio datum, velut ſortem divinitus aſſignatam, cum tantum terræ non poſſideant, quod ipſis alendis ſufficiat. Et quia tantæ ipſorum rationes in Mari Baltico vertantur, eo ipſo fas ſibi credere manibus pedibusque obniti, ne Svecia reliquis ad id portubus potiatur. Igitur fruſtra ſuper pace cum illis cogitationem ſuſcipi, præſertim Curlandia jam ſub Regis ditionem redacta, ni Svecia renuntiare velit omni ſpei & conatui ad amplius aliquid in ora Maris Baltici adquirendum, quæ unica via Sveciæ incrementis ſupereſſe videtur. Teneri porro Belgas Daniæ aſſiſtere non ſolum ex conventione, & quia decet eos non deſerere, quos in bellum pertraxere, ſed & quia judicant, Sveciam fretis Danicis potiri non poſſe citra Hollandiæ ruinam, id quod ne fiat, extrema tentaturos eſſe. In eorum autem gratiam per Daniam adquiſita è manibus amittere indignum eſſe. Denique tantopere ipſos de Oreſunda ſollicitos eſſe, & pace Roſchildenſi concluſa valde indignatos facilitati Danorum, quod Svecia dimidiam ejus freti partem nacta eſſet, ut palam jactarint, ſe Danis claſſem auxilio fuiſſe miſſuros, modo Hafniæ obſidium ad Mare usque apertum ſuſtineri potuerit. Quid indignationis eosdem concepturos, ſi videant non dimidiam freti partem, ſed totam Daniam affectari. 1658.

Rationes contra bellum Belgicum.

§. 109. Enimvero qui pacem cum iſtis utcunque ſervandam, bellumque ſaltem conditum declinandum ſuadebant, gravioribus rationibus nitebantur. Conſtare quidem de meritis Sveciæ erga Belgarum Rempublicam bello Germanico exhibitis, citra quæ vix ſe videatur jugo Hiſpanico potuiſſe ſubducere, nec minus notum, quid malorum iidem Sveciæ ab initio belli Polonici intulerint. Iſtas tamen non privatorum actiones eſſe, quæ vulgaris juſtitiæ regulis metiendæ ſint, ſed Rerumpublicarum, apud quas utilitas publica & rationes, ſtatus omnibus aliis reſpectibus præponderant, cujus obtentu iſti actiones ſuas velut legitimas vendident, jactantes, Regis deſtinata ad ipſorum ruinam tendere, eoque neceſſitatem ſibi incumbere iſtis occurrendi, ſuæque conſervationi invigilandi. Præterea potentem eam Rempublicam viris, opibus, ac difficillimum moleſtiſſimumque Regi cum hac bellum fore, cum Belgæ majorem Sveciæ nocendi facultatem habeant, quam quivis alter hoſtium. Igitur ſi fortuna ipſis adverſus Sveciam faveat, non defore, quæ juſtitiam cauſæ iſtorum adſtruant. Inde & unam Rempublicam ab altera tolerare & diſſimulare, bono publico exigente, quæ privatus à privato ſalva exiſtimatione inulta devorare nequeat. Deinde etſi ea Resp. ab egregiis majorum ſuorum conſiliis multum diſceſſerit,

1658. rit, tamen eandem plane ſubverti haut quidquam communi Proteſtantium cauſæ, aliisque rationibus congruere. Equidem Hiſpanos, poſtquam eam liberam Rempublicam agnoſcere coacti ſunt, omnibus modis eidem blandiendo adrepere; id tamen non proficiſci candido ex affectu, ſed ut aliquando ipſam ſub jugum iterum redigant. Id quod cum multi prudentes ac patriæ amantes in Belgio viri intelligant, hos haut plane à rationibus Proteſtantium ſe disjungere, ac Hiſpanorum amicitiam in ſpeciem & ad tempus colere, ut facile aliqua rerum converſione ad priora odia rediri queant, Porro factionem Loevesteinienſem, quæ nunc ad clavum Reip. ſedeat, à tempore pacis Monaſterienſis ob ſolas privatas rationes ejusmodi conſilia cepiſſe, ut ſeſe adverſus Arauſionenſem tueretur, eoque conſilia prioribus plane adverſa ſecutam, immutata regiminis forma, ac nulla Principis autoritate. Enimvero juvenem Arauſionenſem multorum adhuc ſtudiis potentique familia fulciri, opibus inſuper pollere indies gliſcentibus, proventu expenſas multum exſuperante, ubi bona educatione ac generoſo animo ſublevetur, ætate matura haut difficulter majorum ſuorum dignitatem vindicaturum. Quo caſu formam regiminis ad veteres leges revocandam, pari præmio cum Barnefeldio mactatis iis, qui nunc paribus conſiliis inſiſtunt, veteresque amicos iterum in pretio fore. Sed præter ea, quæ in futurum prominent, magni ſane momenti, præſens quoque periculum præcavendum, ne in Scyllam incidatur, dum Charibdis declinatur. Fieri quippe poſſe, ut Belgæ ad deſperationem adacti cum Anglia coaleſcant, qua de conjunctione & olim agitatum, & quam ne nunc quidem Anglia depoſuiſſe videatur, quo & fine Cromvellus expeditionem Flandricam præcipue ſuſceperit. Aſt duarum iſtarum Rerumpublicarum combinatione potentiam ſurrecturam, adverſus quam nemo mari ſit hiſcere auſurus, & quæ omnia commercia ad ſe ſolam pertractura ſit. Sed & Svecicorum commerciorum intereſſe, eam rempublicam ſervari. Nam Belgarum indefeſſa induſtria fieri, ut merces Sveciæ, quarum longe jam uberior quam olim proventus, diverſis locis diſtrahantur. Quas ob rationes & quia Respublica iſta æquilibrio inter vicinos tenendo admodum opportuna eſt, operam dandam, ut eadem idoneis modis Sveciæ iterum concilietur. Cumprimis autem diſpiciendum, quæ opes præſto ſint bellum geſturo cum natione viris, navibus & pecuniis inſtructiſſima. Inter extrema auxilia primo loco Angliam reputandam, cui & facultas eſt auxilium ferendi, & quam graves rationes, ut id velit ſubigere poſſunt. Aſi ſi actiones Angliæ cum verbis hucusque adhibitis conferantur, adparere, nil ſolidi ipſos ulla in re præſtitiſſe, niſi quod extrema quædam amicitiæ ſpecies forte malevolos quosdam coercuerit, quo minus infeſta ſua deſtinata adverſus Sveciam expromerent. Quia etiam Belgæ tanto fervore Danicum negotium ſuſceperunt, valde probabile videri in anteceſſum ipſis cautum fuiſſe. Anglos eidem ſeſe haut ingeſturos. Præterquam quod valde dubium ſit, num volente Anglia Rex Daniam ſit ſubjugaturus, ob dominium Oreſundæ, & quod inde occaſio ipſi naſcitura ſit, vires maritimas inſigniter augendi. Nec ampliora de auxiliis Galliæ ſperari poſſe. Quod ſi fere domeſticas vires cum hoſtium potentia comparare placeat, id primo conſiderandum, Belgas in præſens cum omnibus pacem colere, præterquam cum Svecis ac Luſitanis, ac horum Legatum Hagæ lautas ipſis conditiones pacis offerre, quibus acceptatis non ſolum integrum iſtis fore, omnes vires adverſus Sveciam vertere, ſed & pecuniam à Luſitanis ſolvendam in hoc bellum impendere. Eosdem ſuo damno edoctos poſt bellum Anglicum ſeptuaginta duas ingenti forma naves bellicas extruxiſſe, quibus accedant veteres Reip. naves, & quæ navigationibus in Indiam & mare Mediterraneum adhibentur. Tantis ſuccinctos viribus eo acrius in hoc bellum incubituros, quo damnoſior ejus diuturnitas ipſorum in Mari Baltico commerciis exiſtat. Abundare quoque ipſos nautis, quibus ſtipendia accurate ſolvantur, quorum copia nunc major ſit, quieſcente in Mare Balticum navigatione. Hiſce proximo vere acceſſuras grandes Danorum naves, quæ Belgicis juncto formidandam claſſem confecturæ ſint. Hinc à Rege opponi poſſe claſſem non ſpernendam, ſed circa quam ingentes 1658.

1658. gentes difficultates occurrant. Magnam peritorum nautarum penuriam, nupero prælio multis cæsis, multis morbo confectis. Recens in Svecia conscribendos rerum maritimarum imperitos, ac Belgis nullo modo comparandos. Nec conducendi navales socios in Svecia facultatem esse, cum jam mercatoriæ naves apud Regem stipendia mereant. In Anglia nautas conducere sumtuosum, qui & largis stipendiis ac lauto victui adsueti, ac valde molli disciplina habendi sint. Sed si vel maxime naves virique suppetant, ingentes classi alendæ impensas requiri, quibus Sveciæ opes haut quidquam sufficiant, ac indigenam militem nautamque haut diutius toleraturum laboriosam militiam stipendiis vacuam. Contra hoc bello reditus Regis imminui, cives ad paupertatem redigi quiescentibus commerciis, fidem fere consumtam, nec è Danicis provinciis classi annonam amplius parari posse. Ac si Dani angustias apud Hafniam occludere queant, intercepta communicatione maximum Sveciæ incommodum adferri. Quod si autem junctis Belgarum Danorumque viribus par classis opponi nequeat, istos Regem infestare posse non in Dania solum, sed & in ipsa Svecia occupata Gothlandia, aut aliquo Sveciæ portu, ac intercepta cum provinciis transmarinis communicatione. Intercluſa quoque Maris Baltici commercia Belgas quidem graviter premere, sed non levius ipsam Sveciam. Igitur dispiciendum, quanti sint ea incommoda invicem comparata, & uter istis tolerandis magis idoneus sit. Quin dubium adhuc esse, num Sveci Belgarum navigationem in Mari Baltico prohibere queant. Nam excursores maritimos per naves istorum præsidiarias compesci posse, cumprimis ubi iidem mari prævaleant, & per istos homines privatis quibusdam lucri quid provenire posse nullo in publicum emolumento. Quin Belgas à Gallis stipulatos dici, ne ex eo Regno per excursores maritimos infestentur. Commercia porro, quæ Belgæ hoc bello per portus Svecicos exercuerunt, exigui fuisse momenti. Rigæ quondam sexcentas fere naves Belgicas adpulisse, nunc vix sexaginta. Eodem modo Revaliæ & Narvæ rem se habere. Commercia Sveciæ & Finnoniæ per indigenarum naves exerceri. Unde parum detrimenti Belgis illatum iri, si secuto bello ipsorum commercia antea sat tenuia ad portus Svecicos occludantur. Quin eosdem ab aliquot retro annis magno studio colonias in Novo Belgio excolere cæpisse, cui & nuper Novam Sveciam adjunxerint, unde occluso forte Mari Baltico sat commode petere queant merces, isthinc alias advehi solitas, picem liquidam & duram, malos, cannabim, linum & similia. Et longitudinem viæ inde pensari, quod toto anno ibi velificatio exerceri queat, nullo vectigali, aut cujuspiam Principis respectu onerata. Frumenti, quantum propriis usibus sufficit, è Germania peti posse. Ac si bellum extrahatur, eas commoditates ab istis melius excolendas, ut demum mercibus Maris Baltici plane carere queant. Poloniam insuper & Lithuaniam bello valde exhaustam, ut parum mercium Indicarum consumat, nec eo respectu Belgis multum detrimenti sit expectandum. Enimvero quæ Sveciæ ex hoc bello proventura sint incommoda longe graviora esse, & huic plane intoleranda. Nam præter ipsius belli mala Sveciæ commercia per id penitus subverti. Ingentes sumtus, qui excolendis Sveciæ fodinis & fabricis requirantur, magnam partem ex Hollandia peti, Hollandica pecunia cessante illas quoque pessumituras. Paucissimos in Svecia suas fodinas fabricasque propriis pecuniis exercere posse. Nec eum pecuniæ defectum per Anglos aut Hamburgenses supplendum. Nam apud hos merces Svecicas tanta copia non consumi, nec inter Sveciam & Angliam fidei rationes ita esse stabilitas. Nec ita locupletibus civibus Sveciam abundare, qui pecunias metallis & fabricis excolendis credere possint, præsertim cum consumtio mercium nunc langueat, Rege ac Nobilitate bello extra patriam occupatis. Quo & ipso opes publicas ac privatas extra Sveciam derivatas, mercibus exportatis haut quidquam sufficientibus ad hunc defectum, simul merces importandas, exæquandum. Unde non solum vectigalia Regis imminui, sed & populi paupertatem gliscere, ferri pretio quartam fere partem imminuto. Nec spem esse successu temporis fidem in Anglia stabiliri posse. Nam plerosque mercatores, & fabricarum magistros Belgas esse, aut ex his prosapiam duce-

1658.

1658. ducere, qui peculiari inclinatione in cognatam nationem ferantur. Præterquam quod nulla natio pari candore, ac promtitudine ſit in commerciis, quam Belgica, quæ pecunias ſuas modicis uſuris commodare aliis gaudeat. Contra Anglos exiguum lucrum adſpernari, nec ad commercium aliquod citra inſigne emolumentum permoveri poſſe. Unde & parum ab iſtis curari Mare Balticum, ac indies maxime inhiari, ubi lucrum ſortem exæquet. Contra maximam partem mercium Maris Baltici in Belgium pertrahi, non ſolum, ut inde in alias regiones diſtribuantur, ſed & quia nullibi terrarum eædem tanta copia conſumi ſoleant. Quod ſi vero quis credat, earum commercium ad Anglos transferri, Belgasque cogi poſſe, ut easdem ab Anglia majore pretio petant, metuendum eſſe, ut id absque magno Sveciæ detrimento fieri queat, cum ea ſit indoles mercium Svecicarum, ut haut expediat, eas ad pretium vulgato majus aſſurgere. Statim enim atque hoc fiat, æmulos Sveciæ ſuas quoque fabricas inſtruere poſſe maximo cum hujus damno. Nam ſi pondo nauticum ferri Svecici ſex uncialibus vendatur, fodinas ac fabricas Sveciæ idoneo cum lucro exerceri poſſe, nec alibi pari pretio id venale extare. Sed ubi ad ſeptem aut octo unciales idem adſcenderit, fabricas in Leodienſi Bergenſique provincia ac Biſcaia eo ferri pretio cum lucro excoli poſſe. Quibus ſemel florentibus multum temporis requiri, nec minus diſpendii faciendum, antequam remiſſo Svecici ferri pretio iſtæ iterum deſtrui queant. Quin eo caſu Belgas in Svecorum odium eas merces alibi petituros, ut Sveciæ inemtæ jaceant. Quid quod & onerato Maris Baltici commercio navigatio ad Fanum Archangeli gliſcat, cum tamen Sveciæ interſit, commercia Moſcica, quantum poſſint, in Mare Balticum pertrahi. Denique bello hoc maritimo extracto nuper excoli cæptam navigationem in Svecia peſſum ituram, cum nulla navis præter Belgii litora fretum Gallicum tranſire auſura ſit, armatis quoque navibus bello conſumendis: quo ipſo alii abſterrendi ſint, ne pecunias ſuas navibus ædificandis impendant. Quia inſuper hoc bellum cum Danico conjunctum eſt, fines Sveciæ verſus Norvegiam & tractum montanum in ancipiti poni, ſalis, vini & aliarum mercium, quibus Svecia carere nequeat, pretia intendi, ægreſcentibus inde civium animis. Non poſſe quoque non ingemiſcere, qui munia Regni obeunt, complures per annos ſtipendio non accepto, tum mercatores & opifices, queis nulla rem gerendi facultas inter inſolita onera fuit: quos è pace Danica levamenti quid ſperantes, nunc novos in fluctus rapi ſe cernentes deſperatio ſubitura ſit. Denique utut hoc in bello adverſus Belgas omnia ex voto ſuccedant, nihil tamen præmii expectandum, nihil terrarum, nihil pecuniæ, ac opes ſanguinemque inani vindictæ profundi. 1658.

§. 110. Enimvero uti in aprico erat quam noxium Sveciæ bellum cum Belgis eſſet, ita in eo inſuperabilis fere difficultas adparebat, qua ratione cum illis ejusmodi amicitia conciliari poſſet, quæ Regis deſtinata circa Daniam non everteret, poſtquam iſta tantopere Belgarum rationibus repugnare viderentur. Aliquam tamen ſpem præbebat, quod commercium Maris Baltici magnam partem Amſtelodamum duntaxat tangeret, unde tentandum, num amicorum opera id negotium contra eam urbem pervinci poſſit. Videbatur quoque prælium in Oreſunda aliquantum iſtorum ferociam refrigeraſſe, cum antea Svecis id animi fore haut crederent, ut manus cum ipſis conſerere eſſent auſuri. Sane mandata Opdamo data ſimpliciter claſſem Svecicam inveſtigari ac deſtrui juſſerant, non addita exceptione, *ſi poſſit*. Reſpublicas quoque multis membris conſtantes rebus adverſis haut ea firmitate incedere, uti quæ ab uno reguntur, nec privatis membrorum rationibus in diverſa diſtrahuntur. Sed & moleſtias, quas ex hoc bello & deſtructione commerciorum Maris Baltici percipiant, ad leniora eos conſilia poſſe impellere, præſertim ſi provinciæ mediterraneæ exercitus terreſtris irruptione terreantur. Poſſe etiam ad rem facere, quod ſpe illa exciderint, Regem irruptione Fœderatorum in Holſatiam opprimendum, qui modicum operæ pretium fecerint, propriis viribus non parum attritis. Denique & transactionem cum Brandenburgico aucupandam, quæ cum Regis deſtinatis conſpirare queat: cujus reconciliatio ad

Conſilium de pace cum Belgis ſervanda.

pacan-

1658. pacandos Belgas magnum pondus ſit habitura. Tum & tentandum, quid promiſſis apud iſtos effici queat, oblata à vectigali Oreſundico immunitate, dataque cautione, vectigalia per Norvegiam ſupra præſentem modum haut infenſum iri. Ac ne iſta aliquando retractatum iri metuendum ſit, Galliam & Angliam fidem ſuam interpoſituras. Quo fine legatum in Hollandiam mittendum eſſe.

Belgarum circum ſervandam Daniam conſilium.

§. 111. Enimvero alio plane tendebant Belgarum conſilia, qui nulla ratione ad Daniam deſtituendam permoveri poterant, certiſſimum ſibi exitium inde ominati, ſi Septentrio ſub unius imperium redigeretur. Igitur re Gallia & Anglia ipſorum ſeſe deſtinatis objicerent, cum utraque agere inſtituunt, ut junctis conſiliis operam ſecum navent ad bellum Danicum, vicinis tam moleſtum & damnoſum, componendum, utque à Svecis poſt abruptam pacem Daniæ extorta reparentur, & utriusque Regni potentia in æquilibrio retineatur, quo alterum ad alterius vim propulſandam par ſit. Aſt Galli Anglique uti Carolum Guſtavum conatu Daniam ſubjugandi depelli in ſinu gaudebant, ita Belgas longius progredi ad deſtruendam aut ultra modum debilitandam Sveciam nolebant. Undè cum Belgæ ſuper quatuor peditum millibus adhuc in Daniam mittendis acriter laborarent, non ſolum Appelbomius quantum poterat, intercedebat, teſtatus id à Rege pro aperta hoſtilitate habitum iri, ſed Gallicus atque Anglicus Legatus acriter renitebantur. Ac Thuanus quidem Joanni Wittio denuntiabat, etſi poſtrema Caroli Guſtavi expeditio in Daniam inſcio Galliæ Rege ſit ſuſcepta, nolle tamen hunc, ut is ideo obruatur. Etſi non obſcure inſinuaret, non invita Gallia fieri, ſi idem pauliſper caſtigetur. Eoque poſtulabat, ne Ordines Fœderati ulterius ſe Sveciæ hoſtibus innecterent, ſed ſatis haberent auxilium miſiſſe, quod ex fœdere Danis debuerint. Alias Galliæ neceſſitatem imponi Turennio injungendi, ut quacunque ratione Sveco ſubveniat. Ad quæ Wittius: Belgas nil facere, niſi ad quod è fœdere cum Dania teneantur, ac nil magis in votis habere, quam honeſtam inter Svecos Danosque pacem, quæ commercia ipſorum tantopere tangat. Cæterum etſi Appelbomius mollem iſtum agendi modum à Thuano adhibitum improbaret, acrius terrendos Belgas differens, & exercitu in Flandria minandum, ſi æqui aliquid ab iſtis obtinere velint, blanditiis eorundem pervicaciam & inſolentiam gliſcere: Thuanus tamen judicabat, cum ea natione caute & amice agendum, ne penitus ſe partibus Hiſpanicis immergat. Nec idem diſſimulabat, Galliæ juxta ac Angliæ gratum fore, ſi Rex Roſchildenſi pace adquieſcat, quod Anglia metuat, ne is abſolutum imperium Maris Baltici nanciſcatur, circa quod Galliæ utique rationes cum Belgis conſpirent. Scilicet nolebant Galli potentiam Regis eousque firmari, ut non amplius ipſorum auxilio indigeret, nec ad Galliæ ſe rationes attemperare neceſſum haberet. Cæterum Thuanus iſte non obſcure expeditionem Regis in Selandiam improbabat, negans à ſe rationes ejus facti comprehendi poſſe, cum compendioſiore via & minore periculo plena executio tractatuum obtineri potuerit, ſcriptis ad Danum ſeriis literis, queis diſerte exprimeretur, quid ad extremum circa executionem & ſecuritatem Rex poſtularet ſimul denuntiatione Gallis Anglisque velut fidei juſſoribus facta, Dania excedi non poſſe, niſi pactis examuſſim impletis. Quod ſi Danus iſta abnuiſſet, tunc demum plauſibilius fiere potuiſſe, quod nunc factum eſt, ac Galliæ Angliæque non defuturam fuiſſe facultatem, Dano ad æquam ſatisfactionem compellendo. Nunc Danum queri, Regem ſemper poſtulata ſua intendiſſe, nunquam definito ubi demum ſubſiſtere velit. Unde metuiſſe, ne ad extremum toto Regno exueretur, cum nullus prætenſionum finis fieret, quæ eo magis auctæ ſint, quo plura ipſe impleret. Dovvningius tamen, qui Sveciæ rebus æquior videbatur, paulo acrius Wittio ſignificabat: Cromvellum quidem antea conſtituiſſe, claſſem contra Hiſpanos mittere, ſed quia perſpexerit, Belgas id agere, ut Svecum plane ſubruant, conſilio mutato decreviſſe claſſem in Oreſundam ſubſidio Regi vertere, quem opprimi nullo modo ferre poſſit ac debeat, præſertim cum hic declararit ſibi haut animum eſſe, totam Daniam ſubjugare, ac Belgæ jactent, ſe Regem paci Roſchildenſi haut

1658. haut relicturos, se omnibus bello partis provinciis depulsuros. Sic ergo inter Gallos Anglosque conspirabatur super stabilienda pace Roschildensi, ac ne Svecia domina Maris Baltici fretorumque Danicorum fieret. De cætero Dovvningius Appelbomio confirmabat: si Cromvello mature de Regis in Selandiam destinatis constitisset, eundem impediturum fuisse, ne Brandenburgicus aut Belgæ isti se negotio ingererent, ac volente ipso Regem Oresundæ dominium sibi potuisse vindicare. Nunc ita improviso eam rem susceptam, ut eidem nulla sit facultas relicta ullum officium Regi exhibendi, cum tota jam Europa hac in Selandiam expeditione offensam se profiteatur. E Gallos Anglosque suscepta pacis Roschildensis præstatione incertos consilii destitutos, hac se inconsultis abrupta. Interim à Sveciæ hostibus Belgas in suas partes pertractos, id quod rationes Angliæ & Galliæ non parum perturbet. Addebat: Cromvellum Regi libenter subsidia laturum, ni metuat, Regem etiam post tot acceptas injurias cum Belgis, lautissimis oblatis conditionibus, propediem transacturum, se destituto, si interim isti se negotio immisceat. Nec citra fœdus ac certum fundamentum in eam causam descendere audere, quod ipsi non constet, qui Regis circa Belgas animus sit. Quæ uti fere in speciem jactari adparebat, ita serio id agere Thuanus & Dovvningius videbantur, ne nova auxilia in Daniam mitterentur, oblatis in eam rem sat acribus libellis, ne Ordines Fœderati id negotium difficilius reddant, sed cum Gallia & Anglia ad utramque nationem pacandam studium conferant, nec aliorum rationes isti negotio immiscеant. Dovvningius quoque alio libello postulabat, ne Belgæ suis navibus fœderatos in Danicas insulas transportent ne hostium multitudine Sveci ad incitas redigantur. Ad priores libellos Fœderati Ordines laxioribus verbis declarabant, se junctim cum Gallia & Anglia instaurandæ inter Borealia Regna paci operam navaturos. Ac sane iste Gallorum & Anglorum consensus Belgas haut parum perturbabat, eoque uti antea, Opdami de prælio navali relatione istis communicata, fatebantur, nullum acrius unquam à suis commissum, ne postremo quidem bello Anglico; ita testabantur, hanc actionem non ad Svecum opprimendum, sed ad Daniam ab oppressione liberandam unice spectare. Quo in proposito adhuc persistant, nec aliud quærere, quam ut uterque Regnum suum retineat, nec Dania pessum eat, aut dominium Maris Baltici in unius manus perveniat. De cætero nil sibi hostilitatis cum Rege Sveciæ intercedere, sed quæ pro Dania moliantur, è fœdere mutuæ defensionis, ac per modum meri auxilii fieri, ac optare se, ut Svecus pactis anno 1645. initis contentus esse velit, in eas leges pace cum Danis instaurata. Ad quæ Dovvningius: si ipsi à Roschildensi pace justa sane & legitima rem ad pacta Brœmsebroënsia reducere instituant, defensionis utique, quam profiteantur, limites ipsos migrare, dum Regem Sveciæ juste partis exuere conentur: qui & nunquam in has leges descensurus sit. Unde non posse ipsos vel de lato digito Sveciæ detrahendo actionem movere, ut non simul hostes se declarent. Cæterum uterque Legatus in eo consentiebat, ut pax Roschildensis subsisteret, excepto articulo de exclusione classis exteræ è Mari Baltico, velut invidioso nimium, & Galliam Angliamque offensuro. Nec esse, cur isti articulo tantopere insistat Rex, cum proximo prælio documentum captum sit, validæ classi Oresundam semper patere. Simul ostendebat, posse Belgis haut difficulter persuaderi, ut in has conditiones consentiant, quo ipso eosdem cum Svecia & bonis partibus in gratiam redituros. Alias metum esse, ne obfirmato animo plane Austriacis se innectant, non sine gravi Galliæ & Angliæ præjudicio. Eoque optabant, ne Rex arcum nimis intendat, neu pacem Roschildensem repudiet, quod eo casu Galliæ & Angliæ prætextum non sit ipsi adsistendi, cui tunc ingruentem hostium multitudinem sustinere eo difficilius sit futurum, quo majus momentum Belgæ parti adversæ sint addituri. Ea Gallorum Anglorumque inclinatione animadversa Belgæ id jam agere cæperunt, ut cum hisce sibi convenire posset super pace inter Borealia Regna ad normam pacti Roschildensis instauranda, inhibita quater mille peditum in Daniam missione. Tum iisdem instigantibus Gallus Anglusque rogabant, ne Appelbomius, quod a Rege jussus erat, Haga discederet, quod Bel-

30. Nov.

1658. gæ osthilitatem cum Svecia agnoscere nolint, quem & alias æs alienum detinebat. Mox cum de classe Anglica Oresundam versus profecta Belgæ audirent, non levem suspicionem silentio fatebantur, ac Opdamo, ut caute ageret, mandabant, Reuteri quoque itinere inhibito, militibusque qui in naves jam conscenderant, in terram revocatis. Dovvningius tamen Wittio testabatur, Angliam & Galliam Regi persuasuram, uti paci Roschildensi stet: aut si abnuat, Anglicam classem rem in ipsum gesturam. Ac Anglicam hoc auxilio misso fidei, justitiæ & generositatis documentum pro amicis suis edituram, velut quæ nec possit, nec velit pati, ut vel Dania subjugetur, vel Svecia opprimatur. Belgæ contra Pichlerum militi in Daniam misso præfectum increpabant, quod sacramentum Regi Friderico dicere abnuisset: cum ipsi suo nomine bellum Sveciæ facere nollent. Decernebatur quoque de legatione ad Regem mittenda, eamque ob causam Thuanusac Dovvningius rogabantur operam suam interponere, ut ea admittatur, secus atque Brandenburgicæ Legationi contigerat: Id quod hi facturos se recipiebant, misso Akakia, qui Regi id vehementer suadebat, quod hoc modo hostium consilia valde confundenda sint, qui plerasque rationes suas Belgarum societati superstruxerint. Sed nec Beuningium aliquem missum iri, sed viros moderatos. Ac egregium factum fore, Belgas hac ratione diliniisse, quorum Legati hac conditione admitti queant, ut ipsi interea nihil moveant in fraudem Sveciæ, sed amicorum se more gerant, re in præsenti statu relicta. Atque id salva existimatione à Rege fieri posse. Haut tamen suadebat Dovvningius inducias interim fieri, uti Thuanus contendebat, sed omni vi bellum persequendum, ac cumprimis classem Belgicam Hafniæ constringendam, nec dubium habendum, quin Belgæ proximo vere aliam classem in Daniam missuri sint.

Regis de negotiatione Hagensi judicium.

§. 112. Enimvero Regi, quæ Hagæ agitabantur, haut quidquam arridebant, & quod super instaurando pacto Roschildensi jactaretur, disjuncto articulo de classibus externis Mari Baltico excludendis. Ac valde displicebat eidem, quod Appelbomius Thuano & Dovvningio ista proponentibus non contradixisset, sed potius eorum intentionem confirmasset, Regis commodis & securitati adversantem. Nam eam pacem tali modo adornatam haut quidquam præstare securitatem, quam ipse quærat. Ac Gallos Anglosque id non agere, ut firmam ipsi pacem cum Dania curent, sed ut eo bello utcunque composito cum Austriacis se committant, ac talibus negotiis immergant, quæ istorum Regnorum rationibus quadrent. Nam semper tergo suo infestam incubituram Daniam, si remotioribus ipse locis districtus fuerit. Unde & cum Gallus pacem & connubium cum Hispania meditaretur, ac Sveciæ causam frigide admodum ageret, Rex haut consultum ducebat, Cæsarem nimium exacerbare, quo sibi viam ad reconciliationem servaret. Sed nec eidem probabatur, quod Appelbomius Haga non discessisset, cum Belgæ limites defensivi fœderis longe excesserint, ac hostes se plane exhibuerint. Præsertim cum Angli ex eo suspicionem concipere potuerint, qui nunc tandem aliquando ad suscipiendam Sveciæ causam bona fide accincturi se videbantur. Igitur imperabat ipsi Rex, ut omni tractatione super hoc negotio cum Belgis, aut Legatis Gallicis Anglicisque abstineret, si vel maxime Gallia ad præstandum ejusmodi tractatum se offerat, cum adpareat, quam parum eidem evictio pacis Germanicæ curæ fuerit. Nec circa Daniam mediis consiliis locum esse. Quin id potius ageret, ut Anglos cum Belgis committeret, ostentata circa commercia prærogativa, qua nunc in Oresunda potiri queant, si serio vires secum jungere placeat.

Cum Cromvello acta.

§. 113. Ast in Angliam cum primi, qui veniebant, nuntii ferrent, Cronenburgum & Hafniam à Rege occupatam, non modice Anglorum plerique consternabantur, ac aliqui è secreto consilio clamabant, id ferendum non esse, ac Daniæ quocunque modo succurrendum Neoporto quoque atrociter tumultuante. Ipse Cromvellus, qui tunc è morbo sibi fatali decumbebat, ægre ferebat, quod Rex Terlonum non autem Medovium in Selandiam secum abduxisset, atque huic paulo asperius respondisset cum officia sua circa controversiam cum Brandenburgico obtulisset, *ne immiscearis*

1658.

1658. *vos meis bellis, ſicuti nec ego veſtris me immiſceo.* Sed & illud mordebat, quod Rex eidem Cromvelli officium circa bellum Polonicum offerenti repoſuiſſet: ſe Legatis ſuis in mandatis dediſſe, ut fœdus cum ipſo adverſus Auſtriacos eorumque ſocios concludant, unde ejusdem officium admitti à ſe non poſſe, quippe per quod vis agitati fœderis enervetur. Id quod Cromvellum usque adeo protelaverat, ut deinceps aliquid officii pro Rege à ſe interponi poſſe negaret, niſi diſerte rogaretur. Ac ni hoc obſtitiſſet, in proclivi fuiſſe ſibi, Belgas minis aut perſuaſionibus ab auxiliis in Daniam ſubmittendis avertere, inprimis ſi Rex Medovium ſecum abduxiſſet, ac ſibi vel leviſſimam ſignificationem de ſuis deſtinatis dediſſet. Nam ſi conatus iſte ſuccederet, id gratiſſimum ſibi fuiſſe futurum, cum non dubitet, talia à Rege citra graviſſimas rationes haut ſuſcipi. Sed eo conatu fallente ſe ſtatim ipſi ſuccurrere potuiſſe, id quod nunc iſta expoſtulatione ademtum erat. Eoque ſibi magno cum dolore adſpiciendum fuiſſe, à Belgis claſſem armari, nec Dovvningium Hagæ iſti ſe paratui opponere potuiſſe, quod Rex jactaſſet, ne Cromvellus ipſius ſe bellis immiſceat. Eoque ſibi non conſtare, quæ Regis ſit intentio, & num hanc expeditionem directe ſuſceperit irritandis Belgis, ac ut occaſio naſcatur bellum cum his gerendi. Medovium porro, cum Regi valedixiſſet, Wismariam ſe contuliſſe, ubi ne minima quidem communicatione de Regis deſtinatis fruatur: cum tamen multis reſpectibus id cauſæ Regiæ profuturum fuerit, ſi is æque ac Terlonus comes aſſumtus fuiſſet. Enimvero crediderat Rex, intra octiduum id negotium à ſe conficiendum, ut amicis ſuis eodem nuntio de conſilio ſuo, ejusdemque exſecutione ſignificare poſſet. Mox cum Svecici Legati Cromvellum auxilia adverſus Belgas poſcerent, hic reſpondebat; ſe noſſe prius velle, quibus de cauſis bellum renovatum ſit, quod ipſe pacem præſtandam receperit. Sed ſi ntique Belgæ ſe ingerant, ſuam claſſem haut longe adfuturam.

Poſt mortem Olivarii actæ 3. Sept.

§. 114. Paulo poſt Olivarium Cromvellum, qui hactenus Protectoris ſub vocabulo ſummam rerum per Angliam invaſerat, mors rebus humanis exemit, cum vi decreti proximo Parlamento facti, ut, quem vellet, ſucceſſorem ſibi eligeret, Richardum primogenitum filium Protectorem trium Regnorum declaraſſent, quem & ſtatim privatum conſilium nemine repugnante agnovit, ac publice proclamari juſſit. Huic inter extrema pater Sveciæ rationes commendaverat, ac idem inſigne in hanc ſtudium præ ſe ferebat, utut Belgæ atrocia de Rege jactarent, iſtumque ſibi adverſus hunc adjungere laborarent, ſaltem ne Sveciæ cauſam ſuſciperet. Sed Anglos non modica cura tenebat, ne Belgæ Rege penitus oppreſſo Oreſundam in ſuam poteſtatem redigerent. Haut eo ſecius iſta mors, &, quæ novo Imperio incidere ſolent, impedimenta Svecicum negotium non parum ſufflaminabant. Fuit etiam Ablegatis Svecicis certamen aliquod in exſequiis Olivarii ſuper incedendi Ordine, quod initio Angli iſtos inter Reſidentes collocare vellent, proximo poſt omnes Nobiles titulatos loco. Id quod cum Sveci adſpernarentur, tum ob alias rationes, tum quod Rex Medovio plebeja ſtirpe orto ante Principes locum dediſſet, demum hiſce juxta Legatos ſedem aſſignabant, interjecto tamen cuſtode ſigilli, quod & ipſum cum Sveci abnuerent, cuſtos ſigilli proteſtationem interponebat, id deinceps ſibi præjudicio haut fore. Ea de re alii Legati, cumprimis Gallicus querebantur, quod Svecis tam ſublimis locus aſſignatus ſit, cum Legatorum charactere non fulgerent. Quibus Sveci reponebant, non eſſe, quod iſti Anglis leges præſcribere velint. Cum autem Danus, Venetus & Florentinus non niſi Reſidentum dignatione, qui in alio conclavi cum Anglicis Nobilibus agebant, intellexiſſent, Svecos eum locum obtinuiſſe, parem cum his honorem ſibi depoſcebant. Sed cum iſtis occineretur, Ablegatis Plenipotentiariis Excellentiæ titulum tribui ſolere, qui in ipſos non cadat, interpoſita proteſtatione domum diſcedebant. Cæterum Rex cum in Selandiam deſcendiſſet, Joannem Leyonbergium ad Cromvellum miſerat, de cauſis belli renovati ipſum edocturum, tum ut de ſubmittendis navibus ſaltem viginti inſtaret, cum Svecica claſſe jungendis. Pro quo auxilio Rex Anglicæ nationi in Svecicis portubus illas conditiones offerebat, queis Sveciæ naves inermes ibi fruuntur,

Leyonberg

1658. tur, cum eadem quoque conventurus super certa quantitate cannabis, picis ac lignorum ad fabricandas naves necessariorum, moderato pretio quotannis è Svecia petenda: quin & jus stapulæ indulturus, salvis Regni Sveciæ legibus. Ea tamen auxilia prompte mittenda, nam lentum & in longum prominens promissum sua tempora non ferre. Ac jam locum fore perspiciendi, quid solidi tantæ amicitiæ jactationi subsit. Adjungebatur, quam periculosum id Angliæ futurum sit, si Austriaci ad Oceanum pedem figant, id quod tunc minari videbantur. Sed antequam iste in Angliam adpulisset, Olivarius fato functus jam erat. A Richardo tamen idem audiebatur, sed velut privatus, quod ad hunc literas fiduciarias non haberet. Qui ab isto proposita benevole accepit, ac statim circa instruendam classem laborari jussit. Etsi Angli diserte exprimere nollent, quo fine eadem armaretur, nisi quod asseverarent, id contra Regem Sveciæ haut fieri. Cæterum Ministris Svecicis in Anglia valde sudandum erat, ut invidiam instaurati belli mitigarent, quam Belgæ omni studio incendebant, velut Carolus Gustavus dominatum Maris Baltici affectaret, quo pacto ipsum navigantibus pro lubitu leges & onera impositurum. Querebatur etiam Neuportus, quod Georgio Ascuæo, aliisque navarchis licentia concessa foret militiæ se Svecorum addicendi, velut id fœderi inter Angliam & Belgium repugnaret. Sed cui responsum, non constare sibi, hostilitatem Belgis cum Sveciæ intercedere. Porro Angli etsi testarentur, se cum Rege fœdus offensivum contra Austriacos, sed defensivum contra universum orbem inituros, circa petitas tamen naves id inter alia difficultatis movebant, quo titulo Regi auxilia submissuri, ac rem in Danos gesturi sint: cum sibi fœdus defensivum cum hisce sit, interposita quoque sua sponsione pro pace Roschildensi, simul eo casu cum Belgis in arma statim erumperdum, id quod ægre Parlamento adprobaturi sint, velut infamiam sibi & periculum pariturum. Nam locati titulo eas mittere è dignitate non esse. Tum & dubitabant, num forte Regis destinata justo longius tenderent, ipsique eam causam conscientiæ suæ adprobare possent. Quos scrupulos Sveci istis eximere conabantur, ac pollicebatur Richardus, se ad petitum Regis de navibus propediem responsurum. Nam perspicere se, manum negotio utique admovendam, sed necessum esse, ut rem cum consilio suo prius probe expendat. Præsertim cum circa id tempus motus in exercitu Anglicano surgerent, hoc postulante, ut in se caput aliquod summo & absoluto cum Imperio constituatur, penes quod sit pro lubitu munera militaria conferre. Quæ res Belgis valde optata accidebat. Nam durantibus istis motibus haut videbatur Protectori expedire classem dimittere, cum alias decretum esset, statim atque Belgica classis vela fecisset, Anglicanam è vestigio secuturam. 1658.

§. 115. Ast Rex morte Olivarii cognita Gustavum Duvallium in Angliam misit, alloquio super obitu patris, & gratulatione apud Richardum defuncturum. Is privato inde congressu una cum Fletvvodo & Frisendorfio demonstrare jubebatur statum rerum præsentium, & uti Austriaci, Brandenburgicus & Belgæ Regi ingruant, petito, ut is naves submineret, Belgasque à Rege avertat, ac fœdus contra Austriacos absolvat. Tum quam utilis novis ipsius rebus Sveciæ amicitia sit, & classem negotio extraneo occupari, ac inprimis quantopere Belgæ statui ipsius sint infesti, eoque & ipse extraneorum amicorum opus habeat. Neque enim statum ipsius domi forisque media consilia admittere, ac mature mascula constantia obviam iis eundum, qui nocere posse videantur. Eo fine quoque Rex ad Mazarinum scripserat, ut nutanti adhuc Richardo sua prudentia adsistat, simul communem causam consilio & ope sublevet, ne dum singuli ferendo oneri impares sunt, universi demum opprimantur. Rex porro suis rebus quam maxime expedire judicabat, ut ocyus norit, quid expectandum sibi sit. Nam incerta spe trahi valde sibi damnosum esse. Ac Belgas omnibus se Regis hostibus illigare, qui fere etiam Angliæ adversentur. Superiore quoque anno Oliva- *Nova Regis in Angliam missa Duval.*

1658. rium promissis suis non parum damni dedisse, quorum vana expectatione ipse classem suam tamdiu ad ittus Germaniæ detinuerit. Richardus contra 15. Octob. per Medovium Regi declarabat, se vestigia Parentis pressurum circa colendam cum ipso amicitiam, quæ nec sterilis sit futura, si Belgæ bello Danico se ingerant. Haut obscure tamen idem insinuabat, Richardum novis suis rebus haut temere offensurum illos, qui adhuc amicitiæ speciem præ se ferant, minis aut hostilibus intempestive expromtis, antequam necessitas exigat, ac magis optare, ut bellum Danicum amica compositione finiri queat.

Regis circa negotiationem Anglicanam judicium. 22. Octob.

§. 116. Enimvero quia Rex perspiciebat, quod à Belgis invaderetur, culpam penes Anglos esse, qui tamdiu inani spe ac promissis ipsi illuserant, igitur Legatos suos jubebat tractationem de fœdere suspendere. Simul de statu Richardi judicabat, si semper è sententia consilii sui dependeat, nec proprium judicium sequatur, parum rebus ipsius fidendum esse. Ac brevi cum ipso actum iri, si media aut timidia consilia sequatur. Nec meliora ipsi ominatus fuerat Neoportus, qui sub initium anni relatione ad Fœderatos Ordines facta memoraverat: non esse, quod ipsi à Cromvello sibi metuant, debili & militibus parum concorde. Equidem tolerare adhuc ipsius Imperium cives velut ætate provecti, & cui valetudo parum vitæ promittat. Sed imperium penes ipsius filios haut mansurum, quos adolescentulos rerum imperitos increpabat.

Progressus rudi pergit.

Rex tamen Frisendorfio secreta mandata mittebat, ut Richardo Ducatum Bremensem & Verdensem offerret, si auxilia sibi ad subigendam Daniam & Norvegiam præstare vellet, ut tamen traditio ejus provinciæ non prius fieret, quam capta Hafnia. Circa hoc negotium tamen caute procederet, prout judicet ipsi idem ad palatum esse, aut eidem facultatem fore promissis repræsentandis. Cæterum promto sibi responso opus esse, qualecunque id sit. Sed uterque Legatus palam pecuniam & naves subsidio petere jubebatur, oblata immunitate à Vectigali Oresundico & Islandia insula, opportuno Angliæ positu: nec Regem inconsultis Anglis cum Belgis transacturum, ac ad eosdem in ordinem redigendos operam sociaturum. Quod si Angli nolint adversus Brandenburgicum rem gerere, adquiescebat Rex, ut conciliandæ cum hoc amicitiæ operam navent. Inprimis demonstrarent, hostilia à Belgis patrata, & quem in statum tandem Svecia redigi queat, per quem Rex deinceps inutilis reddatur communi causæ subsistendæ. Ac sane nisi spes ab Anglia præbita obstitisset, longe alia ratione Regem res suas dispositurum fuisse. Equidem Medovium de interpositione mentionem injecisse: sed Regi parum fiduciæ in tractatibus cum Dano collocari posse, qui nunquam conventa servarit, nec Sveciam solida securitate frui permiserit. Quod si ab Anglia destituatur, Belgis viam sterni ad ejusmodi conditiones obtinendas, quæ in futurum Angliæ prægraves esse queant. Sed si hæc in præsens manum negotio admovere velit, gravissimam plagam inopinantibus Belgis librari posse. Quod si Angli moras nectere instituant, id pro negatione auxilii haberent, ac tractatu de fœdere supersederent, id tantum postulantes, ut Angli navibus suis merces necessarias in Sveciam vehant, & ibi provenientes exportent. Et quia Rex satis perspiciebat ex illis, quæ Hagæ agebantur, neque Galliam neque Angliam solidi quid auxilii collaturam, quin potius id moliri, ut ipsum ad lubricam pacem compellant, ac sequestres obtrudant inimicos, & hostium adversus Sveciam incentores, Legatos jubebat planam declarationem Anglos poscere, auxilia sibi adversus Belgas ferre velint, an minus. Officio ipsorum sibi haut consuli. Si auxilia abnuant, haut vitio sibi datum iri, si deinceps post habita causa publica propriæ conservationi quovis modo invigilet. Quarum rerum omnium prima causa à Gallis promanet. Porro è præsenti rerum facie judicabat Rex, peculiari cum Danis pace non plus sibi securitatis parari, quam antea habuerat, ac si longius à finibus suis adversus Austriacos rem gerere instituat, Danos Belgasque iterum ipsius tergum infestaturos. Igitur stabat sententia cum omnibus hostibus pacem affectare, nec in Gratiam Gallo-

1658.

1658. Gallorum cum Auſtriacis nullo fructu luctari.

1658.

Angli claſſem in Daniam mittere conſtituunt. 12. Nov.

§. 117. Aſt in Anglia cum inteſtinæ turbæ inter Richardum & milites utcunque compoſitæ eſſent, poſt ſecretiſſimam conſultationem decernebatur propere claſſem viginti ſelectiſſimis navibus conſtantem in Daniam mittendam, cui duplex nautarum numerus imponebatur. Legatis Svecicis ſignificatum, cum neceſſitas temporisque anguſtia urgeat, ac corycæi tam multi immineant, haut conſultum videri longos tractatus moliri, ſed omnia ad ipſum Regem remitti: laxioribus tamen verbis teſtabantur, eam miſſionem in commodum Regis cedere. Ac juſſus fuerat Medovius interpoſitionem ſuam ſtatim offerre, ſed ea lege, ut Danus protinus inducias ineat, & absque fœderatis ſuis tractet. Cæterum quo fine claſſis ea proficiſceretur à Legatis Svecicis tunc inveſtigari non potuit. Plerique conjectabant, eam paci promovendæ ire. Thurlovius per jusjurandum ſibi fas eſſe negabat, ea de re pandere, de cætero ample ſtudium nationis ſuæ extollens, ac tractatus de fœdere dilatos duntaxat ob defectum pecuniæ ac domeſticas difficultates. Id tamen non obſcure innuebat, claſſem illam prohibituram, ne Belgæ aliquid ſibi prærogativæ comparent. Ut tamen Legati Svecici Anglorum deſtinata conjectando aſſequi poſſent, Thurlovius differebat: Dovvningio injunctum eſſe Belgis proponere, ut Danico ſe bello plane abſtineant, nullis amplius auxiliis eo miſſis: utque Brandenburgicum iterum ad has partes adducant, Catholicorum fœdere plane abſtractum, denique ſeparatam pacem inter Sveciam & Daniam procurent nullo fœderato incluſo. Alias ſibi decernenda, quæ ad ſalutem Religionis Evangelicæ, ac veram ſuæ Reipublicæ ſuarumque partium utilitatem neceſſaria judicaverint. Ad quæ Sveci reponebant: ſatius fore ab Anglis operam conferri ad ſubjugandam Daniam, recepta à vectigali Oreſundico immunitate. Aſt Hagæ Dovvningius jactabat: Richardo decretum, validam claſſem in Oreſundam mittere, quod non amplius ferre poſſit, Belgas ita omni ſe vi Svecis opponere. Debuiſſe eam alias claſſi Hiſpanicæ argento onuſtæ inſidiari, ſed id negotium ſepoſitum, poſtquam viderint, non ſolum per Germaniam & Daniam Svecis parta in periculo verſari, ſed ipſum quoque Sveciæ Regnum nutare. Negligi quoque à ſe progreſſus in Flandria, ac ſubiiri periculum ignoti maris, hibernæque tempeſtatis, ac quod à Danica Belgicaque claſſe immineat. Idem Appelbomio confirmabat, claſſem Anglicam vela feciſſe, ut cum Svecica ſe conjungat. Sed Ordinibus Fœderatis denuntiabat: eam profectam conciliandæ æquæ paci Sveciam inter & Daniam, & ad prævertendam Sveciæ oppreſſionem: ac Gallos juxta Angloſque pacem Roſchildenſem præſtituros. Contra Medovius Helſingoræ Cojeto confirmabat, ſi Rex Daniam ſubvertere valuiſſet, Cromvellum id non fuiſſe impediturum. Cæterum ea claſſe Godſono Duce jam Scagenas verſus proceſſerat, ſed id promontorium ſuperare haut potuerat per adverſos ventos, quibus aliquot naves malos amiſerant, & quia acri frigore jam glacies ſinu Codano fluitabat. Ac præmiſerat Godſonus celocem Regi de adventu ſuo ſignificantem, per quam Rex ipſi ſuadebat, ut propter anni tempeſtatem, rebus gerendis ineptam, in Angliam reverteret. Ita iſta claſſis retro dare vela coacta in portum non procul Jarmutha ſe recepit. Et quanquam mandata à Richardo venirent, ut, quantum poſſit, ad perſequendum iter niteretur, ne momento quidem temporis neglecto, hiems tamen mature ingruens obſtabat, quo minus hoc anno iterum proficiſci valeret. Cum Godſono etiam redibat Georgius Aſcuæus cum ſexcentis ſociis navalibus in Anglia conſcriptis. Porro Medovius Regi confirmabat, eam claſſem imperio ipſius ſubdendam fuiſſe, ac bellum utique inter Anglos ac Belgas oriturum, quod Belgæ jam quinquaginta naves Bellicas, Angli ſeptuaginta arment. Nec tamen Regi de Anglorum mente liquido judicare dabatur, quod fœdus nondum concluſum eſſet. Appelbomio tamen imperabatur, offerendâ Belgis haut præcipitet, ne Anglis ſuſpicionem injiciat, ſi forte ſerio

Godſon. Scagen.

7. 98.

1658. jam rem agere velint. Contra Frisendorfio injungebat, ut Bremensem provinciam promte Anglis offerat, ac si ea hisce ad palatum sit, diu ne cauponetur. Sane perspiciebat Rex, non posse tali se pace à Danis potiri, ut, nisi his plane imperio suo subjectis, cum alio quopiam in bellum descendere daretur, salva à tergo securitate. Unde fœdus, quantum posset, absolveret, & Anglos edoceret, quid commodorum inde capere queant ad Belgas compescendos, ut his deinceps ab Anglia pendere necessum sit. Sed si ipsi hanc occasionem negligant, Belgas eandem occupaturos. Enimvero in Anglia omnia ad Parlamentum rejiciebantur, quod proximo mense Januario sessiones auspicaturum erat, id si ex voto successisset, Richardus magnificis promissis Svecos onerabat.

Scopus classis Anglicanæ.

§. 118. Post tamen è mandatis Godsono, & Medovio datis intellectum fuit, quis ejus classis verus scopus fuerit. Hic quippe Richardi nomine utrique Regi officium suum offerre jubebatur paci inter ipsos conciliandæ, ac ut durante tractatu hostiles actus cessent, tum ne quid eo tractatu concludatur Reipublicæ Anglicanæ damno cedens. In ea negotiatione omnia diligenter cum Gallico, &, si quis adsit, Belgico ministro communicet. Sed si interpositio non acceptetur, aut res non eo sint loco, ut tractatus proponi queat, aut si tractatu acceptato inducia non admittantur, aut tractatus effectu cariturus videatur, Regi Sveciæ significet, classem paratam esse æquis conditionibus ipsi adsistere defensionis duntaxat gratia. Quem in finem formula quædam fœderis mittebatur. Sed si res Sveciæ tam commodo loco sint, ut parum auxilii ab ea classe ipsi accedere queat, eam in Angliam remitteret, nullo negotio suscepto. Tractatu instituto, si pro natione Anglicana immunitatem è vectigali Oresundico stipuletur, vicissim Regi Sveciæ idonea ratione caveret, alias nationes eo privilegio in fraudem ipsius haut abusuras. Denique cautionem à Rege Sveciæ exigat, conventa servatum iri, quo fine postea à Medovio Stada, & Landscrona, id Albi, hoc freto adsitum oppidum poscebatur, ut tantisper in manus Anglorum traderetur. Quæ omnia longe discrepabant ab iis, quæ Angli hactenus jactaverant. 1658.

Per Borussiam gesta.

§. 119. Dum tota belli moles in Daniam devolvitur, in Borussia laugvideres gerebatur, nec aliud fere ibi ab hoste actum, quam ut is præsidia Svecica in angustias redigeret, his contra quantum dabatur reluctantibus. Et jam quoque Brandenburgici, qui hactenus ambigui egerant, in hostilia eruperunt. Unde jussu Adolfi Joannis Ducis Wurtzburgius supremus vigilum præfectus excursione facta Mariævverderam opidum diripit, ac vicina loca tributis subjicit. Brandenburgici contra castellum infra Elbingam ad Lacum Dullem situm ex improviso opprimunt, captis novendecim, qui id insidebant, è quo majorem & minorem insulam infestam habere poterant. Id quod tamen mox Sveci nullo suorum amisso recuperarunt, viginti sex Brandenburgicis captis, reliqui conscensis cymbis effugerunt. Post initio Novembris Poloni in Majorem Brandenburgici in minorem insulam irrumpebant, quo ipso res Svecorum in Borussia haut parum premebantur intercepta quoque communicatione inter Elbingam & Mariæburgum. Et deserebantur à Svecis aliquot castella in Minore insula magno cum hostium commodo, Svecorum detrimento, quo nomine Dux Laurentium Lindanum arguebat, velut rumore propinquantium hostium territus nulla necessitate præsidium inde evocasset. Post aliquot tamen dies Poloni Majore insula iterum excedebant. Unde Dux castella apud Dirschaviam & Lissaviam iterum præsidiis occupat, simul Duderstadium tribunum trans Nogatum flumen mittit, qui multos Brandenburgicos per Majorem insulam palantes concidebat, oppresso quoque castello, quod centum viginti militibus insidebatur, sic ut ea excursione ducenti quinquaginta cæderentur, septuginta caperentur. Et utraque quidem insula iterum ab hostibus purgabatur, sed quæ tamen Svecis exiguo usui erat, colonis fere dilapsis. Aderat inde caterva Brandenburgicorum sub ipsam Elbingam, sed à Wurtzburgio ita excipiebatur, 14. *Sept.* 28. *Sept.* 30. *Sept.* *Duderstad.* 16. *Nov.*

Digitized by Google

Notarum Explicatio
Castra
Generalis
U S
Cæsarea sub Duce de Saiches.

Digitized by Google

1658. tur, ut magna pars concideretur, octaginta captivi in urbem pertraherentur. Et quia Gosievius à Moscis vapulaverat, Poloni relicta Borussia in Lithuaniam abibant, Brandenburgicis quoque in sua recedentibus, quorum frequentibus transfugiis Svecorum legiones supplebantur. Quo hostium discessu Svecis laxiores esse res cæperunt. Ast Thorunium lento obsidio pressum demum in Polonorum manus incidebat. Ejus civitatis curam Rex Poloniæ excedens Benedicto Oxenstiernæ una cum gubernatione Culmensis Palatinatus commiserat, sub quo Bulovius supremus excubiarum præfectus militare Imperium in præsidiarios exercebat. Isti insuper injunctum erat super tractatuum præliminaribus aliisque ad eum spectantibus agere. Vix Polonia Rex excesserat, cum Polonicus Austriacusque exercitus Thorunio laxius primo inde arctius obsidium circumposuit, quod cum per sesqui annum continuaretur, nullo interim subsidio urbi immisso, præsidiarius miles belli malis & morbis imminutus ad extremum vix sufficiebat urbis spatiosæ, ac plerisque locis tenuiter munitæ stationibus utcunque obeundis non minus atque oppidani animis ægrescens. Et quanquam Oxenstiernæ secreta à Rege mandata erant, ut, si vires tenendæ urbis deficerent, reliquias militum ac cives egregio in Sveciam affectu servare studeret, nec rem ad extrema deduci pateretur: Simul milites præfecti imminentem necessitatem ingererent, ac hostis ferocia nullis alicunde auxiliis adparentibus glisceret: is tamen semper testabatur, sibi à Rege injunctum, super deditione nullum verbum facere, quod vel unus militum superstes foret, ne tanta turba huic urbi assidens Regi tunc Hafniam prementi ingrueret. Inter extrema ista honestæ deditioni viam fata pandebant. Joannes Casimirus Rex post imperatam sæpius urbi deditionem demum per literas minabatur, sese postera die assultu undique facto perrupturum, nec ullius vitæ parciturum, ni obsessi propere ipsius clementiam occuparent. Sed tubicini, qui eas literas attulerat, ita responsum, ut minas Polonorum parum curari intelligeret. Idem tubicen Oxenstiernæ à Legato Gallico, qui nuper à Carolo Gustavo è Dania venerat, nuntiabat, multa esse, quæ super pace jussu Regis cum ipso loqui velit, ac locum congressui ab eodem optari. Cui vicissim Oxenstierna significabat: haut decorum sibi extra obsessam urbem, cujus suprema cura sibi à Rege credita sit, colloquii causa progredi. Sed si Legato placeat fidum hominem in urbem mittere, cum se auditurum, si nil aliud proponat, quam quæ promovendæ paci faciant, super qua sibi ampla à Rege mandata sint. Id responsum Reginæ Poloniæ, quæ privatas ob rationes bello finem quamprimum imponi optabat, ansam præbebat Regi suadendi, ut nomine Legati Gallici quispiam in urbem iret. Rediit ergo idem tubicen cum apertis literis à Lumbrano, queis significabat, secretarium à se in urbem venturum exponendis, quæ Rex Carolus Gustavus sibi commiserit, ut Oxenstiernæ significaret. Eas literas tubicen extremæ stationi tradere jussus est, ne intromissus suspicionem excitaret, velut super dedenda urbe ageretur. Lumbrano sequenti die responsum, admissurum se, qui ab ipso venturus sit, ea lege, ne quid aliud, quam quod ad pacem faciat loquatur. Venit postera die secretarius cum tubicine, qui in tentorium Drakii tribuni propugnaculo impositum deducitur, tapetibus ornatum, circumfusa militum manu, ac famulorum militaribus vestibus indutorum augendo numero. Dum Oxenstierna expectatur, prandium missis adpositum sat lautum, cibis magno pretio in famelica urbe conquisitis, unde opinio nascebatur, obsessis adhuc affatim annonæ suppetere, simul circumfusa turba numerosi præsidii opinionem pariebat. Cum inde Oxenstierna velut obiter ad idem tentorium accessisset, missus exponebat, uti Rex Sveciæ Lumbrano è Dania discedenti permiserit Polono declarare, se ostendendo sincero in pacem studio decrevisse Thorunium huic reddere, quamprimum super præliminaribus pacis convenerit. Unde Legatum judicare, circa id negotium maturato opus esse prævertendæ sanguinis effusioni, quod obsessores assultui tota vi dando parati

Thorunium à Polonis recuperatur.

1658.

1658. ſint. Oxenſtierna etſi monentibus quibusdam oppidanis miſſum non Lumbrani, ſed Regis Poloniæ Secretarium Trebuceum agnoſceret, tamen in diſſimulationem compoſitus reſpondit: gratum ſibi è Legato Regis ſui placitum circa Thorunium intellexiſſe. Cæterum etſi ipſe norit, Regem honeſtæ paci cum Polonia ineundæ pronum, certo tamen ſibi perſuaderi, declarationi Regiæ à Legato allatæ cauſam dediſſe, quod iſte crediderit, præſidium eo redactum, ut valido aſſultui ſuſtinendo non amplius par ſit. Enimvero ſe ipſi velut amici ac fœderati Regis miniſtro fidenter aſſeverare poſſe, ſuppetere adhuc vires obſidio in longum ſuſtinendo, cum ubi de omnibus neceſſariis adhuc probe proſpectum ſit. Sed quia voluntati Regis utique mos ſit gerendus, ſibi haut fas eſſe juſſa ejus interpretari, præſertim abſenti. Unde judicio Legati committere, an non è re videatur certum hominem Mariæburgum ire è Duce Adolfo Joanne ſciſcitaturum, num paria juſſa, quæ Legatus memoret, ad ipſum pervenerint, cum alias ſibi injunctum fuerit urbem ad extremum tenere, ac obſeſſi nil magis optent, quam ut Polonis libido ſubeat aſſultum tentandi. Ac ſi Legatus judicet eam miſſionem paci promovendæ inſervire, diplomate tuti itineris opus fore ad Ducem mittendis. Polonus cum præter ſpem de lauto adhuc præſidii ſtatu auditſet, veritus, ne urbs absque ingenti militum jactura, aut per longam moram expugnari non poſſet, diploma tuti itineris in urbem mittebat, cui Legatus Gallicus ſuas literas addiderat, à ſe Regem permotum annuendis octo dierum induciis, quoad Mariæburgum mittendi revertiſſent, ſi ipſi ita placeat. Mariæburgum miſſi cum gemina iis, quæ Legatus retulerat, nuntiaſſent, eo minus ſcrupuli Oxenſtiernæ circa dedendam urbem reſtabat, quod id ipſum ſtatus ejusdem ad extremum redactus imperaret. Haut eo minus cum ſtatim poſt iſtorum reditum Polonus exquireret, dedere urbem, an tueri placeat, Oxenſtierna reſpondebat, ad iſthoc mentem ſe ſuam declaraturum, ubi à Lumbrano miſſus venerit. Eo reſponſo Poloni offenſi machinis fulminare, globos igni-

vomos affatim jacere. Poſtera luce 1658.
Lumbrani Secretarius in urbem admiſſus deditionem ſuadebat. Cui Oxenſtierna etſi nulla neceſſitas urgeat, quia tamen Regi ſuo placeat, in ſignum inſtaurandæ amicitiæ tradita urbe Polonis viam in Boruſſiam pandere, ſibi haut fas eſſe, placito iſtius reluctari. Ita Polono in promtu eſſe urbis poſſeſſione potiri, ubi conditiones annuerit, in quas hancce dedere ſibi mandatum, quas exponere paratus ſit, ubi Polonus paris dignationis miniſtros, qui ſecum agant, delegaverit. Ita quatuor è primariis ſenatoribus à Polono deſignati cum Oxenſtierna in horto ſubui bii intra globi jactum congreſſi ſunt, præſidio quinquagenorum militum utrinque addito. Cum Prazrovius Cancellarius ſermonem ordiri aggrederetur, Oxenſtierna prævertens proponebat: Quia Polonici delegati venerint noſcendis legibus, quibus Rex ſuus tanti momenti urbem tradere velit, ſibi in anteceſſum declarandum, nulla neceſſitate iſtum ad hoc compelli, ſed unicam hanc ob cauſam ad talia deſcendere, ut falſi convincat eos, qui cavillantur, pacem eidem cordi non eſſe, & per hucusque factas teſtationes orbem illudi. Igitur ei opinioni dispellendæ ſibi injunctum Thorunium tradere his legibus, ut ſalvi conductus, ad quos hucusque Legatorum congreſſus adhæſit, expediantur omiſſo titulo & inſignibus Sveciæ. Ut locus & tempus congreſſui deſignetur. Ut induciæ ad certum tempus ineantur flectendis ad amicitiam animis, intra quod de pace agi queat. Ut navigatio Viſtulæ permittatur inſtaurandis commerciis. Ut denique Thorunienſis civitas omnibus Privilegiis ac immunitatibus, quibus antea gaudebat, ſimul magiſtratus, cives ac omnes incolæ plena amneſtia fruantur. Super his ubi convenerit, ſtatim à ſe delegandos, qui cum Polonicis Ducibus ſuper deducendo præſidio agant. Ad iſta Polonicus Cancellarius fremere: ad tam dura & ſuperba nil ſe reſpondere poſſe, nec talia ad Regem referre audere, ac ni modeſtiora proponantur, ſibi re infecta in caſtra redeundum, nec viam defore urbi in ordinem redigendæ. Cum Oxenſtierna negaret integrum ſibi à dictis diſcedere, Poloni

ſurgere

1658. ſergere, ac penes ſe culpam non fore ſanguinis inde effundendi teſtari. Nec minus Oxenſtiernæ demonſtrare: tanti momenti locum haut ita facile cedi poſſe, quin quasdam viciſſim conditiones paciſci par ſit, præſertim cum obſeſſos nulla adhuc neceſſitas urgeat, nec quid à ſe deſideratum, quod non rationi congruum, ac promovendæ paci idoneum ſit. Poloni contra: Duriora ne à victis quidem exigi poſſe. Queis dictis Cancellarius & Teſſinius Theſaurarius diſceſſum parabant. Sed Lubomirſcius, qui exercitui imperabat, cum è tam feroci propoſitione Urbem adhuc probe ſe habere conjectaſſet, cui expugnandæ multo labore ac tempore opus futurum ſit, cenſebat, etſi dura ſint Oxenſtiernæ poſtulata, tutius tamen eſſe hunc congreſſum non abrumpi citra expreſſum Regis mandatum. Simul paratum ſe fore heic actis ad Regem referendis. In quod reliqui conſentiebant, etſi judicarent, iſtum hoc facto ſingularem gratiam à Rege captare. Ita idem adſumto Morſtenio ad Regem pervectus cum revertiſſet, memorabat: parum abfuiſſe, quin ex hoc negotio gravem Regis indignationem incurrerit, quod hic ægre tulerit ab ipſis tam duras conditiones auditas, ac ad ſe relatas. Sed quia id præviderit, Reginæ opem imploraſſe, quæ & effecerit, ut Rex quantumvis ægre annuerit, delegatis integrum fore cum Oxenſtierna ſuper propoſitis agere. Ita inſtaurato colloquio Poloni reponebant; Regem Joannem Caſimirum ſalva exiſtimatione titulo Regni hæreditarii ac jure ipſi competentis ſe exuere poſſe, non magis quam ejusdem inſignibus, ad quæ tuenda etiam privati extrema connitantur, nec Oxenſtiernam, ſi ipſorum loco poſitus ſit, Regi eam indignitatem ſubeundam ſuaſurum. Oxenſtierna contra: Sigismundum corona Sveciæ jure excidiſſe, unde filio nil decedere, ſi eo titulo deſiſtat. Quo fundamento everſo inſignia ultro corruere. Conſiderarent ipſi, num ſalva conſcientia ſuadere poſſint, ut bellum, quo hæc regna per LX. annos inter ſe colliſa ſunt, longius ſatur ob rem, circa quam Sveci nunquam remittere quid poſſint. Sed nec locum heic eſſe ſuper eo diſputandi, quod ad tractatus pacis ſpectet: ac ſequeſtres jam per triennium incaſſum circa idem fategiſſe. Poſt longam diſceptationem ita convenit, ut Joannes Caſimirus ſuum ſibi jus reſervaret, quod ipſo in tractatu deducturus ſit: Sed nunc amore pacis hac ſola vice titulo & inſignibus Sveciæ abſtenturum. Amota palmaria difficultate facile in ſalvos conductus conſenſum. Tempus & locus tractatuum ſequeſtribus definiendus committebatur, ut tamen dies congreſſus quantum poſſet acceleretur. Poſt aliquam tergiverſationem quoque in ſemeſtres inducias conſenſum, quo ſpatio commercia utrinque libera fore, ac ſuper pace actum iri. Thorunienſi civitati etſi graviſſime offenſi eſſent Poloni, demum tamen omnia annuebant, quæ Oxenſtierna in ejus favorem ſtipulabatur. His confectis Oxenſtierna duos tribunos conſtituit, ſuper eductione præſidii ex urbe acturos. Obſidibus inter tractandum à Polonis datis. Pridie Kalendas Januarii Urbe exceſſere, tenues præſidii reliquiæ CXC. pedites CX. equites: quorum paucitate conſpecta Polonicus exercitus Oxenſtiernæ indignari, ac fremere, pactum deditionis haut ſervandum. Sed Rex antevertendo huic flagitio Oxenſtiernam jubebat, propere ſe in caſtra ſequi, ne idem, quod quondam Warſaviæ accideret. Is poſtquam apud Regem pranſus eſſet, hujus rheda per duo miliaria Graudentum verſus deductus eſt, valido addito præſidio. Iſthac Urbis tam diuturna defenſione, ac tam honeſta deditione, poſtquam jam cum extremis luctari cæpiſſet, ingens operæ pretium factum eſt. Nam quadraginta millium exercitus, qui Thorunio aſſidebat, per ſesquiannum detentus fuit, quo minus Regi contra Daniam bellum gerenti ingruere poſſet, cui alias difficile fuerat, futurum tot ſimul irruentibus hoſtibus reſiſtere. Per eas quoque inducias & commerciorum libertatem inſignis pecuniæ ſumma pacta fuit ſublevandis præſidiis in Boruſſia cum egeſtate conflictantibus. Simul occaſio naſcebatur è Brandenburgica provincia annonam congerendi in annum ampli-

1658.

us ſuf-

1658. ſuffecturam, citra quod Boruſſia ſubigente inopia derelinquenda erat. Nec parum hoc ipſo promovebatur pax poſt Olivæ concluſa, quæ & Danicam pacem acceleravit, quiete tam neceſſaria Sveciæ conciliata. Salva quoque perſtabat fides Regis apud omnes, qui ei ſeſe dediderant, queis iſte vetera ſua privilegia ſalva ſtipulatus fuerat. Denique & armis Svecicis glorioſum erat tantilla manu urbem adverſus duos validos exercitus tanto temporis ſpatio defendiſſe. Sane eo gratius iſta Regi acciderant, quod absque peculiari ipſius mandato per ſingularem Oxenſtiernæ dexteritatem res ita adminiſtrata foret.

Pacis negotium in Polonia langvet 27. Sept.

§. 120. Sed & pacis negotium in Polonia langvebat Carolo Guſtavo alibi diſtricto. Etſi Lumbranus ſcripſerat, Polonos ad ſuſcipiendos tractatus proclives eſſe, ſuſpectis Auſtriacorum actionibus, queis & Lubomirſcius ſuccenſebat, cujus prædia apud Cracoviam ab iſtis male habita fuerant. Sed nec ita arcte Polonos Auſtriacis ac Danis illigatos eſſe, ut non his excluſis cum Svecis tranſigere queant. Unde Rex, cui ea pax valde cordi erat, ſtatim Magno Gardio & Slippenbachio imperabat, ut præſto ſint, obeundæ legationi, ſimul diplomata expediri curat, quæ Poloni haut pro Danis, ſed in ſpeciem duntaxat pro Moſcis poſtulaverant. Polonorum autem diplomata Lumbranus Svecis interpoſita propria proteſtatione tradere volebat, ne eadem iſtis fraudi forent, ſi tractatus ſucceſſu carerent. De qua re Rex Legatis ſuis injungebat, ut ſi Lumbranus eam proteſtationem ſcripto tradere vellet, eam acceptare abnuerent, ſed ſi verbis eam faceret, vel contrariam proteſtationem reponerent, vel iſtam ſurda aure transmitterent. Cum porro Lumbranus Regis declarationem ſuper tractatibus Joanni Caſimiro attuliſſet, hic quoque eosdem à ſe deſiderari oſtendebat, ſed non aliter quam ſimul cum ſuis fœderatis. Expediendis præliminaribus Polono placebat Braunsberga, Svecis Frauenburgum. Initium nuncupabatur dies vigeſimo Martii ſequentis anni. Inter capita

1. Dec.

præliminaria Polonus adhuc declarationem ſuper ablatorum reſtitutione exigebat. Quod enim Carolus Guſtavus oſtenderat, Boruſſiam ſe redditurum accepta ſatisfactione fortaſſe pecuniaria, id Polonus hactenus acceptabat, ut tamen de ſatisfactione mentionem fieri nollet. Circa titulos Polonus eandem formam promittebat, quæ anno triceſimo quinto adhibita fuerat. Cui & probabatur, quod Rex citra exceptionem Gallos ac Belgas ſequeſtres admitteret. Cæterum quia facies rerum haut parum mutata erat, Rex Legatis ſuis nova mandata mittebat in hanc ſententiam: ſatisfactionis loco poſtularent totam Livoniam, adjunctis illis partibus, quæ Polonicæ ditionis hactenus manſerint, una cum Curlandia & Semigallia: præſertim cum ipſi Poloni in comitiis Warſavienſibus anno 1655. agnoverint inducias à ſe violatas, eoque Leſſinio & Naruſſevicio in Sveciam miſſis mandarint totam Livoniam cedere, additis, ſi iſta non ſufficiat tribus millionibus. Curlando alia via poſſe ſatisfieri, dato vel Samogitia vel præſulatu Mindenſi, cui Rex ducenta uncialium millia ſit adjecturus. Tum ut Poloni promittant, ſe partes Livoniæ à Moſcis occupatas ſuis ſumtibus recuperaturos, Svecisque tradituros, Palatinatu Mariæburgenſi tantiſper hypothecæ loco relicto, quoad omnia conventa impleta ſint. Boruſſiæ ceſſionem ea lege futuram, ſi Poloni promittant, ſe neque Auſtriacum quempiam nec Moſcum Regem ſibi aſſumturos, quo in futurum eo firmior amicitia cum ipſis coli poſſit. Cupiebat quoque Rex in partem vectigalis Pillaviæ & Memelæ admitti reparandis injuriis à Brandenburgico illatis. Expectativam in Boruſſiam Ducalem idem remittebat. Conſentiebat etiam, ut controverſiæ cum Auſtriacis componerentur, ut tamen hi promitterent, ſe cauſam civitatis Bremenſis & Capituli non ſuſcepturos, de inveſtitura ſcrupulum non moturos, vectigal ad Warnemundam in dubium non vocaturos, Receſſum Limitaneum cum Brandenburgico confirmaturos, ac Evangelicis per provincias hæreditarias libertatem conſcien-

1658.

21. Dec.

tiæ

1658. tiæ relicturos. Quod si Poloni à pace abhorreant, clanculum Austriacis Borussiam offerrent, prius tamen explorato, quod emolumentum Regem eo nomine sit mansurum. Nam tanti erat Regi reconciliationem cum Austriacis redemisse, à quibus omnia ipsi adversa promanabant, ut isthoc onere levatus eo acrius negotium Danicum urgere posset. Ad extremum tamen Rex etiam desistere decreverat de petenda parte vectigalis in Borussia, ac pecuniaria à Polonis satisfactione, ac ne Poloni teneantur partes Livoniæ à Moscis occupatas recuperare, sed satis haberent, jus suum ad eas in Regem transferre. Ita omnia indulgere Polonis cupiebat Rex, eo acrius premendaæ Daniæ. Etsi vicissim sat artium esset hostibus huic consilio eludendo, extractis cum Polono tractatibus.

Dux Curlandiæ capitur.

§. 121. Qaid Duglassio circa Curlandiæ Ducem mandatum fuerit, supra expositum est. Id executioni dare eo difficilius erat, quod non solum petitum haut satis foret ad eam rem vi tentandam, sed & quia Dux per nescio quem secretorum proditorem de istius destinatis per literas monitus fuerat. Unde Duglassius ad eam suspicionem Duci adimendam Lithuanos prius Wolmaria & Ronneburgo exturbare instituerat. Post idem Duci scribebat, ut copiis Svecicis in Lithuaniam transituris annonam suppeditet, cujus itineris obtentu occasionem istum opprimendi aucupari decreverat. Adhibebantur tamen ab ipso in consilium Helmfeldius & Fridericus Levvius, queis videbatur non prius aliquid tentandum, quam pedites à Rege promissi adessent. Nam in præsens eorum non ultra septingenti præsto erant, præsidio Rigæ detracti, haut par numerus arci & oppido Mitaviæ oppugnando. Ac si incautius res susciperetur, sine dubio Dux Polonorum Moscorumque auxilia imploraturus erat, quorum tota colluvies Duglassium inundatura metuebatur. Igitur placuit ad suspicionem Duci adimendam amicitiam simulare, ac ditioni ipsius quantum dabatur parcere, ut occasio inveniretur, eundem in securitatem datum opprimendi. Interim idem necessum habebat, annonam copiis Svecicis & Rigensi præsidio sustentando tributa conferre. 1658.

Ita Duglassius sub finem Augusti mensis per Curlandiam iter versus Lithuaniam intendit, ut ex hostico viveret, non amplius quam tribus equitum peditumque millibus instructus, haut tamen longius progressurus, quam unde se, ubi videretur, commode recipere posset. Tum ne copias ipsius numerare Dux posset, divisis agminibus & obliquis itineribus incedebat, ac ad fines Lithuaniæ apud Janitsciam & Zageram subsistens late eam provinciam catervis persultabat. *Janiciki.* *Zagra.* Quarum una tamen ducentorum quinquaginta capitum sub tribuno Columbo per incuriam 14. *Sept.* in hostes delapsa non modice vapulaverat, amisso subtribuno Yxculio & viginti amplius occisis. Heic cum intelligeret Duglassius, Ducem provincialibus suis edixisse, ut Mitaviæ præsto essent, & ipse retro Mitaviam vertit, velut exploraturus, quid iste Curlandorum concursus sibi velint, ac castris sub oppido positis per Haraldum Igelstræmium & Christianum Crusium super sustentatione exercitus, & præsidii Rigensis cum Duce agebat. *Igelstrom.* *Krus.* Cum interim Helmfeldio ac Nicolao Bothio summo vigilum præfecto occasio foret munimenta arcis & oppidi eminus inspiciendi. *Both.* Inde habito consilio placuit destinata in præsens differre, quoad plures pedites adveniissent. Nam in Anglia conscriptus miles ad octoginta capita decreverat, ac cæteri stationibus obeundis haut sufficiebant; ac interim pro lubitu provincia frui licebat. Ne autem Duci suboleret, quo fine Duglassius accessisset, per Igelstræmium & Crusium ipsum urgebat, ut plura subsidia annueret. Ita conventio inita, ab ulteriore confirmatione Regis vim habitura, qua vicissim Duglassius Duci de non offendendo cavebat. Ea reservatione Regiæ ratificationis Duglassius integrum sibi esse judicabat, Duci manus injicere, arcesque ejusdem invadere, quandocunque occasio arrideret, non expectata Regis adprobatione, aut rejectione. Uno dehinc milliari à Mitavia ad flumen consedit Duglassius, expectaturus illa, quæ Dux Svecicis copiis promiserat. Ista sponsione Dux præter certum modum annonæ & pecuniæ promiserat, se medii status

1658. leges ſtricte obſervaturum, nulli ſe negotio cum Moſco, Polono, Brandenburgico alioque Regis hoſte ingeſturum, nec palam aut oblique hoſtile quid in hunc tentaturum: ſimul tranſitum Regiis copiis conceſſurum, pontibus quoque ſtructis accelerando itineri. Duglaſſius contra neutralitatis ipſi beneficium promittebat ad ulteriorem Regis ratificationem ac Ducem interim ſubditosque ac ditionem ab omnibus hoſtilibus tum & ab hoſpitiis pro lubitu ſumtis, rapinis, direptionibus, tributis & exactionibus immunem fore. Inde ob tumefacta pluviis flumina copias pontonibus trajicere incipit, plura navigia Ducem poſcens ægrotis avehendis, revera ut iſtis militem arci admoveret. Cujus ſitum etſi ab aliis jam didicerat, tamen majoris certitudinis

Spens. cauſa Igelſtræmium & Spenſium alio ſub prætexto immittebat ſpeculaturos, num eadem adhuc arcis conditio perſiſteret. Qui cum facilem ad-

29. Sept. ſcenſum referrent, omnia deſtinatis exſequendis parantur. Jacobus Yx-

Ixcul. culius tribunus cum caterva equitum noctu ad portam oppidi ſubſiſtere jubetur, ut ſi tumultum in arce audiat, ſtrepitum excitaret velut numeroſi agminis aſſultaturi, in oppidum tamen ne penetraret. Quæ juſſa tamen neglecta fuerunt, equitibus in oppidum irrumpentibus, multasque domos diripientibus, quo nomine & iſte tribunus poſtea cauſam dixit. Tenebris obortis Nicolaus Bothius pedites latioribus navigiis imponebat, equites verſus arcem procedebant, ac excubitores intercipiebant, qui in altera fluminis ripa apud cauponam diſpoſiti ad inſolitum motum clamorem tollere incipiebant. Navigia ſecundo flumine absque ſtrepitu labentia pedites in terram ſub arce exponebant, qui promte in vallum enixi arcem intrabant, antequam ullus excubitorum animadverteret, præter duos, qui hoc reſponſo placabantur, ægrotos eſſe, qui præter arcem vehantur. Principi ejusque familiæ ſtatim miles præſidio adpoſitus. Erant qui Ducis liberos exſpoliare aggrederentur, ſed quos Duglaſſius ſuperveniens ſtatim abegit. In infima tamen condignatione aliquot conclavia & illud ubi argentea ſuppellex aſſervabatur, direpta, quæ licentia tamen ſupervenientibus præfectis mox repreſſa. Ea actione Svecorum nemo cadebat, ſed è Ducis familia optio, & ſaltandi magiſter, qui in Svecos cum armis ruebant, proſtrati ſunt. Obliti fuerant Sveci tabulario Ducis cuſtodes adponere: unde ab hujus miniſtris magna vis literarum combuſta eſt. Juſſu inde Ducis Bauſcha & Doblena Svecis tradebantur. Capta ſic Mitavia Duglaſſius copias per Curlandiam diſtribuebat, easque numeris augere conabatur, exiguo cum ſucceſſu. Nam provinciales Svecis infeſtiſſimi amici nil ultro præſtabant, quos vi in officio continere, ſimul hoſtes provinciæ infuſos arcere, ac Nobiles, qui magno numero ad Polonos tranſibant, compeſcere per paucitatem peditum haut licebat. Dux quoque non ſtatim cum familia Rigam abduci poterat, nullo ibi proviſu, & quia ipſius uxor partui vicina erat. Multo minus facultas erat, Memelam verſus progredi ad hoſtem diſtrahendum, prout Rex juſſerat. Igitur Duglaſſius conſultum ducebat Duci velut connivendo regimen provinciæ relinquere, quo hic ad præfectos ſuos juſſa ederet circa ea, quæ ad exercitus ſuſtentationem facerent, ipſe adminiſtrationem provinciæ ſuſcipere non auſus, ac ne hoſtis protinus irrumpens juxta Svecos conſidens Curlandiam plane exederet. Mox cum Poloni paulatim ei provinciæ ingruerent, Duglaſſius equitatum intra Mitaviam contrahebat, quam amplis munitionibus Dux amplexus fuerat. Poſt tamen cum Duglaſſius à Ducis conſiliariis parum amici experiretur, horumque juſſis apud provinciales circa convehendam annonam parum ponderis eſſet, regimen provinciæ ipſe ſuſcipere conſtituit, Duce Rigam abducto, cujus familiares jurejurando adigebantur, ſe nihil in fraudem Svecorum ſuſcepturos, niſi à Duce ſuo disjungi velint. Enimvero Duglaſſium ſpes ſua vehementer fefellerat, velut Duce capto & Mitavia occupata Curlandia ultro ſe Regi ſubmiſſura foret. Nam & bis mille Brandenburgici milites per Samogitiam ingruebant, ac pars Lithuanici exercitus provinciæ fines intrabat, ad quam plerique Curlandorum tranſibant, qui tamen Dob-

1658.

lenam

Arx.
Bolderama. Flu.
R.
NAPOLI

Digitized by Google

1658. lenam oppugnare aggreſſi aſſultu quoque incaſſum tentato quadringentos amplius ſuorum amiſere. Sed cum rumor ſpargeretur, Duglaſſio plures copias è Livonia acceſſiſſe, obſidio ſoluto Lithuani à Curlandis ſe parabantur. Iis copiis firmatus Duglaſſius Curlandos in ordinem redigere, ac Lithuanos provincia expellere inſtituebat. Igitur Schrundam nemine reſiſtente in poteſtatem redigit, eique ut & Haſenpotæ arci præſidium imponit. Goldingam ducenti milites inſidebant, qui imperatam deditionem ſine mora ſubiere. Plura loca ob paucitatem peditum præſidiis teneri non poterant. Inde ad fines Lithuaniæ apud Schrundam Duglaſſius conſidebat, ſupplendis legionibus operam navaturus. Iſta omnia cum ad Regem referrentur, hic vehementer indignabatur, quod cum ipſe Duglaſſio injunxiſſet nullo reſpectu habito Curlandiæ Ducem ejusque ſubditos hoſtium loco habere, eamque provinciam in poteſtatem redigere, is tractatu ſeſe implicuiſſet, eidem præjudicio & ignominiæ cedente, nulla autoritate, nullis mandatis, non conſiderato quid orbis judicaturus ſit, tractatu cum Duce ſuper neutralitate ſuſcepto, quem paulo ante hoſtis loco habuerat. Quia igitur Rex nullo modo ferre volebat à Ducibus ſuis ſe non autore tractatuum quid ſuſcipi, deinceps tale quid tentare vetabat, ac ante acta irrita declarabat. Nec minus acriter in eundem invehebatur ob copias tantopere imminutos, cum alias ea provincia comparando valido exercitui anſam recte eadem utenti præbere potuiſſet, quo Boruſſiam Ducalem infeſtare licebat.

13. Dec.

Schrundem. Haſenpot. Goldingen.

Cum Moſco induciæ concluduntur.

§. 122. Pacis cum Moſco Rex ita cupidus erat, ut licet tractatibus inter hunc & Polonos Vilnæ incaſſum abruptis bellum inter iſtos inſtaurandum videretur, ideo negotiationem cum eodem differendam haut cenſeret. Pacem tamen non alia lege volebat, quam ut omnia in priorem ſtatum reponerentur, ne latum quidem pedem terra penes Moſcos relicta. Huc ſi deſcendere iſti nolint, inducias in annum unum & alterum ineundas vel hac lege, ut Moſci tantiſper loca per Livoniam occupata retineant, ſi aliter illæ obtineri non poſſint. Porro progreſſum tractatuum urgere jubebantur Legati, quoad illa ſucceſſus ſpes eſſet. Sed ſi Moſci videantur à pace abhorrere, præſtare ut circa præliminaria occaſio rem extrahendi arripiatur, quam ut circa principale negotium tractatus vado adhæreant. Nam in præſens Regi ſufficiebat Moſcicum negotium utcunque componi, quoad bellum Danicum patratum foret: tunc quippe ſat occaſionis futurum erat Moſcos ad ablata reſtituenda compellendi. Cæterum adhuc incertum erat, num tractatus Moſcis cordi eſſent, quod hi nuper trans Narvenſe fluentum ſeptingentos pedites, trecentos equites in Eſtoniam trajeciſſent, incertum quo fine. Naſſokinus quoque Cakenhuſæ præfectus aliquot loca ad Regem ſpectantia tributis ſubjecerat, ſuosque limites dilatare ſtuduerat, incaſſum monentibus noſtris, ne id fieret. Quos tamen vi expellere non audebat Duglaſſius, ne anſam abrumpendis induciis citra juſſum Regis daret. Et quanquam poſt ſolutos tractatus Vilnenſes aliquoties inter Polonos & Moſcos pugnatum fuerat, haut eo minus tamen Moſcorum Legati accedere morabantur, ſine dubio aucupantes, quo ſeſe res in Dania daturæ eſſent. Ac tota Moſcovia rumor erat, Czarem non alia lege cum Svecis pacem initurum, quam recuperata Ingria & Carelia, qua ſpe plebs lactabatur, ne ob mala bello exhauſta in ſeditionem abiret. Porro cum Svecos tædium morarum caperet, Moſcos per literas ad maturandum iter ſtimulabant. Ad quas Moſci ita ambigue reſpondebant, ut, quid vellent, intelligi non poſſet. Tandem Naugardiam delati poſtulabant aliquos mitti ad locum tractatuum inſpiciendum, quod locus antea conventus ad Pluſamundam diſpliceret. Unde & à Svecis demum admiſſum Walliaſar locus medio inter Narvam & Waſchnarvam ſpatio, cum Moſci ipſos ad unum & alterum incommodum aut intutum locum pertrahere conati fuiſſent. Ac inprimis multa tricabatur Naſſokinus, qui & ægre tulerat, Legatos Svecicos Moſcovia dimiſſos, eosque iterum retrahere conatus fuerat. Ea diſceptatio de loco complures ſeptimanas abſumſerat, quo dein accedebat alia lis ſuper juramento ſecuritatis, à ſubdelegatis utrinque præſtando, antequam tractatus ſuſciperetur, quod abſurde admodum à Moſcis conceptum

1658.

14. Aug.

1658. 29. Oct. erat. Cum jam omnia confecta crederentur, Mosci novis postulatis omnia turbare, non solum præter conventa mille milites ad locum tractatuum adducturi, sed & aliquot cohortibus per hospitia in Estoniam distributis. Subdelegati quoque Svecici aspere increpabantur, & cum Legati eo nomine per literas quererentur, ne responsum quidem redditum. Quæ à Brandenburgico ablegato profecta credebantur, qui circa id tempus in Moscoviam pervenerat. Nec minus impudenter Mosci postulabant, ut ipsi milite suo viam inter Narvam & Walliasar insiderent, nec in casum abrupti tractatus disertis verbis promittere volebant, Legatos Narvam aut Revaliam tuto dimittendos. Ægre quoque ferebant Ducis Curlandiæ captivitatem, velut quem Czaar in protectionem receperit. Tandem tamen aliam faciem induere Mosci, ac humanius loqui cæpere, simul Instrumentum securitatis subscriptum, & utrinque ju-
10. Nov. rejurando firmatum fuit. Ita Legati Svecici Gustavus Bielkius, Benedictus
16. Nov. Hornius, Joannes Silberstierna & Philippus Crusenstierna Narva Walliasar se contulere, ubi extempore lignea
17. Nov. ædificia utrinque extructa erant. Sequenti die primus congressus habitus, ubi quod Mosci Silberstiernam post Crusenstiernam posuissent, errori Scribæ imputatum. Mosci contra procuratoria acceptare abnuebant, ob recens insertum titulo Regis Scaniæ vocabulum, etsi Sveci dicerent, se non utique postulare, ut hic titulus Regi ab ipsis tribuatur, modo eum à se adhibitum admittant. Tandem tamen permutatio procuratoriorum sepositio eo scrupulo fiebat. Inde à Moscis prima propositio in hunc sensum formabatur. Quia Sveciæ Rex actionibus suis Czaris destinata in Poloniam impedierit, satisfactionis loco hunc postulare ad Moscicum Imperium quondam spectantes provincias Careliam & Ingriam una cum locis in Livonia occupatis, ac hominibus, qui ex iis profugerint; insuper Urbes Rigam, Revaliam & Narvam cum subjectis ditioni-
19. Nov. bus. Altero congressu Mosci scrupulum movebant, quod in Svecico procuratorio Moscicorum Legatorum nomina non essent expressa, quod demum admittebant, ut tamen novum adferatur, cui nomina ipsorum inser-

ta sint. Inde super minore titulo Regis disceptatio surgebat. Quia enim Mosci ob vocabulum Scaniæ circa majorem titulum difficultatem moverant, placuerat minorem duntaxat titulum adhiberi. Quem Sveci ita concipiebant: *Carolus Gustavus Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Dux Estonie & Carelie, Dominus Ingrie & Wismarie.* Id quod Moscis ad palatum non erat, eoque contendebant, nullo plane titulo usque ad conclusionem tractatuum utendum. Ea disceptatio totum eum congressum absumsit nullo exitu. Nec minus se-
20. Nov. quenti eadem disputatio fervebat, donec Mosci huc descenderent, ut utrinque totus titulus adhiberetur, parati Scaniæ quoque vocabulum Regi tribuere. Inde à Svecis propositio in hunc sensum fiebat, ut omnia in statum tractatuum Stolbovienſium reponantur, & omnia à Moscis occupata reddantur una cum parte Livoniæ, quæ ante hoc bellum ad Polonos spectaverit, quod Mosci æterna pace omni prætensioni in Livoniam cessissent. His absolutis se quoque de satisfactione sibi debita verba facturos. Ea proposito Moscis scripto tradebatur. Utrinque addita multa asseveratio de studio pacis. Quarto congressu multa incassum disputabantur, penes utrum causa hujus belli foret. Quinto congressu Mosci
24. Nov. non nihil videbantur remittere, ut nempe uterque Principum Gubernatorem Rigæ habeat, quod pleræque merces è locis ad Czarem spectantibus eo vehantur. Revaliam & Narvam Rex Sveciæ retineat, sed Ingria & Ivanogroda Czari tradatur. Multa insuper querebantur de pace Stolbovienſi, ad quam vi compulsi sint, duris admodum legibus constantem, quam subvertere optabant. Post longa litigia iidem demum dicebant, nil jam amplius superesse, quam ut sermo fiat de induciis trium septimanarum post abruptos tractatus, ac repente surgebant. Injiciebant tamen mentionem de longioribus induciis, quas Sveci acceptabant, & crastina die se de iis locuturos. Ita de induciis agi cæptum, quæ Moscis placebant, ea lege, *ut possidetis*, ac Svecos promtam declarationem poscebant, quod sibi difficile sit exercitum in propria ditione alere. Inde
1. Dec. utrinque capita inducierum scripto concepta sunt, ubi magna contentio

super

1658. ſuper Waſchnarva ſurgebat, quam Sveci ſibi reſtitui volebant, velut ni Eſtonia ſitam, & cui nullus diſtrictus ſubſit: ſed Moſcis acriter inſtantibus cedendum fuit. Nec minor ſuper duratione induciarum diſceptatio, quas Moſci in viginti annos, Sveci non niſi in unum & alterum volebant. Tandem in triennium conventum, & utriusque Principis arbitrio reſervatum, ſi intra triennium hoc æterna pax concludi nequeat, quousque induciæ prorogandæ forent. Toto hoc tractatu Moſci exercitum ſuum, quadraginta millium apud Augdoam conſiſtentem oſtentabant. Ita tunc Moſci per inducias in Livonia retinebant Cakenhuſam, Dorpatum, Adzelam & Mariæburgum cum ſubjectis diſtrictibus, ac in Eſtonia Waſchnarvam, cui non niſi pauculæ caſæ piſcatoriæ ſuberant, & ſi quæ alia Kalendis Maji poſſediſſent. Addebantur quædam exigui momenti ad controverſias in futurum declinandas. Induciæ in tres annos concluſæ à viceſima die Decembris An. 1658. ad eundem diem An. 1661, quæ à Legatis utrinque jurejurando firmabantur. 1658.

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM

A

CAROLO GUSTAVO

GESTARUM

LIBER SEXTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPITOME.

Acies rerum ſub initium anni. 2. Rex à bello cum Auſtriacis abhorret. 3. Eidem Daniæ inhærere placet. 4. Rex Hafniam aſſultare conſtituit. 5 Oppugnatio Hafniæ ſuſcipitur. 6. Langelandia occupatur. 7. Mari geſta. 8. Rex Falſtriam & Lalandiam ſubigit. Mœna inſula occupatur. Naſcovia capitur. 9. Fœderati Fioniam fruſtra oppugnant. Idem Friderixudda potiuntur. 10. Fœderati Fennoam capiunt. Fionia fruſtra oppugnatur. Coxus bene rem gerit. 11. Anglorum & Belgarum æmulatio circa bellum Danicum. 12. Cum Richardo Cromvello acta. 13. Anglicus Legatus pacem aut fœdus Regi proponit. 14. Claſſis Anglica in Oreſundam venit. 15. Montacutii mandata. 16. Angliæ intentio. 17. Anglorum propoſitio Regi haut placet. 18. Regis judicium de Anglorum propoſitione. 19. Ulterior cum Anglis tractatio. 20. Cum Anglis ſuper fœdere agitur. 21. Regis de Anglorum poſtulatis ſententia. 22. Angli à ſe acta defendunt. 23. In Anglia conſilia cum ſtatu mutantur. 24. Hagæ ſuper componendo bello Danico agitur. 25. Hagenſe compactum primum. 26. Id compactum multis diſplicet. 27. Belgæ idem exſequi inſtituunt. 28. Belgarum Legati ad Regem accedunt. 29. Regis circa reconciliationem cum Belgis intentio. 30 Tractatus cum Belgis ſuſcipitur. 31. Regis circa hos tractatus conſiderationes. 32. Belgica claſſis inducias parum curat. 33. Belgici Legati vacillant. 34. Legati Anglici in Daniam veniunt. 35. Nova pacta Hagæ incuntur. 36. Alterum compactum Hagenſe Tertium compactum. 37. Ea pacta ab Autoribus ſuis defenduntur. 38. Ea pacta Carolus Guſtavus valde improbat. 39. Regis in futurum deſtinata. 40. Angli abſurdum agendi modum ineunt. 41. Colloquium Regis cum Legatis Anglicis. 42. Rex de Anglis queritur. 43 Rex arbitros recuſare pergit. 44. Belgæ ſuper ſua reconciliatione agere incipiunt. 45 Danus ægre ad tractatus accedit. 46. Tractandi cum Danis initium fit. 47. Capita pacti Roſchil-

1659.

1659. Roſchildenſis excutiuntur. 48. Belgæ rem in Svecos gerunt. 49. Anglica claſſis diſcedit. 50. Circa pacem incaſſum ſatagitur. 51. Danorum inanes conatus. 52. Proditores deprehenduntur. 53. Sequeſtres Regem in Falſtria adeunt. 54. Fionia ab hoſte invaditur. 55. Regis circa ſervandam Fioniam cura. 56. Clades Svecorum in Fionia. 57. Regis circa conditiones pacis ſententia. 58. Rex in eventum cum Belgis tranſigit. 59. Regis mandata circa pacem Danicam. 60. Tractatus reaſſumitur. 61. Ad Hafniam geſta. 62. Cojetus in Belgium Legatus mittitur. Ejus mandata. 63. Cojeti cum Belgis negotiatio. 64. Cum Gallis acta. 65. Biærnclovii in Galliam Legatio. 66. Ejus expeditio. 67. Cæſarei in Pomeraniam irrumpunt. 68. Rex apud Ordines Imperii fruſtra queritur. 69. Reconciliatio cum Brandenburgico tentatur. 70. Svecorum in Curlandia progreſſus. 71. Res Svecorum in Curlandia in deterius eunt. 72. Per Boruſſiam geſta. 73. Res Boruſſiæ in anguſtum rediguntur. Hauptum deditur. 74. Tractatus Polonici extrahuntur. 75. Cavillationes circa diplomata. 76. Legatorum Svecicorum mandata. 77. Præliminaria pacis Polonicæ. 78. Tractatus Olivenſis initia. 79. Cum Moſcis acta.

Exper-

Digitized by Google

EXpertus haſtenus fuerat Carolus Guſtavus pleraque bello proſpera, ſed & nonnulla adverſa, viribus quoque ipſo temporis tractu, continuoque labore exhauſtis; quibus eousque reparandis, ut tot hoſtibus ſimul ingruentibus ſufficerent, opes Sveciæ haut ſufficiebant. Nec ab amicis ſolidi quid auxilii expectare dabatur, qui uti ipſum hoſtibus plane ſuccumbere volebant; ita rationibus ſuis haut congruere ducebant, eundem in tantum evaleſcere, ut propria deinceps vi nemini obnoxius ſubſiſtere valeret. Quanquam autem inſigne levamentum haberetur Moſcum utcunque cervicibus amoviſſe: in ejus tamen vicem in apertum jam bellum eruperat Cæſar cum Brandenburgico Electore, & Belgis Fœderatis, ut quantacunque virtute contraniteretur, non poſſet non demum ipſo numero obrui. Equidem redacto in poteſtatem Curlandiæ Duce, munitisque ibi arcibus aliquod operæ pretium factum: minores tamen ſperato erant Duglaſſii ſucceſſus, per quem Rex ſperaverat Polonos ſe, ac Brandenburgicum diſtracturum, ac ita laſſaturum, ut tandem ad pacem Sveciæ haut infructuoſam deſcenderent. Igitur rebus ſuis nullum ſalutarius remedium inveniebat, quam adverſus imminentem tempeſtatem atrociſſimam portum quærere, ac quos obtinere liceret bellorum fructus matura pace in unum ſubducere. Quibus ne conſpiratione hoſtium exueretur, ea præcipue cura erat, ut non cum omnibus uno loco tractatuque, ſed cum ſingulis ſeorſim tranſigeret. 1659.

Facies rerum ſub initium anni.

§. 2. Quanquam autem amicorum Sveciæ potiſſimi Galli Anglique Danico quidem bello Regem expedire cuperent, quo ea moleſtia ſolutus tanto promtius cum Auſtriacis committi poſſet: tamen hic deprehenſa iſtorum invidia cum Cæſare quoque tranſigere, adeoque cum omnibus hoſtibus pacem conſtituere cupiebat. Nec placebat Germaniam turbis involvere, aut incaſſum cum Auſtriacis digladiari, Gallis deinceps ejus belli fructum intercepturis. Ac majus operæ pretium videbatur rebus domi ordinandis vacare, quas priorum temporum iniquitas, aut ſolutius regimen non parum convulſerat, ac per quietem domeſticas vires reficere atque augere; haut defutura deinceps occaſione virtutem expromendi, ac autoritatem decusque nominis Svecici Europæ inter populos tuendi. Equidem Magnus Gardius literis Wismaria datis Regi vehementer ſuadebat, ut conſilium de ſubjugandâ Dania omitteret, difficillimum effectu, & ægre valiturum, ſi vel maxime ſuccedat: ac Auſtriacos potius invaderet, quo ipſius arma jam ultro videantur invitari, & quo vadentem plurimorum adplauſus ſit proſecuturus. Cui Rex paulo commotior reſpondebat: ſe valde mirari, unde iſta nunc ipſi in mentem venerint, cum ſatis norit, quid eodem præſente in Senatu, & quibus è rationibus ad ſecuritatem & ſalutem patriæ ſpectantibus decretum ſit. Non obſcurum ſibi eſſe, quantæ molis ſit bellum Germanicum, in quod ipſe pertrahere Sveciam velit. Optandum fuiſſe, eam animi conſtantiam tunc exhibitam, quando magna conſiliorum pars

Rex à bello cum Auſtriacis abhorret.

1659. in Svecia penes ipſum erat, cum ejusdem res tantopere Auſtriacis prævalerent, nec opus haberent, ut tantum non cum trepidatione in pacem rueretur. Tunc par fuiſſe in muliebria conſilia haut conſentire, & ut emolumenta Sveciæ tam felicibus armis parta modico pretio abdicarentur, ſed in uſus patriæ prudenter diſpenſarentur. Tunc non fuiſſe ſubruendam eorum autoritatem, qui ſolidiorem fructum è tantis armorum ſucceſſibus petendum ſvadebant. Sed nunc eas rationes ceſſare, ac res eousque mutatas, ut qui in præſens bellum Auſtriacum ingerat, nil aliud agat, quam patriam inexplicabilibus moleſtiis involvere cupiat. Præterquam quod iſtud jam fundamento & prætexto careat, prioribus controverſiis per pacem Weſtphalicam ſopitis. Nam nunc bello in Auſtriacos ſuſcepto univerſos Imperii Ordines offenſum iri, nec eorum quemquam fore, qui partes noſtras auxilio & favore fulturus ſit. Interim Danum à tergo imminere, ac calamitates noſtras captare, ad quem ſemper oculi reflectendi ſint; quippe quem hoſti facillimum ſit impellere, ut Sveciam alibi diſtractam domi turbet. Ne igitur Gallicis Miniſtris aures præbeat, quibus propoſitum ſit qualemcunque pacem in Dania properare, ut ipſum cum Auſtriacis committant, id quod uti Galliæ rationibus quadret, ita in præſens cum Sveciæ exitio eſſe conjunctum.

Idem Daniæ inhærere inſtituit.

§. 3. Quanquam autem Rex perſpiceret, nullis conditionibus amicos permoveri poſſe, ut ad ſubjugandam Daniam operam conferrent, nec Dani ſocios unquam conceſſuros, ut ipſe ſolus cum hoc luctetur; ſimul adpareret, conſpirantes inter ſe Gallos, Anglos, atque Belgas pacem ipſi jejunis conditionibus obtruſum ire: haut tamen ideo victas dare manus, ac deſtinata protinus abjicere placuit, ſed omnem prius lapidem movere, num quid amplius Daniæ, quam pace Roſchildenſi parta, extorqueri poſſet. Sed in eo ſumma negotii videbatur verti, ut aliquod operæ pretium fieret, antequam Belgæ majora auxilia in Daniam expediiſſent. Hos enim perſpiciebat Rex eousque in cauſam deſcendiſſe, ut pedem retrahere non poſſent, ni omnes Sveciæ hoſtes in ſe avertere vellent. De his autem ultionem ſume-

re non licebat, niſi arcto fœdere cum Gallo, Anglis, & Luſitanis inito; ſed quod difficultatibus non carebat, multis in Gallia & Luſitania id averſantibus ob diverſa ſacra, Anglis quoque per turbas inteſtinas, & bellum Flandricum diſtractis, præter ſolitum iſti nationi lentorem. Ac ſane ex magno adparatu, qui in Hollandia fiebat, patebat, Belgas primo vere valida cum claſſe & auxiliaribus copiis in Dania adfuturos. Simul Angli non obſcure ſignificaverant, ſibi haut placere, ut Hafnia dominum mutet. Unde amicos æque ac hoſtes metuens dum tempus faveret, fortunam tentare decrevit, modico damno ubi eventus deſtitueret. Sed ubi conatus ſuccederet, haut arduum fore judicabat oblatis lautis conditionibus cum uno & altero hoſtium decidere: cum multa jam confecta tolerari ſoleant, quæ re adhuc integra ferre noluéramus. 1659.

Rex Hafniam aſſultare conſtituit.

§. 4. Eum igitur in finem placuit per hiemem aſſultu Hafniam, in qua ſumma rerum vertebatur, tentare. Quia tamen ea res ardua erat, & anceps, ſæpius eandem cum primariis Ducibus in conſultationem Rex deduxit; ubi variæ in utramque partem rationes adferebantur. Qui conatum iſtum diſſvadebant, diſſerebant; primo in Selandiam adventu tentandum fuiſſe aſſultum, milite ex opimis hoſpitiis recente & alacri, cum munitiones urbis adhuc ſemiperfectæ jacerent, nec militum idoneus numerus intus eſſet, civium animis inopino terrore conſternatis. Sed nunc cives per moram & periculorum adſvetudinem animos collegiſſe, ac multitudine ſua, ſimul ob præteritos ſucceſſus criſtas erexiſſe: munitiones jam abſolutas; vallum excelſum; ac præter domeſticum militem accedere Belgarum veteranas cohortes, ac navales ſocios, claſſem ſuam jam in vallo defenſuros. Primo in Selandiam adventu Regem ceſſiſſe rationibus illorum, qui demonſtrabant, eſſe facinus plenum difficultatis & aleæ, manus conſertum ire intra vallum ſuum cum viris deſperatis, quibus ſola in armis ſpes ſit. Quos nunc eo magis, ad ſuſtinenda extrema omnia obſirmatos adpareat, quod tanta conſtantia atque cura omnia defenſioni præpararint. Nec fieri poſſe, ut

Digitized by Google

s Danor: et munitæ Urbis HAFNIÆ, quam Ser: Sueonum R

o apparatu bellico fortiter oppugnavit die 11 Februarij Anno 1659.

A Prætoria.

Generalis oppugnatio ducta et auspiciis ipsius Regis instituta

Dep: Gen: Fersen, cui demonstratum erat moriare en Hoppegrus: C. ut et Portarum vulgo

D. cum Equestribus cohortibus. 1. cui peditat delegati globus pyrobolarium et Secures,

ratio bellica ferretur. 2. Centum nautæ, qui partim pontes portabiles ad Superandum

valla et effossa alacres abscissibus confectum, partim ebam Scalas ad vallum transcendendum,

in portabant. 3. Cohors ferrea. 4. [illegible] cohors. 5. ibi: Baronis Pet: Sperr Cohors; 6. Cohors Lavalia

7. Cohors Smolandica Ducibus Lagero

post victas et ad se potestatem suam redactas Propugnaculum E. et domum pro excursionibus coercendis adstructam

hic. 8. Centum militis delecti cum globis pyrobolicis et Securibus. 9. Centum nautæ pontes et Scalas ferentes.

ibi 10. Pelotones militis Tribun: Hutten. h. 11. Cohors Equit: Prat: Gen: Egeng subducta Pro trib: Lundeberg. 13. Cohors.

Dan: Ducibus Comit: Ahlefeldo,

ad generalem assaltum et universalem oppugnationem, cohortatus Sub imperio supremi Praefecti Regii Tormentariorum

Guttarburg Cohortes 14. Pistoriensis pedites Sued: ducta Pro trib: Bartolds Mortagne 15. Upplander Com: Natol:

duc: Dan: Prafect. 16. Smolandes Kagen 19. Hellingen Baro: Caroli Sparre 20. Ericus Wasf: Suede 21. Baro Bidal, qui

ultimo assultum ex tam numero elegantiali et Peditum imperatum Corpus [illegible] assultum intentum incursus deliberarunt.

in Pistoriens: Schleichhorste 22. Portae Equites sub Praefect: Bandewalt 23. Wigbornian legio 24. Ofrogothica legio sub Com:

Comit: Trib: Gotte 25. Legio Lundignensis Hofman 27. Upplandica legio Sub trib: Erico Planting 28. Princip: Anhaltina legio

sub Protribuno Lubolfo

sub ducibus Com: Casimiri Lewenhaupt 29. 30. Jutorum Borealis legio finnonica 31. 32. Equites delegati ex variis

Legionibus

Gen: Gustavi Boneri ad occupandam Portam urbis Orientalem et Propugnaculum dict: Kattan

Suae Copiae peditatis 33. 250 milites delecti, ad primum assultum faciendum, globos pyrobolicos ferentes et primum

et Scalas. 35. 450 Equites ex variis turmis delegati. 36. Turma Com: Palatini. 37. Tribunus Aschenberg Turma

Comes Dirnachae, qua omnes et singuli pedestri irruptione urbem oppugnabant.

cum Copiae Equestres. 39. Legio Generalis Boneri. 40. Leg: Trib: Bornmanni.

Confundendos obsessos sub ducta Gen: Com: Claudi Tott, cui mandatum erat impugnare

in ipsius Amager. 41. Ducenti milites delegati et magna nautarum manus cum quibusdam

opp: Subordinata Copiae Equestres. 42. Legio Trib: Oxenbak. 43. Leg: Trib: Prongely.

simulata sub ducibus Trib: Frölich cum parte delegata equitum pediting ex variis co:

horibus ad exitandos et turbandos obsessos.

aeque simulata, sub ducibus Protribunorum Lensmanni et Hinghowij cum

magno Officialium famulorumm et Servorum numero.

Oppugnatio, pariter Simulata et imaginaria sub Tribuno Roth,

cum Tartarorum Caterva.

Ericus Dahlbergh Cast: mot: Prin: ad vivum

delineavit.

[illegible] Sculp. Holmiæ A. 1659.

N. 46.

Digitized by Google

CX CAROLUS GVSTAVUS
S I N U S
K Ö G E R
W I I K

1659. ut non extremis viribus nitantur Rex, Nobiles, Sacerdotes, populus arma tenentes, ac numero prævalentes, cum de corona, dignitate, laribus, familia, libertate, opibus, & quæ omnes caritates complectitur patria agatur. Igitur ſatius eſſe bellum extrahere, præſertim cum Rex non adeo copiarum numero valeat; ac facilius mora & miſeriis obſidii, quam violentia multitudinem vinci poſſe. Nam generoſos animorum motus, qui adverſus ſubitam vim valeant, per diuturnitatem, & continuam malorum ſeriem fere languere. Sed prævalebant, qui diverſa ingerebant. Ingenti jactura Regi conſtitiſſe, quod tunc non ſui potius animi motus, quam tepida aliorum conſilia, circumſpectionis colore adornata, ſecutus ſit. In memoriam revocandam Friderixuddæ oppugnationem, ubi & qui intus erant numero præpollebant. Ac pauca admodum tropæa erecturos fuiſſe Svecos, ſi ſemper ita anxie hoſtes numerare inſtituiſſent. Gloriam difficultate operis quam maxime exſplendeſcere; nec fortunæ tam ſæpe propitiæ diffidendum; quæ in præmium hujus actionis offeret monarchiam Septentrionis, & imperium Maris Baltici; quæ non extremo conatu affectaſſe ob tantillæ jacturæ metum ſummæ ignaviæ crimen habeat.

Oppugnatio Hafniæ ſuſcipitur.

§. 5. Ea cum ſententia ſederet, omnia, quæ aſſultui dando requiruntur, magna cum diligentia in caſtris parantur. Tum ſingulis noctibus ſub urbem tumultus excitatur, fatigandis obſeſſis, ſimul iisdem in ſecuritatem dandis, num forte per ſocordiam occaſio inveniri poſſit urbem ſubito opprimendi. Quod cum non ſuccederet, Danis per vigiles noctes in vallo agentibus, vi aſſultum utique tentare Rex conſtituit. Eos conatus ut anteverteret Medovius, è caſtris Svecicis nobilem cum literis in urbem mittit, ad ſeparatam pacem Danum excluſis ſociis invitans, uti ex Anglia juſſus erat, ac promtam compoſitionem ſuadens, antequam ſumma rerum periculo foret expoſita, nullo poſt ad erigendas Daniæ res remedio. Et qui miſſus erat non obſcure inſinuabat, omnia in caſtris Svecorum aſſultui undiquaque dando parata eſſe. Quanquam & illud jam antea Danis proditione Cornificii Uhlfeldii innotuerat, qui amicitia cum Voyetta tribuno contracta ex hoc totam conatus ſeriem didicerat, ac per quendam Malmogienſem flagitii conſcium Hafniam perſcribi curaverat. Aſt Fridericus Rex iſtis haut territus reſpondebat: Se ſalva exiſtimatione non poſſe ad tractatus deſcendere citra incluſionem fœderatorum; nec ejusmodi ſeparatæ paci ſat ſecuritatis ſubeſſe. Igitur jam deſtinata vi executurus Carolus Guſtavus cum copiis aſſultui deſtinatis ſub urbem extra teli tamen jactum ſucceſſit. Ubi Bidalius in navigium lato alveo, quod inter urbem & ſuburbium à Chriſtiano dictum jacebat, ſex machinis inſtructum immittitur, idque igne injecto corrumpit. Sequente nocte copiæ iterum urbi circumfuſæ velut aſſultum daturæ obſeſſos ſuſpenſos tenuere, nulla re ſuſcepta. Sed tertia nocte, cum miles corpora bene curare juſſus eſſet, ſerio demum aſſultus ſuſcipitur. Plerique alba induſia veſtibus ſuperinduerant, ut percandentem nive humum eo minus è vallo dignoſci poſſent; ac ut ab hoſte ſe mutuo diſcernerent, faſciculos ſtraminis pileis ac brachiis alligaverant. Diſpoſitione phalangum facta, poſtquam incenſis aliquot picealis doliis ſignum datum eſſet, Rex primo quinquaginta pedites exterius munimentum occupare jubet, quod dimidio propugnaculo ad portam occidentalem objacet. Quo facto Gengelius cum ducentis peditibus ad dextram dicti munimenti parvum propugnaculum inter vallum, & viam tectam ſitum invadebat. Delvvigius cum ſua legione in dimidium propugnaculum tendebat, quem à dextris Fabianus Ferſenius cum ſuis fulciebat. Anglicana & Sulzbacenſis legio Duce Wavaſorio propugnaculum proxime ſtabulum Regium aſſultabant. Voyetta & Aſchebergius cum trecentis equitibus, qui ad pedes deſcenderant, domum ceresiſiis coquendis impetebant. Iſtis quippe locis opera minus perfecta erant, quod mari alluerentur, quo nunc glacies acceſſum ſtruxerat. Reliqui qua ſtatio cuique aſſignata erat ruebant. Quamdiu itaque eminus ingruerent Sveci majoribus machinis ex omni parte valli in eos fulminabatur, in propius ſub-

1659. *la Voyette.* *Bidal.* 10. *Febr.* 11. *Febr.* *Gengel.* *Delvvig.* *Ferſen.* *Wavaſor.*

1659. ſubeuntes omne genus telorum perdendis hominibus inventum effundebatur. Nec eo minus Ferſenius & Delvvigius ad aſſignatum ſibi locum mira conſtantia penetrabant, ac ſub pedem vallidelati palis evulſis ſcalas admovebant, è quibus quatuor jam in ſummum vallum enixos Dani ipſo in veſtigio trucidabant. Sed qui ad dextram his tendebant, dum gradum propius admovent, plerosque ſuperiorum graduum ductores amiſere, cæſo Gengelio & Voyetta ſauciato Aſchebergio, *Hoſtrig.* Hoſtrigio, *Weiſſenſtein.* Weiſſenſteinio, & aliis: unde gregarii ducibus orbati pedem retulere. Quo animadverſo Rex Ericus *Steinbock.* cum Stenbockium, ſummum rei tormentariæ præfectum, cum legione Smalandorum his ſubſidio miſit: ſed qui perſpecta iſtorum confuſione, ac trepidatione ob amiſſos duces ad eos ſe contulit, qui vallum prope Regium ſtabulum invadere parabant. Ibi dum aggerem tranſit fragmine ferri pectori infixo ad necem ſauciatus eſt, cadente quoque Smalandorum ſubtribuno, ſic ut eorum caſu cæteri non parum conſternarentur. Inde Rex *Sparr.* Carolum, & Petrum Sparrios fratres cum alia legione Smalandica, & Sudermannica Ferſianæ legioni ſuccurrere juſſit, quæ adhuc obnixe locum ſuum tuebatur. Sed quia cæteros, qui ab altera parte ingruere debebant, conatus ſuus deſtituerat, iſtorum latera ictibus è vallo patebant. Unde cum Rex perſpiceret, eorum virtutem fruſtra iniquitate loci conſumi, nec ſpem ſucceſſus ſupereſſe, ſignum receptui dedit, poſtquam iſti per ſesquihoram locum ſuum inter telorum grandines tenuiſſent; etſi receptus non minus difficilis eſſet. Nec acris minus pugna ad navem inter urbem, & Chriſtiani Portum ſitam, ſurgebat, circa quam Dani glaciem fregerant, cum Sveci cymbis ac pontibus attractis aquam ſuperarent, ac jam nonnulli in navem penetrarent: ſed quos Dani acriter connixi iterum ex- *Smid.* pellebant, Smidio præfecto vigilum cum duodecim aliis ſecuribus cæſo; multos quoque aqua abſorbebat; reliquis, queis ferrum pepercerat, celer receptus ſaluti fuit. Maxima noctis parte abſumta cum reliquis in partibus oppugnatio jam ceſſaret, alia ma- *Wartou.* nus Duce Wavaſorio è Wartoa ingruens magna cum confidentia verſus oppoſitum vallum tendebat, ac præterito ad lævam propugnaculo pontibus, quos ſecum habebant, foſſam glacie fracta tranſire inſtituebat: ſed quia plerique juſto breviores reperiebantur, aſſultantes hoc inopinato caſu confuſi retro pedem ferebant; qui foſſam ſuperaverant cædebantur, cum reliqui ſequi non poſſent. Periit ibi quoque Wilhelmus Wavaſorius ſummus vigilum præfectus, Lensmannus *Lensmann.* & Vitinghofius ſubtribuni, qui caſtellum invadere juſſi fuerant, neſcio qua *Vitinghoff.* de cauſa ad propugnaculum à molendino dictum prope plateam orientalem ruebant, quam ſtationem miles auxiliaris Belga tenebat; qui & ipſi cum multis gregariis cæſi ſunt. Ad portam Borealem, & Chriſtiani portum aliqua manus ingruebat, non tam ut aſſultum tentaret, quam diſtrahendis & confundendis obſeſſis; qui & ipſi à machinis haut illæſi diſceſſerunt. Ea in defenſione urbis magnum operæ pretium fecere navales ſocii Belgici, machinas tractare promtiſſimi, qui trecentas amplius machinas per vallum diſpoſitas tanta alacritate diſplodebant, ut continuus circa urbem ignis adpareret. Orta luce cæſorum circa urbem quingenti ſexaginta quatuor numerabantur, præter eos, qui aquis hauſti fuerant, & quos commilitones ſui aſportaverant, longe minor numerus, quam pro atrocitate diſploſionum: ſauciati nongenti. Sed præcipuum damnum fuit in multitudine egregiorum ducum, quos inter Ericus Stenbockius, Wavaſorius, Voyetta, Gengelius, Dromondus, Lensmannus, Vitinghofius, Smidius, & inferiorum graduum præfecti ad centum.

1659.

Langelandia occupatur.

§. 6. Poſt infelicem Hafniæ oppugnationem anni tempus Regi aliquandiu quietem ab actionibus bellicis imperabat. Sed mox allubeſcente mitiore tempeſtate inſulas Dano reliquas in ditionem redigendas ſuſcepit. Ac primo quidem Langelandiam tentaverat Joſias Waldeccæ Comes, hoſpitio ſibi aſſignatam, ſed à qua non ſine damno rejectus fuerat, ipſe quoque brachio ſauciatus. Aſt mox Wrangelius eam *19. Martii.* expeditionem meliore ſucceſſu ſuſcepit. Impoſuerat iſte navibus Neuburgi in Fionia ſexcentos pedites, tres equitum legiones, quibus cum vela Langelandiam verſus faciebat. Inde cum parte copiarum Henricus Hornius mitti-

tur

1659. tur ad invadendam à latere occidentali insulam. Ipse cum reliquis ab oriente eandem aggressurus anchoris à litore tubi longioris spatio jactis Wolfium subtribunum, & Lindenbergium vigilum præfectum cum duobus navigiis lato fundo terram versus præmittit, machinis è navibus bellicis eadem protegens: sed quæ vado adhærentia littus attingere non valebant. Et quia Sveciæ naves languido vento accesserant, Danis interim spatium fuerat è tota insula copias huc contrahendi; qui & hærentia vado navigia aggressi, id, quo Lindenbergius cum quinquaginta peditibus vehebatur, expugnabant, captis qui cædi superfuerant. Sed Wolfius vado explicitus cum suis salvus ad classem remeabat. Ita repulsus Wrangelius eo loco in anchoris stetit. Sed post mediam noctem cum Luna occubuisset, per tenebras partem navigiorum alio mittit ad commodiorem exscensioni locum investigandum, dum reliqua classis in statione subsistens cymbis emissis Danos per totam noctem inquietos eo loco distinet, velut ibi utique in terram exscensura. Interim qui à classe discesserant, tertio abhinc milliari orta luce littus attigerant nullo resistente, & alio aversis Danorum animis ac raptim excitata loricaDanos sero jam adcurrentes in fugam propulerant. Quo intellecto Danici equites latebras magis quam pugnam circumspiciebant. Eodem quoque tempore Hornius in diversa parte terram tenuerat. Ita insula in Svecorum ditionem concessit, trecentis qui ibi erant militibus in captivitatem redactis; mille amplius provinciales, qui arma gesserant, argento emuncti sunt. Captivi omnes recuperati, excepto Lindenbergio, quem cymbæ impositum Dani Nascoviam Lalandiæ transportaverant. Ea actione apud Svecos occubuere triginta sex, sauciati centum decem. Wrangelius post expugnatam Langelandiam cursum Alsiam versus direxit, ubi exscensione facta Norburgum impetu expugnavit; sed Sunderburgum ter impetu facto incassum assultavit. Inde ea insula iterum deserta, oram Holsatiæ quæ prætervehebatur populatus cum captivis & præda in Fioniam revertit.

Wolf. Lindenberg.

Nascov.

Norburg. Sunderburg.

Mari gela.

§. 7. Ast Dani purgato jam à glacie mari nec ipsi in urbe otiosi desidere cupiebant; eoque Nicolaum Heldium cum sedecim navibus emisere observandis Svecorum conatibus. Is inter Lalandiam & Langelandiam in sex Svecicas naves incidit, quæ initio quidem acrem pugnam capessebant; sed cum numero obruerentur, fuga salutem quæsitum ivere, una à Danis capta, quæ quinquaginta machinis instructa erat; altera seipsam in brevia dirigente. Sed mox cum Svecica classis Bielkenstierna duce Baltem ingrederetur, Heldius in sinum Flensburgensem se recipiebat, ubi à Svecis aliquot per dies obsessus est. Eo nuntio Hafniam allato, quæ ibi supererant naves Danicæ & Belgicæ viginti sex sub Henrico Bielkio, & Opdamo itidem in Baltem tendebant suis apud Flensburgum periculo eripiendis. Hi Falstriam prætergressi non procul Femera septendecim naves Svecicas in conspectu habuere, quæ omisso Flensburgi Heldio per Baltem certamen cum longe majore numero declinatum ibant: sed vento reflante ad pugnam descendendum fuit. Ubi Danis Belgisque explorata videbatur victoria, nisi eam nimia circumspectione è manibus amisissent. Dum enim favente sibi vento ita uti instituunt, ut Svecos velut indagine cinctos circumvenirent, vento in ipsa pugna repente converso contigerat, ut Bielkius cum prætoria navi in Svecorum manus delaberetur, ni Opdamus subvenisset, cujus tamen navis valde lacerata fuit. Ita eminus quidem machinis aliquandiu acerrime pugnatum; sed vento nimium se intendente, ut Sveci per eum machinis commode uti non possent, hi Wismariam, Dani, Belgæque Flensburgum abiere. Ea pugna Sveci paucos desideravere, cujus initio Bielkenstierna globo majore in tergo sauciatus fuit.

1659. *Held.* 30. *Mart.* *Bielke Opdam.* 30. *April.*

§. 8. Interim cum ob adventum classis Anglicæ Belgis circumspecte foret agendum, Rex jam occasionem oblatam judicabat fertilissimas Daniæ insulas Falstriam & Lalandiam in ditionem redigendi, quas præterita hieme incassum tentaverat, ob instabile gelu glacie haut ad justam firmitatem durata. Sed nunc contractam apud Wordingburgum Selandiæ oppidum validam equitum peditumque manum modicis navigiis imposuit, quatuor bellicis navibus prosequentibus, ac ingruente vespera ad litus Falstriæ sub castello à pro-

Rex Falstriam & Lalandiam occupat.

25. *April.* *Wordingburg.*

1659. provincialibus excitato anchoras jecit, velut ibi in terram exscensurus. Sequenti die aliquot cymbas emisit Rex litori explorando, quarum una Lindenovium Danicæ classis præfectum è Lalandia in Falstriam tendentem intercepit una cum literis, quibus Conditio ejus Insulæ Hafniam nuntiabatur. Captivis ad Regem adductis atque examinatis hic è navibus castellum machinis verberari jubebat; sed cum parum ibi profici cerneret ob distantiam, & quia vadoso circum mari difficilis erat exscensio, relictis ibi duabus bellicis navibus, & quæ equites vehebant, cum reliquis Gulbergam vela faciebat, ubi profundius mare litoribus affunditur. Heic propius ad terram subeuntes naves machinis ac tubis provinciales, qui magno numero litus tegebant, ad illud deferendum compellebant, ut Svecis locus fieret in terram descendendi. Primus in terra pedem figebat Sverinus subtribunus cum decem peditibus, qui retro sepem non procul à litore stationem capessebant, ac ingruentes quinquaginta equites majoribus turbis tamdiu repellebat, quoad pluribus subinde in litus enixis isti fugæ se darent, ac provinciales abjectis armis ad lares quisque suos dilaberentur. Trecenti pedites arbitrio se victorum submisere. Equitibus plerisque in Lalandiam transmittendi spatium fuit, quod Svecici equites ita promte in terram exponi non possent. Rex Falstria nullo suorum cæso aut sauciato potitus, naves bellicas ad Lalandiæ litus Gulbergæ oppositum quantum possent appropinquare jussit, ubi aliquot castella à Danis in litore excitata fuerant. Ea machinis è navibus ita acriter verberabantur, ut quinque licet provincialium millia litus insidentia prohibere non possent, quo minus centum pedites Sveci in terram egressi castellum ab istis desertum obtinerent. In quod interiore parte versus terram munimentis destitutum cum valida se Danorum equitum caterva incitaret, à Svecis acriter repulsa est. Necminus Kœrberus tribunus, qui cum duabus turmis semel iterumque impetum dabat, accedentibus subinde pluribus è classe rejectus est ipse saucius, suorum non paucis desideratis. Ita & hanc insulam Rex in potestatem redegit, non nisi unico milite gregario, & nauta vulnerato, nullo cæso; in qua, uti & Falstria ingenti frumenti vis reperta est, insigni levamento classi exercituique Svecico. Quod tamen in ea insula erat militum, Nascoviam se contulit oppidum munitissimum, cui de rebus necessariis in longum tempus erat prospectum. Post occupatam Insulam Lalandiam, cum Rex Cronenburgum reverteret, ubi Regina agebat, ac obscura nocte per fornicem portæ in arcem proveheretur, ubi centum quinquaginta centenarii pulveris pyrei positi erant, accidebat, ut aliquot pedissequi per ignorantiam ardentes faces dolis pulvere impletis illiderent, sic ut ardentia frustula & scintillæ in istorum operculis jacentes manerent, quæ tamen ab accurrentibus mox extinctæ sunt antequam ignem conciperent. Post quoque magno in periculo in Oresunda erat. Cum enim cymba vectus quasdam suarum navium bellicarum inspicere vellet, sat turbida tempestate, navis cui Æthiopis vocabulum plenis velis densam per nebulam cymbam versus rapiebatur, ut nulla facultas esset ejus impetum declinandi, sed ejusdem impulsu cymba subverteretur, compluribus ductoribus submersis. Ipse Rex tamen puppim amplexus se tamdiu tenebat, quoad projectis funibus in navem pertraheretur, pileo tamen plumis ornato amisso. Circa idem tempus Palatinus Sulzbacensis Moenam Insulam tentabat, quam centum equites, quingenti armati agrestes tuebantur. Is initio acriter repellebatur, quod vadosum ob mare terræ adpropinquare non posset, sic ut conatum suum aliquandiu omittere cogeretur. Interea uti cohors peditum Hafnia insulanis subsidio venit: ita Sveci Nicopiæ in Falstria, navigia parabant lato alveo quorum singula quinquagenos equos inferius capiebant; superiora crassis asseribus circumsepta peditibus valli instar præstabant. Ex hisce navigiis equitibus facilis exscensio præstabatur, dum pedites insuperiore tabulato tubis hostem litore arcent. Ista navigia primo versus eum locum diriguntur, ubi alias communis in terram appulsus est; unde omnes sese insulani eodem conferebant prohibendæ exscensioni. Sed mox in diversam partem remis promota ita propere militem in terram exponebant, ut pauci, qui ibi pro-

1659.

Lindenov. *Gulberg.* *Sverin.* *Morian.* *Moena Insula occupatur.* *Moen.* 28. *April.* *Nicoping.* *Kœrber.*

pugna-


S U
L Æ
E
R S.




Ichnographia Arcis et Oppidi
NICOPLE.
A. B.
R. Agger.
C. Mare.
D. Fundum oppidi.
E. Munitiones exteriores oppidi.
F. Area aditus.
G. Fossa cuniculosus.
P. d. Reinhard.
NAPOLI

Digitized by Google


Fredholm
Bogenholm
Engelholm
Hallenäss
Statio Primaria
BALTUS MAIOR
S.

Digitized by Google

Pars
Insulæ
Moeniæ
Ichnographia
STÆKÆ
In Insula Moenia
quæ post Insulam auspicio Regis
Sueciæ à Celsissimo Principe
et Comite Palatino Sulsbacensi
Occupatam se se una cum Da:
norum copijs militaribus,
quæ eò confugerant Vic:
toris arbitrio permi:
sit, Mense, . . .
Anº. 1659.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAIORIS PARS



1659. pugnabant, Dani prohibere id non poſſent. Inde Sveci jam in ordines digeſti aſſultantes Danos poſt acrem pugnam in fugam conjiciunt ſeptuaginta cæſis. Ita & Mœna Sveci potiti ſunt: Reſtabat adhuc Naſcovia, cui oppugnandæ Wrangelius ſe accinxerat. Is primo exiguam inſulam in ſinu maris, quo oppidum alluitur, cepit una cum duobus caſtellis eidem impoſitis; quo ipſo acceſſus mari intercludebatur, ſic ut, quæ Danica & Belgica claſſis auxilia inferre conabatur, introire non poſſent. Inde præſidiariis deditionem imperat, promiſſa minis miſcens, ſed quam iſti adſpernati ſunt. Igitur obſidentium artes adhibere inſtituit, operibus verſus oppidum promotis; quæ antequam perfici poſſent, is à Rege ad defenſionem Fioniæ avocatur. In ejus locum ſubmiſſus Guſtavus Otto Stenbockius omni vi obſeſſos urgebat, ut demum deſperato auxilio, ac tuendo oppido non amplius pares, deficiente inſuper pulvere, deditionem facere cogerentur.

Naſcovia capitur.

26. *Jul.* §. 9. Aſt haut quidquam pari modo conatus Fœderatorum in Fioniam ſucceſſere. Hi ſuperiore anno Holſatiæ infuſi ſub ipſam Friderixuddam ſucceſſerant, quorum conditioni explorandæ miſſus fuerat Streithorſtius ſubtribunus cum ducentis quinquaginta equitibus, ſed qui improviſo Anhaltini Principis legioni impactus non paucos ſuorum amiſit, ipſeque ab hoſte captus eſt. Haut tamen ejus oppidi oppugnationem Fœderati auſi ſunt ſuſcipere, valido præſidio inſeſſi, ruente in hiemem anno. Unde copiæ iſtorum per hiberna diſpoſitæ ad ver usque quievere. Interea qui præſidium Friderixuddæ agitabant Sveci, plurima mala perpeſſi ſunt à contagioſis morbis peſtilentiæ ſimilibus, queis cauſam dederant cæſorum in expugnatione ſuperioris anni Danorum corpora, quæ levi humo maligne tecta tetrum odorem per æſtatem efflabant, tabo per ipſas plateas manante. Unde inſalubrem locum deſerere conſtituit Wrangelius Rege conſentiente, qui & alias, quippe ſeptem capaciſſimis propugnaculis conſtans, numeroſo præſidio indigebat, cum Rex pedite non abundaret; ac dejectis oppidi munitionibus, combuſtisque tectis miles in Fioniam traducitur, præſidio duntaxat relicto intra caſtellum mari adſitum. Id tunc oppugnabant Fœderati, acrique vi admota eo jam jam potituri erant. Sed miles, cum reſiſti à ſe violentiæ hoſtium non amplius poſſet, noctis ſilentio cum plerisque machinis & annona in Fioniam trajecit, nemine ſuorum deſiderato. Relinquebantur ferreæ aliquot machinæ, ſed clavis confixæ, & cuniculi ſub propugnacula acti pulvere implentur, per adpoſitos funiculos poſt intervallum incendendo. Cum itaque illuceſcente die hoſtis Svecos caſtello exceſſiſſe conſpiceret, raptimque id irrupiſſet, ſubito emicans cuniculis flamma haut paucos caſtelli ruinis oppreſſit.

Fœderati frustra oppugnant.

Streithorſt.

§. 10. Ita continenti depulſos Svecos in proxima Fionia oppugnare Fœderati inſtituunt. Ei fini opportuna fuit viſa exigua inſula Fænnoa, quæ freto à Fionia ſeparatur non longius patente, quam qua majoribus tubis globi adigi poſſunt. Ad eam inſulam primum impetum datum Sveci magna cum hoſtium ſtrage repulerunt. Sed ſequenti die hoſtes tanta vi incubuere, ut quicquid Weierus, qui ibi curabat, reniteretur, demum locum in litore caperent. Ubi à peditibus quidem Svecicis ſtrenue pugnatum eſt, qui poſt conſumtum diſplodendi ſpatium tuborum ſcopos in hoſtium ingruentium capita librabant. Sed minore conſtantia reſiſtebant equites, à quibus ſi par virtus adhibita foret, hoſtis eo loco potitus non fuiſſet, ad Fioniam occupandam valde opportuno. Eo conflictu apud Svecos occubuit Poberus tribunus, ac duo turmarum præfecti, centumque circiter gregarii. Relictæ etiam hoſti in prædam ſex minores machinæ. Hoſtis quingentos ſuorum deſideraverat; qui jam eam inſulam milite & paratu bellico implebat, inde propinquam Fioniam invaſurus. Omnibus jam paratis cymbæ milite implentur, quarum exſcenſioni quædam naves Belgicæ diſploſionibus machinarum favebant. Ac jam quatuor locis impetus dabatur; ſed Svecis acriter reſiſtentibus Fioniæ litus attingere haut licebat, quia iſti omnes acceſſus loricis foſſisque per transverſum ductis muniverant, magna machinarum copia locis idoneis diſpoſita. Sed & militum affatim erat, ſubmiſſis quoque à Rege è Selandia auxiliis. Ita cum incaſſum

Fœderati Friderixudda potiuntur.

Fœderati Fœnnoam capiunt.

Fœnnoa.

31. *Maji.*

1. *Junii.*

Weier.

Pober.

1659. vires conſumerent Fœderati, receſſere, trecentis amplius ſuorum deſideratis ipſo in receptu, præter eos qui in oppugnatione cæſi, aut æquore ſubmerſi ſunt non modico numero. Sveci ducentorum circiter jactura defuncti ſunt, quod ipſi loricis tecti in apertum hoſtem depugnarent. Ea clade haut quidquam territi Fœderati alia via rem tentare inſtituunt, quod apud Fænnoam locus exſcenſioni haut ita commodus reperiebatur, uti primo intuitu adparuerat. Igitur apud Mittelfartum, ubi minor Balte anguſtiſſimo ſpatio coërcetur, rem tentant, præſertim cum crederent omnes Svecorum machinas in Fænnoam converſas eſſe. Sex naves bellicæ, ſexaginta minora navigia præter pontones & cymbas magno numero milite implentur. In adverſo Jutiæ litore totus exercitus in aciem diſpoſitus conſiſtens è litore majoribus machinis fulminabat; tum & naves per quatuor horas continuis diſploſionibus perſtrepebant: ac ſperaverant hoſtes, ſeſe utique locum in ædibus ad litus extructis capturos. Ac jam cymbæ ad jactum lapidis terræ ſucceſſerant, ſed quas ita acriter repellebat Wrangelius, ut iſtæ magna cum clade retrocedere cogerentur; præſertim cum ventus repente mutans, & fluxus maris Friderixuddam verſus eas abſtraheret. Conſpiciebantur fluitantes toto freto ſcaphæ ſanguine conſperſæ, paratu bellico, armisque plenæ; nec paucas machinarum globi demerſerant. Prætoria quoque hoſtium navis ita lacerata fuit, ut non ſine ſubmerſionis periculo ad Jutiæ litus ſeſe recipere cogeretur, foraminibus obturandis. Wrangelius contra hoſtium navigia, quæ ſub Friderixuddam ſe receperant, aggreſſus, quinque igne delet, & aliquot hoſtium milites intercipit. Nec ideo tamen Fœderatis libido invadendi Fioniam deceſſit, quam tribus diverſis locis impugnare decreverant. Quo fine ſex naves bellicas emittebant, quæ toto litore Jutico quicquid navigiorum poſſent conquirerent. Sed Rex, eo hoſtium conſilio cognito, Ovvenum Coxum navarchum Anglicum cum octo navibus bellicis Mittelfartum verſus mittit navigiis hoſtium deſtruendis. Is quinque naves hoſtium bellicas apud Ebeltoftam deprehendit, quas inexpectati hoſtis conſpectus tanto terrore afflavit, ut ſtatim rudentes anchorarum ſecarent. Sed cum nec ſpatium effugio pateret, nec animus ad reſiſtendum ſuppeteret, plerique præfectorum & nautarum cymbis conſcenſis in terram evaſere. Primarius earum navium præfectus defenſionem aliquandiu molitus, mox graviter ſauciatus ſe ipſum hoſti dedidit; cujus navis cum vado, cui impactum fuerat, dimoveri non poſſet, machinis & armamentis detractis incenſa fuit. Cæterum eo conflictu non magnus numerus, ſed major captivorum militum, quos inter ſexcenti Brandenburgici, quadringenti Cæſarei. Coxus poſt captas naves bellicas triginta minores, quæ in illo portu hærebant, ignibus injectis delet. Inde Arhuſam tendit, ubi tres mercatorias naves, & viginti minoris formæ navigia combuſſit, ipſique oppido ignem immiſit, mille Polonis, qui ibi hoſpitabantur, magna cum trepidatione inde ſeſe ejicientibus. His rebus geſtis Coxus naves hoſti ereptas in Oreſundam deducebat apluſtribus è puppi demiſſis captivitatem fatentes; quem Rex eo nomine inſignibus præmiis mactabat, uti adverſus flagitia inexorabilis, ita egregiorum factorum largus æſtimator. Hoc modo Fœderati navigiis exuti depoſita Fioniæ occupandæ ſpe Fænnoam deſeruere, ac reliqua ſibi navigia ipſi delevere, impetita Pomerania, Regem, Daniæ viſceribus incumbentem, abſtracturi. Scripſerat Montecuculus Viennam; facile ſe Fionia fuiſſe potiturum, ni navarchæ Belgici, qui exſcenſionem promovere debebant, perfide egiſſent, dum nudo pulvere nullis globis inditis machinas diſplodunt. Quod cum Sveci animadverterent, eo audacius reſtitiſſe. Sveci deſertam ab hoſte Fænnoam iterum milite inſedere, tum in continentem trajicientes caſtellum à Polonis deſtructum reparatum ivere. Sed cum validam catervam, quæ poſtremum hoſtium agmen claudebat, ingruere intelligerent, deſerta continente inſulam receſſerunt.

28 Jun. Mittelfart.

Fionia fruſtra oppugnatur.

Arhuſen.

Coxus bene rem gerit.

Ovve Cox.

Ebeltoft.

§. 11. Cæterum quo minus Fœderati tunc in Fioniam, aliasque Daniæ inſulas penetrare poſſent, in cauſa erat, quod Belgarum claſſis ad eum finem operam navare abnueret, Anglorum metu. Gliſcebat inter eas nationes

Anglorum & Belgarum æmulatio circa bellum Danicum.

DVCATVS
HOL
Baltus minor
Statio
Contarde
rato
rum
B
Sinus Kalidingensis
Lytholm
A. Oppidum Midlsjartum ubi Suecorum primaria statuva
B. Foederatorum statiua
C. Hou congregebantur foederatorum navigia ad faciendam
D. Insula Fionia a foederatis occupata
E. Franchowa, Comitis Waldeccæ statiua
F. Primaria oppugnatio Fioniæ
G. Statio foederatorum exercitus, dum Fionia oppugnatur.
H. Statio foederatorum exercitus, dum Fionia oppugnatur.
I. Huc subducebant se navigia Foederatorum post oppugnationem.
K. Suecorum castella et fugæ ini.
L. Foederatorum navigia discedunt.
M. Friderikdda a foederatis præsidio ornata

Digitized by Google

1659. tiones haut levis æmulatio, quod neutrius rationibus congrueret, ab alterutra Borealium Regnorum res pro lubitu temperari. Unde validas utrinque classes armabant obtentu auxilii amicis ferendi, revera ut utraque emolumenta sua observaret, & ne alterutra hac occasione sibi soli commercia Maris Baltici, ac liberum Oresundæ transitum compararet, excluſa altera. Ac præterito quidem autumno ingens Belgarum classis Anglorum animos adverterat, ut ipsi quoque, quid sibi rationum circa Mare Balticum versaretur, cogitarent, nec persuadere sibi poterant, Belgas heic in Angliæ emolumentum quid facturos, aut eosdem gratis tantos sumtus prodigere velle citra propositum refusionis à Dano petendæ. Et quanquam Angli Hafniam liberari cuperent, non tamen cautum ipsis erat, Belgarum auxilia haut longius progressura; nec ferre poterant Sveciam tot hostium junctis viribus opprimi; præsertim cum Belgæ ita circa expedienda pro Danis auxilia satagerent, ut nullam de reducenda pace mentionem facerent. Angli contra non directe auxilium Sveciæ, sed pacem spectabant. Nam in eo rationes Anglicæ & Belgii conspirabant, ne Svecus Dania potiretur. Sed Angliæ peculiariter intererat ita pacem fieri, ut nec Svecia à Belgis opprimeretur, aut ad iniquam pacem ex horum libidine compelleretur: utque adeo Svecia conservaretur non solum ob æquilibrium Austriacæ Domus, quod communes Galliæ & Angliæ rationes requirebant; sed & ut per illam juncta Danorum & Belgarum potentia maritima libraretur; in quo peculiaris Angliæ utilitas vertebatur. Cujus & intererat iis conditionibus Sveciam bello eripi, ut & facultas foret, & obligatio Angliæ pro tot impensis ex æquo satisfaciendi, & utriusque rationes in tuto collocandi. Videbatur tamen hoc in negotio Belgarum conditio longe potior, quam Anglorum. Nam si Belgæ, dum Dano suppetias ferunt, Svecos oppressissent, paulo minus quam sub tutela habituri erant Daniam, per militem terrestrem, classem, ac grande æs alienum ipsis obnoxiam, sic ut pro lubitu sua, aliorumque commercia per Oresundam moderari possent. Contra si Angli Sveco ad subjugendam Daniam adsisterent, quæ inde captabant emolumenta sibi ipsi præstare non poterant, sed à tam potentis Monarchæ placito, ac nuda fide expectandum erat, ut pari cum Svecis jure in Oresunda fruerentur, ac ipsorum inimici Mari Baltico excluderentur. Unde & mirum non erat, Belgas longe majore studio Daniæ, quam Anglos Sveciæ causam amplexos fuisse. Haut abs re fuerit heic adduxisse, quibus rationibus tunc inter Anglos disceptatum fuerit, num magis ex usu Angliæ sit in præsens promte submisso auxilio res Svecorum firmare, an vero unice id agere, ut pax quamprimum inter Boreales Reges constituatur, omnibus in pristinum statum repositis? In posteriorem sententiam inclinabant, qui cum Belgis conspirabant, queis & communem pacem reduci in votis erat. Utrumque Regem Angliæ amicum ac fœderatum esse, simul Protestantium sacris addictum, quos in concordiam reduci communis causæ interfit. Omnibus vicinis curandum, ut istorum vires probe librentur, ne unus potentia valentior alterum opprimat, cæteris quoque deinceps prægravis futurus. Denique satius esse dominium Oresundæ penes duos, quam unum esse. Sed priorem sententiam illi propugnabant, quibus curæ erat Protestantium causam promovere, apud exteros quoque libertatem sacrorum puriorum servare, simul incrementa suæ rationis curare. Scilicet Svecos à tot potentibus hostibus, qui iidem & Angliæ hostes sint, impetitos, terra marique succubituros videri, ni propero auxilio fulciantur; quos conservasse potius sit, quam Danos in pristinam conditionem reposuisse. Desiderium communis pacis, quod jactatur, unice inventum subvertendis Svecorum rebus; quod iidem, qui eam pacem urgere videntur, quicquid est hostium in Svecos incitent, ac ejusmodi pacis leges ferant, queis istius Regni potentia plane enervetur. Sane rem ad tractatus deducendam, sed Svecos prius in eum statum reponendos, ut ne quasvis ab hostibus obtrusas conditiones admittere cogantur. Svecum pro invasore haberi haut posse, quem Danus ultro illatis armis Poloniam deserere subegerit propriis ditionibus tuendis. Eo periculo liberatum non potuisse contra Domum Au- 1659.

1659. ſtriacam procedere, niſi à Dano ſibi cautum foret, qui hoſtibus Sveciæ ſociatus nil niſi occaſionem captarit iſtum denuo invadendi. Sic ut præſens actio non aliud ſit quam prioris belli continuatio, quæ ſuſcipienda fuerit, ne potentiſſimo cum hoſte luctantem à tergo Danus diſtringeret. Svecos unicum cauſæ Proteſtantium in Germania fulcrum eſſe adverſus Auſtriacos capitales iſtius hoſtes: qui cum ſociis horum nunc commiſſi ſi deſtituantur, eo redigendi ſint, ut iſti cauſæ nunquam auxilii quid adferre deinceps queant. Nam reliquos ſacrorum conſortes vel ſe haut moturos, vel ipſos ad communem cauſam ſubruendam manum admoturos, uti nunc à Dano inſtigantibus Belgis fiat. Porro ut juſtum inter Angliam & Belgas æquilibrium conſtituatur, tantundem illi pro Svecia, quam hiſce pro Dania agendum. Aſt ſi Anglia iners deſideat alieni certaminis ſpectatrix, æmulos commodis potituros, queis forte nunquam iterum exuendi ſint. Sveciam nunquam infeſti quid Angliæ intuliſſe, ſed potius cum reliqua fere Europa ni hanc conſpiraret reſtituendis ni ſolium Stuartis, iſtam ſolam ita egiſſe, ut ingentem gratiam inierit. Eandem nunc toti orbi impugnatam deſerere, malignum beneficii redhoſtimentum fore. Angliæ Sveciæque rationes probe invicem conſpirare, earum ſitu haut ita propinquo, ut æmulationem excitare queat, nec ita remoto, quin urgente neceſſitate auxilium invicem ferre in proclivi ſit. Unde in præſens non eſſe in Europa, qui cum Anglia firmiorem amicitiam jungere poſſit, quam Sveciam. Reliquorum omnium rationes cum Anglia combinari haut poſſe, plane repugnantes aut diverſas; ac eorum quosdam potentiores, quam ut tuto cum iſtis ſocietas iniri poſſit, vel debiliores, quam ut firmamenti quid ab i dem ſperandum ſit. Daniam contra, ex quo tempore defenſionem cauſæ Proteſtantium imprudenti non minus, quam infelici conſilio ſuſcepit, mancipium Auſtriacorum deſtinatorum fuiſſe, Proteſtantium rebus ſemper adverſam. Hiſpanicum Legatum in iſta aula continuo egiſſe ſuggerendis conſiliis Auſtriacis, & cum a Luſitano Legatus omnes Proteſtantes Principes adiret, à Dano non admiſſum, qui & huic ubique quantum poſſet, ſeſe oppoſuerit. Quid hic ſemper molitus ſit impediendis Svecorum deſtinatis circa libertatem Proteſtantibus firmandam ſatagentium, orbi notorium eſſe; utut Svecus Germaniæ ingruens præcipua cauſa fuerit, quæ Cæſarem compelleret, ut ereptas Dano provincias redderet. Ita Danum haut conſiderandum velut Proteſtantem, ſed velut Auſtriacis rationibus plane mancipatum. Sed & Dano circa Oreſundam diſponendi liberam facultatem non eſſe, quippe quæ ab anno quadrageſimo quarto magis in Belgarum quam iſtius poſſeſſione fuerit, usque adeo ut Danis integrum non eſſet ejusmodi contractum cum aliis nationibus, uti cum Belgis, inire. Id cum factum ſit florente Daniæ Regno; quid deinceps futurum, eodem ad tam malignam conditionem redacto? Aſt ubi à Belgis prolapſæ iſtius res reſtituantur, quid aliud hos quam plenam Oreſundæ poſſeſſionem retenturos, ſumtibus ſuis recuperandis, in quos præcipuam partem Anglorum commercia collatura ſint, ab iſtis pro libidine taxanda. Quantum enim apud Danos Belgarum voluntas valeat, proximo bello Belgico adparuiſſe, cum iſti Anglorum navibus proditorio plane modo manus injicerent; aut cum nuper Belgarum claſſi Gedanum accedere permitterent. Mari Baltico pro lubitu inſultaturæ. Denique nec id inſuper habendum, ne Auſtriaci poſt latum Danis auxilium demum poſſeſſionem portuum ad Mare Balticum, tantopere ipſis expetitum, invadant; cui deſtinato ſoli Sveci hucusque obſtiterunt. Eodem ubi Auſtriaci potiti fuerint, quo loco Anglorum aliorumque eo mari commercia futura ſint, nemini obſcurum eſſe. Quæ in contrarium adferantur rationes nullius ponderis haberi. Fœdus inter Angliam & Danos proximo bello malitioſe ab his violatum, cum obtentu pacti Belgarum commodis adverſus Anglicanam nationem ſtuderent, & durante bello hujus claſſem detinerent. Ab iisdem quoque Bradſchavium publico nomine miſſum contumelioſe admodum habitum. Aſt inter Svecos & Anglos amicitiam nunquam violatam, qui & proximo horum cum Belgis bello utilem iisdem operam navarint, & olim ad reſti-

1659.

1659. reſtituendum Electorem Palatinum paratos ſe oſtenderint, ni oblatam eorum operam Hiſpanicæ artes eluſiſſent. Proteſtantium indolem non vocabulo ſed opere metiendam. Quid ad iſtorum cauſam Dani contulerint, jam ſupra dictum. Svecos eandem in Germania ſuſtinuiſſe nemini ignotum eſſe; ac ni Dani Belgæque iſtos haut ſubegiſſent Poloniam deferere, Eccleſias in hoc Regno ad tam miſeram conditionem redigendas haut fuiſſe. Circa ſervandum æquilibrium quoque fruſtra jactari; cum non jam quæſtio ſit, num Sveciæ potentia prægravis futura ſit, ſed num utcunque iſta in integro ſervari queat. Ubi Svecia omni auxilio deſtituta peſſum iverit, incaſſum ſuper æquilibrio actum iri. Sed nec Sveciæ vires nimium nunc gliſcere poſſe, quæ non contra Daniam, ſed contra Auſtriacam Domum directæ ſunt. adverſus quam iſti per octoginta jam annos negotium fuit. Aſt ſi Dani, Brandenburgicus & Belgæ Sveciam oppreſſerint, eosdem ad Angliam ſubruendam incubituros, iſtis repellendis tunc imparem futuram. Inanem denique curam eſſe ne Oreſunda in unius manum perveniat. Nam eam ab aliquot jam ſeculis, poſtquam Scania Sveciæ avulſa fuit, penes ſolos Danos fuiſſe. Et quamdiu Sveci eadem in emolumentum Proteſtantium utantur, nullum inde periculum eſſe, quod id fretum in unius ditione ſit. Ac utut Sveci ab hiſce conſiliis diſcedant, non gravius tamen periculum eſſe, freti imperio deinceps penes ſolos Svecos exiſtente, quam cum idem penes ſolos Danos antea foret. Eo in præſens rem redactam, ut neque Sveci atque Belgæ, qui in Danorum jus ſucceſſiſſe videntur, dimidio freto contenti ſint futuri, ac Svecum omnia potius periculo expoſiturum, quam id amittere velit, quod tanto labore occuparit. Cum autem in Anglorum manu poſitum ſit, ſtabilem ejus freti poſſeſſionem his aut iſtis addicere, haut in arduo fuerit diſpicere, utri Anglia potius favere debeat. Sane Svecis freto amotis horum juxta ac Proteſtantium res ingentem plagam accipere, ſimul Angliæ emolumenta, quæ in futurum ex eodem freto ſperari poterant, plane intercaptum iri.

§. 12. Enimvero ita lubrice & obſcure cum Rege agebant Angli, ut quid ab his iſti expectandum eſſet, non conſtaret. Sane cum ſub finem ſuperioris anni claſſis Oreſundam verſus miſſa in Angliam revertiſſet, quod ſuo impulſu Cromvellum feciſſe Galli ferebant, Richardus Legatos Svecicos de ejusdem deſtinatis diſtinctius edocere nolebat; ſed tantum pollicebatur, eam claſſem denuo eodem ituram, quam primum mare navigationi commodum fuerit. Idem quoque apud iſtos inficiabatur, cum Gallis ſibi quid conveniſſe ſuper reducenda pace Roſchildenſi, id quod tamen Thuanus Hagæ profeſſus erat. Ac revera tunc inter Galliam & Angliam conventio ſuper reſtabilienda æquis legibus pace inter Borealia Regna, inita erat; cui ea peculiaris cautela adjecta, ut ſi occaſione auxilii ab Anglia Sveco ſub miſſi ad iſthanc pacem promovendam bellum ab aliquo extraneo Principe aut ſtatu oriri contingat, Gallia ſimul cum Anglia eum Principem aut ſtatum communem hoſtem declaret. Sed nec tractatio ſuper fœdere adverſus Auſtriacos ſuccedebat, quod Rex non alia conditione inire volebat, quam ut idem quoque adverſus ejusdem Domus futuros & præſentes adhærentes, ipſamque peculiariter Daniam ſaltem oblique dirigeretur. Aſt Angli nunquam adduci poterant, ut ullo modo præſens bellum Danicum includere, aut Regi publico nomine & velut vi iſtius fœderis ullum contra Danos auxilium promittere vellent, niſi hi omnes æquas Conditiones ſeparatæ compoſitionis repudiarent. Ad quam tamen Regem Daniæ perſuaſionibus urgere nolint, ſed rem in ipſius arbitrium collaturi ſint; ac ſi is utique Auſtriacis adhærere pertendat, tunc demum eundem iſto fœdere comprehenſum iri. Qua lege Svecicis Legatis fœdus concludere non licebat, quod eo ipſo Rex cum Auſtriacis committeretur, nulla cautione accepta ſuper auxilio adverſus Danum ferendo. Demum decernebant Angli, tractationem ſuper fœdere in Dania ſuſcipiendam, non heic Londini, ne vicinis ipſorum ſuſpicio injiciatur. Sed quia Legati Svecici inſtabant, ut fœdus utique Londini adornaretur, ac ſe non minus quam Medovium, ſecreti capaces eſſe; ſimul Montacutius, qui præ- *Montag.*

Cum Richardo Cromvello acta.

1659. fectus classi in Daniam mittendæ designatus erat, optabat id negotium ante discessum suum perfici, cum alias vix norit, quid in Dania agendum sibi foret; congressus cum Commissariis Anglicis instituebatur. Ubi Sveci proponebant emolumenta, quæ nationem Anglicanam mansura sint; tum de tradendo castello ad Leam, & Stada in cautionis vicem: quæ Anglis haut sane displicere videbantur. Sed quia in Parlamento ingentes turbæ surgebant, nec Richardus consiliorum suorum potens erat, id negotium vado adhærebat. Ac rogabant Angli, ne nimium urgerentur, rebus suis domi tam lubricis. Inprimis suadebant, ne Rex plane pacem cum Dano recusset, quod alias ea res vulgus suum val-
24. Febr. de offensura sit. Nec minus decernebatur, classem ductu Montacutii quamprimum versus Oresundam vela fa-
Lambert. cturam. Etsi Lambertus palam in Parlamento differebat; satius esse Oresundam in illius manu permanere, cui debilissimæ ad eam defendendam vires forent. Richardus porro inaugurali oratione Parlamento causam Caroli Gustavi diligentissime commendaverat. De quo contra Dani Belgæque pessima quoque disseminabant, sparsis quoque libellis famosis; quibus à Legatis Svecicis responsa quidem reponebantur, sed quæ non omnibus satisfaciebant, quod ipsi causas renovati belli haut penitius nossent, nulle adhuc Manifesto publicato. Post
Niuport. de oppugnatione Hafniæ Neoportus atrocissima vulgabat, septem Svecorum millia ibi occubuisse fingens. Qui tamen idem mox diversum asseverabat Hafniam assultu expugnatam, quo Anglorum consilia turbaret. Idem quoque de Belgica classe varie differebat, quo Angli vel classem suam penitus domi retinerent, vel ejus profectionem protraherent, ut Belgica classis istam anteverteret. Inter quæ ingens in Parlamento gliscebat discordia, dum quidam liberam Rempublicam nullo eminente capite exposcunt, uti erant sectarii, & reliquiæ longi Parlamenti, quibus & succinebant Regiis partibus addicti, ut inter eas turbas Carolo viam ad solium munirent; major tamen pars pro Richardo sentiebat. Sed & in missionem classis superior Domus aliquandiu consentire abnuebat; inferior autem Domus nonnisi ea conditione, ut sibi jus belli & pacis reservaret. His difficultatibus utcunque compositis milites turbare incipiebant, exhibito scripto, quo haut obscure caput sibi deposcebant nemini obnoxium, ac ut non mercenariorum loco, sed pars reipublicæ haberentur. Haut eo minus tamen classis proficiscebatur quadraginta navibus bellicis totius Angliæ præstantissimis constans, cui non quidem miles, sed duplex nautarum numerus impositus erat; de cujus adventu Richardus Regi remisso Gustavo Duvalio significabat. 1659.

§. 13. Inter hæc Medovius Regi confirmabat, ipsum præsentibus temporibus à Protectore haut quidquam deferendum, sed adversus omnes hostes firmiter fulciendum, ac studio hujus in ipsum testando classem aperto mari protinus heic adfuturam. Simul innuebat, Protectori placere, tractatus Londini hactenus agitatos huc devolvi, ad quos adornandos & concludendos idoneis se mandatis instructum esse. Jussum tamen se prius de pace inter Sveciam & Daniam proponere hoc modo, ut Richardi nomine è Dano scisciteturnum placeat cum Sveco pacem inire separatam à cæteris fœderatis, Cæsare, Brandenburgico, & Polono. Id si Danus recusset, injunctum sibi cum Commissariis Svecicis super capitibus fœderis ac defensionis congredi. Quo nomine postulabat, ut sibi aut suorum cuipiam Hafniam proficisci liceat commisso negotio proponendo. Prius tamen nosse cupiebat, quid Regi super instauranda cum Dano pace videatur. Ad quæ Rex collaudato Richardi studio demonstrabat, quid insidiarum sibi tum semper antea, tam nuper sub pacis vocabulo structum sit; unde ne- 29. Jan.
cessitatem sibi allatam arma iterum huc vertendi, quæ alibi occupari satius fuerat. Cæterum pace non tam sibi, quam Dano opus esse; nec sibi decorum priore loco de pace verba facere, velut qui non justa solum causa nitatur, sed & res suas ita dispositas habeat, ut confidat, per arma sua plenius sibi adversus Danum, quam per pacem subdolam, cautum esse. Danum quoque ad eam conditionem redactum, ut pacem ab eo ultro ambiri par sit, si seria ejusdem cura teneatur. Sed quia idem hactenus id egerit,

Duval. Anglicus Legatus pacem aut fœdus Regi proponit.

1659. egerit, ut plures Sveciæ hoſtes immittat, ac indies per arctiora ſeſe vinculà hiſce illiget, ſatius videri à Protectore citra ambages ad tractationem fœderis accedi, quod utrique in præſens tutiſſimum ſit. Sed nec ejusmodi pacem cum Dano ſalva ſecuritate Sveciæ iniri poſſe, præſertim cum iſte aliis Sveciæ hoſtibus ita ſit innexus, ut ab iis ſe disjungere nequeat; ac ejusdem fœderati Sveciæ magis, quam ipſe formidandi ſint. Ita facile autoritatem protectoris labis quid contrahere poſſe, incaſſum ſuſcepta interpoſitione. Sed Medovius hiſce haut motus, mandataque ſua obtendens literas tuti itineris petebat ad aliquem ſuorum Haſniam mittendum, qui Dano ſuadeat, ut intra paucos dies cum Svecia pacem ineat, excluſis omnibus fœderatis. Quia eim Danus Angliæ amicus & fœderatus ſit, Protectorem haut decere cum Rege conſpirare ad eundem ſubvertendum, antequam officia ſua circa promovendam pacem obtulerit. Quod ſi Danus tractationem abnuat, aut fœderatos ſuos utique includere pertendat, ſe juſſum fœdus cum Rege perficere. Rex etſi dubitare poſſet, num talibus internuntiis in obſeſſum urbem introire permittendum foret, in gratiam tamen Protectoris eam miſſionem indulgebat. Sed Danus ejusmodi tractatum ſeparatum adſpernatus declarabat; ſe ſalva exiſtimatione citra fœderatos tractare non poſſe, multis in proximam Selandiæ invaſionem invectus. Id reſponſum cum Medovius jactaret ſe non poſſe non recuſatæ pacis loco accipere, ad alteram mandatorum partem exſequendam converſus ſuper tractatu de fœdere movere cœpit. Ei negotio Rex Scheringium Roſenhanium, Chriſtiernum Bondium, & Petrum Julium Cojetum deſignabat; quibus congreſſu habito Medovius formulam fœderis exhibebat: Sed quia ea formula in futurum prominebat, ac laxam admodum ſpem auxilii faciebat, quo tamen Rex præſenti opus habebat ad deſtinata ſua perſequenda, ſimul nonnulla continebat, in quæ Rex ſtatim conſentire non poſſet; alia formula viciſſim à Svecis Medovio exhibetur, deductis poſtulatorum rationibus. Ad talia fœdere ſancienda cum hic facultatis nihil proferre poſſet, ad Richardum ſe relaturum recipiebat, miſſa in Angliam Gothoburgo nave; pollicitus, ſe omni ſtudio connixurum, ut optata declaratio quamprimum adferatur. Propoſuerat idem de inſtauranda cum Brandenburgico & Belgis amicitia, ut Proteſtantes inter ſe uniti Auſtriacis partibus abſtrahantur; quo fine Protectoris officium offerebat. Id quod Rex in iſtius placitum rejiciebat. Ex his Anglorum actionibus Rex opinionem conceperat, hos non ſolum valida ſibi auxilia ſubmiſſuros, cum præſertim Belgæ iterum ingentes armorum paratus in favorem Daniæ facerent; ſed & his legibus ſecum fœdus inituros, ut utraque pars ſolido fundamento inniti poſſet. Etſi Legatos ſuos accurate inquirere jubebat, ſerio iſta Angli velint, an furti quid ſubſit. 1659.

§. 14. Enimvero antequam declaratio ad transmiſſam fœderis formulam ex Anglia adferretur, Montacutius cum Anglicana claſſe in Oreſunda aderat. Ejus profectionem Angli magno ſtudio feſtinaverant, quo Belgas præverterent; quod penes illum negotii Danici moderamen futurum videretur, qui prior fretum occupaſſet. Ea feſtinatio Belgas non modica ſuſpicione perſtringebat: etſi Dovvningius Ordinibus Fœderatis verbo caveret, ei claſſi haut injunctum ullum hoſtilitatis actum adverſus ipſorum navigationem exercere, ſed tantum circa procurandam inter Regna Borealia pacem ſatagere. Quibus dictis etſi Belgæ gære fidem adhiberent: tamen cum id corrigi non poſſet, non aliter ſe quoque credere videri volebant, ac ſegnius circa armandam ſuam claſſem agebant; jactantes, illa non adeo opus eſſe Daniæ ſecuritati jam per claſſem Anglicam cautum ſit. Hæc cum Caſtellum Cronenburgum prætveheretur, prævia cum Rege conventione apluſtria haut movebat, ſed ea de ſummo malo volitantia geſtabat. Sed ſummus claſſis præfectus viginti & una, proximus ab hoc novendecim, tertio gradu præfectus ſeptendecim machinis, ſed reliquæ naves una duntaxat machina caſtellum ſalutabant, quibus ſingulis Sveci ex eodem binis diſploſionibus reſpondebant. Transmiſſo freto ea claſſis inter Helſingoram & Huenam inſulam anchoras jecit. *Claſſis Anglica in Oreſundam venit 6. April.* *Helſingör. Huen.*

§. 15. Non

1659. *Montacutii mandata. 18. Mart.*

§. 15. Non abs re fuerit heic adducere, quæ mandata tunc Montacutio data fuerint, saltem ut intelligatur, quantopere Anglorum verba ab animi sensu discrepaverint. Eorum initio memorabatur, bello in regionibus Mari Baltico adsitis, ac inprimis inter Sveciam & Daniam exorto navigationem nationis Anglicæ, & vicinorum valde turbatam, ac commercia magnæ partis Europæ destructa. Unde necessarium visum operam navare ei bello componendo, simul amovendis malis & molestiis inde promanantibus. Cui fini antea Philippo Medovio injunctum, utrique Regi amicam interpositionem offerre, diligentiamque adhibere ad pacem inter istos procurandam. Dein conventionem inter Anglos & Galliæ Regem initam, qui tanti interesse ditionum suarum judicaverint, ut sociatis consiliis efficacissima remedia adhibere decreverint isti bello sedando. Eoque placuisse junctim officium suum iltis Regibus offerre paci conciliandæ operaturum, quæ deinceps ipsorum sponsione firmanda sit; daturi quoque operam, ut lites inter Sveciæ, ac Poloniæ Reges, atque Electorem Brandenburgicum componantur. Ei scopo obtinendo placuisse quoque omni opera Fœderatos Belgas permovere, ut & ipsi ad tam salutare negotium studia sua conferant. Unde ad utriusque ministros tam Hagæ, quam apud Boreales Reges mandata missa ad ea destinata persequenda & promovenda, quo pax ibi stabiliatur, qualem communis securitas, & peculiares Reipublicæ Anglicanæ rationes exigant. Et quoniam, quæ proxima hieme ad eas oras destinata sit classis ob sævitiam tempestatis eo penetrare haut valuerit, ipsum denuo cum classe mitti, ut quantum possit in Oresundam naviget. Huc delato ante omnia è Medovio cognoscendum, quis ibi rerum status, & quis effectus oblati officii fuerit, ac num spes sit tractatus pacis secuturos. Inde utrique Regi significandum, jussu Protectoris, velut communis utrique amici, classem à se huc adductam cum desiderio pacem inter ipsos procurandi; quo fine ipse paratus sit quantum in se conferre ad removendas difficultates, quæ paci & securæ compositioni inter ipsos obstent; quod judicet tam ipsorum Regum, quam vicinorum & sociorum interesse præsens bellum quamprimum finiri. Ubi tractatio ante ipsius adventum cæperit, quantum possit connitatur, quo eadem brevi in pacem desinat. Sed si tractatio nondum cæperit, aut in ea tales emergant controversiæ, quæ compositionis spem non relinquant, à Medovio proponendum esse pactum Roschildense, velut fundamentum pacis nunc inter eos Reges ineundæ cum tali alteratione, quæ occasione belli renovati necessaria deprehensa fuerit; Regibusque persuadendum, ut in id consentiant velut promtissimam viam sedando tam infelici bello. Tum utrique Regi significandum, sibi velut præfecto classis injunctum illi se parti opponere, quæ æquam pacem isti fundamento superstructam recusaverit, quam commendare Protector velut ejusdem Sequester & sponsor officii sui duxerit. Quod si Reges ad tractatum permoveri possint, inducias esse proponendas, queis diserte cavendum sit, ne quid copiarum fœderatarum in Fioniam aut Selandiam, aliasve insulas in præsens à Sveco insessas trajiciatur, neu quid militum aut navium subsidio Hafniam adducatur, nec quid ab alterutro Regum in alterum per vires cujuscunque socii tentetur. Quo fine Montacutio operam dandam ut terminus induciarum observetur, vi opposita illi, qui easdem transgredi ausus fuerit. Et quia Danus eo potissimum nomine circa separatum cum Sveco tractatum difficultatem moverit, quod fœderatis suis illigatus sit, huic jam per Medovium significatum; statim atque hic tractatus concluſus sit, imo & eo adhuc durante, à Protectore omnem operam dandam circa reconciliandum Svecum cum Polono, & Brandenburgico Electore; nec dubitari, quin aliquod heic operæ pretium sit faciendum. Nam id plane necessarium ab ipso judicari, primo loco ambos eos Reges conciliare, citra quod cum reliquis pax nullo modo videatur posse fieri, ac spem esse Belgas quoque in hoc consensuros. Igitur prima occasione Montacutio cum Sveciæ Rege super præsenti bello colloquendum, ipsique significandum, à Protectore id concipi valde periculosum tam Sveciæ Regi, quam ejusdem fœderatis ob tot Principum terra marique in ipsum conspirationem, cui pro-

pul-

1659. tur & quicunque eidem auxilio veniat, ei expectandum esse, ut se ipsum bello cum Belgis, omnibusque Daniæ fœderatis implicet: id quod ut fiat neque Parlamento placere, nec nationis Anglicanæ conditionem in præsens ferre. Eoque id consilium Regi à fido amico & fœderato suggeri, ut ultro ad æquam cum Dano pacem descendat ad normam pacti Roschildensis, cujus præstationem Protector, si Rex petat, in se sit susceptorus. Id consilium si displiceat, Protectorem à se impetrare non posse, ut ipsi auxilium mittat, quod ingens nimis præjudicium nationi Anglicanæ inde sit secuturum. Ac si Belgæ eadem Dano ingerant, non dubium esse, quin negotium brevi ad optatum exitum sit deducendum. Ast si Danus pacem dictis legibus recusét, ei denuntiandum; etsi Protector hactenus nullam hujus belli partem attigerit, nunc tamen rationes Angliæ eodem ita implicitas reperiri, ut ipse obstrictum se sentiat ad omnia remedia divinitus concessa adhibenda, quo finis ei imponatur: & postquam quantum in se fuit amicam viam per Ministros suos nullo successu tentarit, necessitatem sibi impositam auxilia Svecoferendi velut amico & fœderato, qui cum paci ad legem pacti Roschildensis acceptandæ pronum se declaraverit, publicum bonum & rationes Angliæ non ferre, eundem plane opprimi tot hostium in ipsum conspiratione. Eo casu, & post omnem operam circa pacem incassum consumtam, ac ubi Svecus super auxilio cum ipso convenerit, eidem cum classe Montacutius adsistere jubebatur per modum defensionis; ac ita quidem, ut vel solus, vel junctim cum Svecica classe impediat, ne quæ fœderatorum copiæ in Fioniam, aut Selandiam, aut alium locum à Svecis possessum transportentur; ac si quis id tentaverit, omnibus viribus eum impediat. Si quoque classis Svecica à quocunque separatim aut conjunctim cum Anglica classe invadatur, omnibus viribus eandem defendat. Impediat quoque, ne quid subsidii aut levamenti intra Hafniam invehatur, ni Danus in tractatum forma supra expressa consentiat; ac id tentantes vi impugnet. Nec minus tot naves, quot necessum judicet sub Svecica insignia jungat ad invadendum & persequendum hostem pacis maturandæ causa. 1659.
Et quia Protectori sit propositum id negotium sociato cum Belgis consilio & opera expedire, simul præverteudæ ulteriori collisioni inter Svecum & Belgas, Legatum Anglicum Hagæ Ordinibus Fœderatis proponere jussum, ut iidem sociato cum Anglia & Gallia studio ad pacem Roschildensem instaurandam incumbant; ac ne eam ob causam Dano ullum deinceps auxilium mittant, quoad eventus junctæ pro pace operæ adpareat, nec ut in eas oras classem mittant ad rem pro alterutra parte gerendam, id quod & ipse facere decreverit: quin potius ne ipsorum classis in Oresundam aut Mare Balticum naviget, sed in aliquo idoneo loco in vicinia conclusionem hujus pacis expectet. Qua in re speret Belgas sibi gratificaturos. Unde ipse, adversus classem Belgicam, ubicunque ei occurrerit, amice se gerat, eique denuntiet, se venisse ad pacem inter Sveciæ & Daniæ Regna curandam, nec in partes descensurum, aut alterutri auxilium laturum, si ullo modo pax confici queat, quæ ad normam pacti Roschildensis bellantibus proposita sit cum temperamento, quod præsens tempus requirere videatur, ac spem esse, ipsos pari proposito ac desiderio venire; utque ideo se ipsi ad pacem dicto modo conciliandam socient ea via, quæ maxime idonea ad id efficiendum videatur, & per quam omnis æmulatio & suspicio inter Angliam & Belgas evitetur, quamdiu id negotium sub incude est. Utque adeo Belgicæ classis præfectus neutri parti quocunque modo adsistat, nec cum classe sua Hafniam, aut in Oresundam, aut Mare Balticum se conferat, multo minus in hostilia adversus Svecos erumpat; sed ut extra Oresundam aut Balten maneat, quousque perspici possit, num juncta opera pax inter Reges concludi queat, aut quoad super alia idonea ratione id negotium expediendi conventum sit. Quam in rem & ipse Montacutius Belgico præfecto fidem det. Sed si hic ista adspernetur, ac cum classe sua per Oresundam aut Balten penetrare conetur ad sublevandam Hafniam, Svecicamque classem oppugnandam; aut si Danica classis cum Belgicis navibus, quæ jam ibi sunt, necens venienti classi Belgicæ conjungere

1655. se conetur, ipse quovis horum casuum per modum auxilii Svecis junctus omnibus viribus ad istud impediendum connitatur. Quod si autem ante ipsius adventum nova classis Belgica Hafniam accesserit, Danisque se junxerit; tunc quoque Belgicæ classis præfecto significet, quo fine venerit, petatque ut circa hoc negotium promovendum operam secum societ. Id si repudietur, aut mora nectatur præter eam, quam indoles negotii requirit, auxilia Svecis ferat. Nec minus si dum hoc negotium cum Belgis disceptatur, aut tractatus cum Svecis super auxiliis adornatur, aliquis conatus adhibeatur transportandis fœderatorum copiis, & impugnando Sveco, vi sese opponat vel solus vel junctim cum Svecis, quicunque demum tale quid tentaverit. Sed quia varii casus emergere queant, in quibus ob locorum intervalla in negotio multis mutationibus subjecto peculiaria mandata in antecessum dari nequeant; circa eos ad duo summa capita respiciat, ut nempe commoda pax inter eos Reges constituatur; aut, si per mandata obligatum se sentiat ad auxilia Svecis ferenda, priusquam rem gerere incipiat, à Rege Sveciæ adprobari & ratum haberi curet tractatum, cujus formula ipsi tradita sit: etsi, infecto licet hoc tractatu, transportationem copiarum fœderatarum prohibere ne omitteret. Ast si Svecus pacem recusset, operam dandam, ut res apud Danum & Belgas ita disponatur, quo tractatus inter hos initus observetur, & quicquid emolumentorum Belgæ circa commercia sibi stipulati sint, id Anglicæ quoque nationi concedatur sub eadem cautione: denuntiato, si secus fiat, Angliæ alia via commodis suis prospiciendum. Quæ circa salutationem inter Anglicam & Svecicam classem, ac modum conjungendi classes observanda sint, Montacutius faceret, quæ è dignitate Reipublicæ judicaverit. Si obviam ipsi veniat navis bellica cujuscunque extranei status in Mari Britannico, curam habeat, ut honor Anglicæ nationis conservetur, obstringendo illam ad submittenda aplustria, summumque velum, ac recusantem vi compellat. Ubi necessitas classis aut anni tempus requirat, fas fore ipsi cum classe domum reverti etiam citra nova mandata. Si fato ipsum fungi contingat, proximus ab ipso prætectus istiæc mandata exequatur. 1655.

§. 16. Ex his igitur mandatis satis adparebat, Anglos tunc sua interesse judicasse, ut Daniæ ruina averteretur, ac Imperium Oresundæ penes Danum maneret velut Principem infirmiorem, qui haut temere auferus sit vicinis onus imponere, aut quem talia aggressum compescere in proclivi sit. Unde & serio satagebant circa restabiliendam pacem Roschildensem, & ut Daniam æque a violentia Svecorum, quam machinationibus Belgarum præservarent, quo Rex Daniæ liber ac nemini obnoxius Princeps maneret. Sed si hoc fieri non posset, satius videbatur in Sveciæ fœdus transire, ac in partem prædæ venire, quam ut Belgæ Oresundam, Daniamque sibi raperent. Cæterum Montacutius cum prior in Daniam pervenisset, Reuteri conjunctionem cum Opdamo impedire decrevit; (quorum hic Hafniæ hibernaverat,) metuens, ne junctæ ipsorum vires in Oresunda prævalerent. Unde cum Scagenas promontorium superasset, navem ibi speculatoriam relinquebat, cujus præfectus Reutero adventanti literas redderet, quibus postulabat, ne quid auxilii alterutri partium præstet, neu cum classe Hafniam, aut in Oresundam & Balten pergat, quoad perspectum sit, quid juncta ipsorum opera circa pacem proficiatur, aut quoad de alia ratione negotium hoc componendi inter ipsos conventum sit. Id si Reutero probetur, se quoque neutri parti auxilia laturum. Porro adventus tam validæ classis initio non minus terroris Danis, quam lætitiæ Svecis adferebat, quod hi spem concepissent, eam à fidissimis amicorum auxilio sibi missam; Dani contra metuerent, ne Angli nunc offensæ proximo cum Belgis bello acceptæ, vindictam exsequerentur. Unde & Fridericus Rex de ista solicitus protinus ad Belgas scribebat, ut pari modo promissum sibi auxilium properent, postquam hostis tanta virium accessione redditus sit formidabilior. Enimvero brevi spatio Svecorum gaudium, ac Danorum trepidatio

Anglia intentio.

Reuteri

sit-

1653. circumſcribebatur. Nam Montacutius miſſo nepote, & Vice-præfecto claſſis ad ſalutandum Carolum Guſtavum, verbis, & mox literis confirmabat, ſe cum claſſe veniſſe promovendæ paci inter Boreales Reges, ad quam omni ſtudio ſit incubiturus, neutri interim auxilii aut offenſæ quid præbiturus. In eandem ſen-
11. *April.* tentiam Medovius ad Danum literas dabat, Protectoris oblatum ſæpius officium repetens, ſimul irreparabile damnum è belli continuatione oriturum demonſtrans, ac pacem Roſchildenſem præſenti ſtatui quam maxime quadrare, ac tutiſſimum futuræ paci fundamentum ſubſterni.
20. *April.* Cui Fridericus Rex poſt aliquot dierum moram reſpondebat; oblatum officium ſibi gratiſſimum, pacisque dulce nomen ſibi cumprimis acceptum: Cæterum ſibi haut fas eſſe tractatus ſuſcipere circa Cæſarem, Poloniæ Regem, & Brandenburgicum Electorem, quibus fœdere ſe nuper obſtrinxerit, ſine conſenſu ipſorum cum Svecis pacem non inire. Ac revera is à pacti Roſchildenſis legibus abhorrebat, ſpe concepta, tam potentibus ſociis ſuccinctum lautioribus cum Sveco conditionibus ſe deciſurum.

Anglorum propoſitio Regi haut placet.

§. 17. Enimvero iſta ab Anglis propoſita eo magis Carolo Guſtavo diſplicebant, quo ampliorem ſibi de iſtis ſpem in ſui favorem conceperat. Nam perſuaſerat ſibi cum hac claſſe cupitam declarationem ad transmiſſam nuper fœderis formulam allatum iri, de qua nunc altum ſilentium erat. Cum tamen Medovius, quando inter tractationem de Angliæ præmiis agebatur, ſubinde jactaſſet; uti hanc operam collatura ſit Sveciæ ad duo Regna ſubigenda; ita viciſſim par eſſe Sveciam in Anglos idoneam liberalitatem expromere. Sed nunc idem de conventione Gallorum & Anglorum memorabat ſuper Roſchildenſi pace inſtauranda. Id quod Rex maxime ſibi fraudi cedere judicabat, quod nunc iterum ſecuritas ſua chartæ & atramento ſuperſtruenda foret, amiſſa, quam manibus tenebat, ſolida cautione. Quia tamen augurabatur eam propoſitionem fortaſſe à Dano repudiatum iri, quod ab hac pace Auſtriaci eſſent excludendi, ſpes erat obliqua iſthac ratione per Dani tergiverſationem deſtinata ſua promotum iri. 1653.
Interim indignum ſe judicabat, terrore ac minis compelli ad commoda ſua gratis è manibus amittenda: Cæterum Montacutio & Medovio Protectoris mandata exponentibus Rex multis demonſtrabat; mirum ſibi videri ab Anglia, in qua has inter moleſtias plurimum fiduciæ collocarit, eoque reſpectu à Belgis oblata repudiarit, talia jam à ſe poſtulari, ac ſe inconſulto & invito de pace Roſchildenſi Dano certam ſpem factam, ac quod abſurdiſſimum ſit, Protectorem ſibi amicum cum apertis Sveciæ hoſtibus Belgis conveniſſe, quousque auxilia ſibi ferenda, aut quibus conditionibus acquieſcendum ſit: quaſi penes ipſum ſit leges ſibi præſcribere, quas transgredi nefas ſit. Ea propoſitione Dano facta non ſolum hoſtes Sveciæ obfirmari, ſed & ſe in lubricam & intutam conditionem devolvi, quam bello hoc continuato prævertere inſtituerit. Haut perſuaderi ſibi poſſe, ex odio Anglorum in ſe talia promanare, cui cauſam ipſe non dederit, ſed potius ex inſcitia rerum externarum; per quam ſibi forte perſuaſerint, pace Roſchildenſi præclare ſibi conſuli, aut tantopere deſideratam ſecuritatem inveniri. Contra rem ipſam demonſtrare, ſolidiore ſibi cautione opus eſſe, ſi exitium ſuum declinare velit. Nam faciem rerum, ex quo tempore pax Roſchildenſis concluſa ſit, valde mutatam. Tunc enim ſpem fuiſſe Danos candore & moderatione ipſius victos pari ſinceritate amicitiam culturos, præſertim poſtquam Roſchildiæ de fœdere cum Svecia adverſus omnes ipſius hoſtes ineundo jactaſſent. Tum & ſuas in Boruſſia res tam bene ſe habuiſſe, ut vel per pacem ipſe tota ea provincia potiri potuerit, vel bellum commode ibi perſequi, quo ipſi occaſio naſcitura erat melioribus conditionibus cum Moſco decidendi. In Germania quoque ſi pax Roſchildenſis promte impleta fuiſſet, egregiis emolumentis campum patuiſſe per interregnum, cum adhuc ambigua Auſtriacis ſpes diadematis Cæſarei foret, multis in partes ipſius tranſituris, ni affectatæ Danorum tergiverſationes tam ſpecioſam occaſionem amit- 1653.

1659. tere ſubegiſſent. Unde nunc ſibi utique proſpiciendum, ne qua Dano facultas maneat per ſe aut alios mala Sveciæ machinari. In Polonia quoque faciem rerum plane mutatam, Boruſſiam evaſtatam, Thorunium & alia loca periiſſe, averſos à pace Polonorum animos. Cum Moſco triennales inducias fuiſſe ineundas, magno Sveciæ damno, dum loca per Livoniam occupata ipſi relinquenda fuerint. Cæſarea dignatione potitum Sveciæ hoſtem, non præſtita cautione de non lædendo. Quo ipſo eidem occaſionem datam fœdus Rhenanum turbandi, quod per longiores ipſius in Dania moras non potuerit in juſtam firmitatem evaleſcere. Brandenburgicum quoque tempus nactum res ſuas confirmandi, ac per Belgas aliosque deſtinata ipſius impediendi. Itaque valde imprudens fore pro re nata pace Roſchildenſi adquieſcere. Nam ſi Dani tunc ea ſtare non potuerunt, quando Svecicus exercitus ipſorum cervicibus incumbebat; quid nunc ſibi ab iisdem expectandum, ſi commoda ſua gratis amittat, ac ea apud iſtos opinio invaleſcat, velut præpere fas Selandia à ſe invaſa fuerit? Quod & Angli innuere videantur, dum ita preſſe pacem Roſchildenſem urgent. Id equidem certum eſſe, Daniam per aliquot annos propriis viribus Sveciæ nocere haut valituram, ſi huic cum nemine alio controverſia ſit. Sed quia cum aliis vicinis apertum ſibi bellum, aut infidæ induciæ ſint, ſemper metuendum eſſe, ne Sveciæ per diverſa loca diſtractæ, aut cladis quid perpeſſæ Danus opportuno ſibi tempore inſultet, letalemque plagam inferat. Præterea haut quidquam juſta ſe mole adverſus alios hoſtes rem poſſe gerere, niſi ſolida cautione apud Danos obtenta; quod alias vires ſibi ſint dividendæ, & magna pars militiæ domi ad defenſionem patriæ relinquenda. Igitur neceſſarium ſibi eſſe in Dania potius hoſtibus occurrere, quam acceptata pace Roſchildenſi variis ſe periculis exponere, quoad cum aliis quoque hoſtibus honeſtæ pacis via ineatur. Huc accedere, quod nunc Daniam relinquenti neceſſum ſit bellum in Germania ordiri, ubi nulla plane ſpes boni ſucceſſus allubeſcat, viribus totius Imperii in ipſum ruituris, quod Gallia & Anglia non niſi modicorum ſubſidiorum ſpem adhuc illiquidam faciant. Tum & exercitum ipſius eo caſu ultro peſſum iturum, cujus magna pars Germanis conſtans edictis avocatoriis territa haut temere ſe in Germaniam ſecutura ſit. Quam parum porro guarantiæ ſit confidendum, experiendo ſe didiciſſe, cum Belgæ Bræmſebroënſis, Galli Weſtphalicæ pacis ſponſores extiterint. Aſt ſi Angli prius honeſtam ſibi cum Auſtriacis pacem procurare queant, tunc demum tempus fore de Roſchildenſi pacto verba facere. Iſta tamen à ſe dici, non quaſi omnem cum Dano compoſitionem averſetur, ſed quod honeſtam pacem quærat, & quæ ſolidam Sveciæ quietem præſtet. Nam Roſchildenſes conditiones etiam à Belgis ſibi oblatas.

Thorn.

1659.

§. 18. Cæterum judicabat Rex mandata Montacutii non tam à Protectore, quam à Parlamento profecta, cui is reluctari non potuerit, quod ſiniſtris opinionibus ſuper deſtinatis ipſius per Gallos & Belgas imbutum fuerat. Eoque Protectorem ſatis habuiſſe claſſem mari immittere, ac auxilia Belgarum & conatus Fœderatorum in Danicas inſulas penetrandi impedire. Unde ſpes Regi erat, iſtum, ubi res ſuas domi confirmaſſet, propediem ſolidiora conſilia capturum. Ac fatebatur Medovius, Gallos Belgasque Regis negotium apud Protectorem ſubvertiſſe, ipſiusque egregiam voluntatem divertiſſe, ac effeciſſe, ut de inſtauranda pace Roſchildenſi cogitationem ſuſceperit. Enimvero alia Regi mens ſedebat, cui imprudens videbatur, dimiſſis quæ manu tenebat commodis, priori ſe periculo à Dania exponere, ac ad Galliæ libidinem infinito ſe bello immergere; quæ tam parum candide ſecum egerat, cauſa Svecica Francofurti deſtituta, ac nunc conventione cum Anglis in ſui fraudem inita. Unde ſatius ipſi videbatur, cum omnibus hoſtibus ſuis in univerſum pacem inire, quam Danico bello utcunque compoſito cum cæteris incaſſum luctari. Cæterum Montacutius, audita Regis declaratione, fatebatur, ſe antehac circa hoc negotium haut plene edoctum fuiſſe, ac credidiſſe, Sveciam reſtitutam

Regis judicium de Anglorum propoſitione.

pace

1659. pace Roſchildenſi ingenti beneficio obſtringi, Sed à mandatis ſuis diſcedere ſibi fas non eſſe: ejusdem tamen declarationem in Angliam miſſurum. Id quoque ſcrupulum Regi injecerat, terat, quod in literis fiduciariis Montacutio datis Protector vocabulum 19. *April.* *Fœderati* omiſiſſet, quo antea ſemper uſus fuerat. Porro ut eadem Protectori demonſtrarent, Rex Legatis ſuis in Anglia injungebat, ſimul ut inveſtigarent, unde iſta conſiliorum in Anglia mutatio orta ſit; ac operam darent, ne Montacutio ſaltem aliquid injungatur, quod ſpeciem coactionis habeat, aut commodis, honori, & ſecuritati ipſius repugnet, ſi quidem ut plura reipſa ab Anglis præſtentur, effici nequeat. Cæterum Protectori denuntient, ſe cum infeſtiſſimis hoſtibus conciliari, ac omnia alibi parta dimittere malle, quam in has leges cum Dano pacem inire, ac Sveciæ tam opportuna loca in Dania occupata relinquere, etſi totus in ipſum orbis ruat, quoad Sveciam in tuto collocarit pace cum vicinis parta. Nam omiſſa Dania diuturno ſe bello cum aliis hoſtibus involvere, nil aliud eſſe, quam Dano anſam ſuppeditare data occaſione Sveciam plane ſubvertendi. Nam Dano nullum eſſe hoſtem præter Sveciam: ſibi autem multos hoſtes ac vicinos eſſe, ita ut probabile ſit Sveciam ſæpius bello impetendam, quam Daniam; ac cladem ab illa accipi poſſe, quam ſemper in commodum ſuum vertere Dano in proclivi ſit. In guarantia Angliæ parum fiduciæ collocari poſſe ob vacillantem domi ſtatum; ac ut voluntas ſibi ſuccurrendi non deſit, vires eandem deficere poſſe. Denique ejusmodi pace, qua neceſſitas ſibi imponatur parta jam commoda abdicandi, non ſolum facultatem ſibi adimi hoſtibus reſiſtendi, ſed & amicis deinceps ſuis inutilem fore, ni pax cum aliis quoque hoſtibus ſimul paretur.

Ulterior cum Anglis tractatio.

§. 19. Aſt Anglici Commiſſarii, etſi quod ad Regis rationes reponerent nihil habebant; tamen cum mandatis ſuis ſibi inhærendum ferrent, ſubinde apud Regem de acceptanda ſua propoſitione inſtabant. Unde Rex, ne plane à pace abhorrere videretur, Scheringium Roſenhanium, Chriſtiernum Bondium, & Petrum Julium Cojetum mandato inſtruit cum Montacutio, & Medovio tractatum ſuſcipiendi. Qui hiſce exponebant: à Rege non quidem ſimpliciter rejici pacem Roſchildenſem, ſed ampliorem duntaxat ſecuritatem, quam illa præſtet, ab ipſo affecturi; (etſi qualem ſecuritatem innuerent, haut exprimebant.) Ad quam obtinendam neceſſarium ſit, ut Anglia ad certum auxilium adverſus quosvis futuræ pacis turbatores Sveciæ ferendum ſe obliget: ac ſi Danus pacem adſpernetur, ut Angli curent, qua ratione Belgæ Regi reconcilientur; aut ſi & hi utique in bellum ruant, Anglia horum vim à Rege averruncet. Quam ad rem idoneam ſibi tractandi facultatem adferri curarent. Cum itaque Montacutius deſtinata & reſponſa Regis in longum prominere videret, judicabat ea de cauſa hunc ad tergiverſandum permoveri, quod Anglica claſſis eo loco anchoras jeciſſet, ut ſalva exiſtimatione pati non poſſet, Belgas ante ora ſua Hafniam penetrare; eoque ſi res ſibi cum hiſce ad manus pervenerit, gratis id officium, quod ab Anglis expectabat, ipſi exhibendum, nullo viciſſim commodo in Angliam redundante. Unde Montacutius, ne ad tam duram conditionem redigeretur, liquidum reſponſum Regem poſcebat. Quod cum non reciperet, ac ſimul perſpiceret, Regem iter in Lalandiam parare, quod ob diſtantiam loci remoram negotiationi injecturum erat; eidem denuntiabat; ſe metuere, ut declaratione ipſius ſat mature potiri queat; eoque nunc neceſſitatem ſibi incumbere alia mandata commiſſa exequendi. Unde ſublatis anchoris ex Oreſunda in ſinum Codanum vela faciebat, ſtatione iterum apud Collam promontorium capta. *Kall.* Cum claſſis Cronenburgum præternavigaret, Rex Nicolaum Brahæum, & Guſtavum Poſſium mittebat, ut ipſum ſalutarent, ac deſtinatis ejusdem ſibi incognitis felices ſucceſſus præcarentur. *Brahe. Poſſ.* Sed duabus horis interjectis Rex aliam cymbam ad iſtum mittebat ſcripta cum declaratione; ſe à pace Roſchildenſi non abhorrere, nec eam rejicere, ſed lubenti animo acceptare, ita tamen, ut per eam melius ſibi quam antea caveatur, ac ut, ii, qui circa pacem in his oris promovendam ſatagunt, oſtendere velint, qua in re ſecuritas ſibi tam neceſſaria collocanda ſit. Tum ſe paratum

1659. ſeorſim cum Anglis, aut junctim cum Danis tractare. Regem ut huc deſcenderet inter alia quoque movebat pax inter Gallos & Hiſpanos ſuccedens, quo caſu Medovius oſtenderat, Anglos claſſe domi opus habituros. Ea declaratio Montacutio gratiſſima erat, qui & ad eam exprimendam abitum ſimulaſſe videri volebat. Etſi & alia ratio mutatæ ſtationis ſubeſſet, quod priore loco fluxus maris valde eſſet violentus & variabilis, ſimul ſpatium nimis anguſtum, ſi cum Belgis depugnandum foret. Sed apud Collam mare patens, & uniformis maris fluxus vento reſpondens. Cæterum diſſerebat Montacutius; ſe quidem nondum juſſum diſcedere; ſed metuendum eſſe, ne in eum finem brevi mandata accipiat, ni Rex, quæ offerantur, protinus arripuerit: ad quod impediendum declarationem Regis in Angliam miſſurus ſit. Quam quidem ſat idoneum judicabat, ſed vereri, ne ſub addita exceptione de ſecuritate aliquid lateat, puta Norvegia, aut Selandia, de qua muſſitari audiverit. In quod Angliam nunquam conſenſuram aſſeverabat. In omnibus aliis bona ſe fide Regi ſuppetias laturum, ac ſi Belgica claſſis, quæ jam expectetur, Hafniam tendere, aut militem inſulis immittere, aut hoſtilia Regi intentare inſtituat, ſe vi oppoſita id prohibiturum. Id quod tamen non metuat, quod Belgæ nil niſi pacem Roſchildenſem prætendant, quam Rex nunc acceptarit; ac ſuper ſecuritate tractationem ſuſcipi poſſe. Addebat Medovius non fuiſſe Protectoris mentem Regem citra exceptionem paci Roſchildenſi adſtringere, ſed plura ipſi emolumenta optare; ac præ ſe ferebat deſiderium cum Rege fœdus concludendi, ut claſſis ſtatim ad rem gerendam accedere poſſet. Et mox cum de felici Regis in Falſtriam, & Lalandiam exſcenſione audiret, paulum confuſus videbatur, velut Regi deinceps claſſe Anglicana parum opus ſit futurum.

Cum Anglis ſuper fœdere tractatur.

§. 20. Declaratione Regis accepta Angli Hafniæ acriter inſtabant, ut & Daniæ Rex pacem Roſchildenſem amplecti velit, excluſis ſuis fœderatis. Id quod Danus initio abrupte rejiciebat. Sed poſt cum Carolus Guſtavus Falſtriam & Lalandiam occupaſſet, oſtendebat: Cæſarem & Polonum ſibi haut tantopere curæ eſſe, modo reconciliatio ſimul cum Brandenburgico, & Belgis fieri queat. Eo reſponſo offenſæ nonnihil Angli concipere videbantur; ac Medovius viciſſim Svecicis Commiſſariis declarabat, ſe iterum ſuper fœdere acturum, quousque Angliæ auxilia porrigere ſe debeant, & quas conditiones à Svecis ſtipulari poſſit. Unde formulam fœderis paulum à priore mutatam Regi offerebat; cujus exordio memorabat, uti novum & infelix bellum inter Sveciam & Daniam exarſerit, quo Rex Sveciæ Cronenburgum, ac imperium Oreſundæ occuparit, obſidio Hafniæ circumpoſito, eo tamen ſtudio, ut honeſtam tutamque pacem cum Rege Daniæ iniret; ac uti obtentu auxilii Daniæ ferendi validus ſe exercitus Cæſaris & Poloni Jutiæ infuderit, Fioniæ jam & Selandiæ imminens: id quod ſi ſuccedat, certam ruinam rei Proteſtantium his in oris, ac periculum ejusdem tota Europa ſubvertendæ productum videatur, deſtructis quoque commerciis Maris Baltici, & oppreſſo Rege Daniæ, cujus defenſio obtentui ſumatur. Quibus malis avertendis cum Rex auxilia Protectoris Angliæ deſideraverit, in has leges conventum: ut hic certum navium numerum in Oreſundam auxilio Regi mittere teneatur, quæ rite inſtruendæ & ſupplendæ ſint, ut in hoc mari ad finem menſis Septembris ſubſiſtere queant. Ea claſſis Sveco adſiſtat per modum defenſionis, ita ut impedire ſtudeat, ne quæ extraneæ naves ſub quibuscunque inſignibus, aut quocunque præfecto cum Danica claſſe ſe conjungant, ſimul impediat, ne quæ fœderatorum copiæ Hafniam, aut in alias Daniæ inſulas deportentur, neu quæ pecuniæ, annona, miles, aut adparatus bellicus ſubſidio Hafniam inferatur; denique ut Svecicam claſſem defendat, ſi à Danis, aut horum auxiliaribus in mari invadatur, aut in portu obſideatur. Proſumtibus in hanc expeditionem faciendis ac in penſationem periculorum, quæ hanc ob cauſam Anglia ſubitura ſit, natio Anglicana ſibi immunitatem ab omni vectigali & onere Regi Sveciæ ſolvendo in tranſitu Oreſundæ aut Baltes pro mercibus aut navibus ſtipulabatur, ac ut naves Anglicanæ ea freta tranſituræ poſt editam certificationem

1659. rem apud miniſtros Svecicos in hiſce fretis apud miniſtrum Anglicum id vectigalis quod à Protectore conſtitutum ſit, ſolvant. Ut Angli in omnibus portubus Svecicis, qui nunc ſunt, aut deinceps adquirentur, non plus oneris, quam Sveciæ naves ſolvent, ac circa reliqua omnia civibus Svecicis æquales habeantur. Ut Rex Sveciæ Oreſundam & Balten utramque occludat & navigatione atque commerciis ibi prohibeat omnes, qui hoſtes utrique aut alterutri fœderatorum futuri ſint. Ut omnes portus aditusque Sveciæ citra ullum onus navibus Anglicis pateant, quæ & ibi de neceſſariis proſpicere ſibi queant, pari cum Svecicis navibus jure. Operam adhibeant fœderati, ut Elector Brandenburgicus, & alii Principes ac ſtatus à conjunctione cum Domo Auſtriaca abſtrahantur, ac ipſis adverſus eandem uniantur. Ut claſſis Anglica operam det ad dictum finem, quamdiu tempeſtas hujus anni ſalva ejusdem incolumitate id permiſerit.

Regis de Anglorum poſtulatis ſententia.

§. 21. Enimvero in hac formula id cumprimis Regi displicebat, quod Angli per omnia Sveciæ civibus in portubus Svecicis exæquari vellent, cum tamen naves, quæ ibi immunitate aliqua gaudent, ea forma extructæ ſint, ut belli tempore militaria munia obire queant. Unde ea privilegia non tam hominibus quam navibus indulta utique ſeparanda erant; ſic ut Anglorum poſtulato conceſſo Svecia paulatim mari exarmaretur. Sed ut circa reliqua Angli Svecis æquales haberentur, id facile Rex conceſſurus erat. Id autem poſtulare, ut Mare Balticum omnibus Angliæ hoſtibus accluderetur, nil aliud erat, quam Sveciam perpetuis litibus cum univerſa Europa involvere, præterquam quod Angli non ſufficerent omnibus ejus Maris commerciis exercendis, ac ſi ſufficerent; enormis hiſce prærogativa præ Svecis, & aliis ejus Maris accolis dabatur. Sed & periculo non vacabat, ſine modo & diſcrimine omnes Sveciæ portus Anglicis claſſibus aperire. Cum igitur Rex eas conditiones tantilli temporis opera longe ſuperiores, ſimul Sveciæ civibus & commerciis intolerandas judicaret, aliam formulam rationi magis attemperatam concipi, ac Medovio exhiberi jubebat. Sed hic formulæ à ſe propoſitæ obnixe inhærebat, à qua diſcedere per mandata ſua nefas ſibi ſit; ut tamen de temperamento aliquo mentionem injiceret. Ubi id Regem cumprimis ſolicitum habebat, ne Anglica claſſis jactis ante Hafniam anchoris aliquas ibi conditiones ſibi ſtipularetur in fraudem Sveciæ, quod veroſimile videretur refuſionem ſumtuum in eam claſſem factorum ab alterutro Regum exactum iri. Cæterum formula ſua Rex Anglis in cautionis vicem portum ad Mare Balticum obtulerat, ab Anglis reſtituendum, ubi Glucſtadium expugnatum fuerit, quod deinceps jure perpetuo penes iſtos futurum ſit, una cum Crempa, & cognomine diſtrictu, ac territorio Wilſterenſi. Pro pecunia mutuo danda Rex in hypothecam ipſis oſtentabat Islandiam una cum vectigali Bergenſi, ceſſa quoque Regni Norvegiæ actione in Orcades Inſulas. Antequam autem ea loca hoſtibus eriperentur, Rex ſtatim facta hujus tractatus ratificatione, Stadam cum caſtello ad Svingam Anglis cautionis loco daturus erat, ſalvo tamen ſupremo ſuo in id oppidum jure. Quæ conditiones Medovio non adeo diſplicere videbantur, ut ſpes eſſet demum inter ipſos conventurum. Etſi idem non obſcure inſinuaret, magis ſibi arridere, à Rege Anglis cautionis loco tradi Cronenburgum, & Huenam Inſulam. Id quod Regi haut ad palatum erat, ne vicinus nimium Anglis fieret, à quibus ſucceſſu temporis plus moleſtiæ, quam à Danis dari poſſet. Interim cum nec ab Anglis latas conditiones admittere Rex poſſet, ac Montacutius integrum ſibi negaret, rem gerere niſi tractatu perfecto & ratihabito; nil aliud Regi ſupererat, quam ut Medovio aliam formulam traderet additis rationibus, quare iſtius conditiones acceptare non poſſet, petens ut eam quamprimum in Angliam mittat, ibique Protectori demonſtret, quam iniquum ſit, ejusmodi leges ſibi obtrudere velle. Ac tentabat Rex, an non id fœdus per ſuos Legatos in Anglia perfici poſſet, quod animadverteret, ob inſcitiam rerum Borealium tam ſtricta mandata Medovio fuiſſe data. Quo fine iſtis procuratorium & mandata transmittebat. Sed

1659. 7. *Maji.*

& ſcru-

1659. & ſcrupulum Regi movebat, quod Medovius procuratorium initio tractatuum exhibere nollet, uti moris eſt, ſed ad concluſionem eorundem id reſervare vellet. Tum & incongruum erat, uſum claſſis menſe Septembri circumſcribere: cum contingere poſſet, ut eo ſpatio bellum Danicum non ceſſaret, nec Belgæ hoſtilia omitterent. Et quia Medovius teſtabatur, ſibi haut integrum eſſe vel apicem in ſua formula mutare, magis videbatur occaſio ritæ quæſita; quam tractatus, qui addendo & demendo ſolet perfici. Sed & præfatio à Medovio addita Regi parum arridebat. Jubebantur tamen Legati, ſi Res in Anglia perfici non poſſet, id ſaltem operam dare, ut eadem melius percepta ac elaborata ad Medovium remittatur, isque ampliore agendi poteſtate inſtruatur. Sed & ſimul ſecreta formula ad Friſendorfium mittebatur, eo argumento; ſi Protector Regi adſiſtere velit, ut Danum ad cedendam Norvegiam compellere poſſit, ſe Anglis Ducatum Bremenſem ceſſurum ſalvis ſubditorum juribus, tum operam daturum, ut Islandia & Grœnlandia ſub Angliæ Imperium veniant; ſimul Coronam Danicam in Domum Gottorpienſem translaturum. Aſt ſi Danus toto Regno expulſus fuerit, ejusmodi partitionem inſtituendam, ut Rex Sveciæ præter Norvegiam retineret Selandiam & Fioniam cum omnibus inſulis; Cromvello contra cederet tota Jutia, ſalvo jure & ditionibus Ducis Gottorpienſis, una cum Ducatu Bremenſi & Verdenſi; tum & Anglicæ merces in Oreſunda immunitate gauderent.

Anglia à ſe acta defendunt.

§. 22. Enimvero cum Legati Sveci Anglis exprobrarent, quod cum Rex tantam ſpem de claſſe ipſorum conceperit, ea jam nihil aliud ipſi, quam pacem intutam obtruſum eat, eamque in rem cum Gallis & Belgis conſpiratum ſit; Thurlovius iſti accuſationi retundendæ differebat: Cum Gallia conventionem fuiſſe initam in favorem Sveciæ, & compeſcendis Belgis, ſi in transverſum abire vellent: tum ut Galli vinculo conſtringerentur, qui alias parum æquo in Sveciam animo fuerint: Ac ſibi utique à tergo ſecuritatem debuiſſe conſtare, ſi in Dania ſuſcipere quid vellent, ut Belgis bellum indicant, à ſe nec poſtulari nec præſtari poſſe bello jam Hiſpanico implicitis; nec ſatis cautum, ſibi à Gallia, & propriis civibus, deficiente inſuper pecunia, ac Parlamento, à quo pecunia ſuppeditanda ſit, cupiente bella imminui, non augeri. Sed hoc conſilio ſuſcepto Regem tempus lucratum, fœderatorum conſilia turbata. Quod pacem Roſchildenſem pro fundamento poſuerint, à ſe pio & innocenti conſilio factum; cum perſpicerent, quam periculoſo ſtatu Regis res fuerint, quantum inſolentiæ Belgis è ſuis ac fœderatorum viribus acceſſerit, ut jam de reddenda pace Bræmſebroënſi crepārent, ac cum à ſe iſtud abrupte rejiceretur, ſaltem Nidroſiam & Bornholmiam, quæ propria virtute in priſtinum ſtatum ſe vindicarint, excipere vellent. Sed cum iidem viderent, quanto fervore claſſis in Anglia armaretur, eos ſimpliciter pace Roſchildenſi adquieviſſe, ac ut tractatus Danici ſeparatim ſuſciperentur. Eo tamen ſe deſcendere noluiſſe, quod Belgæ præcipue quæſiverint, ut ſi una vel altera bellantium parspacem præter rationem adſpernetur, ſequeſtres non tenerentur parti ad pacem promtæ adverſus refractariam adſiſtere, ſed potius ubi hi in partes diſcedant, ipſi haut ideo inter ſe hoſtilitatem contraxiſſe intelligantur. Haut fuiſſe levis momenti negotium, Belgas ab enormibus ſuis deſtinatis abduxiſſe, atque impediiſſe, ne Regi majore vi incumbere poſſent: cum Angli facile tolerare queant, ut Rex adverſarium ſuum ad incitas redigat. Saltem nullum damnum à ſe Regi fuiſſe datum, nec quidquam ſua ſententia detractum. In hac præliminari conventione haut decuiſſe ſe procuratores Regis agere, aut amplius quid pertendere, quam quod tractatus antea concluſi, quorum ſponſores ipſi ſint, ſuggerant. Reliqua ad peculiares tractatus remitti; & quia Rex ſemper æquam & honeſtam pacem jactarit, cuilibet liberum fore eam ad rationes ſuas attemperare. Satis quoque ſe miſſa tam ſumtuoſa claſſe ſignificare, quod omnia, quæ Rex cum ratione poſtulare ac obtinere queat, promovere potius, quam impedire velint; nec ſe quid æmulationis adverſus fortunam Regis, ſed potius adverſus potentiam hoſtium ipſius con-

1658. concepiſſe. Sed ſimul merito ſibi juxta ductum ſanæ rationis, ac ſcita civilis prudentiæ fuiſſe procedendum, ne dum alium ad inſignem magnitudinem provehere inſtituunt, proprium ſtatum in præcipitio collocent; ac initio ſatis habendum, adverſam partem à deſtinatis Regem plane evertendi diſceſſiſſe, ac aures ad æquam pacem arbitrio Angliæ perficiendam, quam Sveciæ addictiſſimam norant, convertiſſe. Inde commotior addebat, Protectorem potius ſolennem gratiarum actionem pro miſſa claſſe expectaſſe, quæ ſuo judicio ingens operæ pretium fecerit. Nam revera partem adverſam non Roſchildenſem aut Bræmſebroënſem pacem, ſed Regis everſionem animo agitaſſe, ac ut non Selandia & Fionia ſola ipſum expelleret, ſed tota Germania inſuper eliminaret, armis in ipſa Sveciæ penetralia promotis: ac ni ad Angliam oculi reflectendi fuiſſent, jam rem confectam manibus ſe tenere credidiſſe. Ac jactare Belgas apud plebem Anglicanam, ſe mirari Angliam rationes ſui ſtatus non melius intelligere, ac pro alienis incrementis, damno demum ipſi ceſſuris, eousque deſcendere voluiſſe. Angliam miſſa proximo autumno claſſe in cauſa fuiſſe, ut quatuor peditum millia in Daniam transportata non ſint, nec Belgica claſſis citius eodem navigarit. Ac ſi non plus gratiæ inituri ſint, quam ejusmodi diffidentiam, ac ſiniſtram actionum ſuarum interpretationem, multum ſibi frigoris circa earum continuationem acceſſurum; præſertim cum ob pacem jam inter Gallos & Hiſpanos concluſam domi inventuri ſint, quod agant. Ac fortaſſe aliam conſiliorum viam ſibi ineundam, quæ magis inclinationi Parlamenti & populi quadret, & ad quam æque facile ac promte quam Rex pertingere poſſint. Equidem Anglos ſemper teſtatos, Regi ſe præſto futuros, ejusque deſtinata promoturos, ſed hac cum exceptione, quantum ſine periculo rerum ſuarum facere poſſint; & quod non ſolum eventum haut præſtare, ſed nec in anteceſſum deſignare valeant, quid facturi ſint, ſi ſtatum ipſorum domi turbis involvi contingat. Ac ſi Rex plura ab ipſis expectarit, ingens ſibi ipſi damnum intuliſſe. Medovio non alia fuiſſe mandata, quam in eventum tractatum perſequi, ſi utique junctim res gerenda foret, & quidem iis conditionibus, quæ tam ſaluti publicæ, quam utriusque partis rationibus proficuæ invenirentur. Sed quod ipſi à ſe mandatum ſit cum Rege ſuper ſubjuganda Dania & Norvegia tractationem ſuſcipere, & quidem ut is talia Angliæ nomine proponat, non ſperare ſe, tantam abſurditatem de ſe à Rege creditum iri, aut ſe tantam culpam apud præſens & futura ſecula ſuſcepturos. Quis enim tali quid aggreſſos non ſummopere improbaturus ſit? Et quid laboris ac periculi ipſos non manſurum, à turbis & factionibus undique circumdatos? Ac ſi Medovius tale quid fecerit, præter mandata feciſſe, ac fortaſſe talia ut ſolet obiter jeciſſe, ut arcana Regis ſenſa expiſcaretur. Sed nec Regem ſua poſtulata & viciſſim oblata juſta proportione trutinaſſe. Nam Anglis tota vi fuiſſe connitendum, ut Regem Septentrionis Monarcham efficerent: Regem contra nihil memoratu dignum obtuliſſe, ac ne id quidem, ut Belgas Mari Baltico excludere vellet eo obtentu, quod maximam commerciorum ſuorum partem hoc ipſo amiſſurus ſit. Unicum idque maximi momenti fuiſſe, immunitatem à vectigali Oreſundico. Sed eſſe eam rem meri arbitrii, & quæ citra idoneam cautionem data occaſione retractari, aut obliqua ratione eludi queat, aucto Gothoburgi aut Holmiæ vectigali. Et quia Rex plura annuere nolit, dubitare ſe, qua ratione in communi cauſa procedendum ſit, ut utrique parti ſatis fiat: nec ita ſimplices ſe habendos, ut aliis inſervire ipſi velint emolumentorum ſuorum immemores. Cum Legati Svecici interrogarent, num claſſis reverti juſſa ſit, Thurlovius negabat, nec tamen diſtincte explicabat, quid mandatorum uno vel altero caſu illa haberet, obtentu ſilentii à ſe præſtandi, ac id optime ibi adpariturum. De cætero deſtinata ſibi ſolida ac ſincera, ac in Regis commodum directa. Nec ſibi unquam in animo fuiſſe Regi aliquid perſvadendo obtrudere, multo minus eundem cogere ſed tantum adverſariorum conſilia turbare, ac Regis comoda quocunque modo promovere. Protectorem ejusque partes Regi utique favere; ſed an Rex rebus ſic ſtantibus Anglicano ſtatu deinceps tuto inniti queat, neminem poſſe pro-

1658.

1659. mittere. Saltem metuendum esse ne inter tot turbas consilia parum alacriter effectui dentur, cum non satis constet, penes quem deinceps summa rerum futura sit.

In Anglia consilia cum statu mutantur.

§. 23. Ac sane turbæ istæ in Anglia eo mox erumpebant, ut hactenus super fœdere agitata in cassum caderent, ac Belgarum adversus Regem intentio prævaleret, statu ibi plane immutato. Cujus rei causa fuerat, quod dudum militares aliique potentes viri jactarent, statum à Protectore institutum illegitimum esse, ac per violentiam natum juxta atque gestum, cui subvertendo factiones & clandestina consilia miscebantur. Gliscebant ista per dissidia ex diversitate opinionum circa sacra orta, quæ infinito numero pullulaverant; quæ circa reliqua discordes in hoc uno conveniebant, quod præsentem statum aversarentur. Sed singulæ factiones occasionem aucupabantur emergendi, aut res saltem turbandi, ut aliquando ad istum evertendum, & majorem libertatem adquirendam insurgere possent. Ea opinionum diversitate cumprimis præcipui exercitus Duces agitabantur, qui velut potentia succincti majore pondere consilia sua promovebant. His displicebat Olivarii Cromvelli Regia potestas; neque hic extremis annis ea dexteritate uti initio Imperium gerere visus est, dum malevolis nimiam licentiam indulget firmandæ pravæ intentioni adversus præsens regimen. Sed nec primogenito Richardo educationem adhibuerat tanto fastigio dignam, nec mature rebus tractandis eundem adhibuerat: nec splendido muneri apud exercitum præfecerat autoritati juxta ac benevolentiæ apud milites parandæ. Unde matura jam factione Richardum primo exercitus ad dissolvendum Parlamentum compellebat, constituto in se summo cum Imperio Carolo Fletvvodo. Inde longum, quod vocabant, Parlamentum ab Olivario anno 1654. dissolutum instaurabat, ac Richardo Imperium abrogabat; qui mox è tanto fastigio ad obscuritatem revolutus est, vix libertate adversus creditores salva. Id Parlamentum igitur, regimen Monarchicum, & Domum superiorem aversatum, dum circa res suas ordinandas satagit, pro Regis causa nihil moveri poterat. Idem & Monta-

8. Maji.

cutium offendebat erepta quam in exercitu tenebat legione, quem & suspectabat velut statui populari infensum. Medovius tamen Regi confirmaverat; quicquid Richardo accideret, statum Angliæ favore in Svecos inclinaturum; multumque confidentiæ inter istas turbas ostentarat. Addebat tamen, si classis Anglica domum revocetur, id non fieri propter internos Angliæ motus, sed ob pacem inter Gallos & Hispanos recens initam. Nam quia Legatus in Anglia Gallicus eam pacem magno studio dissimulaverit, non posse non suspicionem Anglis oriri, Gallos cum Hispanis conspirare ad ipsos Flandria expellendos. Unde & Rex ea mutatione audita Legatis suis injungebat, ut qualicunque regiminis facie emergente cum eo agerent, penes quem summa rerum foret; quod fœdus, de quo agitetur, totam nationem ejusque commodum spectet. Ac eodem modo tractarent, uti Witelocius quondam fecerat, qui in Sveciam nomine Parlamenti venerat, & tamen post fœderis à se concluſi confirmationem à Cromvello adferebat. Tum testarentur, à Rege pacem Roschildensem non repudiari, sed plus duntaxat cautionis affectari, quam inter alia etiam peculiaris Angliæ sponsio præstare possit. Ast in Anglia Deputati à Parlamento cum Legatis Svecicis congressi initio quidem ferebant, inter Angliam, Galliam, & Belgas Hagæ convenisse, ut pax Roschildensis ex asse restituatur. Enimvero præbuerat ista mutatio Belgis occasionem in Anglia pacem istam impugnandi, quod Parlamentum negotiis domesticis districtum tædio rerum Borealium caperetur. Unde & idem Regi scribebat, non videri se obligatos ad præstanda ea, quæ cum Cromvello convenerint. Quia tamen classis jam in Dania versabatur, existimatio non ferebat, ita abrupte negotium ab isto susceptum destituere; eoque retinebatur utcunque pax Roschildensis, sed admutilata, adjecta quoque clausula improba de vi compellendo illo, qui placitum ipsorum acceptare nollet. Igitur à Belgis immutati, quibus plurima apud id Parlamentum autoritas, sequenti congressu idem Deputati Svecis Legatis osten-

1659.

Witel.

30. Maji.

1659. *Dronthem.* ostendebant: optari à se, ut Rex Dano Nidrosiam, & Bornholmiam cedat. Nam sua tempora non ferre, ut in oris Borealibus bello se implicent. Et quicquid Sveci reponerent, suæ sententiæ inhærebant, idque præsenti Regis statui expedire asserebant. Demum erumpebant: non esse sibi rationem, quare pro Svecia in Belgas bellum sumant. Nam semper à Svecis jactatum, Regem quadraginta naves suas Anglicæ classi adjuncturum. Sed nunc inde nuntiari, nunquam plures quam sedecim naves Svecicas simul conspectas, easque sat maligne instructas. Revera tamen lubricus domi status ipsos mascula contra Belgas consilia capessere haut permittebat. Ac Neoportus ita rem in Anglia proposuerat; quia Danus pacem acceptare tergiversetur, Belgas auxilia sua ipsi subtracturos, revocata domum classe, aut etiam rem in eundem gesturos, modo Svecus vel modicum temperamentum admittere velit, ut Danus ullo modo nomen & dignationem regiam tueri possit; nec ipsi arguantur, sub vocabulo auxilii hunc pessumdedisse; tum ne propria commoda evertant, si Svecum absolutum Maris Baltici dominum constituant, gladiumque in manus eidem dent ad ipsos castigandos. Id autem temperamentum absolvebatur remissione Huenæ, atque actionis Guineensis una cum Bornholmia & Nidrosia. Quod ut Rex admittere velit, Angli optabant, questi se sumtibus in alendam classem faciendis diutius haut sufficere.

Haga super componendo bello Danico agitur.

§. 24. Enimvero Hagæ potissimum circa componendum bellum Danicum, mutilandamque pacem Roschildensem satagebatur. Cum enim Londini conventio super pace Danica inter Gallos & Anglos cuderetur, ac Neoportus ad eam simul adornandam invitaretur, Belgæ istam negotiationem Hagam pertrahere nitebantur, diffidentia in Anglos, velut Sveciæ proniores, ac ne hi forte sibi quid prærogativæ circa commercia Maris Baltici à Svecis stipularentur. Porro inter tres hosce status, Galliam, Angliam, & Belgas eo facilius circa id negotium convenire poterat, quod in eo omnium conspirabat sententia, ne Svecus Dania potiretur. Unde & frustra circa separatam Belgarum cum Rege reconciliationem satagebatur, ac ut hi Danum destituerent; quod iisdem persvasum esset, nullo sibi tractatu satis caveri posse, commercia sua in Mari Baltico non aliquando turbatum iri, solo Sveco Oresundæ imperante. Qui tamen ideo hostes Sveciæ haut quidquam videri volebant. Unde & ipsis displicebat, quod Opdamus circa permutationem captivorum cum Svecis egisset; cum id negotium Danis relinquere debuisset, ne hoc ipso hostem se Svecorum profiteretur. Idemque cum Austriaci & Hispani fœdus ipsorum expeterent, id abnuebant spe reparandæ cum Svecia amicitiæ. Id cum primis eos solicitos habebat, ne Legatis suis à Rege non admissis contumeliam acciperent. Unde placebat non Legatorum, sed Deputatorum dignatione mittere, quod his quam illis rejectis minor ignominia foret. Sed confirmabat Mazarinus; ne dubitarent suos quocunque vocabulo mittere, etiam antequam à Rege super eorum admissione declaratum sit. Nam Gallos & Anglos in se recepturos, istos admissum iri. Angli autem uti à Sveco Daniam subjugari nolebant, ita nec placebat eandem à Belgis opprimi; quo fine & classem in Oresundam mittere properaverant. Ac differebat Dovvningius; Sveco nunc utique animum ad pacem adplicandum tot hostibus cincto, & nuper quoque in oppugnatione Hafniæ accepta clade. Sed nec Thuanus palam jactare verebatur; totam Europam ferre non posse, ut Svecus Daniam suo Imperio complectatur. Mazarinus quoque Legato Belgico Borello diserte confirmarat: Galliæ mentem haut esse Sveco circa opprimendam Daniam favere; sed pacem Roschildensem optimum & pulcerrimum esse, quod Svecus expectare possit; reliqua Daniæ restituenda. Tum & Oresundam cum vectigali utique penes Danum relinquendam, nulla dispositione circa eandem Sveco relicta. Ac si Svecus eas leges admittere tergiversetur, à Gallia ipsum plane deferendum, & tunc res ejusdem conclamatas esse. Isti tamen cum à Ministro Svecico jussu Regis Mazarino exprobrarentur, hic excusaverat: Principes amicis non plus posse indulgere, quam propriæ rationes concedant; sæpe quoque minutas offensas inter amicos accidere salva re-

1659.

1659. cum ſumma; quæ & mox iterum evaneſcant, facta declaratione, & ubi citra affectus & præjudicio res conſiderata fuerit. Interim à ſe Carolum Guſtavum conſiderari non ſolum ut Principem ſumma virtute, ſed & ut optimum & præcipuum Galliæ fœderatum. Belgas porro propera claſſis Anglicanæ in Oreſundam miſſio non parum turbabat, qui & ſuam jam claſſem fere paratam habebant una cum modicis navigiis, queis boves vehi ſolent, ut fœderatorum equitatum in Danicas inſulas transportarent. Unde Protectori per Neoportum confirmabant, ſibi haut animum eſſe Svecum plane opprimere, aut prærogativæ quid in Mari Baltico quærere: ſed & nullum fœdus eo fine cum Cæſare, Polono, & Brandenburgico iniviſſe. Cæterum vehementer optare, turbas Septentrionis amica via componi poſſe; cui fini parati ſint cum Gallia & Anglia conjunctam operam navare. Inde & Thuanus ac Dovvningius de compacto libellos Ordinibus Fœderatis offerebant, quibus ſignificabant, à ſuperioribus ſibi injunctum cum ipſis remedia diſpicere bello Boreali idonea compoſitione ſopiendo: quo fine Commiſſarios ſibi adjungi petebant. Ei inſtituto Danici Miniſtri, quantum poſſent obnitebantur, ne Belgæ ſeparatos heic tractatus admitterent, neu cum Gallia & Anglia ſe inſciis & inconſultis quid ſuſciperent. Id autem Galli Anglique in hoc negotio reſpiciebant, ut Belgas ab adverſa parte abſtraherent, ac hos ſimul, Danumque Sveco conciliarent, quo is honeſta quoque cum Polono pace mox potitus ſoli contra Auſtriacos bello vacare poſſet. Et quia Rex teſtatus fuerat, ſecuritatem ſibi potiſſimum cordi eſſe, ne à Dania iterum data occaſione, dum alibi diſtringitur, à tergo invadatur, iſti conventione inter ſe inita pacis guarantiam ſuſcepturi erant. Id quod & Belgis probabatur teſtantibus, ſi Svecus his legibus pacem amplectatur, Danus autem abnuat, & ad fœderatos ſuos provocet, ſe auxilia ſua huic ſubtracturos, & ad rationem audiendam eundem compulſuros. Iidem congreſſu cum Thuano, & Dovvningio aſſeverarant, nil ſe odii & inimicitiarum in Svecum fovere, ſed quæ fecerint, ob rationes ſui ſtatus feciſſe: ac ſi Svecus paribus moleſtiis implicitus hæſiſſet, ſe non minore ſtudio, quam nunc Dano, ipſi ſubventuros fuiſſe. Quod ſi in executione ſuorum mandatorum ultra juſtos limites proceſſum ſit, id in ejusmodi negotiis ſæpe evitari vix poſſe. Sed nunc è re ſua eſſe cum Svecia fidam pacem & amicitiam colere, qua ſemel ſtabilita Regem reipſa experturum, quid emolumenti ex hac capturus ſit. Haut eo magis tamen iisdem à Dania disjungi placebat, cui utique auxilia ſint laturi, ad quæ tam per fœdus, quam per rationes ſuæ Reipublicæ obligentur, cujus tantopere interſit Daniam ſervari. Simul Opdamo injungebatur cum claſſe Anglica amicitiam colere: id quod Angli è ſua quoque parte promiſerint. Porro ab initio provincia Hollandia rem ad Bræmſebroënſem pacem revocari voluerat, quod alias Dania propriis viribus conſiſtere non poſſet. Cui cumprimis acriter reſiſtebat Dovvningius, minitans, ni eo poſtulato deſiſtatur, Anglicam claſſem Svecis junctam primo Opdamum oppreſſuram, inde Reutero cum nova claſſe venienti, obviam ituram. Ita Belgæ compulſi ſunt, ut & ipſi in pacem Roſchildenſem conſentirent. Teſtabantur porro Thuanus & Dovvningius, ſe hoc tractatu haut quidquam invitum Regem ad acceptandam pacem Roſchildenſem coacturos, ſed ſvaſionibus duntaxat promoturos. Porro fervente licet hoc tractatu Belgæ haut eo minus verebantur, ne forte Angli ſoli pacem in Dania conficerent; eoque Friderico Regi, ne ad pacem properaret, de auxiliis ſuis per literas confirmabant.

18. Mart.

1659.

§. 25. Sic igitur Galli, Angli, & Belgæ novo exemplo inter ſe compactum inibant ſuper conſtituenda inter Boreales Reges pace, hiſce inſciis atque in conſultis. Ejus exordio memorabatur, Galliam & Angliam non potuiſſe non cum dolore adſpicere bellum inter Sveciam & Daniam recruduiſſe, obtentu difficultatum circa executionem pacis Roſchildenſis ortarum; eoque credidiſſe honore & officio ſuo velut ſequeſtres teneri ad diſpicienda remedia bello iſti quamprimum ſopiendo. Cui fini nihil commodius viſum, quam juncto conſilio officium ſuum offerre, atque amotis obſtaculis Belgas quoque adducere ad ſociandam

Hagenſe compactum primum. 11. *Maji.*

1649. dam ſecum in hoc negotio operam; quo finis imponatur calamitatibus, quibus vicinorum & cognatorum Regum populi opprimuntur; ac commercia Maris Baltici tanto cum Europæ damno interrupta inſtaurentur, ſimul caveatur, ne iſto bello alii quoque Principes involvantur. Inde decretum, ut tres ſtatus omnem operam impendant ad procurandam communi conſilio honeſtam & tutam pacem inter Sveciæ & Daniæ Reges, fundamento pacti Roſchildenſis ſuperſtructam, è quo tamen articulus tertius de excludendis Mari Baltico extraneis claſſibus ſit expungendus, ne exinde ulli trium ſtatuum præjudicii quid ceretur; ac, ſi præter id alteruter Regum aliam mutationem ob renovatum hoc bellum exigat, ea per tres ſtatus amica via adaptetur. Tum ne claſſis Anglica alterutrius Regem claſſi ſe jungat, unive adſiſtat, ac alterum offendat intra ſpatium trium ſeptimanarum, quarum initium ſit à notificatione præfecto ejus claſſis de hoc negotio facta. Id quod & Belgica claſſis in Daniam mittenda obſervet, quæ Opdamo haut jungatur, nec quocunque prætexto alterutri Regum adſiſtat aut noceat: nec Opdami claſſis intra id ſpatium copiarum transportationi in Danicas inſulas contra Svecum faveat, nec claſſem Svecicam impugnet; nec ut nova claſſis Hafniam, aut in Oreſundam & Balten tendat intra idem tempus, dum Miniſtri trium ſtatuum ſuper reducenda pace occupantur. Ut præterea tres ſtatus omne auxilium illi Regi ſubtrahant, qui pacem æquis legibus repudiaverit, idque tamdiu continuent, quod is animum paci adplicet. Quod ſi autem tribus ſtatibus inter ſe convenire nequeat ſuper æquitate prætenſionum à Regibus factarum, ac iidem obſtrictos ſe ſentiant ad auxilia bellantibus præbenda; per ea contraria auxilia pacem inter hoſce ſtatus haut abruptam habendam. (Etſi hunc articulum Thuanus ſecretum haberi maluerat, ne is palam expreſſus Reges ſpe auxilii à ſociis ſubmittendi obfirmaret.) Placebat quoque tres ſtatus futuræ pacis evictionem in ſe recipere. In propriam porro utilitatem tres ſtatus invicem ſtipulabantur, ut eorum naves in fretis Danicis à novis oneribus, & augmento vectigalium ſint liberæ, ac, ſi unius ſtatus ſubditi meliore ibi conditione fruantur, eadem & reliqui ſtatus gaudeant, ſic ut trium ſtatuum ſubditis eadem ibi ſit conditio, eadem privilegia. Ut inſuper Gallia & Anglia operam navet circa tollendas offenſas inter Sveciæ Regem & Belgas Fœderatos obortas, utque tractatus Elbingenſis cum Elucidationibus Thorunii conceſſis ratificetur, cui & Brandenburgicus Elector, ac Gedanenſes includantur, ſi velint, intra menſem à facta ſignificatione. Denique ut hi ſtatus laborent circa componendum bellum Polonicum, ac ut Rex Sveciæ cum Electore Brandenburgico amica via reconcilietur, ne tamen ideo negotiatio circa Reges pacandos differatur. Ratificatio intra tres ſeptimanas à die ſignaturæ fieret, ut tamen executioni mora interim ne interponatur. 1649.

§. 26. Iſtud pactum omnibus fere, præterquam autoribus ſuis, ſummopere diſplicebat. Sane Danicus miniſter prolixo id ſcripto oppugnabat, inter alia jactans; Danos potius pugnando occubituros, quam pacem, qualis præſcribatur, cum abdicatione ſuorum fœderatorum inituros. In eundem ſenſum Daniæ Rex ad Ordines Fœderatos ſcribebat. Ipſe Opdamus inſolenter jactarat; decies ſe mori malle, quam in eum tractatum conſentire. Apud eosdem Brandenburgici Miniſtri late deducebant, uti Elector inſtantibus ipſis arma in Svecos arripuerit ad communem pacem promovendam; eoque incongruum videri ſui rationem nunc non haberi. Inprimis Carolo Guſtavo indignum videbatur, Belgas, qui hoſtili modo ipſum invaſerant, nunc conſpecta Anglicæ claſſis in Oreſundam profectione, malignitatem ſuam coloribus incruſtatum ire; velut nunquam ſibi animus fuerit Sveciam bello petere; ſed ſe non potuiſſe defugere, quo minus fœderibus cum Dania ſatisfaciant, milite navibusque laboranti Hafniæ ſubmiſſis. Quibus iſte viciſſim exprobrabat, quam iniquo in Sveciam animo à pacis Bræmſebroenſis tempore fuerint, per ſingulos annos editis documentis, quanta invidia erga Sveciæ ſucceſſus flagrarent, ac quantopere cordi ipſis ſit Borealia Regna ſua ex libidine liberare, ac gliſcentem Sveciæ potentiam premere. Eosdem anno 1649. cum Danis conventionem ſuper

Id compactum multis diſplicet.

1659. vectigali Oresundico in fraudem Svecorum commerciorum iniisse. Svecicam societatem in Africa & America supplantasse: Bremensem urbem irritasse, & cum postremæ essent turbæ componendæ, misso Beuningio in Omnibus Sveciæ se prætensioni opposuisse. Cum post anno 1655. tractatus super fœdere cum Dano prope ad finem perductus esset, machinante Beuningio eundem incassum abruptum. Legatos in Borussiam venisse specie renovandi fœderis, cui adhuc quindecim anni supererant; revera ut actiones ipsius specularentur, hostibusque pertinaciam adderent; tum ut modum præscriberent, quousque vectigal propriis in portubus exigere debeat; inimicamque Sveciæ civitatem Gedanensem in protectionem suam reciperent. Classem bellicam ab iisdem in Mare Balticum missam specie defendendorum commerciorum, revera ut Gedanum milite firmarent, qui non solum urbem contra Svecica arma tueretur, sed & in Svecos excursiones faceret. Eosdem, qui verbis defensionem commerciorum præ se ferebant, Gedanensibus permisisse piraticam exercere, abreptis in conspectu ejus classis ministris ac rebus Svecicis. Condonasse tamen se ista, ac renovata amicitia fœdus concludisse, indultis quæ petebantur omnibus, sic ut Legatis publice ob negotium bene confectum gratiæ sint actæ. Ejus fœderis à se ex convento ratificationem transmissam; à Belgis rem in hunc usque diem variis elusionibus extractam. Interea ipsos non cessasse missitationibus ad Moscos, Polonos, Austriacos, Brandenburgicum, Danos, hostes Sveciæ excitare. Cum primis Danum consiliis suis opportunum inveniisse, quem auxilio suo terra marique sublevatam, pecuniaque instructum Sveciæ immiserint; ac cum Danis libera naves militesque conducendi facultas apud istos esset, Svecicos militum conquisitores in Belgio impeditos, ac in custodiam conjectos fuisse. Flagrante in Dania bello per Beuningium obstitisse, ne Danus adversante licet fortuna aures paci præberet, quoad huic invitis Belgis pax Roschildensis extorqueretur. Mox per eosdem effectum, ut pacis executio hæreret circa capita, è quibus præcipue Sveciæ securitas dependebat; utque fœdus à Danis avide concupiscitum, ac jam conceptum evanesceret; Imo ut fœdus Sveciæ tam noxium cum ipsis renovaretur. Post pacem quoque Roschildensem pecunias Dano credidisse conducendo militi, submissa & valida peditum manu, ut is receptis viribus iterum à tergo Svecis ingruere posset, ubi cum alio hoste manus conseruerint. Cum ipse securitatis suæ causa arma iterum in Selandiam vertisset, Daniæ causam pari fervore atque propriam suscepisse. Ipsorum Ministrum Mairium, qui jure gentium fretus Svecorum adventum tuto expectare poterat, maluisse cum Danis Cronenburgo includi, unde odiosa & contumeliosa dicta in Svecos evomuerit. Cum ipse primo in Selandiam accessu causas ejus facti ipsis exposuisset, ac de amicitia sua confirmasset, dimissis quoque omnibus in Oresunda interceptis navibus, ne responso quidem se dignatos, abruptis omnibus amicitiæ commerciis, ac Opdamo cum valida classe misso injunxisse, ut sine mora Svecicam classem invaderet, ubicunque reperiri posset, ac eam in potestatem redigere, aut destruere niteretur, pari modo habitis, si qui isthoc impedire conentur. Eundem hinc jussum Austriacas & Brandenburgicas copias in Danicas insulas trajicere. Ea mandata Opdamum exsequi summo studio connixum; naves Svecorum excubitorias intercipere conatum; neglecta amica salutatione, ac sine denuntiatione Svecicam classem aggressum, post prælium conjunctione cum Danis facta naves Svecicas portui Landscronensi in perpetuum includere obstructo ostio instituisse. Omnes quoque Svecicas naves, quas in mari comprehendere potuerit, intercepisse, merces publicasse; quam in rem peculiaria mandata habuerit; suis quoque navibus fœderatorum transitum in Alsiam promovisse, utque Svecicæ ibi copiæ conciderentur effecisse. Pro quibus omnibus Opdamo gratias publice actas. In Norvegiam quoque præfectos militares missos, ut cum copiis ejus Regni in Svecos rem gererent: denuo insignem pecuniæ vim creditam delectibus Danorum promovendis; navibus Svecicis in Hollandia manus injectas. Czarem præterea misso Legato in bello adversus Sveciam obfirmatum, data fide, se ex hac parte

la Maire.

1659.

Sveciæ

1659. Sveciæ pro viribus nocere velle. Denique jam maxime circa armandam ſub Reutero novam claſſem ſudari. Quæ omnia cum manifeſtam, eamque acerbiſſimam hoſtilitatem ſpirent, impudens dictu, iſtos intra limites auxiliarium Daniæ ſubſtitiſſe, ac nunc conciliatores ſe pacis obtrudere, Regibusque bellantibus ſua ex libidine leges præſcribere conari.

Belgæ compactum Hagenſe exſequi inſtituunt.

§. 27. Enimvero Belgæ iſtarum accuſationum ſecuri protinus ad effectui dandam conventionem Hagenſem ſe accingunt, utut Thuanus & Dovvningius in præſens eam ſubſcribere abnuerent, cauſati pleniora ſe mandata à ſuperioribus ſuis expectare. Ac primo quidem miſſo nuntio Regi Daniæ confirmant, claſſem ſuam citra reſpectum Anglicæ claſſis cum quadraginta cohortibus, in auxilium ipſi deſignatis, quanta licet feſtinatione venturam, nec ſe quid omiſſuros avertendæ oppreſſioni, ſub qua nunc Dania gemat. Tum expediendæ quamprimum claſſi mercatoriæ naves vetantur mare ingredi, antequam iſta nautis ſat inſtructa foret, auctis quoque ad eos alliciendos præter morem ſtipendiis. Ea 11. *Maji.* claſſis mox recepto milite terreſtri Duce Michaele Reutero Daniam verſus vela faciebat. Cui injunctum nulla hoſtilitate adverſus quemcunque uti, niſi laceſſatur; nec Oreſundam ingredi, aut Opdamum jungi ante elapſas tres ſeptimanas, de quibus Hagenſi pacto conventum ſit. Reuterus in ſinum Codanum delatus anchoris Leſſoam inter & Aholtam inſulas jactis *Leſſæ. Anholt.* conſiſtebat, quoad Legati Belgarum ad utrumque Regem miſſi Cronenburgum & Hafniam pergerent, qui diverſis navibus impoſiti claſſem ſequebantur. Ad Regem Sveciæ deſtinati erant *Slingelandt. Hugbart.* Godofredus Slingelandus, & Petrus Hubertus, qui ſtudio in Svecos inclinabant, eoque his gratioſiores credebantur. Hi cum Hagæ Appelbomio valedicerent, differebant: Carolum Guſtavum multa cum gloria pace commoda potiri poſſe, quod nunc ad eam acceptandam tantum non rogetur. Eundem deinceps in commerciis, ac multis aliis rebus præſtabili Belgarum opera uti poſſe. Nam hos jam experiendo didiciſſe, quantum damni è diſſidio cum Svecia ceperint, eoque pace iterum parta majore cura circa conſervandam Regis amicitiam laborare tutos. Eum optime ſibi conſulturum, ſi hujus Reipublicæ inclinationem haut fruſtra conſumi patiatur; præſertim cum res Angliæ tam lubrico talo ſtent, ac longe tutius ipſum Belgis inniti poſſe. Hac compoſitione Sveciam in tuto collocari, ut ab aliis parum ipſi metuendum ſit. Quæ heic Hagæ acta ſint, præliminaria eſſe, queis ad rem ipſam acceſſus præparetur, nec Regi Sveciæ præjudicio cedere. Ac ſi congrediantur, omnia pro placito ipſius conventura. Quæ blande magis, quam ex vero dicebantur, quod diſerte ipſis injunctum eſſet, ut omnibus modis Dano faverent; ſimul magnopere cuperent Regem Nidroſia exuere, quod metuerent, ne Rex remiſſiore ibi veſtigali inſtituto Bergas ſubrueret, viamque ſibi ad ſubigendam totam Norvegiam muniret. Thuanus quoque Regi, ut pacem acceptaret, ſvadebat ob multas mutationes, quæ imminere videantur, ipſum majoribus difficultatibus impliciturus; quales erant pax inter Gallos & Hiſpanos, ac turbæ inteſtinæ in Anglia, & quod incertum ſit, num Anglica claſſis Regi auxilia latum venerit. Ac ut Rex pacem honeſte amplecti poſſit, per ſe effectum pacto Hagenſi, cum alias ejusdem res valde in anguſtum redigendæ fuiſſent, ſi Reuterus Opdamo junctus Fœderatos in Selandiam & Fioniam una cum quater mille peditibus Belgicis expoſuiſſet.

Belgarum Legati ad Regem accedunt. Sypeſtein.

§. 28. Porro Slingelandus, qui primus in Oreſundam venerat, anchoris ibi jactis per Janum Sypeſteinium Regi Cronenburgo tunc agenti de adventu ſuo ſignificat, ſcriptis literis ſenſu valde modeſto: A Rege Galliæ, & Protectore Angliæ Belgas Fœderatos invitatos fuiſſe ad operam ſimul navandam bello Boreali componendo. Hos conſiderato, quanto cum incommodo Europæ, ac inprimis Borealium ditionum id bellum geratur, quod & diutius extractum totam Europam inter ſe commiſſurum ſit, ſimul ob memoriam veteris amicitiæ ac fœderum huic ſe negotio promtos declaraſſe, eoque fine Legatos huc miſiſſe, tum ut ſi quæ forte inter ambos populos exortæ ſint controverſiæ tollantur, ac fœdus Elbingæ quondam conclu-

1659. concluſum cum Elucidationibus perficiatur. Quo fine acceſſum ad Regem petebat mandatis ſuis exſequendis. Rex loco reſponſi ad eas literas ſcriptam illi declarationem tradi jubebat; qua deducebat, ſe non dediſſe Belgis ullam offenſæ cauſam, ſed furore quorundam incentorum factum, ut quicquid ipſe pro conſervanda eorum amicitia niteretur, incaſſum caderet. Tum quæ circa Elbingenſem tractatum, & poſt contigerint cum expoſita forent, addebatur: ex his facile rationem ſubduci poſſe, quatenus Legatus à talibus miſſus ad compoſitionem belli Danici admitti queat, & quantum fidei ejusdem negotiationi adhibendum ſit ante reconciliationem cum ipſo factam. Non tamen ſe recuſare, quo minus vetus amicitia cum Belgis inſtauretur, dummodo ea honeſta & tuta, & quæ cum æqua ſatisfactione ob tantas injurias & damna conjuncta ſit, proponatur. In quem finem licere iſti accedere, ac receptum iri, prout dignitas ejusdem requirat. Simul ſalvus conductus eidem mittebatur. Slingelandus disceptatione ſuper objectis ad ſuperiores rejecta, ad Regem ſolito Legatis honore deductus ibique receptus fuit. Eo modo & tertio poſt die Petrus Hubertus excipitur. Venere poſt Vogelſangus, ac Wilhelmus Harenus, qui peculiariter ad Regem Daniæ deſtinati erant; qui & ipſi in terram egreſſi, cum Collegis Regem adiere, apud quem expoſuere; Ordines fœderatos ingenti dolore affici ob infelix bellum Boreales inter nationes ortum; tum nec eſſe ipſis, nec fuiſſe animum hoſtile quid Sveciæ intentandi; cæterum non potuiſſe deſerere ſocios inter extrema conſtitutos, ad quod fœdere cum ipſis, inito tenebantur. Unde ſe legatos miſſos renovandæ amicitiæ cum Regno veteri ipſis neceſſitudine juncto, ſimul removendis offenſis & exacerbationibus, queis nunc vicini Reges collidantur. Addiderat Slingelandus de vetere amicitia & fœderibus renovandis, ac inprimis ut pactum Elbingenſe, & deſignatæ elucidationes firmentur. His Rex ipſe humaniſſimis verbis ſenſu laxiore reſpondit: non minus ſe pacis cupidum, quam Belgas. Sed circa pactum Elbingenſe reponebat: faciem rerum culpa Belgarum valde mutatam, velut qui loco promiſſæ amicitiæ & conjunctionis hoſtilia induerint. Nec tamen exacerbationem animorum eousque proceſſiſſe, ut reconciliari invicem nequeant. Quo fine Commiſſarios ſeſe iis adjuncturum.

25. Maji.

Vogelſang. van Haren.

1659.

§. 29. Regi porro cum Belgis eam viam inſiſtere placebat, ut priusquam eos ad componendum bellum Danicum admitteret, ad inſtaurandam ſecum amicitiam permoveret. Quo fine par erat iſtos à Sveciæ hoſtibus ſe disjungere, ac inprimis hoſtilibus abſtinere, ſaltem quoad tractatus durarent, ſimul damna reparare, quæ per violatam fidem dederant, præſtitis inſuper, quæ è fœderibus anno 1640. & 1645. initis debuerint, ac reſtitutis navibus Svecicis, ac nova Svecia. Sane injuriæ Belgarum, & damna, quæ tam Regi, quam communi Proteſtantium cauſæ intulerant, æſtimationem fere ſuperabant, quod aliqui è veteratis Regis ob bellum Danicum per Belgas excitatum plane peſſum iverant, alii in hoſtium partes tranſierant, quorum illud circa Ragozium, hoc circa Brandenburgicum contigerat. Tum amiſſa loca recens parta, evaſtatæ veteres provinciæ. Pro quibus erat Belgas æquam ſatisfactionem præſtare. Qui etiam iidem tantam ſolicitudinem circa Brandenburgicum Electorem, ac Gedanenſem civitatem oſtendebant. Rex in conciliationem cum hisce quoque conſentiebat hac lege, ut ſibi durante bello cum Polonis ante Gedanum, Pillaviam, & Memelam liceat vectigal capere ad eum modum, qui Rigæ obſervetur. Id quippe jure belli conceſſum, ac ſuperiore bello uſurpatum, in quod & Elector pacto Libavienſi conſenſerit, ejusdem partem ſibi ſtipulatus. Neque vero alia ratione ſibi ab Electore ſatisfieri, aut aliud ſubſidium parari poſſe adverſus tot ſuos, & communes Proteſtantibus hoſtes. Neque Belgis aliquid decedere, quod vectigal moderatum, & omnibus æquale exigendum ſit. Quod ſi autem Dano loca, quæ jam Rex occupaverat, reſtituenda ſint, in penſationem ſibi deposcebat totam Norvegiam, & Cronenburgum cum ſubjecto diſtrictu, ſi vel maxime vectigal Oreſundicum plane tollendum ſit, excepto, quod pro alendis ignibus nocturnis ſolvitur. Tum ut naves Danorum bellicæ ad certum numerum redigantur; quod claſſe Danorum valida Sveciæ ſemper periculum immineat, quæ

Regis circa [illegible] cum Belgis intentio.

cum

1659. cum Belgis conjunctanon Sveciæ ſolum, ſed & Angliæ prægravis eſſe queat. Simul ne Dano militem conducere, aut copias ultra certum numerum augere liceat. Nam abſurdum Regi videbatur rem è manibus amittere, niſi ſecuritati in futurum ſit proſpectum.

Tractatio cum Belgis inſcipitur. Soop.

§. 30. Super his igitur rebus ut cum Belgicis Legatis diſceptarent, à Rege Scheringius Roſenharius, Guſtavus Sopius, Cojetus, & Edvardus Ehrenſteinius Commiſſarii deſtinabantur. Horum cum iſtis congreſſu Belgæ procuratorium producebant, ſed quod cum neque ad præſentis negotii tractationem adaptatum eſſet, ac apertis mendis ſcateret, quas nec ipſi abnuere poterant, à Svecis rejectum fuit. Edidere inde aliud Belgæ ampliore forma, & paulo commodius, ſed & ipſum multis partibus vitioſum, præſertim quod per iſtud illotis quaſi manibus cœptam in Boruſſia negotiationem perſequi vellent, velut facies rerum per ipſorum injurias nil mutationis paſſa eſſet; cum tamen ſolidum negotio fundamentum ſubſtraturis à juſta reconciliatione, & controverſiarum abolitione initium faciendum eſſet. Quod cum iſtis demonſtraretur, vario colore id excuſatum ibant, velut quod Sveciam directe bello non invaſerint, nec antiquis fœderibus amplius obſtricti fuerint: ac glorioſius fore apud poſteritatem utriusque gentis, ſi nulla mentio ſimultatum & controverſiarum fiat; cum tamen id ipſum Hagenſi compacto, & prima Slingelandi epiſtola expreſſum eſſet. Deinde ipſi quidem *decreti* erant *Deputati*, ſed non legitimi conſtituti Plenipotentiarii: id quod in omnibus procuratoriis accurate ſolet exprimi. In ipſo etiam vinculo collatæ autoritatis poſitum erat; *quicquid in illa qualitate tractaverint;* id quod etiam cavillandi materiam præbere poterat, ac jam in Boruſſiam notatum fuerat; cum iſti vocabulo *tractandi* etiam facultas *concludendi* adjungenda fuerit. Eas mendas cum Belgæ non agnoſcerent, & tamen Rex tam ſalutare negotium ideo hærere nollet, ab hoc id temperamentum proponebatur, ut id procuratorium cum Svecicis Commiſſariis tantiſper permutaretur, ac reciproca formula procuratorii conciperetur, quæ ab utraque parte adhiberi poſſit. Id quod Belgis probabatur, modo hæc verba inſerentur, *fœderr antiqua renoventur, aut nova pangant.* Quo facto literas tuti itineris pro ſe & collegis ſuis, qui Hafniæ erant, petiere, ut cum Daniæ quoque Rege agere poſſent. Aſt cum ad rem ipſam accedendum eſſet, ac Sveci oſtenderent, eum agendi ordinem rationi congruere, ut poſt acceptas tot injurias ac damna primo de juſta reconciliatione tractetur, inde ad antiqua & nova fœdera procedatur; Belgæ nil aliud quam renovationem amicitiæ, & belli Danici compoſitionem ingeminabant, ſic ut aliquot congreſſibus parum proficeretur. Cæterum facile obſervabant Belgæ, negotiationem hanc haut quidquam intra tres ſeptimanas abſolvendam; ſed nec Svecos nudis ſermonibus hoſpitiis ſuis, ac provinciis bello occupatis dimoveri ſe paſſuros, præſertim cum Rex novas munitiones circa Cronenburgum, Coagium, Corſæram, aliaque idonea Daniæ loca urgeret, caſtris quoque ad Hafniam firmatis ſimul militiæ adſcriptos in Dania agres alio transferret, ut hanc viris exhauriret. Unde ſi ſcopo ſuo potiri vellent, fortiora ſibi remedia adhibenda eſſe facile perſpiciebant. Contra qui Hafniam deſtinati erant Belgarum Legati, Regi Daniæ enixe ſvadebant, ut pactum Hagenſe amplectatur, velut rebus ipſius præſentibus quam maxime congruum. Sed Fridericus, poſtquam maximas ipſis gratias pro exhibitis antea officiis egiſſet, proteſtabatur, ſe omnia ſua malle aleæ exponere, quam pacem pacto Roſchildenſi ſuperſtruere, excluſis præſertim fœderatis & amicis ſuis: ſed non aliam ſe pacem velle, quam quæ univerſos complectatur. Igitur auxilia potius ſua præſtare pergerent; quod præſentiſſimum ſit remedium optatæ paci producendæ, cui tractandæ Lubecam proponebat. Iſta Dani recuſatio non parum Belgicorum Legatorum rationes turbavit, velut qui certo ſibi perſvaſerant, Svecum pacem recuſaturum, Danum contra eandem cupide amplexurum. Unde futurum ſit, ut Svecus auxilio Anglicæ claſſis exuatur; ſibi contra integrum ſit Dano, quantum velint opitulari. Sed nunc cum res in contrarium vertiſſet, inopes fere conſilii hærebant. Ac inſtabat Belgis Me-

1659.

1659. dovius, ut vi pacti Hagenſis Dano velut recuſanti auxilia ſubtraherent. Quod cum inficiari non poſſent, eo nomine ad Opdamum, tunc cum claſſe in Balte majore agentem ſcribebant; cui cum antea Medovius de trium hebdomadum induciis ſignificaſſet, iſte eas non ſine ferocia rejecerat: negans ſibi de iis conſtare, nec mandata de eo nomine habere; vel quod res ita ſe haberet, vel quod ab alieno miniſtro quid ſibi præſcribi nollet. Ac videbatur mox Danus in anguſtias redigendus, ni mutatio regiminis in Anglia interveniſſet. Unde cum Medovius à novo Parlamento facultatem agendi non haberet, nec novi ex Anglia Legati adeſſent, Belgæ ſpatium nanciſcebantur à primo ſe pacto Hagenſi exſolvendi, novumque in favorem Daniæ eudendi.

Regis circa hos tractatus conſiderationes.

§. 31. Cæterum Rex, poſtquam Belgæ tantopere confirmationem pacti Elbingenſis urgebant, haud magnopere ab iſto abhorrebat, modo incluſio Brandenburgici, ac Gedanenſis civitatis ita temperaretur, ne ex ea præjudicium aliquod ſibi creari poſſet. Contra verebatur, ne forte Angli ob hanc negotiationem ſuſpicione perſtricti fœdus abrumperent, de quo tunc agitabatur. Cum igitur Rex ſemper ad nationem Anglicam reſpiceret, cui nihil diſpliciturum ſuſcipere volebat: ac circa reconciliationem cum Belgis nihil profici poſſet, niſi completo tractatu Elbingenſi, à qua Belgici Legati amicitiam inter Sveciam & Belgas pendere declarabant; iſta cum Medovio communicare ſtatuit. Cui demonſtrabat, eum tractatum cum Belgis non tam ſuæ inclinationi adverſari, quam quod ea, quæ Anglicani fœderis formula deſignata ſint, per iſtum impediri queant. Simul ſciſcitatur, quid de eodem ipſe ſentiat, ne quid fiat aut concludatur Angliæ diſpliciturum, aut ſuſpicionem injecturum. Ad quæ Medovius; ſibi hoc negotium ſat difficile videri, quod Danus tractatus pacis reſpuat, ac ipſe de fide & integritate Belgicorum Legatorum in hoc negotio valde dubitet. Cæterum ſuo è judicio nil poſſe dicere, ſed unice mandatis ſuis inhærere; queis injunctum ſibi ſit operam dare, ut omnis offenſa inter Regem & Belgas aboleatur ad fundamentum pacti Elbingenſis, quod ipſe Sveciæ haut inutile judicet, ſi incluſio Daniæ, Brandenburgici, & Gedani recte explicetur. Qua Medovii ſententia intellectu Rex Legatis Belgicis ſignificabat: ſibi placere pactum Elbingenſe utrinque rati haberi, modo Belgæ à ſuis ſe hoſtibus ſeparent, id quod ipſum pactum Elbingenſe jubeat, & reliqua præſtanda præſtent. Quo facto Belgici Legati ad utrumque Regum miſſi medio inter Hafniam & Helſingoram itinere congrediebantur. 1659.

Belgica claſſis inducias parum curat.

§. 32. Aſt Opdamus inſuper habitis pacto Hagenſi ſancitis induciis, hoſtilia in Svecos exercere haut omittebat, ignorantiam ejusdem pacti ſimulans, ac Daniæ Regis Imperio ſe ſubeſſe excuſans. Mox idem ab Anglo, & Belgicis Legatis denuntiatum variis cavillationibus eludere: ac Svecicas naves qua poterat impugnare; anchorisque inter Nyburgum & Corſæram jactis tranſitum & commercia Regis cum Fionia intercludere, tum Danicis navibus in ſua claſſe receptum dare, ut inde in Svecicas excurrere poſſent; Fœderatas denique copias in Fænnoam transportare non ſine damno copiarum Svecicarum, & periculo amittendæ Fioniæ. Reuterus quoque qui hactenus juxta pactum Hagenſe inter Leſſoam, & Anholtam ſubſtiterat, levatis anchoris juſſu Opdami Samſoam accedebat, ut eo commodius ipſi jungi poſſet, ubi induciæ expiraſſent. Iſtæ induciæ ut in alias tres ſeptimanas prorogarentur, Angli Neoportum Legatum Belgicum Londini urgebant, quod Legati ſui nondum profecti eſſent, ac ne quid interim fieret, in fraudem pacis tantopere deſideratæ. Qui & mandatis licet deſtitutus in eas conſenſit. Ea res ſe inconſultis facta etſi Ordinibus Fœderatis valde diſplicebat; ne tamen quid paci inſerviens reſpuere viderentur, prorogationem adprobabant, eamque ut obſervarent, præfectis claſſicum injungebant hac duntaxat exceptione, *Samſoe.*

ne,

1659. ne, ut poſt elapſas priores tres ſeptimanas vires ſuas jungerent, ac militem Hafniæ in terram exponerent. Interea tum Anglica claſſis nova mandata expectat, occaſio incidebat, qua illa Regi inſigne officium repræſentaret. Miſerat Rex Guſtavum Wrangelium cum viginti octo navibus in Minorem Balten ad ſublevandam Fioniam, quæ tunc acriter à Fœderatis impugnabatur; qui in itinere duas naves in litus compulerat, quod Belgæ induciis adverſum arguebant. Igitur huic intercipiendo Opdamus & Reuterus nuper juncti tendebant. Eo cognito Montacutius & ipſe in Balten navigabat, ubi Danicam & Belgicas claſſes nonaginta navibus conſtantes inveniebat Svecicam claſſem perſequentes, quam jam in conſpectu habebant. Sed qui viſa Anglica claſſe omiſſo deſtinato in Majore Balte ante Anglos apud Romſoam Inſulam anchoras jaciebant, cum Angli ſub Callenburgo ſtarent. Interim Svecicus præfectus præſenti periculo ereptus in conſpectu utriusque claſſis Haſeloam, inde in Oreſundam vela fecit; quem ob rem ſiniſtre adminiſtratam Rex in cuſtodiam dedit. Cæterum adventu Anglorum Belgæ pugnæ ſe parabant. Quo intellecto Montacutius literis miſſis confirmabat, ſe amicum eſſe, ac nil aliud ſibi, quam pacem & amicitiam, propoſitum. Inde utrinque omnia amicitiæ ſigna fuere exhibita, & cum induciæ jam expirarent, ipſi claſſium præfecti in alias tres ſeptimanas easdem prorogabant. Cum inde utraque claſſis aliquot per dies in Mari Baltico hæſiſſet, Montacutius in Oreſundam reverſus inter Huenam & Hafniam anchoras jecit, quo Belgas iſto freto excluderet, ac literarum commercia cum utroque Rege commode exercere poſſet, ubi Legati ex Anglia veniſſent. Sed Opdamus alia via Hafniam redibat. Aſt Dani intra vallum ſuum languentes eas induciarum prorogationes velut ſibi exitioſas execrabantur, quod ſe tota belli mole oppreſſis Fœderati ſpectatores tantum agerent. Unde Fridericus Rex iteratis literis Belgas urgebat, ne Daniam plane perire, neu tantis ſumtibus armatas claſſes otioſas paterentur; in quarum conſpectu Sveci Naſcoviam expugnarint, ſimul munimentis loca Selandiæ & Fioniæ exſcenſioni apta firment: quin nec ipſorum Belgarum naves in Balte aſſultare dubitent; ut nulla ſpes ſit eosdem per inducias & tractatus ad rationem admittendam compelli poſſe. Igitur ducibus ſuis injungerent Imperio ipſius obtemperare, quoad Dania præſenti periculo erepta, & hoſtis ad æquam pacem amplectendam compulſus ſit. Eadem quoque Petrus Cariſius repetitis ter libellis ingerebat. Quibus tamen permoveri Belgæ non poterant, ut à facta cum Gallis & Anglis conventione diſcederent. Nam Thuanus pleno conſenſu illis denuntiarat; ſi à tractatu tantis cum difficultatibus initio diſcedant, Regem Galliæ, abdicato ſequeſtris munere ex pacto cum Anglia omnibus viribus Sveco adſtiturum. Sed major metus erat ab Anglis velut vicinis, & queis claſſis jam ibi in promtu erat, non tam quod iſtam tantopere formidarent, quippe quam duplo navium numero ſuperabant, quam ne bello implicarentur, cujus finis proſpici non poſſet. Mox tamen metus à Gallis & Anglis evaneſcebat; quod utrique ratificationes pacti Hagenſis exhiberent, & Anglici Legati propediem in Oreſunda expectarentur. 1659.

§. 33. Sed & obſervatum fuit, à Belgarum Legatis, poſtquam Hafniæ fuerant, negotium pacis non eo fervore tractari, qualem ab initio præ ſe tulerant. Cum enim inde reverſi denuo cum Svecicis Commiſſariis congrederentur, non ſolum reciprocam procuratorii formulam rejiciebant, priori inſiſtentes, ſed & varia in diſceptationem vocabant. Inprimis ſcopum hujus tractationis agnoſcere nolebant abolitionem ſimultatum & reconciliationem, ne injuriam à ſe Svecis factam fateri viderentur; quo fundamento poſito ad inſtaurandam amicitiam & fœdera procedendum erat. Unde non obſcurum habebatur, ipſos in hoc negotio parum candide proceſſuros. Aſt Rex, qui tractatum nullo modo impedire, aut extrahere volebat, illis ſignificabat, ſe non ſolum Medovio jam declaraſſe de pace complectendi; ſed & decreviſſe fœdus Elbingenſe ratificare, elucidationes recenſere illuſtrando, & ad præſentia tempora accommodando. Neque *Belgici Legati vacillant.*

1659. enim confuſe agendum, aut præpoſtere procedendum, ſed eo ordine, quem ratio præſcribit, facto à reconciliatione initio ad reliqua progrediendo. Enimvero iſta Regis declaratio permovere ipſos non poterat, ut in tractatu pergerent. Unde judicabat Rex, animum iſtis non eſſe bona fide ſecum agere, aut eosdem non præſumſiſſe, ſe tam facilem fore admittendæ reconciliationi, & ratificando pacto Elbingenſi; nec ſperaſſe Danum circa amplectendam pacem tergiverſaturum. Eoque cum in eum forte caſum mandata ipſos deficiant, tempus ſtudio extrahere iis domo petendis. Sed & quæ illis oſtentabantur inſignia emolumenta, ſi Daniam deſerere vellent, fruſtra erant. Quia porro Danus declaraverat, ſe non peculiarem, ſed communem pacem deſiderare; Rex viciſſim oſtendebat, ſibi & hanc cordi eſſe, modo idonea ratio iniri queat ejusmodi tractatui protinus incipiendo, & brevi abſolvendo, quo tot populi bellorum calamitatibus ocyus eripiantur, & ne multa negotia diverſæ indolis implicita tractationem reddant inextricabilem. Simul demonſtrabat, inane prætextum, quod Dani ſuæ tergiverſationi obtendant, velut bello in Boruſſia ſuperſtite commercia haut eo minus turbanda ſint. Nam & Chriſtianum IV. Guſtavo Adolfo in Boruſſia belligeranti faviſſe, & Fridericum ipſum ſibi bellum Polonicum auſpicanti gratulatum fuiſſe.

Legati Anglici in Daniam veniunt. Algernon Sidnei Honivvood. Bonn.

§. 34. Inter hæc Parlamentum quoque Anglicanum componendo bello tres in Daniam Legatos miſerat, Algernonum Sidnejum tribunum, Robertum Honivvodum, (quorum illi frater in Belgio erat tribunus legionis, huic filius turmæ præfectus,) & Thomam Bonnum; quibus adjungebatur Edvvardus Montacutius, non quod iſtum probarent, ſed quia claſſi præfectum præterire non poterant. Etſi cum reliquis navarchis munera ſua confirmarent, huic præfecturam claſſis renovare omiſerant. Philippus Medovius, qui hactenus Sequeſtris partes obierat, excludebatur, velut qui effectu in prius Angliæ regimen præſens averſaretur. Cupiebant quidam Bradſchavium his adjungere, ſed qui velut Danis iniquus expungebatur. Witelocius, qui ſimul deſignatus Legatus fuerat, id officii recuſabat, quod circa munus cuſtodis ſigilli Parlamentum ipſum præteriiſſet, ac mandata ejus Legationis eidem haut ſatis placerent. Sidnejus Legatis Svecicis in Anglia, cum iis valediceret, confirmarat; nihil exceptionis in pace Roſchildenſi faciendum, niſi quod æquitati ac rationi, communique, & Sveciæ utilitati congruat. Iisdem à Parlamento facultas collata erat, ut vel pro re nata, ubi id è Republica ſit, in bellum deſcendant, vel claſſem domum remittant. Ad quos etiam Parlamentum omnia rejiciebat, cum Legati Svecici ſignificarent, mandata ſibi ad tractandum transmiſſa eſſe. Cæterum Parlamento iſti magis cordi erat propria conſervatio, quam bonum publicum; ac ſibi perſvaſerat, Anglicani nominis gloriam tanto ſplendore jam per orbem ferri, ut pluribus ſpeciminibus opus non ſit; ac ſatius eſſe parta decora tueri, quam novis ſuſceptis bellis eadem aleæ iterum exponere. Ac ex tota hujus negotii ſerie patebat, Anglis nunquam cordi fuiſſe bona fide in hanc cauſam deſcendere, aut enixo ſtudio eandem amplecti, ſed ſub ſpecie amicitiæ & conciliationis partes lenta tabe atterere, quo eo minus deinceps ſibi formidabiles forent. Ac uti non optabant Carolum Guſtavum plane opprimi, ita multo minus potentiam ejus gliſcere volebant, cujus inuſitatæ expeditiones plus ipſis ſuſpicionis injecerant, quam potentia vicinorum, quos conſiliorum diviſione ſeſe facile libraturos ſperabant. Unde & eadem cum Belgis perſvaſione laborabant, nil Angliæ nocentius, quam Oreſundam penes illum manere, qui plerosque portus Maris Baltici jam obtineat, ac reliquos affectare, ac facile in ditionem redigere poſſe videatur. Sed & tunc Angli omnibus modis Belgis blandiebantur, ne Stuartos ſublevarent, quorum factio movere ſe cœperat. Tum & pecuniæ inopia laborabant, magno inſuper ære alieno obruti, quod Cromvellus contraxerat. Eoque Belgarum plane libidini in negotio Boreali ſe attemperabant, pacem inſuper inter Gallos & Hiſpanos ſuſpectantes. Iſti porro Legati ſplendido cum comitatu Helſingoræ adpulerunt, cum Rex Naſcoviam nuper captam profectus eſſet. Cujus reditum dum expectant, ne tempus incaſſum

Bradſchau.

23. Jun.

1639. sum consumerent, cum Gallo & Belgicis Legatis quotidie congrediebantur, sic ut tota negotiatio communi consensu gerenda videretur. Quæ legatorum inter se familiaritas Svecis haut parum displicebat; frementibus; haut congruere, ut Legati ad extraneum Principem missi, antequam eum allocuti sint, cum ministris aliorum statuum, ipsi haut amicorum, in ejusdem aula ut castris congrediantur. Mox reversum Regem Fridericiburgi adiere, ac prima admissione per verborum blandimenta utrinque consumta, post ad secretum colloquium vocati mandata sua exposuere super pacto Hagensi, cui tres status inhærere decreverint, circa quod Angli Regis commoda singulari studio & industria observarint. Addebantur hortatus de pace amplectenda. Regem, qui ampliora ab amicis, queis multum confisus fuerat, expectaverat, sermo tam jejunus non parum offendebat; ac animadvertebat, statum suarum rerum istis hominibus longe miserabiliorem fuisse repræsentatum, quam revera esset ab invidis aut ignaris. Igitur ipse modestis verbis præterita ac præsentia extollebat, & quantum in ipso instar foret, ut non desperet, quin destinata sua ad optatum exitum sit perducturus. Esse tamen se paci cum singulis ac universis paratum, modo eadem tuta potiri liceat. Inde compendio repetebatur series rerum à Gustavi Adolfi tempore, quod Legati istarum valde ignari viderentur. Cæterum se semper paci pronum fuisse, sed nunquam à Dano liquidam declarationem elici potuisse, ubi, & quomodo tractatus suscipere velit. Ac non immerito se vereri, ne obtentu communium tractatuum res magis intricetur. Addiderant Legati de induciis ineundis. Quibus Rex ostendebat; ejusmodi breves inducias sibi haut solitas, quæ & non parum incommodi habeant. Ac si utique ipsorum heic intercessioni gratificandum sit, eam legem istis dicendam, ut res utrinque in præsenti statu maneant, ac ne Hafniam quid importetur, inprimis ligna, carbones fossiles, ac paratus bellicus. Ac ante omnia à Dano declarandum, an & quomodo tractare velit; tum ut idem peculiares Legatos mittat adornandis induciarum conditionibus. Inde & Dano junctis à Sequestribus pax proponitur, sed quam ille adspernabatur, nisi ablata omnia restituantur, ac fœderati sui eidem includantur. Vicissim Carolus Gustavus animadversa Dani duritie negabat Selandia se excessurum, nisi munita Daniæ loca, & inprimis Cronenburgum in cautionem sibi relinquatur, pacem à Danis in futurum observatum iri. 1639.

§. 35. Dum in cassum in Dania litigatur, alia pacta Hagæ cuduntur, magis in fraudem Sveciæ, quam prius, tendentia. Nam Belgis post mutatum in Anglia regimen subibat prius compactum evertere per Neoportum, cui cum multis Parlamenti membris secreta commercia intercedebant. Ac isti statim quidem, cum à Dano pacem ad normam pacti Hagensis respui intelligerent, jam vacillare incipiebant; sed acriter renitentibus Thuano ac Dovvningio decernebant, priori se pacto firmiter inhæsuros; ac Dano denuntiabant, ni pacto obtemperaret, se auxilia ipsi subtracturos. Nec eo minus Neoportus Londini omnem lapidem movebat, ut Danus plura recuperaret, quam pax Roschildensis exprimebat, quo Dania librandis Sveciæ viribus par foret. Sed & vidua Arausionensis secretus per artes, & comparata factione, cui & Amstelodamenses innexi erant, ad idem pactum subvertendum connitebatur. Adversus quæ Thuanus quidem acrem libellum Ordinibus fœderatis offerebat, minatus, si tale quid tentetur, Galliam aperte Svecorum partes amplexuram. Sed Belgæ insuper habitis minis, quæ ultra verba haut processuræ videbantur, conatus suos urgere, ac prius pactum negligere, quod Anglica classis otium ageret, ac Danus & Brandenburgicus ita acriter isti contradiceret, simul internus Angliæ status fluctuaret. Ac inprimis Amstelodamenses clamabant, classem octoginta navium, & sex millia peditum, queis alendis in singulos dies sexaginta florenorum millia impendantur, otiosa jacere, ac militem æstivo tempore intra naves arctatum facile morbis corripi posse. Unde Neoportus Parlamentum inducere jubebatur, ut Svecus Dano Nidrosiam, Bornholmiam, Huenam, ac prætensionem Guiniensem cedere, ac de cætero pacem Roschildensem, excepto articulo tertio, ample-

Nova pacta Hagæ inuntur.

1659. amplecti compelleretur. Qui & illud efficiebat, ut Dovvningio mandata mitterentur, quo ſuper propoſitis à Neoporto cum Ordinibus Fœderatis ageret. Sed & Thuanus labaſcebat, differens, à Rege pacem utique amplectendam, etſi modicæ cujuſpiam rei jactura facienda ſit. Neque Angliæ eundem confidere poſſe, quam præſens ibi regimen diverſam à priore conſiliorum viam inſiſtat, ac usque adeo Belgis ſe opponere horreat, ut potius omnibus modis iisdem adrepere ſtudeat. Unde & Legatos in Daniam miſſos, qui Belgis obnoxii ſint. Ac modo Belgis Rex reconciliari poſſit, reliquorum hoſtium concilia facile confundenda, nam in Hollandia pecuniam ipſos, & penum invenire. Cæterum non Galli minus, quam Angli & Belgæ Svecum utique Cronenburgo dimovere cupiebant, ac ut hic ſecuritatem ſuam unice ſponſeoni trium ſtatuum ſuperſtrueret.

Alterum compactum Hagenſe. 14. Julii.

§. 36. Sic igitur aliud compactum Hagæ inter tres ſtatus inibatur, quo conventum, ut ſi alteruter vel uterque Regum poſtulet, unum vel alterum caput pacis Roſchildenſis ob loca ex eo tempore occupata, & damna accepta multari, trium ſtatuum miniſtri in Dania agentes ſe interponant, & per quatuordecim dies operam dent, ut eos ad normam prioris pacti concilient. Id ſi dicto ſpatio fieri nequeat, ac partes huc deſcendere nolint, dicti miniſtri, & claſſes efficiant, ut pax juxta pactum Roſchildenſe, omiſſo aut aliter explicato articulo tertio, conſtituatur, & omnia ab ejusdem concluſione hinc inde occupata loca reſtituantur illi, ad quem vi ejusdem pacti ſpectabant, excepta Nidroſia, quæ penes Danum manſura ſit. Tum ut actio Guineenſis aboleatur, ac Elbingenſis pacti ratificatio una cum Elucidationibus obtineatur. Elapſis illis quatuordecim diebus claſſes ei adſiſtere deſinerent, qui in dictas leges conſentire abnuerit, & contra easdem acceptanti omne auxilium præſtarent, quoad recuſans ad easdem amplectendas compellatur. Id compactum à Dovvningio duntaxat, & Vrgbergio nomine Ordinum Fœderatorum ſubſcriptum erat in ædibus Thuani, qui ipſe tamen idem ſubſignare abnuebat, mandati defectum excuſans; etſi pollicitus id ſe aulæ Gallicæ commendaturum. *Pufendorf.*

Paucos poſt dies inter ſolos Anglos & Belgas aliud compactum cudebatur prioribus aſperius, & arctius ſtringens, quo conventum, ut ſi quatuordecim dies priori pacto definiti nondum cœpiſſent, hoc pacto reddito, eorum initium intra quatuor viginti horas ab eodem reddito fieret. Ac ut diſſentiens Rex junctis Angliæ & Belgarum viribus citra moram & intermiſſionem ad acceptandam pacem compellatur. Quod pactum ſolus Dovvningius, & Belgarum nomine Holckius ſubſcripſerat, Sed & Belgæ inſuper de Hafnia valde ſolliciti ducibus ſuis ſecreta mandata mittebant, ut ejus ſervandæ curam habeant, utcunque res cadat, ac omnia tentent, ac periculo exponant potius, quam ut eam perire, aut dominum mutare permittant. Hoc ſecretum etſi Angli noſſent, id tamen diſſimulabant, quod non minus quam Belgæ nollent tam nobilem urbem, Septentrionis æquilibrium, in manus adſpirantis Sveci incidere.

1659. *Tertium compactum. 4. Aug.* *Holck.*

§. 37. Iſthæc porro pacta à variis varie arguebantur, aut defendebantur. Dovvningius apud Appelbomium iſta iniquitate temporum excuſabat. Nam Anglos ſuo ſtatui diffiſos omnem occaſionem declinare Belgis offendendis, qui jam octoginta navium claſſem in Dania habeant, qua negotium Angliæ facceſſere, ac Stuartis inſigne officium præſtare queant. Unde & vitandæ colliſioni decreviſſe claſſem ſuam à Dania domum revocare. Thuanus à Gallis acta tali colore Appelbomio adprobare conabatur. Quia Gallia maritimis viribus non ſit inſtructa, cum Protectore ipſi agendum fuiſſe de claſſe in Oreſundam mittenda, qui initio id hoc obtentu abnuerit, quod alterum ſibi bellum Dano motum non probetur, ac claſſe ſua adverſus Hiſpanos opus ſibi ſit; ac inſtante Gallo poſtularit, ut is in claſſem armandam ſumtus ſuppeditet. Quod cum Galliæ Rex recuſaret ob ingentes expenſas in bellum Hiſpanicum faciendas, Protectorem demum decreviſſe claſſem ſuam Sveciæ auxilio mittere, ut tamen Gallia promittat, ſi Anglia ea occaſione bello implicetur, omnibus viribus ipſi adſiſtere; etſi alias Anglia omni modo bellum cum Belgis declinare ſtuduerit. Ut igitur Regi commoda pax obtineretur, ac Belgæ iterum bonis

Ea pacta ab auctoribus ſuis defenduntur.

1659. bonis partibus adjungerentur, pactum menſe Majo fuiſſe initum, quod hoſtes Sveciæ non parum turbaverit, eoque hos omnes nervos intendiſſe, ut illud aboleretur. Viduam Arauſionenſem ideo Principis Anhaltini nuptias cum filia ſua Groningæ celebraſſe, ut Friſiam & Groningam in ſuas partes pertraheret. Ac jam ingentem factionem coaluiſſe omnia ſubvertere cupidam, plebis favore ſubnixam. *De Witt.* Joannem Wittium Amſtelodami à fece vulgi lapidibus fuiſſe petitum, quod iſti pacto conflando operam contuliſſet, atque obſtitiſſet, ne Dano ſubveniretur. Contra Anglos claſſem ſuam revocare voluiſſe obtentu ſumtuum, qui in ſingulos menſes ad ducenta coronatorum millia aſſurgant, ac ob propriam ſecuritatem, & quia hiems ingruat. Iſtis machinationibus disjiciendis ſe & Dovvningium acres libellos Ordinibus exhibuiſſe, ac bellum à Gallia & Anglia minatos, communicato tractatu, qui circa initium hujus anni inter ipſos initus ſit. Inde iterum ſuper eo negotio actum, ubi Belgas primo die de Nidroſia injeciſſe, ut Dano juxta ac vulgo ſuo ſatisfacerent, quod clamitet, nihil in Daniæ favorem actum. Unde Angliam demum declinandis extremis in id conſenſiſſe, ut tamen pactum ab initio non ſubſcriberet. Ex quo adverſam partem iterum anſam cavillandi arripuiſſe, ac vulgo perſuaſiſſe, id tantum agi, ut Belgis illudatur, ac Daniæ exitium promoveatur. Demum & Dovvningium à ſuis juſſum ſubſcripſiſſe. Sed ſe ſubſcribere nolle, niſi intelligat, id Regi Sveciæ placere; quem tamen ſperet pace arrepta præventurum, ne ad abrupta conſilia Belgæ impellantur. Quibus & alias turbæ in Anglia ſpiritus addant velut res Daniæ ex ſua libidine temperaturis, ſaltem ut Sveciæ Nidroſiam decerpere poſſint, quam non minus atque Angli eidem invideant. Et Anglos quidem inter alia hac ratione moveri, quod illa Sveciæ oppoſita ſit, eoque facile inde exercitus in favorem Stuartorum in Scotiam trajici poſſit. Porro ad iſta conſilia Belgas ippelli, quod metuant, ne æſtas elabatur, antequam pax fiat, ac poſſe fortaſſe Svecos iterum favore hiemis gaudere. Sed & aliquando damnis ipſos ex hoc bello provenientibus defungi velle ob inter quieſcentem magnam commerciorum partem, & impenſas in tantam claſſem faciendas. Nam cum quotannis Amſtelodami octoginta milliones in commercio verſentur, ultra dodrantem commerciis Maris Baltici occupari, qui nunc ſine fructu jaceat; ac claſſem in Daniam miſſam viginti millionibus in annum conſtare, cum bellum Hiſpanicum cum ultra ſeptendecim milliones non abſumſerit. Contra Daniæ Rex inter tanta licet Belgarum ſtudia nolebat militem recens à Belgio miſſum intra Hafniæ mœnia admittere, ne penes hoſpites ſumma ibi rerum foret. Qui & valde indignabatur ob inducias à Belgis factas, per quas Svecus occaſionem nactus ſit reliquas Daniæ inſulas ſubjugandi, & idonea loca munimentis firmandi. 1659.

§. 38. Enimvero Carolo Guſtavo id Anglorum ac Belgarum inſtitutum intolerandum, ac plane barbarum videbatur, quod iſti leges utrique Regum præſcribere auderent non ſine inſolentibus & aſperis ſententiis; qui in eas non conſenſerit, junctis ipſorum armis compellendum. Nam primum compactum utcunque ferri potuiſſe, quod conceptum eſſet non tam ut alterutrum Regem ad certi quid obſtringeret, quam ut Legatis inſtructionis loco inſerviret. Nunc ab iſtis arbitrorum ac judicium partes invadi citra compromiſſum, non poſſe non in imminutionem faſtigii Regii redundare. Inprimis inopinum ſibi accidere, Anglos poſt tot promiſſa hoſtibus ſe Sveciæ jungere, ac tam noxium ipſi tractatum concludere, adeoque tam malignam ſibi gratiam referre pro tantis emolumentis ei nationi oblatis. Atque id eo indignius eſſe, quod ipſe utique Roſchildenſem pacem acceptarit, etſi non velut è primo Hagenſi pacto obſtrictus, ſed velut è conſilio Angliæ ſibi amicæ: cum Danus contra abrupte id pactum rejecerit. Nunc in in fraudem acceptantis, ac favorem recuſantis diverſa à prioribus pacta fieri, non ſine importunitate ſibi obtrudenda. Sed & alii ab Anglis valde præter prudentiæ regulas actum cenſebant. Ipſos enim hoc procedendi modo offendiſſe Sveciam, quæ ingens iisdem momentum adferre valeat librandis Daniæ ac Belgii viribus; unde eam obſtringi ipſis potius par fuiſſe. *Ea pactà Carolus Guſtavus valde improbat.*

Sed

1659. Sed & hoc facto eosdem existimationis non levem jacturam feciſſe. Nam decuiſſe ipſos pacem Roſchildenſem ſartam tectam ſervare, cujus ſponſores erant. Nunc tantam claſſem armare, ac complures per menſes in mari alere non ſine omnium vicinorum horrore, nullo fructu, ac non obtento ſcopo, valde inglorium eſſe. Sed & inſuper tantos ſumtus incaſſum periiſſe. Nam Regem Sveciæ, cum ſatis judicare poſſet, Anglos tantos ſumtus non facturos, niſi ſpe penſationis ab ipſo præſtandæ, haut modica nationi Anglicanæ emolumenta propoſuiſſe circa merces inſtruendis navibus neceſſarias. Nunc Anglos ſeipſos ab omni prærogativa excluſiſſe, dum Svecum ad firmandum Elbingenſe pactum compellere inſtituunt, quo inter alia is tenetur Belgis eadem privilegia, quæ cuivis alteri nationi, concedere; quin & Belgis contra ipſos Anglos auxilia ferre. Sed etſi Anglia priori conſilio inſtitiſſet, penes ipſam gloria pacis ſuo ex arbitrio confectæ manſura erat. Nam Belgis quantumvis invitis pace Roſchildenſi fuiſſe ſtandum, quod bello Luſitanico & Svecico diſtricti Angliæ inſuper & Galliæ arma in ſe provocare non poſſent. Nunc Anglos ad ſecundas partes redactos, cum nil habeant, quod prætendant, niſi ut à Belgis pacto Elbingenſi includantur, velut acceſſorii loco. Denique eosdem æmulis ſuis Belgis præter hujus pacti commoda etiam Nidroſiam procuraſſe, è qua Belgæ plus fructuum, quam Danus, capiant, quod ejus reditus mercatoribus Amſtelodamenſibus oppignerati ſint; ac Belgis ibi occaſio præbeatur condiscendi ſocios navales optimæ notæ, quorum tria millia proximo bello in claſſe ſua habuerint. Ita Belgas ſcopo ſuo potitos, Anglos contra ipſum negotium, ſumtus, exiſtimationem perdidiſſe, dum proprias adverſus rationes agunt.

1659. liæ & Angliæ interpoſitionem haut rejicere. Sed Belgas nullo modo admittere placebat utpote hoſtes, & hoſtilia indies adverſus ipſum exercentes; niſi poſtquam vetus amicitia Svecicam inter & Belgicam nationem fuerit inſtaurata. Tum nec leges ſibi ab iſtis præſcribi volebat; ſed ut pax Danica ſolita tractatuum via per utriuſque partis Commiſſarios adornaretur. Sed nec ad tractatus cum Dano deſcendere animus erat, ni cum omnibus ſimul hoſtibus pax obtineri poſſet, aut ni peculiari pace, quam ſequeſtres proponebant, idonea cautio præſtaretur; quæ non ſolo atramento & charta, ſed reipſa conſtet, Daniaque adeo in talem ſtatum redigatur, quo ipſi nocere amplius non poſſet. Niſi alterutrum horum obtineretur, quæ jam manibus tenebat loca rebus ſuis valde commoda, dimittere non placebat. Nec vero obſcurum erat, quam parum ipſius rebus peculiari cum Dania pace conſuleretur, ſi conſideraretur, uti Danus ipſum ingenti cum damno rebus Polonicis abſtraxerit, ac omni ulteriore progreſſu fere excluſerit, quam multi hoſtes in Dani gratiam ipſum invaſerint; quantum damni inde acceperit in Livonia, Boruſſia, Holſatia, Jutia: quantum virorum & pecuniæ in Dania perierit. Sed & quæ jam inſidebat loca alendæ claſſi, atque arcendo prævalenti hoſti cumprimis idonea eſſe. Cum contra haut adpareat, in quem locum exercitus ſit educendus poſt factam in Dania pacem. Nam mari eundem in Boruſſiam abducere ſumtuoſum juxta ac periculoſum, incommoda in terram exſcenſione ob defectum pecuniæ. Tum totam Boruſſiam evaſtatam, ut præſidiis ibi alendis non amplius ſufficiat. In Poloniam penetrare anceps copiis noſtris valde imminutis: & quia Sveciæ nunquam de Danorum fide ſecuræ licet eſſe, munita oppida & fines valido milite inſidendos reliquis copiis inde hoſti parum formidandis. Sed nec in Germaniam adverſus Auſtriacos & Brandenburgicum tendere licebat. Nam talia conantem non ſolum omnes Ordines violatorem ipſum pacis exclamaturi erant, immemores quid injuriarum ipſi ab iſtis in Germania, & alibi illatum ſit; ſed quotcunque

Regis in futurum deſtinata.

§. 39. Cæterum Rex cum ſecum expenderet, quantopere iſta compacta non indigna ſolum faſtigio ſuo, ſed & rebus ſuis noxia forent, quod per iſta in eundem ſtatum intutum revolveretur, quo ſeſe bello renovato eripere conatus erat, expunctis præcipue primariis quibusdam capitibus pacti Roſchildenſis; apud ſe ſtatuebat primo quidem mitem Gal-

1659. que terras exercitus Svecicus tetigisset, hostilia sumturi erant. Unde in unius hostis locum plures nascituri erant. Nec incognita Regi erat Germanici belli moles, cui utique succubiturus erat, nondum matura occasione, nullis ibi fœderatis, nec à Protestantibus ulla auxilii spe. Præterquam quod non esset ipsi exercitus sat validus invadendo isti hosti post pacem in Dania constitutam, nec alibi ejusmodi loca arcendo hosti idonea. Et quia è causa belli Danici complura Pomeraniæ loca amissa fuerant, rationis erat, tamdiu Daniæ velut pignori incumbere, quoad ista recuperata forent. Hæc igitur omnia cum secum trutinaret Rex, & tamen pax utique quærenda foret, ne ad extremum bello extracto tot ac tam potentibus hostibus succumberet, summam suarum rerum in eo verti judicabat, ut vel communi paci quicquid erat hostium amoliretur; vel si peculiaris tractatus obtrudatur, uti is non ex aliena libidine, sed suo è judicio, & prout rebus Sveciæ tutum sit procederet. Eoque sic cum Dania tractatus susciperetur, ut ea, quæ insideat loca, haut quidquam prius desereret, quam cum illis transegerit, qui in Dani gratiam hostilia induerant: aut ut Dania ita admutiletur, ut deinceps ad noxam inferendam virium nihil eidem supersit.

Angli absurdum agendi modum ineunt.

§. 40. Ast Legati Anglici suo ex ingenio rem gerere pertendebant, postulantes, ut utriusque Regis Commissarii inter se haut congressi postulata sua in ipsorum manus consignarent, negotio ab ipsis eo promtius expediendo. Id quod Rex abnuebat, ei tractandi modo inhæsurus, qui apud omnes gentes, ac cumprimis inter Sveciam & Daniam semper usu receptus fuit. Contra Danus apud Sequestres declaraverat, se acceptare compactum, & conditiones in causa tertii sibi præscriptas, non desiderio pacis, sed quia norat, à Carolo Gustavo insolentem hunc agendi modum pro sua generositate repudiatum iri; quo ipsi culpa recusatæ pacis impingi posset, Belgisque color nasceretur rem in Svecos gerendi. Qui & Belgas sine exceptione sequestres deposcebat, ac causam suam usque adeo fidei mediatorum committebat, ut quando capita pacis per hos designata forent, eadem statim per utriusque RegisCommissarios solenni modo firmata promulgari vellet. Unde nec Svecicis Commissariis salvos conductus, nec suis procuratoria dare volebat. Dehinc Angli Hafnia reversi con- 6. *Aug.* gressu cum Svecicis Commissariis habito de Dani studio in pacem peculiarem multis confirmabant. Quæ uti Sveci suo loco relinquebant; ita, ut eo nomine scripta à Dano declaratio ederetur postulabant. Nam Sveciæ Regem sæpius publice de sua in pacem inclinatione testatum, nec decorum esse, ut is amplius se prostituat, antequam liquidum àDano responsum sit exhibitum. Ac ipsos cum Hafniam abirent promisisse, scriptam se à Dano declarationem allaturos, ubi & quomodo tractatus sit suscipiendus. Ast Angli, cum ejusmodi declarationem proferre non possent, id proponere cœperunt, ut tractatus ipse, ejusque conditiones sibi & Gallo, Belgicisque Legatis committeretut, haut adhibitis Danicis Commissariis. His altero congressu Sveci vicissim demonstrare: hoc modo istos sibi arbitrium pacis arrogare à partibus haut delatum, id quod indignum sit atque insolens. Quin & hunc agendi modum longe plus temporis exigere, quod ipsis rerum nostratium imperitis informatio ab una & altera parte petenda, eoque hinc inde proficiscendo multum temporis consumendum sit. Sed si solito more procedatur per utriusque Regis Commissarios, unam difficultatem post aliam posse componi. Tum & nosse oportere, qui cum tractetur; id quod ita necessarium sit, ut nullus tractatus succedere queat, antequam partes autoritatem agendi rite demonstraverint. Eoque præmitti debere utriusque partis salvos conductus, procuratoria, designationem loci, temporis, personarum, & similia: ac si quid in materia tractatuum difficile occurrat, sequestrium operam adhiberi solere. Ast Angli insuper habitis rationibus velut pro Imperio velle jubere se ferebant, conspiratione cum Belgis inita, qui & ipsi eadem via incedebant, utut Rex illos sequestres non agnosceret, nisi prævia reconciliatione idoneos se isti officio reddidissent. Ita Angli Fridericiburgo, ubi Rex nunc morabatur, Helsingoram regressi, inde literis ad Re-

1659. 8. Aug. gem datis quærebant; num ipſe leges pacis Roſchildenſis acceptare velit, quam in rem dudum ſe ſcriptam Dani declarationem habere; quæ unica ſit ratio, bellum intra quatuordecim dies componendi. Quibus Rex reſpondebat: Eſſe quidem gratum ſibi Legatorum ſtudium, ac ſe dudum animum paci pronum declaraſſe, etſi nullo à Danis idoneo reſponſo accepto. Id vero non congruere mori tum apud alias gentes, tum inter Borealia Regna recepto, ut omiſſa ſolenni tractatuum forma, quæ tam neceſſaria ſit, ut citra eam nihil, quod vim obligandi habeat, effici queat, id agatur, ut conditiones in anteceſſum explorentur, quæ propria ipſius tractationis materia eſſe ſoleat. Sed hoc modo, quem ipſi inſiſtant, alterius ſenſa elici nullo fructu, & negotium intricatius reddi. Igitur ſatius eſſe morem communem, & ipſis Anglis uſitatum ſequi, ut pars adverſa ſalvos conductus ac procuratoria expediat, locusque ac tempus tractatibus deſignetur, ut conſtet qui cum, & de quibus rebus agatur. De pacis Roſchildenſis rationibus etſi ad ipſum tractatum pertineat diſquirere; ſe tamen antea ſatis declaraſſe, ſibi quæſitam in ea ſecuritatem haut fuiſſe obtentam. Nam ſi Dani à ſe impetrare non potuerint, ut eam ſervarent, cum exercitus Svecicus Daniæ viſceribus incumberet; quid futurum, ſi ipſe alio bello longinquo diſtrahatur? Rem nunc in eum ſtatum redactam, ut juſti & ſolidi tractatus rationes, non deſultorios gradus requirere videatur. Ubi autem in rem præſentem fuerit perventum, ſe juxta ſanum pacis Roſchildenſis ſenſum circa reliqua moderationem ſuam ita ipſis adprobaturum, quantum per hoſtes à Dano in ſe cumulatos, & communes Proteſtantium rationes licuerit. Igitur operam darent Legati pro munere Sequeſtrium in ſe ſuſcepto, ut quæ tractatibus præmitti moris eſt, quamprimum expediantur.

Colliſio Regis cum Legatis Anglicis.

§. 41. Enimvero haut ceſſabant Angli præfracte arbitrium pacis ſibi arrogare, cui Danus ſe ſubjeciſſe dicebatur. Id quod non tam ab ipſorum inſolentia profectum credebatur, quam à Belgarum aſtutia, qui iſtos ſtatim atque in Daniam adpuliſſent, in ſuam ſententiam pertraxerant, abſurdum quoque iſtum agendi modum commenti, ut culpam recuſatæ pacis Carolo Guſtavo impingere, Danoque, qui dicis cauſa iſtam acceptaverat, favorem conciliare poſſent, Anglis quoque in iſtum immiſſis. Unde quanquam Rex Anglis ſæpius demonſtraſſet, hunc procedendi modum faſtigio ſuo indecorum, ac ſibi divinitus id collatum, quod alterius arbitria ultro obtruſa adſpernetur; ſed ſi amicorum more, quales ſe ſemper verbis tulerint, & communi gentium jure officium ſuum obire velint, ipſorum operam fore acceptiſſimam: haut eo ſecius tamen iſti Regem adibant, conditiones pacis cum Dano ineundæ ſcripto traditurі. Par ſcriptum antea ab iſtis Regi Daniæ oblatum fuerat, qui & id acceptaverat, ſpatio ad deliberandum petito, ac reſponſo promiſſo. Unde eodem die cum reliquis Legatis in caſtra Regis acceſſerant, comitante Stenone Bielkio, quem hactenus Hafniæ detentum contendente Terlono Danus dimiſerat, à Rege Commiſſarium paci tractandæ deſignatum. Pro quo tamen Rex eodem petente Terlono tres Senatores Danis reſtituebat, Ovvenum Geddium Archithalaſſum, Chriſtophorum Urnium Regni Cancellarium, & Georgium Brahæum. Cæterum cum Anglici & Belgici Legati exterius conclave ingreſſi eſſent, Regi conceptum à ſe pacis formulam obiaturi, Terlonus quidem offenſam Regis prævidens alio interim faceſſebat, ne quam inviſi negotii partem attingeret. Sed Sidneius ac collegæ, cum poſt brevem moram Rex ad eos proceſſiſſet, formulam futuræ pacis convolutam in manus ipſi tradere inſtituebant. Regi interroganti quid chartarum id eſſet? Sidneius reſpondebat; id deſideria trium ſtatuum continere. Cui Rex adducto in ſeveritatem vultu; ſi projectum id ſit, ſe nolle iſtud recipere. Tum Anglis dicebat; miror, cum vos amicos, mihi profiteamini, auſos fuiſſe leges mihi præſcribere. Equidem Sequeſtres vos non recuſo, quamdiu intra limites amicitiæ verſamini: ſed arbitros ferre nolo. Inde ad Belgas converſus; vos vero, inquit, cum hoſtes mei ſitis, nullo modo Sequeſtres admitto. Ac fas mihi fuiſſet eodem modo vobiſcum agere, ſicut Rex Daniæ cum Stenone Bielkio egit. Tum ad utrosque converſus dicebat; vos projecta formatis veſtris claſſibus freti;

1659. 16. Aug. *Bielke. Terlon. Ovve Geddе. Urne. Brahe.*

Digitized by Google

1659. freti; ſed ego eadem gladio reſcindo; eo ipſo gladium manu pulſans. Quo dicto à Legatis ſubito averſus ad alios ibi adſtantes acceſſit. Belgæ Regem ſecuti dicebant: ſe ipſi haut inimicos eſſe, ac optimos amicorum ſe demonſtraturos. Rex auſtero vultu ipſos intuens reſpondebat: mei Legati indigne habiti ſunt, & vos pro lubitu itis, reditis. Slingelandus reponebat: non opus eſt, ut quid metuamus à generoſo Principe. Rex abrupte: vos vero ſenſus generoſitatis abs tali hoſte parum tangit. Inde averſus cum aliis ſermones miſcebat; ac Legati non amplius Regem irritare auſi poſt exhibita honoris ſigna conclavi excedebant. Cenſuerunt Belgæ, Legatos ſuos juſto aſperius fuiſſe exceptos; ac Wittius atrocia jactabat, ac velut claſſicum canens Svecos invadendos, omnesque eorum naves deſtruendas clamitabat. Moderatiores tamen ſat cauſarum agnoſcebant, quæ Regis bilem excuſarent. Ac inprimis Sidneium arguebant, actu ac ſermone rigidum, ac negotium compoſitionis tractare neſcium. Fingebantur eo tempore à Danis plura, quo Anglos in Regem irritarent, velut quod diſſeruerit: ſe Regem & victorem haut inglorium nec poſſe nec velle pati, ut ſibi inſultetur à duabus Rebus publicis, quarum una Principem ſuum abdicaſſet, altera trucidaſſet. Ac mirari ſe parricidas hoſce ad ipſum accedere audere, ac manus ipſi offerre Regio ſanguine adhuc fumantes. Quæ dicta quanquam à genio & prudentia Regis plane abhorrerent; haut eo ſecius id figmentum Joachimus Gerſtorfius Roſenvvingius in Angliam perſcribebat, ut Parlamentum in Regem concitaret; qui & idem Dovvningio ſcripſerat, ut hujus quoque animum à Rege averteret. Sane Dani iſta colliſione magnopere exultabant, velut jam Belgæ totis viribus in communem hoſtem ruituri ſint propriis injuriis ulciſcendis. Simul iſta protinus per curſores in omnes partes nuntiabant non ſine aſſumentis & interpretamentis, quæ affectus ſuggerebat. Etſi Belgæ nil aliud quam queſtibus eam rem apud Anglos Gallicosque miniſtros diſtulere.

Gerſtorf. Roſenvving.

Rex de Anglis queritur.

§. 42. Aſt Legati Svecici in Anglia inſſu Regis ſuper compactis poſterioribus Hagæ factis graviter querebantur, quæ agitari haſtenus Angli inficiati fuerant. Ubi hi demum erumpebant: ſi aliter egiſſent, orbem fuiſſe judicaturum, ſe Regi operam navaturos ad totam Daniam ſubigendam: id quod cum à ſententia animi ſui plane abeat, rationesque ſuæ idem haut ferant, eam ſuſpicionem utique amovendam fuiſſe. Cum inde Sveci quærerent; ſi uterque Rex id compactum repudiaret, quid facturi ſint? quid directe reſponderent non habebant. Sed nec ad literas Regis reſponſum extundi poterat, quod jejunis excuſationibus declinabant. Etſi revera internæ turbæ externarum rerum cogitationes in ſe averterant. Ac poſtquam jam Henricus Vanius res in Parlamento fere pro lubitu temperaret, Belgica ibi conſilia prævalebant. Mox cum Sveci apud Parlamenti Deputatos de abſurdo Legatorum Anglicorum agendi modo quererentur, hi longe graviores querelas movebant: ſi Rex pro tantis ſumtibus, periculis, ac laboribus non majore ipſos gratia proſequatur, nec eo honore dignetur, ut in tam arduo & deſperato negotio conſilia eorundem levare, ac ipſos, ſeque iſtis moleſtiis aliquando eximere velit, infelicitatem ſe ſuam agnoſcere, quod ſperato fructu meritorum ſuorum excidant. Sane Regem Danicis inſulis & Naſcovia potiturum haut fuiſſe, niſi Anglica claſſe favente. Cæterum res ſuas domeſticas adhuc valde ancipites eſſe, quæ non permittant, ut Rex Anglicana claſſe diutius frui queat: nec Regem, qua ſit prudentia, ea claſſe confiſum fortunas ſuas aleæ expoſiturum, ſi compagem conſiliorum per Europam penitius inſpiciat. Nunquam ſibi in mentem veniſſe Regem ad quid invitum compellere, aut in eundem arbitrium ſibi arrogare: ſed id inſinuaſſe, ſi Rex conſilium ipſorum candido ex animo profectum admittere nolit, aut nequeat, eam cauſam à ſe deponendam eſſe. Ad quæ Sveci: iſtam explicationem colorem aliquem habere, etſi is ægra vocabulo *compellendi*, & aliis ipſorum actionibus quadret. Regem ipſorum affectu nimium confiſum, ac cum ubique laudibus tuliſſe: ſed quam ſincerus is fuerit, è fine adpariturum, qui opus coronet. Ac ſi tot ab Anglia promiſſa non alium effectum ſortiantur, totum orbem judicaturum, Regem non modo plura meruiſſe, quam perceperit, ſed & tanto aſperiora iſta habenda, quo minus expectari potuerint. Poſt longam diſceptationem An-

1659.

Vanius.

1659. gli demum fatebantur; apud Belgas se extrema omnia tentasse, sed plus proficere nonpotuisse; ni statim ad manus cum his venire voluerint. Sveci contra: rationi repugnare, Angliam à Belgis in eas angustias redactam, ut eidem aliquid stipulari necessum fuerit, quod in ipsius potestate non sit, ac honestati, amicitiæque repugnet. Ac si maxime tanta necessitas incubuisset, Regi id ante incessum denuntiandum, ac tractatus cum Belgis abrumpendos fuisse. Sed nimirum Anglos libenter in Belgarum proposita consensisse. Demum cum ad Svecorum rationes nil amplius respondere possent, genuinam rei causam fatebantur: rationes status sui non tulisse, ut aliter quam factum sit procederent, si, quod necessum sit, Danus Rex manere, nec Svecus absoluto Imperio Maris Baltici potiri debeat, omnibus, qui ab isto mari dependent, deinceps nimium formidabilis. Ad quæ Sveci: si ab initio ista dicta fuissent, multis verbis parci potuisse; nam incassum ratiocinia consumi, ubi talia principia fixa sedeant. Sed hoc modo utique ipsos limites sequestrium, ne dum amicorum & fœderatorum, migrasse: ac jam propria confessione constare, falso hactenus culpam ab ipsis in Belgas conjectam, ac iisdem solis talia in acceptis ferenda esse. Nam quamdiu Angli serio à se rem geri ostenderint, Belgas non modo de plena pace Roschildensi, sed & satisfactione insuper Regi danda disseruisse. Ad extremum Sveci rogabant, ut Angli alia consilia capessere velint. Sed hi parum spei ostendebant, causati, se jam rem in antecessum secum exegisse. Ac mox à Parlamento decretum fiebat; pactis Hagensibus utique standum esse. Quo facto Sveci protestationem concipiebant Parlamento exhibendam, sed quam certa causa dein supprimere subigebat, quæ infra memorabitur.

Ius arbitros recusare pergit.

§. 43. Cæterum inhærebat sententiæ suæ Rex, ac per Rosenhanium denuo sequestribus declarabat, se honestam ac tutam pacem serio cupere, ac gratum fore, si ipsi hanc in rem officia exhibeant ut sequestres, sed non ut arbitri, quod inauditum sit, Respublicas sibi ultro in Reges arbitria arrogare. Sed nec alio se modo tractatum admissurum, quam ut utrinque huic obeundo Commissarii destinentur, ac negotio promovendo Galli & Angli sequestrium monia exerceant. Sed Belgas à se admitti non posse, quos hostium loco habeat; à quibus hostilia hactenus professis haut miretur aliquid quæri, quod Sveciæ fraudi sit. Ast Anglos hisce se associare, ac juncto consilio rem plane vitiosam nulla prævia communicatione sibi obtrudere, quod victores victis hostibus solent, id maxime sibi mirandum videri. Porro ut Rex serio rem à se agi demonstraret, Commissarios tractatibus obeundis nuncupabat Scheringium Rosenhanium, & Stenonem Bielkium, simul salvos conductus pro Danicis Commissariis confici jubebat; idemque ut à Danis fieret postulabat, quo quamprimum tractandi initium fieri posset. Ast sequestres etsi non parum indignarentur, ita aspere suo judicio à Rege se exceptos, non ideo tamen de optato exitu suæ negotiationis desperabant. Etsi Sidneius jam antea in Belgas pronus, & nunc magis Regi offensus, habita cum collegis consultatione contenderat; Regem Sveciæ pro recusante declarandum, viresque cum Belgis conjungendas, ipsi ad pacem à se designatam compellendo, prout Hagensi pacto conventum sit. Contra Montacutius & Bonus ostendebant, se nondum intellexisse, Svecum pacem recusasse, sed potius eundem semper publicis declarationibus tractatui se paratum tulisse, expedito etiam salvo conductu pro adversæ partis Legatis. Nec à se improbari posse, eundem solito intergentes more tractare, nec aliquid, fraudi cessurum sibi, obtrudi velle. Ac potius Danus tergiversatione sua hactenus impediisse, ne quid circa negotium pacis promoveri potuerit. Nec ideo Sidneius machinari omittebat, ut Anglica classis Belgicæ juncta Svecis immitteretur.

Belgæ sua per reconciliatione sua agere incipiunt.

§. 44. Ast Belgæ cum perspicerent, Regi fixum sedere, ipsos sequestres non admittere, nisi instaurata prius cum ipsis antiqua amicitia, formulam reconciliationis concipiebant, quæ omnibus offensis ac dissidiis finem imponeret, eamque Rosenhanio per Terlonum mittebant, additis ad eundem literis; sibi decretum in castra venire, perficiendo tractatui Elbingensi cum Elucidationibus; ac inde operam navaturos paci inter Reges restituendæ,

Cum

1659.

1659. Cum enim à Rege velut partibus addicti, ac sequestrium muneri obeundo haut idonei habeantur, nec eidem placeat Elucidationes probare ante compositam inter se & Ordines Fœderatos controversiam, ac veterem amicitiam instauratam; sibi placuisse instrumentum reconciliationis mittere, à se subscribendum, quamprimum pax inter Reges concluſa sit. Sequenti die certum hominem in castra præmittebant, qui sciscitaretur, num accessus ipsorum gratus sit futurus, ac num pro dignitate sint excipiendi? Cui cum pro voto responsum esset, Slingelandus & Hubertus castra ingressi statim ad Regem introducti sunt. Apud quem primo dolorem super obitu Friderici Ducis Holsatiæ soceri testabantur; inde super pacti Elbingensis illustrationibus, pace cum Dano, ac abolendis inter ipsum & Belgas offensis proponebant. Quibus à Rege responsum: nil magis cordi sibi esse, quam veterem Svecos inter & Belgas amicitiam colere, quo fine & Cojetum in Belgium sit missurus, ut apud ipsos Ordines Fœderatos de sincero suo studio testetur. Sed nec à pace abhorrere, modo ea honesta & tuta obtineri queat. Cæterum hanc videri optime processuram, si eadem per utriusque partis Commissarios more inter Borealia Regna recepto tractetur. Eo colloquio absoluto isti Hafniam redibant comitante Terlono, cui diploma salvi conductus pro Commissariis Danicis, quod petierant, tradebatur.

Danus agre ad tractatus accedit.

§. 45. Circa diploma porro istud difficultas surgebat super titulo utriusque Regis, quod Sveci Dano titulum Regis Gothorum tribuere abnuerent, velut qui nil amplius in Regno Gothiæ possideat: Dani vicissim Sveco Scaniæ titulum negarent, quod pacem Roschildensem agnoscere nollent, cujus vi Scania in istum collata erat. Demum tale temperamentum à Belgis propositum utrinque admittebatur, ut Carolus Gustavus Rex Sveciæ, Fridericus Rex Daniæ vocaretur nullo alio additamento. Diplomate à Svecis exhibito hi vicissim à Danis pari forma diploma requirebant; quod hi novarum obtentu difficultatum promere differebant. Unde Angli & Belgæ Fridericum scripto urgebant; cum tractatus absque desiderato diplomate suscipi nequeat, ut id protinus annuat; alias culpam pacis dilatæ penes ipsum fore. Ita & Fridericus diploma pro Svecicis Commissariis in Sequestrium manus tradidit, cui declarationem adjunxerat se Commissarios missurum perficiendæ cum Sveco paci, modo hic mentem suam exponere velit super præsenti declaratione contentis. Sed quia huic scripto complura inserta erant non solum Regem Sveciæ offensura, sed & ipsis Sequestribus displicentia; Fridericus denuo verbis & scriptis per hosce rogabatur, ut omissa ea declaratione, ejusque exceptionibus Commissarios ad conventum locum mittere velit, autoritate instructos ad conclusionem hujus negotii necessaria. Alias, quod abominentur, sibi non aliter persuaderi posse, quam pacem eidem cordi non esse, quod remedia eidem producendæ necessaria rejiciat. Ita pressum se videns Fridericus demum declarationem commodiorem exhibebat, qua in omnia, quæ desiderabantur, consentiebat, quantum cum pactis Hagensibus conveniant. Quam eadem die una cum diplomate in castra Svecica Terlonus adferebat; in qua etsi nonnihil desiderarent Sveci, eadem tamen demum acceptabatur.

1659.

Tractandi cum Danis initium fit.

§. 46. Sic igitur inter Svecos Danosque tractandi initium fuit factum in tentoriis medio spatio inter urbem & castra positis, quæ quinquaginta passus à se invicem distabant. Prodibant è castris Scheringius Rosenhanius, & Steno Bielkius, ex urbe Olaus Pasbiergius, & Magnus Hœckius, quinquagenis utrinque equitibus comitantibus, illi se primo salutabant medio inter duo tentoria spatio, adstantibus Sequestribus. Sermonem ordiebatur Pasbiergius; Respondebat Rosenhanius sua uterque vernacula. Utrinque de studio pacis testatio: simul procuratoria mutuo tradebantur. Inde utrique in suum tentorium regressi sunt, Svecos comitantibus Terlono & duobus Anglis, & Danos duobus Anglis, & Belgis. Sveci circa procuratorium Danicum monuerant: id chartæ inscriptum, non pergamenæ, & forma minore complicatum. Quod Pasbiergius cavillatione eludebat; pergamenam calce præparari, cujus acrimonia literæ demum erodantur. Congressus inde in tentorio Svecorum fiebat,

Obs. Pasbierg. Hæck.

1659. bat, quo Dani acceſſerant: ubi cum ſuper loco tractatuum proponeretur, Sveci Roſchildiam malebant; quam Dani velut de contagio ſuſpectam repudiabant, præſentem locum ſat commodum ferentes propinquo utroque Rege. Circa modum tractandi Sveci optimam cenſebant, ipſos inter ſe expedire, quæ poſſint; ubi convenire nequeant, ſequeſtrium operam adhibendam. Tum Roſchildenſe pactum fundamenti loco habendum, & quæ ibi deſiderentur, communi conſenſu adaptanda. Sed Dani reponebant; ſe compendioſiorem viam noſſe; ſimul Svecis ſcriptum tradebant quinque capitibus conſtans hoc ſenſu: Cum Daniæ Rex ex improviſo à Sveciæ Rege oppreſſus ſit eo tempore, cum is quam maxime effectu pacis Roſchildenſis fruiturum ſe ſperaret; inde par eſſe, ut à Sveco protinus reſtituantur omnia loca, quæ hic vi iſtius pacis reddere tenebatur: ut æqua ſatisfactio præſtetur pro damnis ſane quam ingentibus, quæ Dania hac poſtrema invaſione perpeſſa ſit. Ut omnium locorum, quæ reſtituenda ſunt, evacuatio nunc ſtatim repræſentetur: ut omnes captivi Dani, & qui extra Daniam educti ſint, libertati reſtituantur: ut denique Daniæ fœderati huic tractatui includantur. Contra Sveci locum tractatui commodiorem poſtulabant, ac ut inter partes ſuper modo tractandi conveniatur, antequam negotium ipſum ſuſcipiatur. Tum & circa ſequeſtres addebant; ſe nolle amicam ipſorum interpoſitionem circa majores difficultates recuſare. Sed ſi iſthoc agant, ut materias digerere, & decidere præſumant tanquam ex vi Hagenſis conventionis aut alio prætexto, id à ſe admitti non poſſe, velut rem ſine exemplo, & quæ dignitatem Regum graviter lædat.

Capita pacis Roſchildenſis excutiuntur, 27. Aug.

§. 47. Biduo poſt congreſſus in tentorio Danorum habebatur, ubi Commiſſarii utrinque prælecta pacis Roſchildenſis capita diſcutere incipiebant. Heic circa ſecundum articulum movebant Sveci, Danos eo non ſtetiſſe, dum hoſtium Sveciæ miniſtros ex aula ſua non amoverint, fœderibus non renuntiarint, quin ſtatim poſt concluſam pacem ſe fœderibus cum Auſtriacis, Polonis, Brandenburgico illigarint, Czarem quoque in Sveciam inſtigato. Id quod Dani factum negabant, niſi poſt renovatum bellum. Sed Sveci diverſam oſtendebant, ac inprimis fœdus ab Alefeldio Viennæ concluſum. Demum placebat eum articulum manere, modo, quod Dani urgebant, fœdera tantum offenſiva intelligerentur. Articulum tertium Dani repugnare ferebant fœderi Regis ſui cum Belgis, quo hiſce permiſſum ſit Mare Balticum cum claſſe intrare. Ac ſi claſſis ad Oreſundam accedat, non protinus eam hoſtili animo venire. Sed Sveci quærebant; quo alio fine claſſes bellicæ veniant? Nam prætextum conducendi naves onerarias inane eſſe. Tandem Dani id caput ad ſequeſtres rejecerunt. Ad quartum articulum placebat formulas quondam Hafniæ conceptas excutere, & juxta illas eundem diſtinctius exprimere. Articulo quinto recitato Dani omnes provincias ibi expreſſas repetebant. Quod Sveci nunquam futurum ferebant. Ita congreſſus iſte finitus eſt, die in veſperam inclinante. Venere dehinc in tentorium Svecorum ſequeſtres, è quibus Sidneius chartam ipſis tradebat ab omnibus præter Terlonum ſubſcriptam, petens, ut quia ad modum epiſtolæ ad Regem formata ſit, nec quid eidem præjudicio cedens contineat, eam acceptarent, velut negotio promovendo cumprimis idoneam. Sveci poſt multam tergiverſationem demum hortante Terlono eam obſignatam acceptabant velut epiſtolam ad Regem, ut tamen, quod ejus argumentum eſſet, non quærerent. Monebat tamen Roſenhanius; inſolitum eſſe à ſequeſtribus ultro talia offerri, niſi à partibus requirantur, nec exemplum in ullo tractatu extare, ac ſignum eſſe ſtudii in alterutram partem propendentis. Simul oſtendebat, haut par eſſe Belgas huic ſe negotio nimium ingerere, quod Rex declaraverit, ſe eos ſequeſtres admittere haut poſſe citra antegreſſam reconciliationem. Cæterum traditi à ſequeſtribus ſcripti, cum poſt reſignaretur, id argumentum repetiebatur; ut pax Roſchildenſis confirmetur, poſt eam utrinque occupata reſtituantur, excepta Nidroſia, quæ penes Danum manſura ſit: Articulus tertius expungatur: Nova vectigalia & onera in Oreſunda nec Danus nec Svecus inſtituat: In utroque Regno trium ſtatuum cives æquali modo habeantur; qui & conventione Elbingenſi, ejusque Elucidationibus fruantur circa taxationem

1659. taxationem vectigalium: hac pace comprehendatur Brandenburgicus, ubi eam intra menſem à notificatione acceptarit; ac ſi quæ ipſi controverſiæ eum Rege intercedant, trium ſtatuum miniſtri componendis iisdem operam dent: his & circa ſopiendum bellum Polonicum curæ ſit: Quæ cum Duce Holſatiæ convenerunt, ſervantur: Tres ſtatus hujus pacis ſponſores ſint. Id ſcriptum à Commiſſariis ad ſe transmiſſum Rex ægerrime ferebat. Nam formulas pacis non niſi à Danis oblatas acceptari juſſerat: ſed ſi Sequeſtres ſcripti quid offerrent, obiter tantum inſpici voluerat, ac ſi videretur, Danis oſtendi: qui ubi id acceptent, Svecos de ſuo jure nihil condonaſſe, nec ſcriptum adprobaſſe; ubi id rejecerint, culpa in Danos devolvebatur, ſimul Sequeſtrium iniquitas oſtendebatur.

Belgarum in Svecos gerunt.

§. 48. Inter hæc elapſo induciarum tempore, etſi Rex pacem nunquam repudiaſſet, ſed tantummodo eam ſibi velut pro Imperio & ex vi compacti Hagenſis obtrudi noluiſſet: haut eo ſecius Legati Belgici Opdamo ſcribebant: cum Rex Sveciæ liquidam ſuper pace declarationem edere abnuerit, Danus vero deſiderio trium ſtatuum ſatisfecerit, ut ipſe Svecos bello petat, ubicunque eos deprehenderit, Hafniamque quantum poſſit annona ſublevet, Reuterique adventum acceleret. Simul apud Gallum inſtabant, ne Sveciæ auxilia ferat, ac apud Anglos, ut per edicta ſuæ nationis homines terra marique Svecis militantes avocent, omnibusque Svecicis navibus in portubus ſuis manum injiciant. Cæterum poſtremo Hagenſi pacto placuerat quidem, ut Legati utriusque Reipublicæ inter ſe definirent, quot navium numerus ipſis ad negotium Daniæ ſufficere videatur, ac ut reliquæ tanquam ſuperfluæ ac ſumtuoſæ domum remittantur. Enimvero Belgicis Legatis ſecreto injunctum fuerat, haut ſupra viginti naves domum dimittere, & quidem non niſi cum hac præcautione, ut in Dania remanentes utique pactis Hagenſibus exequendis ſufficiant; tum ut poſt Anglicas demum abeant, & remanentes Belgicæ Anglicarum remanentium numerum viresque excedant. Angli igitur horum mandatorum ignari Belgas urgebant, ut preſſe navium numerum definirent, queis per hyemem in Dania commorandum foret. Sed cum Belgas claſſis ſuæ diviſionem averſari adpareret, Montacutius declarabat; quia Belgici Legati juxta Hagenſem conventionem definire nolint, quot ipſorum naves æquali numero Anglicarum navium jungi, & quot naves poſt eam conventionem domum reverti debeant; ſibi decretum eſſe totam claſſem in Angliam reducere, non quidem quod à pacto diſcedere animus ſit, aut quod nova deſtinata agitet, ſed quia neceſſaria tantæ claſſi alendæ deficiant. Ab hoc conſilio Belgæ Anglos abducere in ſpeciem laborabant, oſtenſo, ubi annonæ copia parari poſſit; ac utriusque Reipublicæ intereſſe vires ipſarum heic jungi; tum ſubtracta claſſe Anglica non poſſe non autoritatem utriusque Reipublicæ imminui, ac officio ſuo minus deinceps ponderis apud Reges fore, tractatione inſuper in longum extrahenda. Inde variæ propoſitiones fiebant circa numerum navium in Dania relinquendarum; ſaltem ut quindecim naves Anglicæ heic remanerent, quoad nova mandata ab Ordinibus Fœderatis allata ſint: interim à ſe nihil ſuſcipiendum, niſi communicato cum Anglicis Legatis conſilio. Et cum Angli exciperent, ejusmodi virium diſparitatem neque tutam ſibi, neque decoram, Belgæ ſcriptam illis cautionem offerebant, ac unum inſuper ipſorum velut obſidem integritatis ſuæ in claſſe Anglica permanſurum, qui cum Montacutio conſilia communicet, ac pro re nata circa ſummam rerum cum ipſo conſultet. Ac fatebatur Sidneius ſibi non 7. Sept. eſſe mandata ad claſſem dimittendam, ſed potius juſſos ſe Hagenſe pactum obſervare. Sed Montacutius, adſtipulante Honivvodo & Bonnio, cum ad ſententiam ſuam declarandam urgeretur, ambiguo reſponſo Belgas eludebat, abruptoque colloquio poſtera die relicta Hafnienſi ora Oreſundam verſus vela faciebat. Cronenburgi Rex ſibi valedicentem humaniſſime excipiebat, ipſumque ac præcipuos præfectos inſignibus donis mactabat.

Anglica claſſis diſcedit.

§. 49. Ita Anglica claſſis, in quam ſexcenta millia librarum Sterlinenſium expenſa fuiſſe dicebantur, in patriam revertit, cujus ſubitus diſceſſus parti-

1659. partium animos vario affectu agitabat. Sveci triſtabantur, Oreſundam, portusque ſuos, ac totum mare prævalentium Belgarum libidini nunc expoſita. Dani jactabant, ideo Montacutium abiiſſe, quod nollet rem in Svecos gerere, jam aperte pacem recuſantes, in quorum favorem omnes induciarum prorogationes Belgis ſint extortæ. Belgæ quoque in ſpeciem ipſum diſceſſum improbabant, velut pactis adverſum, ac eo tempore ſuſceptum, quo virtutis ſpecimina edenda erant, revera tamen in ſinu gaudebant imperioſam claſſem abiiſſe, ac ſibi deinceps liberum fore nullo impediente, aut moderante rem gerere. Aſt Sidneium abſentia ſuarum virium haut parum turbabat, non ignarum, quam exigui ponderis inermes ſermones deinceps futuri ſint adverſus Belgas tanta claſſe ſuccinctos. Enimvero Carolus Guſtavus revera gaudebat totam claſſem Anglicam diſcedere, quod pars remanens Sidneio moderante adverſus Svecos foret adhibenda, qui omni ſtudio id agebat, ut Anglicam claſſem Svecis immitteret. Cui conſilio prævertendo, & ne per paucorum invidiam natio Anglicana in Svecos hoſtilia ſumeret, Montacutius cum claſſe in Angliam properabat, teſtatus ſe affectum in Regem conſervaturum, cujus generoſitatem ac æquitatem penitius inſpexerit. Ac revera iſte uti diſceſſu ſuo Regi gratum officium præſtabat; ita & antea haut ſpernendum operæ pretium fecerat Guſtavo Wrangelio è faucibus Belgarum erepto, & hinc inde horum deſtinatis diſturbatis. Rex Legatis ſuis in Anglia injungebat, ut Parlamento gratias agerent, quod claſſem ſuam tamdiu in ipſius favorem in Dania reliquiſſent. In quem ſenſum & literas ad Parlamentum dabat. Quibus allatis Legati proteſtationem, quam conceperunt, Parlamento exhibere omittebant, ne idem ad nocendum Sveciæ irritarent. Juſſerat quoque Rex, ut iidem Montacutium Parlamento commendarent; quod ne facerent ipſe Montacutius rogabat, ne magis ipſi ea commendatione nocerent, quod antea jam iſti inviſus eſſet. Ac noluerat Parlamentum cum tota claſſe iſtum diſcedere, ſed ut quindecim naves in Oreſunda relinquerent, ad quas annona inſtruendas jam navigia miſſa erant. Quin & idem cum viginti mil- 1659.

liaria ab Anglis abeſſet, mandata acceperat, ut cum quindecim navibus in Oreſunda maneret. Ac indignabantur, iſtum ſuo abitu Belgis potiores partes confeciſſe, ac nunc Legatorum ſuorum ſeſquipedalia dicta absque pondere fore. Ac jam in Parlamento decernebatur quindecim naves in Oreſundam remittendas, quæ Belgis junctæ rem gererent; id quod tamen effectu caruit. Porro Montacutium Neoportus varie arguebat, inprimis quod adverſus conventa è Dania diſceſſiſſet. Cui à Parlamento reſponſum; Belgarum miniſtros & præfectos multa adverſus id pactum patraſſe; ac cum Montacutius cum illis convenire voluiſſet ſuper numero navium in freto relinquendarum, Legatos Belgicos defectum mandati excuſaſſe. Interim inopiam annonæ claſſi ſuæ diſceſſum imperaſſe. De cætero ſtare ſibi ſententiam pactum exſequi, non facta mentione, utrum claſſem eo mittere velint, an minus. Revera tamen Montacutius abitu ſuo rationes Parlamenti plane confuderat, ſic ut quid circa Danicum negotium deinceps facerent, non conſtaret; quo nomine & Sidneius apud Parlamentum iſtum accuſaverat. Cæterum Legati Svecici haut conſultum judicabant Parlamento blanditiis adrepere, ſed frontem potius adducere; quo intelligeret, Svecicæ ſalutem ab ipſius ſupercilio non pendere. Ac revera ejusdem amicitia colenda erat magis ne noceret, quam quod inſigne ſubſidium cauſæ communi ab illo expectandum foret; cum crederet inani autoritatis oſtentatione rem à ſe confectum iri. In Anglia ſparſum fuerat, à Rege gladium in Sidneium ſtrictum hisce cum verbis: ſe ab ipſis Regicidis nunquam boni quid expectaſſe; ac ut cum claſſe ſua faceſſerent, quod tutoribus ſibi opus non ſit. Sed Montacutius iſta mendacia eſſe teſtabatur. Porro Legati Svecici loco aſperæ proteſtationis modeſtam deductionem Parlamento exhibebant de belli Danici ſucceſſu, & quomodo circa id Angli ſe geſſerint, refutatis in contrarium rationibus. Sed omnis opera ludebatur, prævalentibus Belgarum conſiliis, nec id ſcriptum Parlamento prælegebatur. Mox Lamberto, inde Monckio inſurgente ſumma per Angliam confuſio, ut de exter- *Monck.*

nis

1659. nis rebus curam ſuſcipere haut vacaret.

Circa pacem incaſſum fatagitur. 27. Aug.

§. 50. Aſt in Dania altero poſt Anglicæ claſſis diſceſſum die congreſſu inter Commiſſarios Regios habito, Dani jactabant; cœptum tractandi modum lentum nimis eſſe, ac breviorem inſtitui poſtulabant. Fridericum Regem edidiſſe declarationem ad formulam pacis per Sequeſtres conceptam. Eam Sveci quoque acceptam luſtrarent. Alias ſe haut longius in tractatu progreſſuros. Eam declarationem dicis tantum cauſa à Danis factam conſtabat, ut qualiscunque color Belgis præberetur arma in Svecum ſtringendi, quem norant nihil ſuo faſtigio indignum admiſſurum. Sane Danus per miniſtros ſuos acriter in Anglia & Belgio inſtabat, ne paci Roſchildenſi, & pactis Hagenſibus inſiſtatur. Ac ipſi Sequeſtres fatebantur, ſi vel maxime Carolus Guſtavus pure pactum Hagenſe acceptaſſet, Danum tamen eodem haut adquieturum fuiſſe. Unde ad ea Sveci: Non eſſe Sequeſtrium formulas concipere, inſciis partibus. Proſtituiſſe dignitatem ſuam Daniæ Regem, ſi ad ejusmodi declarationem faciendam compelli ſe paſſus ſit. Dani neceſſitatem excuſabant, ac ſingulas belli horas aliquot uncialium millibus ſibi conſtare. Sibi injunctum fuiſſe eam declarationem in Sequeſtrium manus tradere, ab his Regi Sveciæ exhibendam. Acceſſere mox in tentorium Angli, & Belgæ, dictam Dani declarationem Svecis traditurі. Sed cum Sveci eum agendi modum incongruum adſpernarentur, metu repulſæ eandem proferre verebantur. Argumentum tamen ſcripti ſermone exponebant: Regem Daniæ declaraſſe, ſibi decretum pactis Hagenſibus plane ſe attemperare, ac Sequeſtrium arbitrium in hac cauſa agnoſcere. Reponebant Sveci: Sequeſtrium operam Regi fore gratiſſimam, modo interponatur, ubi requiſita ſit, & tanquam ab amicis non tanquam ab arbitris, tractatione negotiorum Commiſſariis utriusque Regis relicta. Nunc inauditum eſſe, pacta inter alios inſcio Rege inita ipſi obtrudi, ac Reſpublicas Regibus leges præſcribere, aut à ſe Sequeſtribus diſſentientes Principes invitos ad placita ipſorum acceptanda compelli. Sed ſi communi, ac inter Arctoa Regna recepto more tractare velint, non dubitare, quin via ad pacem tantopere deſideratam plana ac facilis ſit futura. Ita tunc diſceſſum. Belgæ Hafniam reverſi mandata ad Reuterum iterabant, ut omni vi rem adverſus Svecos gerat, ubicunque occaſio ſit. Id quod & ſequenti die Gallo & Anglis denuntiabant, jactantes; id paci moram haut alaturum, quæ cum alia via obtineri nequeat, ex conventione trium ſtatuum ita quæri debuerit. Interim ipſi operam junctis ſecum conſiliis continuarent. Se tamen graviſſimas ob rationes apud tentoria comparere non amplius poſſe, quoad conſtet, à Sveco Ordinum Fœderatorum officium, ſeque pro dignitate acceptatum iri. Ad quæ iſti agnoſcebant, Belgas nil adverſus conventa feciſſe, ac ſe nihil tanquam ſequeſtres ipſis inconſultis facturos. Revertere biduo poſt Terlonus & Sidneius in caſtra, ut cognoſcerent, num ab Rege quid reſponſi ad poſtulata Danorum, aut formulam Sequeſtrium veniſſet. Ac valde inſtabant Angli, ut vel in aurem Rex ipſis declaret, quid circa formulam ſuam eidem videatur, quo Belgarum hoſtiles conatus antevertere poſſint; qui multa minabundi jactarint; pari ardore ſe ad Hafniam, quam Amſtelodamum ſervandum connixuros. Sed Sveci absque ambagibus oſtendebant, operam ipſos ludere, ſi huic viæ amplius inſiſtant. Nam Danorum poſtulata ita laxe concepta, ut fruſtra ſit ad ea reſpondere; ac Regem omnia potius, ipſamque vitam periculo expoſiturum, quam Sequeſtrium dictatis ſe ſubmiſſurum. Revera tamen pacem cupere, modo ea pro Imperio ſibi non obtrudatur. Porro quia hieme jam ingruente tentoria tractationi non amplius apta ſint, proponebant, ut negotiatio Roſchildiam, Helſingoram, aut Fridericiburgum transferatur. Complures inde dies elabebantur, Danis apud tentoria non comparentibus. Unde Sveci tædio morarum capti minabantur; ſi Danis pax cordi non ſit, ſe ante oſtium ipſorum diutius jacere, ac pacem mendicare nolle. Igitur Sequeſtres apud Regem Daniæ inſtabant, ut tractatus continuare, & aliquem è tribus locis per Svecos propoſitis, qui maxime conveniens videatur, eli- 1659 11. Sept.

1659. gere velit. Sed is utrumque recusabat, quoad Rex Sveciæ declararit, prout ipse fecerit, quod pacem ea quam Sequestres exhibuissent forma acceptarit; tum ad quinque articulos à se propositos responsum dederit. Ea declaratione non contenti Sequestres demum Regem Daniæ ut-ut acriter renitentem, eo compulerunt, ut Joachimum Gerstorfium reliquis Commissariis adjungeret, ea tamen conditione, ut Belgica classis ac terrestris miles interim bellum adversus Svecos persequeretur, quousque pax ad optatum finem perducta foret. Ita tractatus instaurabantur, sed locus non mutabatur abnuentibus Danis, ac Belgis, qui tam longe à mari & sua classe disjungi nolebant. Tentoria tamen amovebantur, ac domus ex asseribus struebantur arcendis injuriis aëris. Congrediebantur inde Commissarii aliquoties nullo fructu, Danis languide valde negotium tractantibus, ac complures interdum dies interponentibus, cum Sveci semper in castris parati essent. Scilicet quod Dani sperarent, ingens se operæ pretium armis adversus Svecos facturos. Ac inprimis amor pacis Danis decesserat post Montacutii abitum, cui Belgæ parum fidebant, ac semper oculos ad ipsum reflectere necessum habuerant. Sed nunc facultatem nacti erant destinata sua adversus Svecos exsequendi; quam occasionem dum Dani captant, tractatus hucusque variis artibus extraxerant.

Danorum inanes cautiones.

§. 51. Inter inanes istas disceptationes Reuterus totam æstatem in Majore Balte non sine molestia exegerat. Sed post abitum classis Anglicæ is mox Hafniam adpellebat: inde versus Oresundam tendebat, obsesso Landscronæ portu. Sub Cronenburgo duæ naves bellicæ jacebant, quas idem perdere cupiebat: sed quia naves incendiariæ frustra fuerunt, haut operæ pretium visum cum periculo istas oppugnare. Multi credidere, in proclivi eidem fuisse classem Svecicam intra portum destruere, ni Belgis magis propositum fuisset Svecos ad æquilibrium deducere, quam opprimere. Quanquam nec accessus adeo facilis futurus erat per machinas castelli, & quæ passim ad littus excitatis suggestibus dispositæ erant. Ne tamen tanta classis nihil ageret, Killegræus, qui peditatui navibus impositio imperabat, cum mille ducentis peditibus, undecim navibus bellicis, ac septem incendiariis ad intercipiendum Coagium mittitur. Retulerant exploratores Friderico Regi, in oppido non ultra ducentos milites hærere, ac opera versus mare aperta esse. Sed Sveci hoc conatu intellecto raptim oppidum armatis impleverant; ac eodem advolans Carolus Gustavus omnia parari curaverat his hospitibus excipiendis. Killegræus horum ignarus jam ad sesqui milliare ab oppido per tenebras accesserat. Sed ingruente malacia diem expectare coactus hostem jam instructum eminus conspiciebat. Ita certissimum exitium declinans, quod ipsi imminebat, si in terram pergeret, retro ad classem se recepit. Eodem tempore Dani Ydstadii in Scania validam peditum manum in terram exposuerant, motum aliquem provincialium captantes; quo & Killegræus cum Belgis ire jussus est. Sed cum Rex contractis copiis in Danos tenderet, isti relicta Scania irriti Hafniam reverterunt, Belgicum ibi militem, qui post tot menses in navibus exactos languebat, in terram exposituri. Sed cives Hafnienses tam numerosa auxilia suspectantes, ac ne morbos isti, famemque secum importarent, ingressum in urbem negabant, sat validos se huic defendendæ ferentes. Quæ repulsa non parum Belgarum affectum erga Danos refrigerabat, qui nefas esse judicabant ab iis quid sibi negari, qui ipsis omnia debebant.

Killegræus. *Kuge.* *Ydstadii.*

Proditores deprehenduntur.

§. 52. Sed & quæ per proditores Svecis struebant Dani, incassum cadebant. Conspiraverant inter se quidam Helsingoræ cives circa Cronenburgum repente opprimendum ope agrestium, quorum centuriæ aliquot novis ibi extruendis operibus contractæ erant. Hi ductore Stenvvinckelio architecto ex compacto in arcem irrupturi erant, quando qui ligna præsidiariis subvehebant, unum & alterum currum sub ipsa porta everterissent. Ea conatus designatio Regi Friderico significabatur; qui multis laudibus & promissis ad rem strenue suscipiendam eos animabat. Literas hinc inde portabat quidam exigui in cymba piscantis specie, qui

1659. qui cum inobſervatus Hafniam penetraſſet, noctu Helſingoram reverſurus, dum naves Svecicas præterit, viſus eſt ſcapham in ſe euntem conſpicere. Unde territus literas lapidi alligatas in mare projecit non procul à litore. Sed rupto vinculo, quo lapis alligatus erat, epiſtola ad litus adpulſa fluctuabat; quam eques è caſtris Helſingoram tendens conſpectum ſuſtulit, ac Regi tradidit. Ita ſcena proditionis detecta fuit; ac unus & alter facinoris architectus pœnas capite dedit, alii pecunia multati ſunt, quidam aufugere. Inter quos & ſtudioſus quidam fuerat, qui Regem veneno tollendum in ſe ſuſceperat. Sed & circa *Malmoe.* Malmogiam Danis prodendam jamdudum conſpiratio agitata, ac ob multitudinem conſciorum demum propalata fuit. Ac jam ſuperiore hieme bis copiæ Hafnia ſolverant, quæ apud portum à calce dictum, quadrantem *Lymhamb.* milliaris ab oppido diſtantem, exſcenſionem facturæ erant; ſed prima vice ventus adverſus ſurgens iter inhibuit; *Saltholm.* altera vice navigia arenis Saltholmenſibus adhæſerunt. Cæterum inquiſi- *13. Sept.* tione facta cum jam ſententia in noxios pronuntianda eſſet, forte fortuna inventæ ſunt literæ, ad illuſtrandum id negotium multum facientes. Primarius conſpirationis autor apud eum portum domicilium habebat, qui literas Hafnia acceptas, & exempla earum, quas ipſe eodem miſerat, ciſtellæ incluſas in loco, ubi calx eruitur, frutice occultaverat, lapide ſuper impoſito. Eam ciſtellam vulpecula effoſſam in apertum protraxerat, in qua autographæ literæ Friderici Regis, Jo- *Tvolle.* achimi Gerſtorfii, & Cornificii Trollii inventæ ſunt; ex quibus inter alios Cornificius Ulfeldius conſpirationis particeps deprehenſus fuit. Is patria quondam profugus in Svecia receptum invenerat, honoribusque & inſignibus beneficiis mactatus erat, bonis quoque pace, Roſchildenſi in Dania recuperatis. Nec eo minus bello recrudeſcente mobilitate animi, an quia de rebus Svecicis deſperaverat, flagitio gratiam ſibi Danorum recuperare ſtudebat. Sed ubi proditionem detectam ſenſit, ſubito ſibi per apoplexiam loquelæ uſum ademtum ſimulavit, ac complures per menſes lecto affixus exegit. Ejus viri fortunam poſt ſequenti anno affinis ipſius Hannibal Seeſtedius memorabili dolo plane evertit, cœco dudum in iſtum odio flagrans. Nec igitur iſte apud Svecos veterem gratiam repararet, reditibusque ſuis in Dania libere frueretur, Seeſtedius Friderico Regi ſuggeſſit, ut ſibi Holmiam proficiſcenti in mandatis daretur cauſam Ulfeldii apud Senatum Sveciæ commendare. Id quippe non poſſe non ipſum ſuſpectum reddere, ſi pro illo is intercedat, in cujus gratiam idem proditionem ſuſcepiſſe arguebatur. Sveci dolum iſtum haut ſentientes, & quia poſt mortem Regis, bellique finem non omnia ad unguem reſecanda ducebant, Ulfeldium abſolvebant, velut haut ſatis convictum, nec defenſum, morbo loquelæ uſum adimente. Aſt Seeſtedius, cum aſtutia ſua contrarium effectum ſortita eſſet ad Comitem Petrum Brahæum accedebat, ab eoque contendebat, ut Sententia Senatus haut divulgetur, ſed ſibi tradetur, quo eadem Ulfeldio exhibita ſuam gratiam facere poſſit. Mox ſententia accepta Terlono, ac Sidneio perſuaſit, Ulfeldium à Senatu damnatum rogavitque, ut idem per literas Ulfeldio propere ſignificent, quo is ſaluti ſuæ per fugam conſulere poſſit. Quorum literis acceptis Ulfeldius territus eluſis cuſtodibus Malmogia Hafniam malo ſuo fato evaſit. Ita per fugam iſtam velut ex conſcientia flagitii ſuſceptam aditum ſibi ad Svecos percluſit, & citra prævium reconciliationem in Daniam accedens, apud Fridericum Regem, quem atrociſſime offenderat, haut indebitam ultionem invenit. Cæterum Reuterus, cum in Oreſunda nullum operæ pretium feciſſet, à Friderico Rege cum copiis Belgicis, ac multis navigiis minoribus in Holſatiam mittebatur conſenſu Legatorum Belgicorum: ut ibi Fœderatorum copias in Fioniam transportaret. Sed Opdamus, poſtquam plurimas naves annona onuſtas Hafniam deduxiſſet, à Friderico magnifice donatus Oreſundam cum viginti navibus tranſiit, machinis verſus utramque arcem hoſtili modo diſploſis. In Hollandiam reverſo ab Ordinibus Fœderatis, etſi quibusdam contradicentibus, publice gratiæ ſunt actæ, quod negotium commiſſum bene & prudenter adminiſtraſſet. 1659

§. 53. Inter hæc Rex Nicopiam Falſtriæ abierat, ut Pomeraniæ eo propinquior eſſet, in quam Fœderatorum *Sequeſtres Regem in Falſtria adeunt.*

1659. rum exercitus se infuderat. Eodem accessere Gallus, & Angli, negotium pacis quantum possent promoturi. Etsi Angli, antequam eo irent, ferociter admodum differerent: si paci penes Svecos mora sit, se mox effecturos ut classis cum milite veniat, & acrius se Svecis incubituros, quam Belgæ faciant. Tum si semel res in bellum cum ipsis eruperit, Svecis haut ita in promtu fore pace quando velint potiri, ac simul sumtus belli ab iisdem solvendos. Quo casu Anglia fœdus cum Belgis & Danis initura sit, ac fortasse cum aliis horum sociis. Ac redditis Regi à Parlamento literis mox percepturos, quid animi eidem sit, ac inde consilia capturos. Earum literarum, quæ ante Montacutii ex Oresunda discessum scriptæ fuerant, argumentum erat; ut Rex Hagensi pacto se attemperet, ac Nidrosia cedat; additis minis, ni id faciat, classem se domum revocaturos. Porro cum istis Belgæ proficisci recusabant, quod à Rege hostium loco haberentur. Datis tamen ad Regem literis studium pacis testabantur. Cum Nicopiæ negotiatio suscipienda esset, statim adparebat, absque Belgis nihil concludi posse; eoque placuit per literas ipsos eodem invitandos. Addebatur à Rege salvus conductus, ac equitum caterva, quæ comitaretur, cum ministris Regiis; qui in itinere iisdem adparerent. Nicopiam delatis loca & lautia præbita sunt, tractatioque suscepta non sine expectatione, quod ubique magna in pacem propensio adpareret. Sed cum circa modum tractandi Rex suæ sententiæ, Sequestres antiquæ viæ insisterent, nihil 25. Octob. concluſum fuit. Cupiebant Sveci, antequam ad negotium pacis accederetur, prævia quædam postulata à Sequestribus annui: ut tres status primo junctim, inde & singulatim caverent, conventa à Danis impletum atque servatum iri. Tum operam darent, ut bellum à Cæsare & Brandenburgico in favorem Dani provinciis Svecicis illatum quamprimum componatur, omniaque ab istis ablata sibi restituantur, præstita cautione, Regem non amplius abs quovis contra pacem Westphalicam lædendum: aut si isti erepta restituere abnuant, tres status per vim eosdem compellant, guarancia sua pro iis provinciis in futurum interposita. His ita promissis Regem in gratiam trium statuum ad pacem cum Dano ineundam descensurum, pacto Roschildensi rite intellecto superstruendam. Alias præsentem Regis statum non ferre, ut is ob præsens bellum non paucis in Germania locis exutus per tractatus insuper partis in Dania commodis privetur; aut ut in Germanicum bellum præcipitet, nullo socio, nec idonea belli sede. Cæterum pronum esse Regem non solum reparandæ cum Belgis amicitiæ, sed & paci cum Cæsare & Brandenburgico ineundæ citra satisfactionem. Ad ista Sequestres guarantiam annuebant; circa reliqua se facturos quantum possint. Roschildensem pacem in his mutandam; ut Dano liberum sit fœdera defensiva cum quibusvis inire; ut ob damna hoc bello accepta eidem Nidrosia concedatur: ut ex convento copiæ Sveciæ Dania educantur: in aliis articulis ea pax subsistat. Addebant, ne Rex Sveciæ ullum onus in Oresunda unquam imponat, ut trium statuum cives in portubus Sveciæ pari jure gaudeant: fœdus Elbingense cum Elucidationibus à Rege ratum habeatur, cujus beneficio etiam Galli, Anglique fruantur, eidemque Brandenburgicus, & Gedanenses si velint includantur. Pace Danica Dux Gottorpiensis, & Hanseatici comprehendantur, ac Bornholmensibus per amnestiam caveatur. Demum & tres status operam pollicebantur bello Polonico, & controversiis cum Brandenburgico componendis. Id scriptum trium statuum Legati Svecicis Commissariis tradebant. Sed quia Belgæ vocabulum Mediatorum sibi tribuerant Sveci primo id acceptare abnuebant; quod inauditum sit, alteri invito Sequestrem se obtrudere. Demum id admittebant, postquam Sidneius inspectantibus Belgis id vocabulum expunxisset. Cæterum cum Rex animadverteret, à Sequestribus id agi, ut ipse posito in Dania bello Austriacis immittatur, istis late demonstrabat; talem pacem constituendam, qua ipse non in deteriorem conditionem reponatur. quam nunc sit. Non sibi cum sola Dania rem esse, nec sola pace Dania molestiis se belli extricari, sed potius si Dano provincias ac munitiones suas reddat, Gladium in manus tradi ipsi lædendo. Eundem multis se fœderatis innexuisse, qui ejus instinctu Sveciam invaserint. 1659.

Unde

Digitized by Google

MAJUS
Promontorium Cimbri
Skiahaven
BURGICUS
Cimbrica
Baltieum
Magna
Promontorium Cimbri

1659. Unde ſibi non conſuli, ni & alii hoſtes cervicibus ſuis amoveantur per pacem, aut peculiari ſequeſtrium guarantia, qua ſeſe obſtringant ad recuperanda loca, occaſione Danici belli ſibi erepta. Non igitur ex dictato pacti Hagenſis, ſed ex rationibus ſui ſtatus pacem ſibi faciendam. Quod autem Daniæ inhærere ſtatuerit, id non fieri ex cupidine inſigne quid lucrandi, ſed ex inevitabili neceſſitate ſe conſervandi. Nam Daniam relinquere ſolis hujus verbis confiſum ſtolidum eſſe, ac ſe nimio ſuo diſpendio didiciſſe, quantopere iſti fidem ſervare cordi ſit. Nec eandem diutius pacem culturam, quam occaſio adparuerit Sveciæ noxam inferendi. Unde neceſſum ſibi eſſe Daniam ita conſtringere, ne deinceps facultas ſit pravam voluntatem expromendi. His deductis Angli non obſcure ſignificabant, ſibi modicam valde rerum Svecicarum notitiam fuiſſe, niſi quam Dani & Belgæ per affectus detortam ſuggeſſerint. Unde paulo mitiores redditi rationes Regis deinceps magis quam antea ad aures admittere viſi ſunt: ac inprimis, Regi conſultum non eſſe Dania excedere, niſi recuperatis in Pomerania locis. Cæterum quia declaratio ſequeſtrium ad Regis poſtulata reipſa pactum Hagenſe exprimebat, quod Rex ſibi obtrudi nolebat, nihil amplius tunc effectum fuit: ac eo minus cedere tunc decorum erat, ne metu hoſtium frangi videretur. Reliquum ibi tempus venationibus & conviviis conſumebatur, Rege non minus humanitatis privatim, quam conſtantiæ publice oſtendente. Ac commodum ad menſam cum Legatis accumbenti nuntius de hoſtili claſſe haut procul conſpecta afferebatur; quem tamen Rex diſſimulabat convivio per lætitiam in multam noctem extracto. Sed idem ſummo mane inſulam circumiens omnia diſponebat, ſi forte hoſtes ibi in terram exſcendere velint. Sed cum per crebros nuntios, ignesque in ſummitatibus collium excitatis moneretur, hoſtes Majorem Balten ingreſſos, Rex relicta Falſtria Corſæram raptim petiit; ſequeſtres Hafniam reverterunt.

Fionia ab hoſte invaditur.

§. 54. Aſt hoſti ſumma rerum tunc in eo verti videbatur, ut Svecis Fioniam eriperet, quam Palatinus Sultzbacenſis curabat, Wrangelio ad Pomeraniam tuendam transgreſſo. Iſti Rex mandata miſerat, ut ſi conſpiciat ab hoſte Langelandiam peti, omnibus ibi flamma corruptis militem in Fionia avocaret. Sed iſta omiſſa hoſti Fioniam ſumma vi invadere animus erat. Impoſuerat navibus Joannes Schackius Chilonii octodecim equitum centurias, ſexcentos pedites, Danicum militem; ac duo millia quingentos auxiliares Germanicos. Cæſarei, Poloni, & Brandenburgici terreſtri itinere ſub Eberſteinio Mittelfartum verſus tendebant, navibus quibusdam eo miſſis trajectui promovendo. Aſt claſſis itinere celerius confecto Langelandiam prætergreſſa in conſpectum Niburgi venerat, anchoris in oſtio portus jactis ubi de conſilii ſententia decretum exſcenſionem tentare. Ei deſtinato exequendo Joannes Alfeldius cum duobus militum millibus miſſus eſt. Sed quia pleræque cymbæ, quibus miles impoſitus erat, per tenebras à recto curſu aberraverant, aut vento adverſo diſperſæ fuerant, orta luce infecta re ad claſſem reverterunt. Sequenti die claſſis levatis anchoris juxta litus ſecundo vento vela faciebat Cartemundam usque, ubi conſpecto loci ſitu commodius videbatur in terram exſcendere. Igitur ſtatim cymbæ militibus impletæ litus verſus dimittuntur. Primum locum tenebant Dani, ſed qui longius à litore brevibus ad hærentes progredi ulterius non poterant. Unde Belgæ pectore tenus in aquam inſilientes ad terram tendebant, cum interim è navibus machinæ oppidum pontemque, ac circumjectum litus infeſtum haberent. Ingruentibus pauci Svecici equites in aquam usque obviam tendebant, ſed qui multitudine hoſtium facile repellebantur. Et quia ſubmiſſi à Palatino pedites, citra quos exſcenſio prohiberi non poterat, ita celeriter Cartemundæ adeſſe non poterant. Sveci noctu oppidum deſeruerunt, Danisque que in proclivi fuit pedem ibi figere. Equorum inde in terram expoſitio complures horas abſumebat. Schackius, cum de Eberſteinii adventu nihil audiret, aliquot per dies Cartemundæ hærebat, ubi miles refectus foret Othoniam abiturus, etſi Sveci anguſtias viarum, qua tranſeundum erat, obſediſſent.

Schak. Kiel.

Eberſtein.

Niburg.

Carte-munde.

Odenſe.

1659. *Regis circa ſervandam Fioniam cura.*

§. 55. Aſt Regem non tam pro conſervanda ea inſula, quam milite veterano, & ſelectiſſimo ingens cura tenebat. Jusſerat is initio quicquid annonæ in Fionia reperiretur, Niburgum convehi, ibique idoneo præſidio relicto reliquum militem in Selandiam reduci. Ac ſpes erat ibi ſuſtineri poſſe, quoad Rex impreſſione è Wismaria in Holſatiam facta hoſtem inde abſtraheret; præſertim cum claſſis ultra menſem mare tenere non poſſet. Sed ea mandata fruſtra erant, quod navigiorum copia in Fionia non eſſet, ac hoſtilis claſſis aditum in Selandiam obſediſſet. Quæ & cauſa erat, quare ipſe eodem ſe non conferret, quod alias ſummopere cupiebat, ne forte in trajectu interciperetur. Miſſus tamen eodem Guſtavus Otto Stenbockius ad rem ibi cum Sulzbacenſi adminiſtrandam, cui quatuor equitum millia, pedites mille circiter erant. Interea & Eberſteinius fretum apud Mittelfartum transmiſerat. Stipabant iſtum quatuor equeſtres legiones Cæſareæ, totidem Brandenburgicæ, ſexcenti Poloni, totidem Danici dimachæ, ac mille equites Danici; qui omnes per triduum tredecim cymbis traducebantur, equis natantibus fræno tractis, nemine obſiſtente. Nam Sveci qui in caſtellis & loricis ad litus excitatis agebant, conſpecto hoſte ſtationes ſuas deſeruerant, paratu bellico non modico, & triginta machinis relictis; utut quæ promovendo trajectui deſtinatæ fuerant naves bellicæ ob adverſum ventum haut adeſſent. Eberſteinius tam facilem trajectum miratus, ac inſidias Svecorum metuens ita circumſpecte iter faciebat, ut vix intra ſeptem dies totidem milliaria Othoniam emetiretur. Ubi Schackium & Killegræum invenit, qui triduo ante acceſſerant, ipſiusque adventum expectabant. Sulzbacenſis audito fœderatorum apud Mittelfartum tranſitu primo decreverat toto cum equitatu iſtos ante conjunctionem invadere; id quod & Regi probabatur. Sed mox ſententiam mutabat, quod equites continuo labore fatigati eſſent; ac ne forte in medio ab hoſte hinc inde ingruente interciperetur, retro Niburgum vertebat, Rege ſummopere indignante, quod cum copiarum exitio conjunctum ſit loco includi, cui ab annona & pabulo haut proſpectum, id quod gravius erat, quam ancipiti prælio confligere; ac quo plus temporis hoſti conceſſum erat, eo magis iſti confirmare ſe licuerat. Copias autem eodem trajicere, quæ hoſti pares eſſe poſſent, conſultum haut ducebat Rex, quod annona ibi in promtu non eſſet, ac hoſtica claſſis toto freto vagaretur. Unde Rex aliud remedium tentabat ad copias ſuas conſervandas, miſſis ad Commiſſarios ſuos mandatis, ut occaſionem arriperent congreſſum ſequeſtrium petendi è formula guarantiæ, quam nuper exhibuerint. Et quia iidem poſtremo in Falſtria congreſſu paulo humaniores ſe exhibuerint, oſtenſo quoque ſtudio circa ſervandas Germanicas provincias, ipſis proponerent, quam periculoſo in ſtatu iſtæ verſarentur, operibus jam ad foſſas Stetini, ac Demmini promotis, ſic ut utrinque oppido periculum immineat, ni mature ſubveniatur. Igitur quia Rex antea Sultzbacenſi injunxerit copias Fionia deducere ad ſubſidium Germanicis provinciis ferendum, per Gallum & Anglos è Belgis ſciſcitarentur, an non his placeat Fioniam recipere, Svecicis inde copiis in Germaniam deductis, ad ſiſtendos Fœderatorum progreſſus. Ubi tamen diſſimularent periculum, in quo Niburgum verſetur, viresque Svecicas ibi extollerent, quibus Rex omnibus modis ſubventurus ſit. Quod ſi Belgæ ſoli eam inſulam ſequeſtro accipere nolint, conſentiebat Rex, ut tres Mediatores heic concurrerent, quin ut ea Dano reſtitueretur, modo copiæ ſuæ ſervarentur. Quod ſi Belgæ cauſentur, Dani in hoc negotio præcipuas eſſe partes, cujus auſpiciis expeditio in Fioniam ſuſcepta ſit, ac ſibi nihil præter pacem quæri, de Regis quoque ſtudio in pacem teſtarentur; ſed cavendum ipſis eſſe, ne Danus hucusque ſat refractarius ſociorum auxilio ad pacem recuſandam obfirmetur. Nunc pacem optime promoveri, ſi copiæ Svecicæ in Germaniam transportentur, ac Dano naves & pedites Belgarum ſubtrahantur. De cætero Regi placere pacem Roſchildenſem genuino ſuo ſenſu inſtaurari, modo circa tertium articulum caveatur, ne Danus hoſtium Sveciæ navibus & militibus receptum in ſuis portubus & fretis præbeat, ac circa omnia fœdera ita ſe gerat, ut conſtituenda inter ipſos amicitia ne lædatur: tum

1659.

17. *Nov.*

Demmin.

ut in

Digitized by Google



Digitized by Google

1659. ut in Orcſunda omnibus liber tranſitus concedatur abolito Danorum vectigali, ac pro Nidroſia & Bornholmia Aggershuſanus diſtrictus in Norvegia Sveciæ attribuatur.

Clades Svecorum in Fionia. 14. Nov.

§. 56. Enimvero ſerum erat id conſilium, cum jam clades in Fionia accepta eſſet. Nam Fœderati Othoniæ juncti novem bellatorum millia explentes, Svecis duplo fere numeroſiores prælium tentare conſtituerant, ubicunque Sveci copiam ſui facerent. Igitur Niburgum verſus progreſſi hoſce ſesquimilliare abhinc in acie conſiſtentes invenerunt, queis nulla quam in armis ſalus ſupererat. Dextrum Svecorum cornu novem equitum alæ componebant, cui ipſe Sulzbacenſis præerat. E novem iſtis alis quatuor poſteriorem aciem conſtituebant,

Boettiger. Boettigero ſummo excubiarum præfecto curante. Id cornu centum dimachæ à dextris claudebant; frons tribus machinis firmabatur. Siniſtrum cornu pari robore conſtans eodem modo diſpoſitum erat, quod Henricus

Waldeck. Hornius, & Joſias Waldeccæ Comes regebant. Mediam aciem quatuor phalangibus conſtantem, quæ quatuordecim centurias non excedebant, Stenbockius adminiſtrabat, quinque machinis comitantibus. Tergum ipſorum ſylva tutum præſtabat: frontem foſſa alicubi qua humilior campus erat aquis impleta, tegebat, ſed quæ hinc inde interrupta alis tranſitum dabat, ſi cum hoſte manus conſerendæ eſſent. Contra Fœderatorum copiæ in duo corpora diviſa erant ſub Eberſteinio & Schackio. Iſtius dextro cor-

Quaſt. nu præerat Quaſtius ſummus vigiliarum præfectus, quod è legionibus Brandenburgicis paucis Polonis, & cohorte dimacharum Danicorum com-

Von der Natte. Matthai. ponebatur. In ſecunda acie Comes Nattius, & Matthæus tribuni cum legionibus ſuis conſiſtebant. Duæ tenues peditum Danicorum phalanges mediam aciem conficiebant, cujus fronsquatuordecim machinis firmabatur. Siniſtra ala conſtabat Cæſareis Polonis, turma ex Eberſteinii legione, & paucis dimachis, quibus quinque peditum Belgicorum cohortes accedebant. Reliquæ legionis Eberſteinianæ turmæ, &

Cannenberg. Cannenbergii legio in ſubſidiis conſiſtebat. Schackiæ copiæ ita diſpoſitæ erant. Dextrum ipſius cornu regebat Joannes Alefeldius ſummus vicarius, ſiniſtrum Trampius ſummus excubiarum præfectus. Mediam aciem explebant auxilia Belgica in tres legiones digeſta ſub Killegræo, Allovv, & Meterano tribunis. Eberſteinii copiæ ſiniſtram manum tenebant, quod dextro Svecorum cornu opponi vellent; unde Schackius ſuas copias ad dextram iſti admovebat, ſic ut univerſæ fœderatorum copiæ unam frontem facerent, ſed inæqualem, Eberſteinianis in pugnam feſtinantibus. Præmiſerat Eberſteinius antequam prælium inciperet, quadringentos equites ad Svecorum Ordinem & motum obſervandum; ſed quos Sveci acriter exceptos in mediam hoſtium aciem rejiciebant. Dehinc Eberſteiniani ad foſſam Svecicæ aciei prætenſam ſuggreſſi à Svecis magna cum ſtrage repellebantur, cæſis aut fauciatis omnibus legionis Eberſteinianæ præfectis. Nec Schackio melior ſucceſſus, cujus univerſus equitatus ſolutis Ordinibus in fugam conjiciebatur, ſic ut niſi foſſa Svecos impediiſſet hoſti fuſo incumbere, ac prohibere, ne is apud Belgicos pedites inſtaurare Ordines poſſet, ſine dubio ejus diei victoria penes Svecos futura fuerit. Aſt Killegræus conſpecta equitatus fuga Ordinibus probe clauſis gradum ad foſſam promovebat, ac continuo diſploſis inter procedendum tubis Svecos pedites ad relinquendam foſſam, ac ut retro in campum pedem referrent cogebat. Ubi cum hi iterum reparatis Ordinibus frontem hoſti obverterent, numero obruti, ad unum fere cæſi ſunt à Polonis & Danicis equitibus, qui in prælium reverſi erant. Alefeldius interim & ipſe collectis iterum ac diſpoſitis copiis foſſam ſuperans ſiniſtrum Svecorum cornu invadebat, quod poſt aſperrimam pugnam multitudine exſuperante demum ſundebatur, hoſtibus ad vallum usque oppidi inſiſtentibus. Sultzbacenſis amiſſo pedite, ac fuga ſiniſtri cornu conſpecta, cum nulla victoriæ ſpes ſupereſſet, ſervatis Ordinibus ad oppidum ſe recepit. Nocte ingruente Fœderati propius oppidum ſuggreſſi, ac ſummo mane in aciem diſpoſiti, machinis collocatis aſſultum ex omni parte minabantur, Reutero quoque è navibus acerrime in oppidum fulminante. Cum itaque imperfecta opera adverſus tantam vim à ſolis equitibus defendi non poſſent, mitti-

1659. *Tramp.* *Allovva van Meteren.*

tur ad

1659. tur ad duces hostium tubicen, qui deditionem æquis conditionibus offerret, simul Reuterus monetur, ut è navibus jaculari desistat. Sed cum omnem conditionum mentionem insolens victor adspernaretur, citra exceptionem deditio facienda fuit. Excedebat oppido Henricus Hornius cum tribus equitum millibus, quos una cum captivis, & signis, quæ in prælio Danis erepta fuerant, ducibus hostibus tradebat, qui gregarios suis legionibus admiscebant, præfectis in captivitatem redactis, quibus quadraginta signa equestria, viginti octo pedestria accessere, cum insigni præda. Inter captivos erat Henricus Hornius, ac duo summi vigiliarum præfecti Waldeccius, & Weierus. Joannes Adolfus Vinariensis Dux, & Cunradus Christophorus Kœnigsmarckius pridie in prælio capti fuerant. Decem insuper tribuni, præter inferiorum Ordinum præfectos captivitatis sortem subiere. Cæsorum apud Svecos duo fere millia erant, quos inter Bœttigerus, & alii quidam præfecti inferiorum Ordinum. Dani tribunum
Both. Bothium amiserant, cum subtribuno, uno vigilum, & tribus turmarum præ-
Passasinski. fectis. Occubuerat quoque Passalinius, qui Polonis præerat, & è Belgis
Hemmema. centurio Hemmema. Gregariorum, qui apud Danos ceciderant, numerus quingentos non excedebat. Soli hostium manus evaserunt Sulzbacensis, & Stenbockius, qui cum neque Niburgum defendi posse cernerent, nec ulla auxilii spes esset, anceps periculum, quam certum exitium subire maluerunt, ac cymbis exiguis impositi per mediam Belgarum classem nocturnis tenebris tecti Corsæram evaserunt, Regique cladis suæ nuntium attulerunt. Dani hoc successu inflati bellum in Selandiam transferre cupiebant, quod Svecos hac clade territos ibi crederent. Sed Reuterus hiemem mox ingruentem & periculum à glacie, simul defectum annonæ causatus eos transportare abnuebat, utut isti demonstrarent, paucarum id horarum opus esse. Revera quod Belgis propositum foret Svecos ad pacem compellere, non plane opprimere; nec dum animis excederat, quid exactionem Dani rebus suis quondam florentibus in Oresunda exercuissent. Simul periculosa incrementa Domus Austriacæ in Germania horrebant. Igitur Eberstеinius cum suis in Holsatiam revertebat; Schackius, & Belgicus miles in Fionia subsistebant. Reuterus ingentem onerariarum navium classem Hafniam deducebat. Cæterum ea clades non modicam quidem Caroli Gustavi rebus plagam inferebat, ut tamen is ideo animis haut concideret, quin alacriter res suas instauratum iret. Ac ut Selandiam eo melius tueri posset, copias antea destinatas in Pomeraniam transmittere omittebat; tum subtribunum Butle- *Butler.*
rum jubebat equites è Langelandia cum ephippiis & armis in Lalandiam cymbis trajicere, equis ibi relictis. Simul per reliquas insulas omnia ita disponebantur, ut si quid ulterius tentare hosti subiret, facile resisti posset. Ac nominatim Croneburgum pluribus munitionibus per Ericum Dahlbergium firmabatur. Coagium Stahlius, Corsæram Wyckius, operibus complecti jubebatur. Id quod & circa Nicopiam Falstriæ, & Rutcopiam Langelandiæ factum.

§. 57. Ast sequestres audito quid in *Regis circa conditiones pacis sententia.* 19. Nov.
Fionia gestum esset, Helsingoram se conferebant, sperantes Regem post tantam cladem conditionibus à se latis facilius obtemperaturum. Contra Rex ne infortunio debilitatus videretur, non minus constantiæ quam antea ostendebat. Unde Commissariis suis injungebat, ne per eam cladem commoveri se patiantur, aut in negotiatione trepidationis quid præ se ferant. Nam metuendo res non reparari; nec hoc anni tempore ab hoste multum effici posse; præsertim cum jussu suo ita omnia sint disposita, ut si progressus suos iste prosequi instituat, facile repelli queat. Ne tamen negligant aut protrahant, si quid pro pace effici queat. Ac si declinari nullo modo queat, quin Hagensi compacto stetur, prius à sequestribus scripto sibi caveri curent, conventa servatum iri, nec novas deinceps conditiones obtrudendas, uti antea, cum post acceptatam pacem Roschildensem Angli, Belgæque Nidrosiam decerperent. Tum ut Danus ad eadem amplectanda obstringatur, saltem per Gallos & Anglos, si forte Belgæ in ejusmodi cautionem consentire abnuant; quod probabile sit, Danum, qui nunquam bona fide pacem voluit, nunc successu in Fionia inflatum


Delineatio Geometrica Oppidi.
KÖEG
eo, statu, quo post factam Pacem, Seren.
Rege Daniæ restituebatur A. 1660.
Rhul Ruthen.
NUS.
SIS
NAPOLI

Digitized by Google


PARS SELANDIÆ
Via Andera Nouense
Via Scheluenense
CORSORA
PARS
RIS
NAPOLI

Digitized by Google

Castrorum Sueciæ pars
Tentoria Dom. Regis Sued.

Digitized by Google

NAPOLI

zed by Google

Digitized by Google

1659. ſtatum duriorem adhuc fore; cui & ideo certum tempus trium aut quatuor ſeptimanarum præfigi expediat, intra quod is pacem amplecti teneatur. Cum iniquum ſit, ſe ſemper compelli ad id, quod Sequeſtribus placuerit, Dano integra omnia ſervari. Utque ſi Danus dicto tempore pacem admittere tergiverſetur, ipſe quoque non amplius Hagenſi pacto ſtringatur, ſed ab illo refuſionem damnorum in Germania datorum, aut quæ adhuc metuenda ſint, exigere ſibi liceat, integra pace Roſchildenſi, aut pro Nidroſia æquipollente præſtito. Deinde & id obſervarent Commiſſarii, ne Belgis circa Elucidationes Thorunii factas gratificentur, antequam norint, quid circa Danicos tractatus, & æquivalens pro Nidroſia futurum ſit. Nam ſi circa hoc Belgæ ſibi faveant, ipſe viciſſim Thorunienſem Elucidationem illis indulturus erat. Alias Belgis opponendum; non poſſe ab his aliud quid Elucidationum poſtulari, quam quod in ipſo Elbingenſi fœdere fundetur, quod utrique parti facultatem ſuper vectigalibus in ſua ditione diſponendi reſervet. Præſertim cum, quæ Thorunii placuerant, nudo verbo, non ſcripto, promiſſa ſint non ſine conditione, & onere; ut eadem nunc concedi non poſſint citra conditionem dicti æquivalentis. Quin iſta ipſa à Belgis tunc poſtulata ſint, ut prætextum foret Daniæ auxilia ferre cupientibus; ſic ut ubi cætera convenerint, eam ſolam ob cauſam bellum continuaturi non ſint. Utique autem rem ita diſponerent, ut Svecorum commercia ſalva ſint, quod alias noſtrates, utut immunitate in Oreſunda gaudentes, pari cum Belgis emolumento navigare nequeant. Cupiebat quoque Rex guarantiam ante omnia expediri, ut conſtaret, quid auxilii à Sequeſtribus ſibi expectandum ſit, ſi à Dano pacem abrumpi contingat. Simul ut caveretur, munitiones in Dania à ſe excitatas ſolo iterum æquandas, & cumprimis Cronenburgum tam veteribus quam recentibus munitionibus exuendum, quod illis deinceps opus futurum non ſit, immunitate vectigalium in Oreſunda pro omnibus nationibus ſtabilita.

Rex in eventum cum Belgis tranſigit.

§. 58. Enimvero ſatis animadvertebat Rex, ad ſummam pacis nil poſſe proficiſci, niſi Belgarum deſideriis circa Elbingenſe pactum ſatisfieret. Igitur is demum temporibus cedendum ratus in Elucidationes, quas iſti poſtulabant, ea lege conſentire ſtatuit, ut niſi pace Danica perfecta non valerent, ne quid forte ſui juris gratis condonaret. Quo ipſo & iidem habiles reddebantur muneri Sequeſtrium obeundo, ac calumnia deſtruebatur, velut Rex conſilia de opprimendis commerciis agitaret. Igitur Belgis per Commiſſarios ſuos inſinuat; cum ipſi Anglique confirment, nulla ipſis mandata eſſe præter ea, quæ pacto Hagenſi præeſſe definiuntur, eoque à ſe cupita expedire nequeant; ſibi placere lucrando tempori, & ut interea aliquod operæ pretium fiat, reconciliationem cum ipſis adornare, quo pari deinceps autoritate cum Gallis & Anglis paci conficiendæ operari queant, quam Rex pacto Roſchildenſi ſuperſtructam, & cum dignitate ac ſecuritate ſua conjunctam cupiat. Iſthæc propoſitio à Belgis pronis auribus acceptabatur, velut quæ facultatem ipſis præbitura erat Danum deinceps ad pacem acceptandam preſſius urgendi. Ac mox *Inſtrumentum redintegrationis* conficiebatur, quo omnes offenſæ, controverſiæque, & hoſtiles actiones abolebantur, ac vetus, ſincera, fida, ac perpetuo duratura amicitia inter Regem Regnumque Sveciæ, & Belgarum Rempublicam inſtaurabatur, cum hac tamen exceptione, ut hæc transactio vim obligandi tunc demum ſortiatur, quando pax cum Danis perfecta fuerit. Interea temporis Legati Belgici operam darent non ſolum conciliandæ paci Danicæ, ſed & componendis, quæ adhuc Regi adverſus Belgas reſtent, gravaminibus, idque negotium apud Ordines Fœderatos quam diligentiſſime commendarent. Nam oſtenderant iſti, mandata ſua non ulterius porrigi, quam quæ ſuper pacto Elbingenſi & Elucidationibus conventione Hagenſi continentur, eoque in ſua poteſtate non eſſe ſuper iſtis gravaminibus cum Rege agere. Quæ tamen Rex tantopere non urgebat, cui potius id captabatur, ut promto conſenſu in deſideratas à Belgis Elucidationes demonſtraret, ſibi bellum ac turbas pace haut potiores eſſe, quod ad invidiam ipſi faciendam malevoli ſparſerint. Eodem quoque inſtrumento pactum Elbingenſe, & Thorunii conceſſæ Elucidationes confirmatæ fuerunt, niſi quod §. *Verum enimvero*, quo Belgæ 1659. 29. Nov.

1659. ſuis armatis navibus parem circa vectigalia immunitatem cum Svecicis armatis navibus prætendebant, plane expungeretur. Reſtabant adhuc gravamina de Carlovio, ac erepta Nova Svecia, damnisque ibi datis; tum de ſubſidiis ex pacto Elbingenſi debitis ab eo tempore, quo Moſcus in Livoniam irruperat, deque abrogando tributo, quod navibus Mare Balticum frequentantibus, mercibusque inde petitis in fraudem Sveciæ apud Belgas impoſitum fuerat. Sed quia Rex ob iſthæc transactionem cum Belgis differre nolebat, Cojeto eadem Hagæ expediendi mandabat. Quod ſi Belgæ Regi favere vellent, ut pro Nidroſia & Bornholmia Aggershuſanum diſtrictum, una cum Regiuncula Wurdena poſt mortem Comitis Oldenburgici reciperet, Rex prætenſionem ob ſubſidia, & Novam Sveciam pro millione uncialium caſſurus erat, data inſuper fide, vectigal in merces ligneas ex ea Norvegiæ parte peti ſolitas haut intenſum iri. Nam ideo à ſe Aggershuſanam ditionem deſiderari Sveciæ tegendæ tam opportunam, quod Danus, qui nunc invitus ad pacem deſcendat, haut omiſſurus ſit, primam quamque occaſionem arripere, Sveciam infeſtandi. Aſt ſi Belgæ rem extrahere, ac hoſtilia exercere pergant, Rex quoque pacto Elbingenſi & Elucidationibus teneri nolebat; eoque ut quæ Belgis mens ſuper hiſce eſſet, quamprimum noſſe cupiebat. Iſta porro Regis cum Belgis transactione Angli non parum ſuſpicionis concipiebant, qui & alias in negotiatione eum rigorem adhibebant, ut nulla admiſſa ratione compactum Hagenſe citra exceptionem Regi obtrudere conarentur. De qua Sidneii importunitate Fletvvodus apud Parlamentum queri jubebatur; addito, Regem nullis perſuaſionibus ac minis permoveri poſſe, ut ita crude pactum Hagenſe amplectatur. Nam poſtulabant Angli, ut Rex in anteceſſum Nidroſia cederet, ac ſolis ipſorum verbis acquieſceret, ſe pro viribus cauſam Regis circa Bornholmiam promoturos; cum tamen Rex circa longe plura, quam eam inſulam, ut ſibi ſatisfieret, poſtularet.

Fellgeld.

Aggershuſan. Oldenb.

Regis mandata circa pacem Danicam.

§. 59. Aſt Rex, rebus in Selandia ordinatis, cui Palatinum Sultzbacenſem præfecerat, in Scaniam tranſmiſit, inde Gothoburgum profecturus quo Ordinum Regni conventum edixerat. Et quia Nidroſiam haut gratis amittere placebat, obtinendæ compenſationi multum judicabat profuturum, ſi ditionis Aggershuſanæ poſſeſſionem armis adprehendere daretur. Unde ſub anni finem Haraldum Stakium per Warmiam in Norvegiam irrumpere, Laurentium Kaygium Haldæ obſidium circumponere juſſit; quorum conatibus immitis anni tempeſtas, quo minus operæ pretium facere poſſent, obſtitit; & quia Kaygius vim Haldæ loco parum idoneo admovere inſtituerat. Commiſſariis autem Roſenhanio, & Bielkio id mandatorum dabatur: Quia Dani negotium pacis in longum extracturi videantur, ipſi articulos pacis cum Sequeſtribus adornarent juxta formulam juſſu ſuo conceptam, & eorum, quæ à ſe poſtularentur, æquitatem demonſtrarent. Ac ſi ſequeſtribus facultas non ſit iſthæc annuendi, hos ad eandem à Superioribus impetrandam hortarentur, ac ut deinceps Danos ad iſta amplectenda permoverent. Sed ſi hoc modo res confici nequeat, ad Cojetum eandem remitterent, quod utique Belgæ primas partes in hac fabula agere videantur. Articulum, ne qua claſſis externa abſque conſenſu Regum Mare Balticum introeat, utique retinendum contenderent, quod citra contradictionem utrique Regi ejus Maris cuſtodia competat; unde conſequens ſit, neminem ipſis invitis cum armata claſſe eo penetrare poſſe. Nam amico modo venienti armata claſſe opus non eſſe, quia commercia ſint libera, quibus ut caveatur, Regibus curæ ſit futurum. Sed id improbum eſſe poſtulare, ut omnino admittantur claſſes, quæ animo hoſtili, ac in fraudem alterutrius Regum accedant. Nec tamen Rex repugnabat, quo minus exterorum navibus bellicis in portubus Sveciæ & Daniæ receptus indulgeretur, qualem fœdera cum utroque Regum inita permitterent. Satisfactionis loco poſtularent prædia Danicorum Nobilium in Scania, ex commiſſo ad Regem devoluta ob recuſatum homagium, aut eorum loco millionem uncialium. Tum Aggershuſanam præfecturam, & diœceſin, cum Agdeſida, ibique ſitis præfecturis, Liſter, Mandal, & Nedernæs: tum exiguum diſtrictum in Ducatu Bremenſi

1659. 24. Dec.

Stacke. Wermeland. Kayge. Hald.

Agdeſide.

Wur-

1659. Wurdenæ vocabulo. Viciſſim Rex ceſſurus erat Nidroſiam, Bornholmiam, actionem in Delmenhorſtam, & Ditmarſiam, cum ſubſidiis è pacto Elbingenſi debitis; ad extremum & prætenſionem Guineenſem, præſertim cum Danis difficile ſit futurum caſtellum *Capo Corſo* reſtituere ab Æthiopibus jam occupatum. Cupiebat quoque Rex vectigal Oldenburgicum in Viſurgi poſt mortem Comitis abrogari, cui fini Belgæ operam facile ſint collaturi. Aut ſi id obtineri non poſſet, ſufficiebat caveri, id vectigal ſubditis Sveciæ fraudi non fore. Wurdenam, ſi aliter haberi non poſſet, Rex pecunia redemturus erat. Inter bina equitum peditumque millia è Roſchildenſi pacto debita illos potiſſimum ſibi addici Rex volebat, qui in Fionia aut alibi capti Danicam militiam ſuſceperant. In Dania conſcripti pedites poſtliminio rediſſent, quotquot ſuperſtites eſſent; de mortuis & deſertoribus rationem haut reddendam. Titulo Regis Gothiæ Danus ea conditione uteretur, ſi Sveco viciſſim uti liceat titulo Regis Norvegiæ. Integrum quoque Regi ſit, Cronenburgi, & alibi in Dania extracta munimenta ſolo æquare. Ducis Holſatiæ cauſa non proponeretur, niſi reliquis omnibus transactis, ne, ſi pax non ſuccedat, anſa inde arripiatur, hoſtili ipſum modo habendi. Ut Brandenburgicus, & Poloni Danicæ paci includerentur, quod Belgæ poſtulabant, Rex non plane recuſabat, modo Legatos huc mitterent ſuper controverſiis ſuis tranſacturos. Alias enim iniquum fore, cum ipſi hactenus variis artibus tractatus eluſerint, his integrum eſſe, pacem amplecti velint, nec ne; ſe contra ad pacem cum iſtis ineundam obſtricto. Nam Belgis, ſi juſte agere velint, non ſolum hoſtium curam eſſe agendam, ſed & Regis querelas æqua lance expendendas.

Delmenhorſt. Ditmarſen.

Tractatus reaſſumitur.

§. 60. Tranſactione facta Belgæ Hafniam abibant, polliciti, ſe Danum permoturos ad inſtaurandos tractatus. Interea Terlonus & Angli Regem urgere pergebant ad pactum Hagenſe pure acceptandum. Sed cum Rex indignum judicaret ſe obſtringi, ac Dano facultatem relinqui pactum id pro lubitu repudiandi, nil amplius declarabat, quam ſe paratum ſuper fundamento pacti Roſchildenſis tractatus ſuſcipere, modo à Dano, qui hactenus pacem nunquam ſerio cupere viſus ſit, par propenſio oſtendatur. Tum ut ab eodem certum tempus, locusque tractatibus reaſſumendis deſignetur. Cum plures per dies Belgæ incaſſum Hafniæ conſumſiſſent, inſtante Terlono iidem Helſingoram redibant, haut allata Danorum ſuper præliminaribus declaratione. Unde à Svecicis Commiſſariis formula pacis adornabatur, quam cum ſequeſtribus excuſſuri erant, ac tentaturi, quousque hac via ad pacem proficere poſſent. Ea formula Rex Bornholmiam repetebat, ac ſatisfactionis loco pro reſtituendis inſulis, ac cedenda Nidroſia Aggershuſanam præfecturam & diæceſin, cum ſubjectis feudis *Liſter*, *Mandal*, & *Nedernes*, tum decem naves Bellicas, ac Wurdenam in Bremenſi agro cis Viſurgim ſitam poſtulabat: remiſſurus tamen Wurdenam Bornholmiam, & Guineenſem actionem, ſi Dani circa ceſſionem Aggershuſæ ſe faciles præberent. Ea formula exhibita Sidneius, Belgæque vehementer indignare, ac fremere, proprio in Sveciam odio, an ſuggeſtione hoſtium, ut tractatus re infecta abrumperent, aut Svecis terrorem incuterent eo melius pervincendis, quæ in fraudem Sveciæ, ac Daniæ favorem meditati erant. Ac eo moroſitatis exceſſerat Sidneius, ut ne quidem informationis quid admittere vellet, & ea quæ circa Oreſundam poſita erant, velut nova damnaret, ignarus de iisdem jamdudum inter Reges conveniſſe. Ac jam aliam formulam huic oppoſitam concinnabat, ni Slingelandus obſtitiſſet. Tum quæ à Svecis adferebantur rationes rejiciebat, una cum Belgis magis alienum ſe indies à commodis Regis oſtendens. Nec duris & aculeatis dictis abſtinebatur, qualia vix à Danis expectari poterant. Circa ſecundum articulum ſequeſtres nullo modo ferre volebant, claſſibus exterorum bellicis tranſitum Oreſundæ prohiberi; aut ſaltem nationi Anglicæ ac Belgicæ licentiam pro lubitu tranſeundi ſtipulari volebant. Equidem agnoſcere ſe Maris Baltici dominium ad Reges Sveciæ ac Daniæ ſpectare ob ſitum ditionum, nec à ſe in idem jus aliquod prætendi. Nolle tamen acceſſum ſibi interdici, ſi eodem uti placeat.

1659. 20. *Dec.*

26. 27. *Decemb.*

4. *Dec.*

1659. Nec aliud id eſſe, quam fœdus contra Angliam & Belgium inire, quod adverſum ſit amicitiæ, quam ambo Reges hac pace cum ipſis ſtabilire inſtituant. Nec poſſe id conſiſtere cum guarantia, quam tres ſtatus jam adornatum eant. Nam orto bello in Mari Baltico, quomodo guarantiæ ſatisfacere queant, ſi eo mari ipſis interdictum ſit? Aut ſi & Polonicam pacem præſtandam recipiant, quomodo violata à Polono pace Sveciæ adſiſtere poſſint? Ac verendum eſſe, ne Oreſundam transgreſſos Danus velut violatores fœderis bello petat. Ad quæ Sveci: ſi ut amici veniant, cum armata claſſe venire non poſſe; unde abſurde ipſos ſtipulari ſibi velle, ne aditu arceantur. Conducendis mercatoriis claſſibus ſupervacuum, eoque ſuſpectum eſſe armatas claſſes adjungere, cum commercia ſint libera. Ac ſi Angli Belgæque ſibi ſolis exceptionem quærant, non obſcure oſtendere, ſe gratis Sveciam aut Daniam invadere velle, ſi libido ſubeat. Sed per has rationes nihil proficiebatur, quo minus illi ſententiæ ſuæ inſiſterent. Unde cenſebant Sveci cum ſequeſtres haut omiſſuri ſint aliquid huic articulo infarcire præjudicio Sveciæ tendens, ſatius fore eundem omitti. Iidem quoque ceſſionem Nidroſiæ exprimi cupiebant, ſimul apud ceſſionem Scaniæ & Hollandiæ excipi inſulas Leſſoam, Anholtam, & Saltholmiam, ne forte in futurum Sveci in eas actionem forment. Circa ſatisfactionem è Norvegia petendam Sidneius ne latum quidem pollicem terræ, Hubertus nec granum arenæ Regi ſperandum fremebat; & ſi vel maxime Danus conſentire velit, Reſpublicas id non permiſſuras; ac ſe Regem Daniæ ut pupillum conſiderare, cui ipſi tutores ſint futuri. Nec ſe heic temperamentum aliquod proponere poſſe, aut velle. Addebat Vogelſangus; ſi vel decem Legatos Rex in Belgium mittat, circa hoc negotium nec hilum effici poſſe, nec Wittium aut Amſtelodamenſem Conſulem ſine Capitis periculo de eodem in conſeſſu Ordinum mutire auſurum; inprimis cum vectigalia earum Norvegiæ partium à Belgis conducta ſint. Exprobrabat quoque, tradita Svecis Nidroſia ſtatim vectigalia ita intenſa fuiſſe, ut eorum magnitudine protelatæ naves Belgiæ magnam partem manes diſceſſerint. Id quod Ordines Fœderati tantopere deteſtati ſint, ut iſthæc conſilia, quæ nunc expromantur, capeſſere neceſſum habuerint. Nec cavillari dubitabat Sidnejus: antequam Rex Bahuſio potitus ſit, id inſerviiſſe tegendæ Weſtrogothiæ. Hoc pottium Aggerhuſiam petere tegendo Bahuſio. Hanc quoque ſi nactus ſit, opus fore Stavangriæ tuenda Aggerhuſiæ, Stavangriæ tegendæ Bergas, Bergis tegendis Nidroſiam deſideratum iri. Ac referebat Terlonus, Anglos & Belgas fœdus inter ſe agitare, quo convenire velint, hac pace non ſuccedente proximo ſe vere cum claſſibus venturos, & in Oreſundam aliquid tentaturos, diviſis inter ſe & retentis, quæ hoc modo occuparint. Ab iisdem etiam Guineenſis prætenſio rejiciebatur, quod Danus vi magis quam jure compulſus ſit in eam conſentire, ut exercitum Svecicum amoliretur. In locis quoque reſtituendis machinas relinqui volebant. Nec in ceſſionem tituli Gothiæ conſentiebant, quod Anglus dudum expulſus Franciæ titulum retineat. Adverſus quæ omnia quicquid rationum opponerent Sveci, fruſtra erant, nec à ſequeſtribus ullum temperamentum proponebatur. Sidneius quoque aſſumtam Svecicam formulam notis ſuis ad marginem adpoſitis maculatam Svecis remittebat; quo facto velut inſolenti Rex vehementer indignabatur. Iſthac ergo ſequeſtrium ferocia territi Svecici Commiſſarii hiſce ſcriptam declarationem ſuper cedenda Nidroſia, ac redhibendo Danicæ ceſſionis Inſtrumento tradebant; cum tamen ſequeſtres ne minimum quidem caput poſtulatorum Regis adprobaſſent, multo minus ad iſta procuranda ſe obligaſſent. Id Commiſſariorum factum Regi vehementer diſplicebat; qui in reſtitutionem Inſtrumenti ceſſionis conſentire vetuerat; quod nunc ſua declaratione Regem obſtrinxerint, cum viciſſim nihil eorum obtentum foret, quæ hic ob ſecuritatem ſuam poſtulaverat. Igitur Rex oppoſita declaratione Commiſſariorum ſuorum declarationem retractabat, velut contra mandata ſua factam. Tum injungebat ejusmodi præcipitatis declarationibus ſupereſſedere, antequam de certo agendi modo cum ſequeſtribus convenerint: ſimul ne in capitibus conceptis temperamentâ admit-

1659.

Babuſ.

Stavan-
ger.

1659. admitterent, ſed omnia ad ſe referrent. Nam uti ſibi totius negotii executio incumbat; ita & curæ fore, quo idem non ſuperfunctorie, ſed ſolide perficiatur, prout ſua dignitas, & Sveciæ ſecuritas poſtulet. Inprimis pactum de guarantia abſolverent, antequam longius progrediantur. Si Sequeſtres huc deſcendere, aut alias decenti Ordine in negotio procedere nolint, ſibi fas fore iniquitatem ipſorum ſpernere. Nec ſcabioſa eorundem dicta, ac minas tolerarent, ſed prout dignitas Regis requirat, ea retunderent: ac citra ambages in os illis dicerent: ſe ab ipſis ne latum terræ pedem mendicare velle: nec eo magis jure ſuo ceſſurum, quoad obtinuerit, quæ ad ſtatus ſui ſecuritatem, ac æquam ſatisfactionem poſtularit; ac ſpem ſibi eſſe, quosvis ſe repulſurum, qui intra iſthæc, quæ nunc inſideat, loca ipſum invadere aggrediantur. Quod ſi aculeatis dictis non abſtineant, nulla circuitione uſi iſtis denuntiarent; eam rem à Rege ejus indolis haberi, qua ad obeunda deinceps ſequeſtrium munia inhabiles reddantur: ac declarationem ipſos poſcerent, amici an hoſtes eſſe velint. Ac ſi in bellum eruptum fuerit, ſe Deo & tempori rem expediendam committere. Quo caſu ſe Commiſſarios avocaturum. Quod ſi ergo Sequeſtribus pax cordi ſit, ob talia id negotium ab ipſis haut depoſitum iri. Sed ſi maligni quid animo agitent, conſultius eſſe inter opportuna Daniæ loca conſiſtere, & quam fata viam inventura ſint ex hiſce difficultatibus emergendi expectare. Sic igitur circa finem anni pacis Danicæ tractatus lubrico valde adhuc talo ſtabant.

Ad Hafniam geſta.

§. 61. Inter iſta ad Hafniam vix quidquam memoratu dignum armis geſtum, præſertim menſibus autumnalibus, quod obſtantes aquæ obſeſſorum excurſiones prohiberent. Sed ingruente hieme, cum anguſtæ circum aquæ glacie obductæ forent, complures Svecicis è caſtris in urbem transfugiebant, frigus & dura belli munia pertæſi. Ac Fridericus Rex per vicina caſtris loca ſchedulas diſſeminaverat, quibus equiti cum equo & armis ad ſe venienti decem unciales, pediti quinque pronuntiabat commodis cum hoſpitiis. Quibus allecti centum circiter in urbem transfugiebant, Germani fere natione. Unde legiones Germanicæ caſtris amovebantur, Svecis & Finnis ibidem diſpoſitis. Novembri menſe Danicorum equitum manus urbe egreſſa Svecicam ſtationem opprimebat, ſexaginta cæſis captisque. Sequenti menſe viginti præſidentes cymbæ impoſiti noctu Hafnia egreſſi ad milliare ab urbe in terram exſcendentes per diem in ſylvam ſe occultabant. Inde noctu Friderici burgum tendentes viginti octo equos Regis è ſtabulo ſubducebant, quibus conſcenſis fruſtra inſequentibus Svecis in urbem iterum penetrabant. Alius quoque Optio è fugitivis noctu urbe egreſſus præter Stationes Svecorum inobſervatus Roſchildiam pervenit, ibique oppreſſis vigilibus viginti amplius equos Hafniam reducebat. Quæ belli furta uti ad ſummam rerum nihil faciebant; ita à Danis, uti ſolet à vincere non ſvetis, immodico cum gaudio acceptabantur, inane oblectamentum plebis intra mœnia tamdiu languentis. Contra Aſchebergius duas peditum cohortes, quæ à Femera Hafniam tendebant, tempeſtate ad Mœnam Inſulam expulſas intercepit. *Femera*

Cojetus in Belgium Legatus mittitur.

§. 62. Cæterum quia Belgæ quam maxime Regis ſeſe deſtinatis oppone-bant, extremum adhuc conatum is adhibere conſtituit, ſi qua iſtos ſuis partibus adjungere poſſet. Quo fine in Belgium Legatus mittebatur Petrus Julius Cojetus cum mandatis ad Ordines Fœderatos, ad ſingulas provincias, ac inprimis ad civitatem Amſtelodamenſem. Spes aliqua iſtum operæ pretium facturum inde naſcebatur, quod Belgæ jam experiendo didicerant, Regem non ita facile ſubverti poſſe. Et eo magis cum hiſce reconciliatio quærenda videbatur, quod ab Anglis præter inania promiſſa nihil obtineretur, imo qui & per poſteriora pacta Hagenſia oſtenderant, ſe non minus invidiæ in Sveciam alere, quam ipſos Belgas, domeſtico inſuper ſtatu iſtorum ita lubrico, ut nil fiduciæ iisdem ſuperſtrui poſſet. Igitur Cojetus omnia remedia adhibere jubebatur Belgis ad amicitiam Regis iterum pertrahendis. Ne tamen ipſius negotiatio nimis mature dispaleſcens Anglis ſuſpicionem excitaret, antequam perſpiceretur, quid apud iſtos effici poſſet; prætextum capturus erat *Cojet.* 27. *Aug.* *Ejus mandata.*

1659. à perficiendo pacto Elbingensi, ejusque Elucidationibus adjunctis querelis, quod Dani auxilio Belgarum inflati æquas conditiones admittere nolint; & inprimis quod nupera cum Anglis conventione Regi culpam injuste moti belli impingere, ac postulare ab ipso haut veriti sint, ut gratis commoda sibi loca dimittat, ac admutilata pace Roschildensi contentus sit, non habita ratione damnorum hoc bello Danico acceptorum, & quod status ipsius majori quam antea periculo exponatur; denique quod non sine importunitate jactent, Regem à se compellendum ad ejusmodi Conditiones, quas libido ipsis dictitet. Atque ista quidem palam præ se ferret: clam autem, idque dextre operam det, ut Joannem Wittium, & alios magnæ autoritatis viros in Regis partes pertrahere possit. Apud hos demonstraret, quam invitus ac nullo suo merito Rex in bellum Danicum pertractus sit, circa egregium in Polonia opus absolvendum occupatus; ac quantopere Regi doleat, inter ipsum & Belgas, quorum amicitiam is tantopere æstimarit, ejusmodi simultates ortas. Quantum insuper damni communis Protestantium causa, quantum contra emolumenti Austriaci inde perceperint, jam pedem ad Mare Balticum, & ipsum forte Oceanum firmaturi, queis, ubi res suas confirmare licuerit, nemo Protestantium deinceps frontem obvertere valiturus sit. Accedere damna, quæ Belgarum commercia ex hoc bello patiantur, nullo emolumento vel è Svecia, vel è Dania ipsis redituro, quæ extrema ruina bello extracto involvatur. Ast Regi reconciliatis commercia & liberam navigationem restitui etiam bello adversus Danos persistente. Esse præterea utriusque rationis salutem invicem innexam, nec ullam nationem magis altera indigere, quam Svecos Belgasque invicem. Adderet, hoc lubrico Angliæ statu facile Regi Scotiæ occasionem nasci posse in Regnum revertendi. Quo casu Dania, ubi vires recollegerit, in Angliam inclinatura sit ob cognatum sanguinem, & rationes status, & quia ista immenso ære alieno Belgis obstringatur, quod eidem dissolvere nunquam animus aut facultas sit; eoque imminuta cum Belgis amicitia plus præsidii apud Anglos quam hosce quæsturam. Quod si & idem ope Hispanorum in Regnum revertat, his magis, quam Belgis obstrictum fore. Sed & non minus à Gallia post pacem cum Hispanis, quam ab hisce periculi Belgis imminere, sic ut fidis amicis utique opus habituri videantur, è quibus nemini magis quam Sveciæ confidere possint, quæ tanto plus favoris ac præsidii præstare ipsis queat, quo magis eadem viribus gliscat. Regem porro circa omnia, quæ penes ipsum sint, & cum ratione ab eodem expectari queant, ipsis gratificaturum, si vicissim positis hostilibus amicos se gerere velint. Quod si objiciant, uti semper hucusque fecerunt, sibi ob fœdera cum Danis in bellum fuisse descendendum, ac se id feciisse non odio gentis Sveciæ, sed ut Daniam à ruina præservarent: ad ista reponeret; fœdera, quæ Belgis cum Dania intercedant, ita interpretanda esse, ut nullo modo antiquiora cum Svecis fœdera vulnerent aut abrumpant, quæ Rex à sua parte semper sancte observarit. Alias valde in lubrico fore fidem publicam, si prout temporaria invitare videatur utilitas, prioribus fœderibus neglectis ad alia pro lubitu transire non nefas sit. Quid quod & Belgæ jam fœderi suo cum Dania satisfecerint, cum Danus ipsorum auxilio abusus pertinaciam suam obfirmarit, ac per fœdera cum Austriacis facultatem sibi ademerit pacem ineundi, plurium deinceps superfluorum sumtuum necessitatem Belgis impositurus. Istum aliquoties proposita pace jactasse, malle se omnia sursum deorsum verti, quam disjunctam à fœderatis suis pacem inire. Ac revera Daniæ, quicquid verbis testetur, nunquam animum fore cum Svecia sinceram pacem colendi, utut ea in præsens ipsi obtrudatur; sed eam prima occasione abruptum iri, velut ad quam necessitate compulsa sit. Ita Sveciæ semper in metu versandum, intercepta pro bono publico cura, ni Dania ita temperetur, ut nocere amplius non possit, si maxime velit. Unde manifesto adparere, necessum Regi esse soli Daniæ incumbere, quicquid alibi eidem damni inferatur, quoad cum aliis quoque hostibus ipsi convenerit, Daniæ instinctu Sveciam aggressis. Ac male de se suoque Regno eundem meriturum, si, quæ tanta fortium virorum ac sumtuum jactura adquisivit, loca, bello ducendo

1659. cendo aptissima, per tractatus è manibus amittat, & translata alio sede belli maximis difficultatibus se induat: Incapax dein futurus ad communi causæ, & amicis inserviendum. Belgas quoque ex hoc bello parum lucri cepisse, nec multum spei esse deinceps operæ pretium ipsos facturos; quin ingens periculum incurrere posse, ni mature vela retro dent, quamdiu id honeste & salva fide fieri potest; præsertim cum id negotium longius jam extractum sit, quam ipsi forte ab initio crediderint. Post explicatas justi honestique rationes utile cumprimis urgeret, quod instar omnium apud Belgas habetur, demonstrato, quam proclive ipsis sit in præsens citra sumtus stipulari conditiones duraturas, maximoque usui ac firmamento suæ Reipublicæ redundaturas. Animis Belgarum ita præparatis ostenderet, à Rege nil aliud desiderari, quam ut vetus amicitia, ac fœdera renoventur, Belgæque positis hostilibus à Dania, omnibusque Regis hostibus in præsens ac futurum se removeant: ac si non statim citra aliorum reprehensionem, quæ fœdera cum Svecia dictant, palam præstari queant, saltem oblique Regi faveant tractatu super maritimis rebus aut commerciis inito, ac interim Regis destinata ne impediant, aut ejusdem hostes ullo modo sublevent. Emolumenta, quæ Cojetus Belgis dextre insinuare jubebatur, ista erant: ut naves ipsorum in Oresunda & utraque Balte immunitate vectigalium gaudeant, sic ut transituris nil aliud necessum sit, quam post fidem civitatis Belgicæ factam, & signum honoris castellis exhibitum, quæ pro alendis nocturnis ignibus, ac in singulos malos usu recepta sunt exsolvere. Ut quoque naves Belgicæ pari conditione, qua inermes naves Svecicæ, (queis dimidia immunitas competere dicitur,) fruantur in provinciis nuper adquisitis Pomerania, Livonia, & Bremensi ditione circa merces, quas è sua regione important: non autem, si quas ex uno Sveciæ portu in alium Sveciæ ditionis vehant. Quod si & Rex Borussiam retineat, pari conditioni Belgas ibi cum Svecicis civibus fruituros, ut tamen taxatio vectigalis, quæ Rigæ recepta est, ibi introducatur, quo in omnibus portubus Regis æqualitas sit. In Norvegia quoque jus navium inermium, & plura concedenda, de quibus in posterum sit conveniendum. Ista si non sufficiant, ad extremum conditionem navium inermium in omibus Sveciæ portubus offerret, etsi Rex terrarum quid ipsis, quam hoc privilegium, concedere mallet. Picis quoque commercium post annos monopolii elapsos fore liberum. Si Rex Dania potiatur, nomine pecuniæ Daniæ creditæ Belgis ad duos summum uncialium milliones obstrictum iri; pro quibus oppigneraturus sit Wensysselam, ac certos portus Islandiæ & Norvegiæ, aut vectigal Bergense, ut inde sortem cum usuris recipere queant. Si Rex Hafnia potiatur, in Belgarum gratiam portum ibi obstruendum, urbemque omni commercio exuendam, quo penes ipsos Niburgo, aut tota Fionia potitos tota commerciorum per Oresundam & Balten dispositio sit, si nullus alicujus momenti portus in vicinia existat. Enimvero quia Belgæ à se in Svecos patratorum conscientia parum in his fiduciæ collocare possint, ac ista duntaxat ostentari ipsis in præsens deliniendis, post subactam Daniam retractanda, cautionis loco Rex concessurus illis erat Comitatum Oldenburgicum post Comitis fata, & Gluckstadium cum districtu, qui præsidio alendo sufficiat; & quia Rex eorum locorum possessionem nondum nactus sit, tantisper castellum ad Leam, & Stadam, ac si hæc non sufficiant, Niburgum Fioniæ tradendum. Si nec istis Belgæ contenti sint, optionem concedi, num totam Fioniam accipere velint, relicta Regi Lea, Stadaque, & Oldenburgica ditione, ac Gluckstadio munimentis exuto; an vero una cum Fionia Oldenburgum & Gluckstadium retinere, Leamque & Stadam tantisper insidere, quoad istorum locorum possessionem nacti sint. Witio quoque peculiariter insignia prædia in Jutia destinabantur. Vicissim Belgæ Regi auxilium mari ferant, eundemque circa reliquam Daniam cum Rege Friderico, aut Gottorpiense Duce pro lubitu transigere patiantur. Addebatur de abolendo tributo in merces & Mari Baltico importatas, titulo maris à piratis purgan-

1659.

Lea.

1658. gandi exigi ſolito: tum de Nova Svecia cum omni cauſa reſtituenda; ac ut Belgæ actionem ſocietatis Guineenſis pecunia redimant. Iſtas porro conditiones ubi Belgæ acceptarint, ſine dubio ut eædem tueantur, iisdem curæ fore. Cui fini neceſſum futurum, ut arctius Sveciæ innectantur, inprimis contra Angliam, quæ iſta Belgarum incrementa ægris oculis adſpectura ſit. Ad quod Cojetus omnibus modis eos impelleret, ſi idem cordi ipſis eſſe animadvertat. Ad placandam Brandenburgicam in Belgio factionem Cojetus teſtaretur, ſe quoque transactioni cum Electore promtum eſſe modica admodum ſatisfactione. Iſtas porro conditiones non alio fine Rex Belgis conceſſurus erat, quam ut his permittentibus ipſi liberum foret Daniam ſubvertere, aut ita circumcidere, ut ab ea Sveciæ nil deinceps periculi metuendum foret. Sed ſi Cojetus huc pertingere nequeat, ac Belgis utique cordi ſit Daniæ regnum ſervare, Cojetus ad aliquas conditiones obtinendas connitatur, quo futura pax Sveciæ deſideratam ſecuritatem præſtet. Quales ſint, ut pax Roſchildenſis in genuino ſuo ſenſu plene executioni detur; ut Danus Regi ſatisfaciat pro damnis, quibus in Germania, Boruſſia, & alibi cauſam dedit, antequam Regi neceſſum ſit copias ſuas è Dania educere. Nimirum ut iſte Regi totam Norvegiam cedat, quo Scandinaviæ peninſula in unum corpus redigatur: ne Dano deinceps jus ſit vectigal in Oreſunda exigendi: ut Cronenburgum cum ſubjecta præfectura Sveciæ tradatur, citra quod huic à Dania cautum non ſit; ut tota claſſis Danica Regi cedatur: ut ſocietati Guineenſi ſatisfiat. Tum iſta minutiora, ut Danus titulo Gothiæ abſtineat; quod in Gothorum Regno nil amplius poſſideat; ut tres Coronas ex inſignibus Daniæ amoveat, quas contradicente Svecia illegitime uſurpet; ut Regi Sveciæ integrum ſit titulum Norvegiæ capeſſere: ut Danus milites Teutonicos, equites cumprimis, ne conducat, ſaltem non ultra quindecim centurias: ne novas munitiones ſtruat, & tantum quæ ante bellum ſtructæ ſint, ſartas tectas conſervet, reliquas ſolo æquet: ut duo peditum millia priori pace promiſſa nunc repræſententur: ut prædia Scanica Nobilium Danorum, qui Sveciæ homagium præſtare abnuerunt, commiſſa ſint: ut prætenſiones Roſchildenſi pace ceſſæ integræ perſiſtant: ut Oldenburgicus Comitatus Bremenſi provinciæ adjungatur: ut Danus pecuniam præbeat deducendis copiis Svecicis: ut Duci Gottorpienſi promiſſa reipſa præſtentur, abolito quoque communi & alternante Holſatiæ regimine, cujus obtentu Danus ſemper Ducem ſupplantare conatus ſit, ac ſatisfactionis invicem tradito Rendesburgo. Etſi ſuper his poſterioribus conditionibus Cojeto cum Belgis tractandum non erant, ſed duntaxat data occaſione rationes demonſtrandæ, quæ Regem ad iſta poſtulanda moveant. 1659.

§. 63. Enimvero Cojeti negotiationem retardabat, quod navis bellica, quam Belgæ transvectioni ipſius commodaverant, noctu arenis Amholtinis non ſine præſenti naufragii periculo impingeretur; quibus poſtquam per triduum inſediſſet, ipſe à prætereunte nave oneraria cum quibusdam è comitatu ereptus fuit. Sed navem Belgicam ventus in Boream verſus poſt arenis detruſam cum reliquis vectoribus ſalvam in Oreſundam reduxit; quæ reparata eum dehinc in Belgium pervexit. Amſtelodamum delatus. Cojetus Conſulis Simonis *van Horne* ſecretum colloquium affectabat. Sed hic æmulationem collegarum excuſabat; ac his licet conſentientibus Ordines Fœderatos offendendos, ſi negotium ſuum prius heic, quam apud ipſos propoſuiſſet. Idem ne ab Ordinibus Fœderatis audiretur, Danici & Brandenburgici Miniſtri omnem lapidem movebant, cum invidia refricantes, quod nuper eorundem Legati à Rege aſperius excepti forent. Sed Belgæ, etſi omnibus modis Caroli Guſtavi deſtinatis ſe opponere decreviſſent, haut tamen conſultum ducebant apertos ſe Sveciæ hoſtes profiteri, fructu ſuæ rupturæ in Fœderatos redundaturo; cum ipſis ſola commerciorum libertas quæreretur, cui melius cavebatur Oreſunda inter Sveciam & Daniam diviſa, quam ſi Dania priſtino ſtatui reſtitueretur, cujus veteres vexationes nondum memoria exciderant. Sed & nullo modo congruebat illius Legatum non admittere, apud quem Sequeſtris munus obire pertenderent. Unde is ſolito

Cojeti cum Belgis negotiatio. 25. Sept. 25. Oct.

honore

1655. 25. Nov. honore receptus in conſeſſu Ordinum in hunc ſenſum verba fecit. Utriusque rationis rectores probe perſpexiſſe, quam fructuoſa mutua earum amicitia ſit, quando initio arctiora invicem fœdera pepigerint; quæ eo durabiliora ſperarint, quod nulla injuria aut libido eas nationes antea inter ſe commiſiſſet. Eam amicitiam novis ſubinde vinculis adſtrictam ſub Guſtavo Adolfo, & Chriſtina; à Carolo Guſtavo ſancte ſervatam, qui & ita cupientibus Belgis novo ſe fœdere voluerit illigare, etſi priorum vis fœderum in complures adhuc annos porrigeretur. Id fœdus Elbingæ concluſum proficuis huic Reipublicæ conditionibus, ac à Rege ratificationem huc miſſam. Sed factum eſſe artibus certorum hominum, qui conſilia ſua non ſalute patriæ, ſed propria libidine metiuntur, & quibus major ex turbido, quam compoſitis rebus ſpes affulgeat, ut ratificationis loco Elucidatio quorundam capitum peteretur. Quod etſi abſurdum foret pacto nondum ratihabito, præſertim cum Legatis Belgicis gratiæ publicæ eſſent actæ ob negotium ad normam mandati confectum: tamen in hoc quoque Regem conſenſiſſe, etſi cum inſigni ſuorum civium detrimento conjunctum. Nec eo magis quæ tam liberaliter oblata ſint, fuiſſe acceptata inſtinctu Danorum, ſic ut iſto prætexto nil aliud quam pacti eluſionem quæſitam adpareat. Ac ſane quæ Regi à Belgis illata ſint, nil amicis ac fœderatis dignum præ ſe ferre. Claſſe Gedanum miſſa bellum Polonicum difficilius redditum. Danum Sveciæ aggreſſorem omni modo ſublevatum, adverſus quem ipſi auxilia ferre Sveciæ debuerint, ſi qua fœderum religio ſupereſſet. Quæ tamen Rex paucorum quorundam artibus, quam publico conſilio ſuſcepta credere maluerit. Poſt pacem in Dania factam, cum Dani veteres artes Sveciæ inſidiandi non omitterent, arma in Selandia iterum fuiſſe vertenda. Ejus expeditionis cauſas à Rege huic Reipublicæ fuiſſe expoſitas, & amica omnia oblata, dimiſſis etiam centum amplius navibus, quas in poteſtate habebat. Sed loco reſponſi claſſem veniſſe, quæ nulla denuntiatione facta hoſtilia intulerit. Veniſſe poſt iſtorum Legatos, amice eosdem exceptos; quibuscum ubi tractari cœptum, mox adparuiſſe iſtos ſiniſtre admodum de cauſæ juſtitia, Regisque intentione fuiſſe edoctos, nec iis mandatis inſtructos, ut pax ita facile obtineri poſſet. Nec eo magis animum Regis averſum, quin huc ipſum mittendum decreverit, accuratius declarandæ ſuæ menti, ac ne quid prætermitteret, quod ad tollendas ſimultates momenti quid adferre queat. Quo fine Commiſſarios ſibi adjungi petebat. Ideo autem Cojetus laxiore ſenſu propoſitionem conceperat, ut occaſio foret Belgarum animum prius explorandi, quam primarium negotium expromeret. Enimvero Belgæ, etſi jam belli & ſumtuoſarum claſſium inſtruendarum tædium eos cepiſſet, ſucceſſus fœderatorum in Fionia & Pomerania captabant. Quin Gallos Anglosque inſtigabant, ut omne auxilium Regi ſubtraherent, ſuosque cives ipſi militantes avocarent; ac ſub id ipſum tempus edicta promulgabant, queis omnibus Belgis injungebatur ſub pœna publicationis bonorum Svecicam militiam deſerere. Et qui Cojetum in conſeſſum Ordinum, ac inde domum reduxerant, apud ipſum rogati prandere abnuebant, ac de exſcenſione Fœderatorum in Fioniam velut inſultantes referebant. Sed & Beuningius nonnulla verba ex ejusdem propoſitione notaverat, queis ſe perſtrictum querebatur; quæ occaſio arripiebatur tempus extrahendi ſpeculando armorum in Fionia ſucceſſui; facto decreto, eſſe è dignitate Reipublicæ reſponſum ad ipſius propoſitionem concipi, quo objecta diluantur, ac culpa offenſarum in Regem retorqueatur. Ac mox nuntiata Svecorum in Fionia clade minor Regis reſpectus, præſertim cum Gallia & Anglia nil ſerii pro ipſo ſtudii oſtenderent; cujus cupitis quoque Dani ac Brandenburgici omni ſe vi opponebant. Unde qui Regis partibus favebant, judicabant; hunc rebus ſuis optime conſulturum, ſi quovis modo Belgas cæterosque hoſtes à ſe amo-

1655.

1659. amoliatur. Nam deinceps temporibus mutatis non defore occasionem vindictæ sumendæ. Alias enim metuendum esse, ne pertinacius obluctando demum hostium multitudini succumbat. Ac id ipsum, quod Rex cum Belgarum Legatis transegerit, indicium haberi virium plane exhaustarum. Ast Joannes Wittius, cum Cojetus de Aggershusana provincia & prædiis Nobilium Scanicis loco Nidrosiæ concedendis moveret, differebat: Belgas serio pacem Regnorum Borealium optare, nec Regi istas conditiones invidere: nec Legatos in mandatis habere eo in negotio Regi contradicere, modo Daniæ Rex amica via ad istud permoveri possit; de quo ipse valde dubitet, quod ab eodem Legati huc potissimum missi sint, ut bellum continuetur petituri, quoad Scania recuperata sit, quam ipsi animam Daniæ vocitent, idque in proclivi jactent, Sveciæ viribus jam tanto oneri sustinendo haud paribus. Danum autem ad istam pensationem compellere, aut tamdiu auxilia eidem subtrahere, quoad in id consenserit, non modo Belgis haut decorum, velut qui Dano caverint, se ultra pacta Hagensia ab ipso nil exacturos, sed & ob Angliæ offensam periculosum. Unde tutissimum sibi videri, si Rex circa Nidrosiam, ejusve æquipollens haut tantopere laboret, cum ea cessio aliis provinciis pensetur, quas Rex tribus statibus evictionem præstituris tuto possessurus sit. Cæterum uti Belgarum animi ab iis, quæ Cojeto in mandatis data erant, plane abhorrebant; ita nec plus proficiebant Otto Kragius, & Goschius Bucvvaldus, quos Daniæ Rex disturbandæ Cojeti negotiationi miserat. Postulabant isti inter alia, ne amplius pacis Roschildensis, aut pactorum Hagensium habeatur ratio, sed ut Sveci tamdiu bello premantur, quoad Scaniam reddiderint. Tum ut pax futura omnes complectatur; utque Belgicus miles auxiliaris ad sex capitum millia suppleatur, simul Regi suo viginti quatuor uncialium millia menstrua præstentur, ac triginta naves bellicæ ex ipsius Imperio rem gesturæ. Pignoris loco offerebatur Nidrosia, Malmogia, & Landscrona, ubi captæ sint, aut Gluckstadium. Sed his sese opponebant Angli, qui nolebant Belgas ad Albim aut Oresundam nidulari. Ac Danos sibi ipsi contradicere, qui jam ostia Maris Baltici sibi solis restitui pertendant, cum antea hac præcipue ratione Belgas in Sveciam incitaverint, ne hæc sola ejus Maris dominio potiatur. Cæterum ad Cojeti propositionem longam post moram scriptum responsum tradebatur in hunc sensum: posse quidem intempestivum videri veterum offensarum memoriam refricare, dum quam maxime circa instaurandam amicitiam satagitur, quia tamen iste hactenus à Belgis acta interpretatus sit, velut fœdera à Svecis sancte servata, à se neglecta sint, culpaque adeo offensarum penes se hæreat, è dignitate Reipublicæ visum quædam reponere, haut è legibus fœderum à Svecia in ipsos patrata. Memorabatur inde Christinam Reginam bello Anglicano non solum auxilia negasse ex fœdere debita, sed & machinarum, quas in Svecia fundi curarint, exportationem prohibuisse, quibusdam mercatoribus frivolas ob prætensiones in custodiam datis. Carolum Gustavum primo Ordinum conventu, dum amicos & Fœderatos Sveciæ recenset, Belgas silentio præteriisse, Gustavum Sparrium ab eodem recens Imperium sortito missum super renovandis ut solet fœderibus nihil in mandatis habuisse. Quin cum Belgæ ultro super iisdem renovandis instarent, istum negasse iis se amplius teneri obtentu fœderis, quod huic Reipublicæ cum Dano intercedat. Porro à classe Svecica in Mari Baltico à suis civibus insolita vectigalia exacta: ipsorum Legatos aliquot per dies invitos Lauenburgi detentos: Electorem Brandenburgicum ad intendenda sua per Borussiam vectigalia instigatum: circa Daniæ Regem à societate sua avellendum operam impensam. Pacti Elbingensis à se elucidationem non elusionem quæsitam: qua nondum expedita, cum ipsi Sveci profiterentur priorum fœderum vim expirasse, rationis fuisse circa propria commoda satagere, ac classem militemque Gedanum mittere tuendæ civitati amicæ & fœderatæ, tum commerciis

Kragius. Goschius. Bucvvald.

suis

1659. ſuis ibi in tuto collocandis. Nec ſibi incognitum, quanta cum induſtria & Chriſtina, & ipſe Carolus Guſtavus laboraverit circa ipſos auxilio Daniæ Mari Baltico excludendos. Quo cum Danus induci nollet, mirum non fuiſſe ipſos Regi amico & ſocio adſitere de ſumma rerum periclitanti, id quod & toti Orbi probetur. Ad extremum tamen profitebantur, ſi pax inter Borealia Regna ſit facta, ſe nihil omiſſuros eorum, quæ inſtaurandæ amicitiæ Sveciam inter, ſuamque Rempublicam faciant. Cæterum etſi ab Ordinibus Fœderatis octo Commiſſarii deſignati eſſent, qui cum Cojeto congrederentur, nunquam tamen tractatus quid cum ipſo ſuſcipere volebant, ſed omnia ad Legatos ſuos in Dania rejiciebant. Et mox interveniens mors Regis omnia ejusdem deſtinata ſeponere ſubigebat.

Cum Gallis actis.

§. 64. Inter has difficultates etſi Galli Regem ſolum nullo levamento luctari permitterent; haut eo minus à ſe præſtita officia magni imputabant. Et jactabant Mazarinus, Anglicam claſſem ſub finem ſuperioris anni Regis Galliæ inſtinctu verſus Oreſundam miſſam, quod antequam ſuſciperent Angli, lautis ab ipſo conditionibus permovendos, multumque argenti in idoneos homines fuiſſe erogandum. Iſta autem à Gallia & Anglia non alio fine fieri, quam ne Svecus tot ac tam validis hoſtibus ſuccumbat. Ac ſpem eſſe id ſe obtenturos, ut pax Roſchildenſis examuſſim effectui detur, quam & credat Regem lubenter amplexurum. Statim quoque atque Legatus Gallicus Londini intellexerit, claſſem verſus Oreſundam vela feciſſe, apud Legatum Belgicum propoſuiſſe, ut Belgæ una cum Gallis & Anglis conciliandis Regibus Arctois operam navent, addito, Brandenburgicum quoque cupere in gratiam cum Rege redire, ſi Galli & Angli cavere velint, iſthunc aliquando ab ipſo ultionem haut ſumturum. Nec minus ſpem eſſe, Polonos pacem æquis legibus admiſſuros; quam & ipſam ut Rex amplectatur Gallos ſuadere. Ita Sveco unum duntaxat Cæſarem hoſtem ſuperfuturum. Haut eo minus tamen Galli Caroli Guſtavi, Anglorumque amicitiam ſuſpectam habebant, ne forte in arctius fœdus evaleſceret ad dividendam inter ipſos Daniam, Belgis dehinc in easdem partes pertrahendis. Quo caſu tres iſtos ſtatus inter ſe unitos Catholicis prævalituros. Interim teſtabantur, ſe omnem operam daturos, ut pax Germanica ſarta tectaque præſtetur. 1659.

Biærnclovii in Galliam Legatio. 9 Aug. Biærncl.

§. 65. Cæterum poſtquam nec in Anglis fiduciæ quid collocare liceret, ac Belgæ pro lubitu Regi inſultare pergerent, viſum fuit Regi Biærnclovium Francofurto, ubi hactenus hæſerat, in Galliam ablegare, quo hanc propius rationibus ſuis adjungeret. Is juſſus eſt demonſtrare præſentem Germaniæ ſtatum, & quam parum Auſtriacis leges pacis Weſtphalicæ cordi ſint; & quas machinationes iidem agitarint non ſolum à tempore belli Polonici & Danici, ſed & ſtatim poſt pacem Monaſterii concluſam; & uti hucusque tectas per artes & extra Imperium Regem infeſtarint, ſed nunc eundem ipſa in Germania aggrediantur. Ubi ad præſentia tempora perventum fuerit, oſtenderet, noxium fore Regi, ac valde periculoſum, ac deinceps parum ab ipſo expectari in bonum publicum poſſe, ſi Dania cogatur excedere facta peculiari pace, antequam cum reliquis hoſtibus, qui in Daniæ gratiam arma ſtrinxerunt, tranſigendi facultas oblata ſit. Nam neque vires ſuas ipſum dividere, nec ſolum adverſus alios alibi rem gerere poſſe. Tum è Mazarino percontetur, quid Gallia inter tantam Auſtriacorum inſolentiam, ac turbidum Imperii Romani ſtatum ſuſceptura ſit; ſimul idoneis rationibus, quas guarantia pacis, proprium Galliæ emolumentum, totiusque Europæ ſalus ſuggerere poſſit, Galliam excitet ad vindicandam Germaniæ pacem, cui conſtituendæ antehac ipſa tam multum contulerit. Quia etiam poſt pacem cum Hiſpano ſine dubio multæ copiæ à Gallo exautorandæ ſint, tentaret, ut aliquot millia ejusmodi militum Regi concedantur, eoque fine à Gallo pecuniæ ſuppeditentur. Si animadvertat Gallo rem cordi eſſe, ad normam prioris fœderis fœdus concludat. Aut ſi eidem fœdus non ſtatim placeat, curet, ut ſaltem ſubſidium pecuniarum præbeatur. Ut quoque Gallus provideat, ne Rex hoc tempore in Bremenſi provincia in-

1659. invadatur, id quod isti per fœdus Rhenanum in proclivi sit. Tentaret insuper, ut Gallus Cojeti negotiationi in Belgio faveat, operamque det, ut Belgæ à Danis disjungantur. Sed si Belgæ nulla ratione huc induci queant, curaret, ut excursoribus maritimis nomine Sveciæ rem gerentibus in portubus Galliæ receptus præbeatur. Quod si Galli aliqua commoda & privilegia sibi in Dania stipulari velint, ea ipsis sponderet, prout ratio & bonum publicum dictat. Porro quanquam Gallus pollicitus sit, se utique pacem Westphalicam tuiturum, ac Cæsarem impressione per Alsatiam & Sveciam facta distracturum: tamen quia ea promissa in longam prominebant, Biærnclovius præter tria peditum millia præsentem pecuniam potius urgere jubebatur novis delectibus instituendis. Denique ut Gallo instigante Neoburgicus Brandenburgico immittatur.

Ejusdem expeditio. §. 66. Biærnclovius in aulam delatus Regem Svecicis rebus sat faventem inveniebat. Unde & statim mandata Hagam ad Thuanum, & in Poloniam ad Lumbranum in favorem Sveciæ mittebantur; simul Ordinibus Imperii denuntiabatur, Galliam Sveciæ evictionem pacis Westphalicæ utlque præstituram. Sed & Galli atque Hispani super pace Regnorum Borealium inter se convenerant. Quo fine *Colbert Croiss.* Colbertus Croissius Viennam mittebatur, ut Cæsarem ad pacem hortaretur, aut nolenti bellum à Gallia minaretur, asseverans Gallum XL. M. militum Svecis auxilio missurum. Ea legatio ad Legatum Hispanicum in au- *de Pomar.* la Cæsarea Fontanum directa erat, quod Leopoldus Pegnerandæ instinctu Gallo de parta dignitate Cæsarea non significasset, eoque nec Gallus quicquam cum isto communicare, aut Cæsareo titulo eundem honorare vellet. Iste Colbertus insigne tunc operæ pretium feciſſe creditur, ut post mortem Caroli Gustavi Svecia pace potiretur. Unde & Lionnæus post acceptam istius relationem Biærnclovio dixerat, *Sex paix.* se ipsi jam *Sex paces* tradere; tot enim hostes erant, quibuscum tunc Svecia luctabatur, Cæsar, Brandenburgicus, Polonus, Moscus, Danus, Belgæ. Sed & æquum videbatur Gallo, ut Rex pro Nidrosia æquivalens reciperet. Ast Hagæ Thuanus rem langvidius quam par erat, gerebat, ac blanditiarum nimis adversus Belgas adhibendo superbiam eorundem alebat; cui & hi persvaserant, postulatum id de æquivalente non à Rege, sed à Cojeto tantum proveniſſe. Circa auxilia militum petebat Gallus aliquid patientiæ adhiberi, quoad adpareret, quid Cæsar facturus sit. Nam octo millia militum jam præsto esse, si Bremensis provincia, aut Wismaria invadatur. Ac conveniens esse, non prius in arma erumpere, quam officia amica in cassum consumta sint. Sane etiam post pacem cum Hispanis Gallus arma in promtu tenebat, ut Cæsari ac Brandenburgico vim opponere posset, si spreta pace Svecos Germania ejicere pertenderent. Sed Cæsari quidem Hispani facile, ut pacem amplecteretur, persuaserant, qui post tam recentem cum Gallia pacem occasione belli Germanici in novos fluctus retrahi nolebant. Nec Brandenburgicus audiebatur, qui spe Pomeraniæ potiundæ paci reluctabatur. Mox cum de morte Caroli Gustavi nuntiatum esset, Rex Galliæ omnibus suis Ministris injungebat, ut Sveciæ causam enixius quam antea agerent, tam egregio Rege viduatæ; ac se erga Filium demonstraturum, quantopere Patri amicus fuerit. Simul Ordines Sveciæ confirmabat, ut non minus nunc, quam post mortem Gustavi Adolfi, mascula consilia capesserent. Thuano-quoque Rex minabatur, se ipsum Legatione amoturum, si ita molliter agere pergeret, uti Cojetus ipsum arguerat. Unde cum iste jam fortius loqueretur, Belgæ de restituenda pace Broemsebroënsi, quam Dani cupiebant, conticescebant. Post mortem quoque Regis Cæsarei Viennæ circa pacem vacillare videbantur. Sed cum præter Colbertum etiam Moguntinus & Colonienſis Electores pacem ingererent, prior mens redibat, ac denuo Cæsar declarabat: ea se lege pacem velle, ut Svecia terras & jura sua in Germania retineat. Qua declaratione obtenta Colbertus Gedanum proficiscebatur tractatibus Polonicis promovendis. Post & cum inter tractandum Belgæ quasdam Svecicas naves intercepissent, Galliæ Rex asperis admodum literis id facinus increpabat, non sine minis testatus, à se Sveciam haut deserendam. Ac 1659

Thua-

1659. Thuanus Hagæ publice non minus ferociter, quam juſſus erat, loquebatur: amicis tamen dicebat, Biærnclovium importunis ſolicitationibus tales ad ipſum literas in aula extorquere, ac iſta ſibi in ſpeciem facienda. Revera tamen Regem & Mazarinum Sveciæ haut favere, nec ejus incrementa optare. Quibus ſuper ſermonibus cum Biærnclovius quereretur, Thuanus acribus literis caſtigabatur. Qui tamen haut eo ſecius alias à Mazarino literas amicis oſtendebat, queis ſcriptum erat, ne curaret, quod ob frigus in cauſa Svecica adhibitum ſit increpitus. Nam Svecos nunquam ſatiari poſſe. Quæ etſi ab ingenio Cardinalis non abhorrerent, haut tamen conſtabat genuinæ iſtæ literæ, an ſuppoſitiæ eſſent.

Cæſarri in Pomeraniam irrumpunt.

§. 67. Aſt Cæſar, poſtquam Fioniam incaſſum tentaſſet, nec de auxilio Belgicæ claſſis ſat certus eſſet, aliam viam inſtituit Sveco Daniæ viſceribus abſtrahendo, irruptione in Pomeraniam facta. Judicans ſimul eam Inſulam haut prius expugnari poſſe, quam viribus defenſorum diſtractis. Ac ne color pacem Weſtphalicam jam aperte abrumpenti deeſſet, jactabatur: Regimen Glucſtadienſe defenſionem Cæſaream adverſus hoſtilia Svecorum imploraſſe; cum tamen idem oblatam neutralitatem repudiaſſet. Ad Moguntinum & alios Imperii Ordines ſcribebatur: Regem impediiſſe, quo minus pax in Polonia ſuccederet; ac irruptionem in Pomeraniam à ſe ſuſcipi, non ut aliquem ibi locum ſibi vindicet, ſed unice ut Regem ad amplectendam pacem permoveat. Quas literas ſibi à Palatino Electore communicatas Rex prolixe ac ſolide refellebat. Arguebat quoque Cæſar, quod in Dania agitatum foret de ipſo tractatibus Danicis excludendo; cum tamen Regi pacta Hagenſia, quæ ejusmodi pacem ſtruebant, nunquam probata forent. Et quaſi tam dilutus color ſufficeret, ſuique conatus publico nomine ſuſciperentur, ſuas copias Imperii exercitum nuncupabat, ac jam Regem hoſtem Imperii declarare agitabat, proſcriptorum loco tractaturus apud Svecum ſtipendia facientes, quod avocatoriis edictis non paruiſſent. Eo igitur conſilio Fœderatorum copiæ Jutia & Holſatia exceſſerunt, relicto ibi Quæſtio cum quatuor Cæſareis, totidem Brandenburgicis legionibus, ac Polonorum manu. In tranſitu Wismarienſium prædia, & Cœnobium Novum hoſtili modo habebantur. Unde & Rex, cum hactenus Marderfeldio Wismariæ præfecto interdixiſſet, ne quid ex iſto oppido in Fœderatos tentaret, nunc quantum poſſet, noxæ iſtis inferre jubebat. Sed & interim à Cæſare novus exercitus in Sileſia contractus erat, qui duce Ludovico Ratvico Suchio per ulteriorem Pomeraniam ingruebat, qui primo Wildenbrucam arcem invadebat, non niſi triginta peditibus inſeſſam, qui nullam moram deditioni faciebant. Greifenhaga nullo præſidio firmata, etſi ultro Cæſareos admitteret, hoſtili tamen modo cum circumjectis vicis direpta, inde militum incuria flammis deleta fuit. Adſitum oppido caſtellum à præfecto vigilum, & centum quinquaginta peditibus inſeſſum initio acriter reſiſtebat. Sed mox propius ſuccedentibus Cæſareis deditionem faciebat. Inde Dammum itum, cui adſitum caſtellum à vectigali nuncupatum mox ſubactum, cujus præſidiarii ſedecim pedites cum optione diſceſſum ſibi Stetinum paciſcebantur. Sed ipſum Dammum tribunus Curtierius natione Gallus accerrime defendebat, Cæſareosque per quatuor amplius horas aſſultantes magna cum ſtrage repellebat, aliquot iſtorum centuriis cæſis. Unde Suchius ad blandiora converſus per literas iſtum ad deditionem adducere conabatur, oſtenſo inde periculo, hinc honeſtis conditionibus. Sed obſeſſi nullo reſponſo dato alacri eruptione ſub veſperam multos hoſtium cædunt, ſubtribuno capto in oppidum pertracto. Inde & alia vice aſſultantes magna cum cæde rejiciunt. Ad extremum tamen cum propius urgerent Cæſarei, nec ulla amplius reſiſtendi facultas, deditio iſtis legibus fiebat, ut Sveci Finnique Anclamum deducerentur; reliqui Germani, Poloni, aut Dani, ducenti nonaginta numero, Cæſareis ſignis ſuccederent. Interea Cæſareorum manus ſub Joanne Richardo Starenbergio ſummo vigilum præfecto Caminum, inde & caſtellum ad Divenoam occuparat, ac Wolinum Inſulam ingreſſa tribunum Wolframſtorfium cum ſuis equitibus in cognomine oppidum compu-

1659.

8. Aug.

Curtierus. Damm. 14. Aug.

22. Aug.

5. Sept.

Starenberg. Divenoa. Wolin. Wolframsdorf.

1639. lerat. Sub adventum hostium Wollini præfectus Brunnius ignem suburbio injecerat; sed qui differente vento ipsius oppidi magnam partem cum arce, annonaque ac paratu bellico absumserat. Eo incendio sæviente Cæsarei aliquoties assultum tentabant, 27. Sept. sed non sine strage repulsi. Ad extremum tamen impetu in oppidum perrupere, cum initio statim pugnæ præfectus cecidisset. Qui primum hostium fervorem effugerant, omnes captivitatem subiere, octingenti pedites, quadringenti equites cum multis præfectis. Dammo expugnato Suchius Oderam transgressus Stetino obsidium circumposuit, quod Paulus Wirzius nuper è Borussica expeditione reversus cum bis mille quingentis veteranis peditibus insidebat; qui & cives ut arma corriperent, animaverat. Inter hæc & Fœderatorum ex Holsatia progressus exercitus ad Warnemundam primo constiterat; quod castellum nullo negotio subactum. Inde ad aditus Pomeraniæ accessum; apud quos etsi Mullerus cum equitum manu consistebat; tamen quia peditum robur deerat, impedire hic non poterat, quo minus castellum ad Tribsesam arbitrio se istorum dederet, postquam qui inerant triginta pedites per sesquihoram restitissent, paucis duntaxat hostium cæsis. Inde Clempenoa, & Loitium à Sporckio occupatum. Et qui Damgardam insidebant Sveci, relictis machinis Stralsundam abiere. Greifsvvaldam dehinc conversi Brandenburgici, levi negotio eam expugnaturos se crediderant: Sed 23. Oct. noctu assultantes Mullerus supremus Vicarius, qui oppido præerat, non sine clade repulerat. Is tamen assultus ita oppidanos perterruerat, ut deserto vallo in ædes suas concederent, ac literas ad Electorem scriberent, quibus petebant, ut ignes injicere parceret, polliciti, se vim isti haut opposituros, ac illum dominum habituros, cui fortuna faveat. Jam duo milliaria Demminum versus Elector discesserat, cum istæ literæ traderentur. Sed quia tabellarius referebat, ad paludem Stralsundam versus oppidum maligne admodum munitum esse, per noctem iter relegit. Ast Mullerus interim ea parte loricam raptim excitaverat, cognitoque hostium instituto omnia ad vim excipiendam eo loco paraverat. Unde cum Brandenburgici summo mane ingruerent, acriter excepti iterum repelluntur, utroque assultu mille amplius amissis. Ita Greifsvvaldam irriti Fœderati deseruere. Ast apud Demminum, quod Henricus Vickius tribunus tuebatur, omnes obsidentium artes explicuerat. Otto Christophorus Sparrius, obsessis acriter renitentibus, donec demum magno labore per fossam excitata porticu in vallum usque penetratum fuit. Unde post menstruum obsidium oppidum honestis conditionibus deditum. Interim ad Stetinum acriter res gesta fuit, invitaverat initio Wirtzium & Oppidanos ad ultroneam deditionem Electoris nomine Christianus Albertus Burggravius de Dona. Sed qui literas attulerat tubicen à Wirtzio nullo responso, ab oppidanis abrupto dimissus fuit. Inde ad vim conversi obsidentes obsessique pro se quisque acriter connitebantur; ac crebras cum primis eruptiones faciebant obsessi vario, ut solet, successu cædentes, cæsique. Propius tamen suggressi obsessores propugnaculum fossæ antepositum occupabant, quo non parum molestiæ obsessis dabatur difficiliori deinceps eruptione: ac jam per fossam ad vallum opera promovebantur, in quo cuniculi agi cæperunt, etsi multis obsidentium subinde cadentibus. Interea Wrangelius, quem Rex valida cum manu è Fionia in subsidium Pomeraniæ miserat; Stralsunda progressus primo hostes Usedomo Insula expellit, Arendsonio per Wolgastium in eam transmisso, qui castellum ibi positum, quod ducenti Brandenburgici tuebantur, post semihoræ pugnam, impetu capit. Inde mille equites, sexcenti pedites, adverso Odera Stetino immittuntur, nullo impediente, quod obsidentes magno suo cum damno subvectionem & accessum per flumen obsessis liberum reliquissent. Penetravit quoque in oppidum ipse Wrangelius, & postquam omnia lustrasset, obsessosque confirmasset, iterum discessit. Cæterum eo subsidio confirmatus Wirzius in Cæsareos securius agentes ac Divo Martino assis anseribus litantes eruptionem facit, eosque accessibus, castello & suggestibus expellit, machinasque clavis configit. Hinc invitante successu in ipsa Cæsareorum castra penetrat, ac jam partem eorum turbis involvit. Quo minus longius grassa-

Brunn. Des Sauches. Wirz. Muller. Tribsees. Loitz. Sporck. 15. Oct. Vick. 21. Oct. Arendsen. 2. Nov.

Stagnum
Delineatio Oppidi
GRIPSWALDE.
In Pomerania, ubi ea 2. 20 Septemb. ab Electore
Brandenburgico una cum Comite ab Isenac. Tavarotis oppugnata
fuit incendio inter cetera ad capita exteriora ministerio hostium
itemum non sine summo detrimento Ecclesiae pyrgi 20 Octobr. subito a stulto quo
portum Suecicum ingressum vicissim Combusta.
Anno 1639.
a. S. Nicolai
b. S. Mariae
c. S. Jacobi
} Templum.
d. Curia.
e. Coenobium franciscanor.
f. Collegium
g. Wolanum
h. Lorimium
i. Finque
k. Stubenthorpe
} porta.
l. Casa arcium a Suecis.
m. Brandeburgicorum a Suecis.
d. 25 Sept.
n. Locus inundandis hinc inde
Paludi circumdatus.
O. Oppugnatio quae Comes
p. Brandeburgicus mortuus
hic S. Jacob:
q. Platea dicta hucusq. sterilis
magnam partem in cinere
r. Turris ubi pulvis asservatus
hostes ignitis globis occidit
verberata
S. Via et tumultus fratres oppor
tune assistendum vicinis
t. Prato humida et palu
V. Federatorum castra
Wilhelm Hondius Sculp. Hagae Comit. A° 1643.
APOLI

Digitized by Google

DEMMINVM
a fœderatorum Cæsareano
rum et Brandenburgentium Exerci
tibus d. 15. Octob. A. 1659. obsessum, d
4. Novemb. deditione captum.
A. Accessus Cæsareanor.
B. Duo Cæsar. suggest. sin
guli 6. torment. instructi.
C. Cæsar. foveæ et Morta
rium.
D. Accessus Brandeburgen
sium et duo suggest. singuli 6
torment. ut et mortaria.
E. Propug. in monte monialiu
F. Fœderatorum Castellum ad
Angustias additus.
G. Castra Cæsareanorum.
H. Brandenburgicor. Castra.
I. Machinæ bellicæ et reli
quæ ad rem tormentar.
pertinentia.
K. Tormenta ex
derelict. in veteri Cas
tro Demin.
L. Reductus Succorum
der Mecnkrebs.
M. Tribun. Ioseph. Stati
nes et suggestus quor
singuli 6. Torment. erant
N. Reductus Fœderatorum, et
400. Equites ibidem excubias
agentes.
O. Castrum diruturn Demin.
P. Pagus Vorwerk.
Q. Mons pabularis.
R. Prata et campi Vliginos
S. Porta Vaccina.
T. Porta fœminarum.
V. Porta Calirenses.
W. Porta Holsatica.
X. Porta Mauerriana.
Y. Porta Piscatoria.
Z. Porta Nova.
Portæ Rhinenses.
Agri Satiui editores
Via Lomnitium versus
Via Anclamensis
Tolenze fl.
Tolenz
APOLI

Digitized by Google

Prata Paludinosa
Prata
Paludes
Duntz
FLUVIUS
A. Arx
B. Temp
C. Temp
D. Temp
E. Temp
F. Temp
H. Porta
I. Porta

Digitized by Google

1659. graſſarentur obſeſſi, equus ſub Wirzio confoſſus inhibuit, & quia totis caſtris exciti Cæſarei ingruebant. Unde Sveci iterum in oppidum repelluntur ſeptuaginta ſuorum deſideratis, cum ipſi hoſtium trecentos amplius cecidiſſent aut captos abſtraxiſſent. Sequenti die obſeſſi per fluvium eruptionem faciunt Duce Sverino ſubtribuno, ac viginti amplius cymbis impoſiti adverſo Odera Curaviam usque procedunt, ubi Brandenburgici penum congeſſerant. Heic Sveci adſitum caſtellum viginti peditibus infeſſum impetu expugnant, ſimul quindecim dolia pulvere plena abripiunt; annonam partim in fluvium projiciunt, partim cymbis impoſitam cum alia præda Stetinum revehunt. Ita Fœderati obſidium per ſex hebdomadas extractum irriti ſolvunt, magna militum jactura ibi facta, cum quos in oppidum projecerant, globi ignivomi parum damni dediſſent: dehinc Cammino, Wollino, Dammo, ac Demmino præſidiis firmato in hiberna diſcedunt.

3. Nov. *Cura.* *4. Nov.*

Rex apud Ordines Imperii fruſtra queritur.

§. 68. Pacem ita turbatam, provinciasque ſuas Germanicas bello à Cæſare petitas Rex apud Ordines Imperii acribus querelis differebat, auxilium ex vi guarantiæ eos poſcens, nullo effectu; cum nemo Cæſari vim opponere auderet, ac quisque Sveciæ mala aut aliena adſpiceret. Sed & in Rhenano Fœdere parum ſubſidii erat, cujus deſtinata Monaſterienſis Præſul, velut eidem nomen daturus, exploraverat, inde Cæſari prodiderat. E quo & Trevirenſis ſe ſubduxerat, manifeſto documento, quam parum fœderibus, quæ tot è capitibus componuntur, fidendum ſit. Ac confirmaverant Electori Brandenburgico Luneburgici Duces, ſi ipſe Regis ditiones in Saxonia Inferiore & Weſtphalia ſitas non invadat, provinciis quoque ejusdem ibidem poſitis parcendum. Id quanquam Regi iniquum videretur, ſe prohiberi, quo minus hoſtes ſuos alibi diſtrahat: tamen in lucro habendum erat ſaltem eas provincias belli calamitatibus ſubtrahi, quod nihil ſuſcipere iis oris poſſet, antequam de auxilio Galliæ conſtaret. Qua de cauſa & Rex fœdus cum Neoburgico prius iniri nolebat, quam hic in Brandenburgicum erupiſſet, eidemque de auxilio Galliæ cautum eſſet.

1659. *Reconciliatio cum Brandenburgico tentatur.*

§. 69. Cum itaque nil opis aliunde allubeſceret, rationis erat ſuper minuendo hoſtium numero operam ſumere. Quo fine cum Georgius Fridericus Waldeccæ Comes Caſſellas proficiſceretur, Rex mandatis ipſum inſtruebat, ut ibi ſuper reconciliatione cum Electore Brandenburgico ageret. A qua hunc haut alienum eſſe Regi relatum erat, poſtquam Fionia incaſſum oppugnata fuerat, & qui metuebat, ne ſi pax in Dania ipſo non incluſo fieret, ditiones ſuæ ſedem bello ab Auſtriacis excitato præberent. Ac fortaſſe de conjunctione cum Cæſare ad diuturnitatem non ſat prolixe ſibi pollicebatur, velut qui nuper expeditione in Pomeraniam citra ipſius conſenſum ſuſcepta non parum ſuſpicionis injecerat. Unde & hucusque Elector in ejus invaſionis partem non ulterius venerat, quam ut per ſuam ditionem copiis Cæſareis tranſitum daret, negata annona. Sed & Electori amicitia Sveciæ haut adſpernenda credebatur ob Polonos, qui vix bona fide digeſturi videbantur ſupremum Boruſſiæ imperium iniquis ſuis temporibus in Electorem collatum, cui tuendo vicinorum favore opus ſit. Igitur ne quod momentum rebus ſuis ſublevandis negligeret Rex, initium compoſitionis apud Electorem tentare decrevit, præſertim cum hic pacem cum Polonis, ac Belgis inſigniter impedire poſſet. Eam in rem Waldeccius apud Landgravium Wilhelmum Electoris affinem inſinuare jubebatur, quantum damnum rebus Proteſtantium hac Regis & Electoris colliſione inferatur, & ut Auſtriaci, dum aliquos Proteſtantium inter ſe committunt, alios in ſuas partes pertrahunt, facile advertus omnes invalituri ſint. Cæterum Regem pro illatis damnis nil ſatisfactionis, nec fœdus poſtulare; ſed ut Elector Regis hoſtibus disjunctus nihil amplius his auxilii præſtet, tranſitum per ſuas terras, aut merces bellicas iisdem adportari haut concedat; ſimul Gottorpium reſtituat, & è pacto Labiavienſi reliquas pecunias ſolvat. aut ſi id nolit, Regem in partem vectigalis Pillavienſis admittat. Si Landgravius de reſtitutione Curlandi mentionem injiciat, Waldeccius reponeret; in hanc conſentire Regem non poſſe. Curlandiam eſſe Livoniæ partem, quam Sveciæ cedere jam Polonicis

1659. nicis Legatis in mandatis fuerit datum. Saltem dominium directum in Sveciam transferendum, ac Regem aliquas ſibi conditiones ſtipulaturum, quas præſtare Duci oneroſum ſit futurum. Igitur ſatius fore, ſi Duci alibi ſatisfaciat in Samogitia, Lithuania aut Pomerellia; aut ut Elector ſibi in Samogitia aut Lithuania ſatisfieri patiatur, ac Duci Mindam tradat cum dignatione Principis Imperii. Sed ſi nihil apud Electorem proficeretur, conſilium erat collectis in Bremenſi provincia copiis in ditiones Electoris Weſtphalicas impreſſionem facere. Cæterum quia captivitas Curlandiæ Ducis Regi apud multos, inprimis ejusdem cognatos, invidiam creabat, Waldeccio ſcriptum ſuper ea cauſa tradebatur, quod Caſſellis, & alibi communicare jubebatur. Ejus ſumma hæc erat. Regnante Chriſtina Curlandum quidem ut medio eſſe liceret obtinuiſſe, ſed certis legibus, quæ ipſi exacte fuerint implendæ. Sed Carolum Guſtavum ſceptro potitum id pactum confirmare dubitaſſe, quod Vaſallo Regni hoſtilis ejusmodi beneficium haut temere ſit concedendum, inprimis poſtquam omnes Palatinatus Poloniæ, & Boruſſiæ Regi ſe ſubmiſiſſent, Electore quoque in partes transgreſſo. Et quia res cum Moſco, Dano ac Belgis ad pacem ſpectabant, rationis fuiſſe mature deliberare, antequam circa hoc certi quid ſtatueretur. Unde potius Duci à Regiis fuiſſe Miniſtris propoſitum, ut declararet, Sveciæ partes, an eidem adverſas ſequi malit. Sed quia tunc Svecico exercitu Lithuaniam ingreſſo tractatio circa eam provinciam ad Regis obſequium adducendam quam maxime fervebant, Ducem inde occaſionem arripuiſſe declarationem ſuam differendi, oſtenſo inſigni ſtudio circa negotium Lithuanicum promovendum, quod tanto cum ſucceſſu fieri non poſſit ſe in partes concedente. Et alias Sveciam multa ac certa indicia habere ſui in ipſam ſtudii, cui & inhæſurus ſit. Ac ſi utique Sveciæ ditio ſit ſubeunda, cupere ſe Lithuanorum exemplum ſequi, quo factum ſuum eo melius Orbi, & Polonis adprobare queat. Aſt interim ipſum clam Regis res in Lithuania confudiſſe, tempusque extraxiſſe, quoad adpareret, quid mutationis rebus Svecicis Moſcus, Cæſar, aliique allaturi eſſent. Eoque diſſidia excitaſſe inter Janum Radzivilium, Goſievium, ac Nobilitatem Lithuanicam, ac clandeſtina commercia cum Epiſcopo Samogitiæ, aliisque aluiſſe, ut Radzivilii actiones ipſis ſuſpectas redderet, tunc circa ampleſtendam Regis protectionem fatagentis. Per eas artes ab eodem turbas in Lithuania fotas, quoad erumpente rebellione non exiguus Svecicorum militum numerus per hoſpitia diſperſorum trucidaretur. Inde cum de irruptione Moſci in Livoniam conſtaret, mature ſibi tutelares literas à Czare comparaſſe, etſi Rigæ longe aliter de animo ſuo teſtaretur. Eam irruptionem à Duce promotam, & cum Moſcicis Legatis ac Miniſtris aliquot per noctes ſecreta colloquia habita, omnesque occaſiones compoſitionis cum Rege corruptas: cum aliorum Legatis, qui ad Czarem tendebant huic in Sveciam incitando, Mitaviæ conſultationes habitas, eosdemque ad acceleranda infeſta deſtinata incitatos. Cum itaque de Moſcico bello certus eſſet, apud Svecicos Miniſtros jactare cæpiſſe, oblatum Czaris auxilium à ſe ſperni non potuiſſe: judicare, Sveciam ipſi defendendo haut ſufficere: ſed nec Svecos promiſſis ſtare. Tum & multa indigna in nomen Svecicum jactata, quod in aula ipſius fabula & ludibrium fuerit. Inde uxorem Regium montem miſſam, ubi Auſtriaci, Polonici, ac Danici Legati agebant; inter quos iſtam acriter in Svecos invectam, morbidas Svecorum copiolas, & ſesquicohortem Finnorum marito ſuo haut prævalituras, qui viam norit iſtis trans aquas intra rupes ſuas compellendis. Bradſchavium Cromvelli Legatum, pacis conciliandæ cauſa miſſum, Duci valde ingratum fuiſſe, quod ipſe ita ſe geſſiſſet, ut ſibi haut expediret Regem eo loco belli onere levari. Unde iſtius Legati deſtinata eluſa, ac Moſcis inſinuatum, arctum inter Svecos Anglosque fœdus initum præcipue Moſcoviæ oppreſſionem ſpectare, quod illi Baltico Mari dominentur, hi Moſcorum commercia ad Oceanum ſeptentrionalem impedire queant. Nec minus apud Anglicum Legatum Svecorum con- 1659.

1659. filia ſuſpecta reddita, ejusdem Secretarium corruptum, ac inter miniſtros ſuos adſcitum, quo iſtius deſtinata eo melius expiſcaretur, atque eluderet. Cum eodem Legato etiam diſſeruiſſe de ſtapula mercium Anglicarum Mitavia erigenda in fraudem Rigæ. Interim Legatum vario prætexto detinuiſſe, itinerique ejus talia obſtacula objeciſſe, ut is de ſucceſſu deſperans in Boruſſiam, inde Hamburgum abierit. Statim ab iſtius diſceſſu nuntium Kakenhuſa à Naſſokino veniſſe eidem revocando, idque in proclivi fuiſſe, ni Dux eluſiſſet, cui pax cum Moſco non placebat. Poſt tractatus Roſchildenſes cum & Moſcus in pacem propenderet, SvecicosqueLegatos dimitteret, Ducem atque Electorem Legatos ad Czarem miſiſſe inſignibus cum donis, eidem demonſtraturos, pacem Danicam haut ſtabilem fore, ac à fœderibus cum Auſtriacis eximios fructus ſperandos: tum per literas & emiſſarios peſſima quæque de Svecis diſſeminaſſe, ut parum abeſſet, quin Czar Legatos Svecicos in captivitatem retraheret. Sed cum id conſilium non ſuccederet, ac res ad tractatus deduceretur, iterum Sequeſtrem ſe obtuliſſe, ut negotium pro lubitu ſuo verſare poſſet. Talia cum diutius tolerare non valeret Rex, iſtum in poteſtatem redigi juſſiſſe. Sed ſi quid circa modum procedendi peccatum ſit, Duglaſſium rationem redditurum. Iſta uti multos eo de negotio penitius edocebant; ita de cætero à Waldeccio
24. Octob. propoſita Landgravius amice acceptabat, pollicitus, ſe eo nomine Legatum ad Electorem miſſurum. Sed ob mutationes mox incidentes id negotium irritum fuit. Idem Waldeccius & alios apud Principes de præſtanda pace Weſtphalica inſtiterat; ſed nihil præter inania, & in longum prominentia pollicita retulerat.

Svecorum in Curlandia progreſſus. Jan.

§. 70. Cæterum eo anno res in Curlandia vario Marte gerebatur. Ubi conglobata Curlandorum manus Saccenhuſam oppreſſerat, cæſis viginti quatuor Svecicis militibus, qui ibi age-
26. *Febr.* bant. Contra Spenſius tribunus Goldingæ præfectus centum equites ſub
Spenſ. Warnhofio turmæ præfecto emitte-
Warnhof. bat, qui Alzvvangæ tribus Coſaccorum, duabus dimacharum turmis noctu ingruentibus octoginta horum cædebant, reliquos diſſipabant. Iidem
Alzvvangen.

in reditu duas dimacharum Brandenburgicorum cohortes Lindeneccæ op- 1659
primebant, ac occiſis quinquaginta, *Lindeneck.*
captivos triginta quatuor cum duobus ſignis abducebant. Dehinc Adercaſius 7. *Mart.*
ſummus excubiarum præfectus cum *Adercaſ.*
valida manu progreſſus Korfium tri- *Korf.*
bunum & Curlandarum turmas apud
Haſenbotum in campo conſiſtente of- *Haſenbot.*
fendebat, quos aggreſſus primo ſtatim impetu tribus ſignis exuit, cæteros per oppidum præcipiti fuga egit, plerisque occiſis aut captis. Korfii dimachæ circumventi Svecico Sacramento ſuccedebant. Ipſe Korfius
& Buckius tribuni cum paucis equi- *Buck.*
tibus in arcem refugi eadem adhuc veſpera arbitrio ſe Svecorum dedere coacti ſunt. Guſtavus quoque Arm- 26. *Mart.*
feldius Doblena egreſſus aſſumpta ca- *Armfeld.*
terva hoſtem intra Neuſtætelium con- *Doblen.*
ſiſtentem opprimebat, diſſipabatque *Neuſtaetel.*
ereptis quatuor ſignis. Porro Duglaſſius, ut majori pondere rem gerere poſſet, nonnullas copias ex Ingria & Eſtonia evocaverat, mille pedites, duas equitum alas, cupidus in Lithuania pedem figere. Cum his, & quæ in Livonia reſtabant copiis in Curlandiam tendebat. Ubi Uxculius & Reinoldus Glaſna- 29. *Mart.*
pius in nongentos hoſtes apud Ca- *Yxul.*
niam in vico conſiſtentes immittun- *Glaſnap.*
tur, qui fuſos Salattam usque perſe- *Salatt.*
quuntur, plerisque cæſis: centum amplius capti cum turmæ præfecto ac tribus centurionibus, octoque ſignis. Superato dehinc Winda fluvio glacie inſtrato Libavia occupatur, 15. *April.*
ubi magna frumenti vis inventa Ri- *Libav.*
gam mittitur. Inde Schodam itur, 29. *April.*
ubi ſummus excubiarum præfectus *Schodæ.*
Bergius cum ſua manu conſiſtebat, *Berg.*
non ſine contemptu Svecos expectans. Eum Duglaſſius impetu facto ſat languide reſiſtentem in fugam conjecit, quingentis cæſis, ſexaginta amplius captis, cum quatuor equeſtribus, decem pedeſtribus ſignis. Peditum ibi quicquid erat peribat, quod dimidium milliare per plana camporum currendum eſſet, antequam ſylva attingi poſſet. Schodæ Duglaſſius aliquandiu conſiſtebat Windam inter & Wardavam fluvios, à fronte Samogitiam, à tergo Curlandiam *Wardavva.*
habens. Nam Rex in Lithuaniam movere vetuerat, ne quid ſuſpicionis Moſcis injiceret, qui tum rem ibi adverſus Polonos gerebant;

1659. ac potius poſt defenſam Curlandiam verſus Memelam tendere juſſerat, quo Duci Adolfo Joanni junctus Boruſſiam Ducalem infeſtare poſſet; nec progreſſus Moſci in Lithuania curaret, velut qui ad pacem Polonicam promovendam multum conferre poſſit. Enimvero in Boruſſiam tendere Duglaſſio haut dabatur, quod Curlandiæ finibus immineret Komorofius Lithuanorum Dux, qui in tres menſes cum Naſſokino inducias iniverat. Quo ingruente Duglaſſius Schoda movens verſus Zeidiſchium tendebat; ubi ex itinere hoſti apud Syndiam impingebatur, qui etſi triplo numeroſior levem poſt velitationem trans Wardaviam flumen ſe recipiebat. Et quia Dux, Rigæ detentus è propinquo multa in Svecos machinari pergebat, Rex eum primo Holmiam avehi juſſerat; mox mutato conſilio arce Ivanogrodæ incluſit, ubi gubernator Simon Helmfeldius antea ipſi notus humanitate ſua tædium cuſtodiæ mitigaturus, & facile ſuſpecta commercia intercluſurus erat. Inter hæc Duglaſſius audito Ericum Kruſium cum aliqua manu ſubſidio ipſi venire, peditibus apud Goldingam relictis cum equitibus & quadringentis dimachis obviam iſti procedit; quos & ipſos inter Slucham & Tuchinum novem à Riga milliaribus ſubſiſtere jubet, ipſe Rigam profectus, unde octingentos Polonos in Curlandia hinc inde captos in Sveciam mittebat.

Memel. *Komorofski.* *Zeidiſch.* *Jul.* *Helmfeld.* *Kruſ.* *Goldingen.* *Slucha.* *Tuchin.*

Res Svecorum in Curlandia in deterius eunt.

§. 71. Hucusque Svecorum res in Curlandia ſat bene ſe habuerant, plerisque locis eorum milite infeſſis, Mitavia, Bauſcha, Goldinga, Dublena, Nienburgio, Brugdaga, Schrunda, Grubino, Libavia, & arce Windaviæ. Sed dehinc eædem in deterius ruere cœperunt. Spem Duglaſſio fecerat Naſſokinus, ſe poſt elapſas inducias junctim cum ipſo rem in Polonos geſturum. Sed quæ mox in contrarium vertebat, poſtquam Sapieha Moſcis magna clade affectis tota cum colluvie jam Curlandiæ infunderetur, quam paſſim populabatur, abactis etiam in Lithuaniam pecoribus. Sed & dum Duglaſſius Rigæ adventantia auxilia expectat, 13. *Aug.* Romorofius Goldingæ obſidium circumpoſuerat, quem dum inde depellere Duglaſſius conatur, fruſtra erat, quod munitiones, queis iſte ſe circumdederat, perrumpere non valeret. Igitur ut eundem inde detraheret, Janiſciam ſe in fines Lithuaniæ conferre inſtituit, irruptione ibi facta ad ſua defendenda iſtum revocaturus. Sed in itinere nuntiatur, duos Nobiles Curlandos Bucholzium & Netelhorſtium coacta agreſtium manu Doblenam admotis ſcalis expugnaſſe. Unde ipſe eodem vertens comperit Bucholzium cum parte captivorum Birſas evaſiſſe. Sed Netelhorſtius Doblenæ deprehenſus ſtatim ad deditionem compellebatur. Ita plerique Svecorum recuperantur, qui præſidium ibi agitaverant, ac arci munitiones detractæ. Dum hac vertit Duglaſſius, emiſſa ducentorum quinquaginta equorum caterva, quam Haſtfertius tribunus ductabat, in bis mille Polonos delapſa vapulavit, ut vix centum elaberentur. Culpa cladis erat, quod præfectus præter mandata tam tarde iter faceret. Sed longe majus incommodum rebus Svecicis afferebant denuo initæ à Polonis cum Moſco induciæ. Ea enim cura ſoluti Poloni adſcitis auxiliis Brandenburgicis Goldingam demum ad deditionem compellebant. Duglaſſio abigendis hoſtibus haut ſufficiente, culpa in præfectum arcis Jacobum Spenſium tribunum conferebatur, qui contra mandata ingentem plebis colluviem arce receperat, ac annonam in promtu expoſitam importare neglexerat. Magnam ibi militum jacturam faciebant Sveci, quod Poloni violato deditionis pacto præfectos in captivitatem redigerent, gregarios ſub ſua ſigna diſtribuerent, ſarcinis direptis. Paria à Duglaſſio Wolmariæ patrata Poloni excuſabant. Inde Windavia ab hoſte recuperata, cujus præſidium meris Danis conſtabat, qui poſt depulſos aliquoties aſſultantes hoſtes demum abjectis armis pugnam detractabant. Unde Bickertonus ſubtribunus loci præfectus deditionem facere cogebatur, cujus tamen leges ſervatæ non ſunt, ſed præfecti Rigam miſſi, gregarius miles hoſtium ſacramento adactus. Duglaſſius interim cum Mitaviæ & Bauſchæ annonam intuliſſet, Anneburgum in Semigalliam caſtra transferebat, hoſtibus multum infeſtantibus

1659. *Janiſkis.* *Bucholz.* *Netelhorſt.* *Birſen.* 2. *Sept.* *Haſtfert.* *Wolmar.* 22. *Sept.* *Bickerton.* 30. *Sept.* *Anneburg.* *Semgallen.*

1659. tibus ob proditionem agreſtium. Et jam Schrunda quoque poſt quindecim dierum obſidium in hoſtium poteſtatem conceſſerat, quam Ericus *Lode.* Lodius ſtrenue defenderat, cui & deditionis leges Poloni ſervavere. Unde *15. Octob.* metuens Duglaſſius, ne tota hoſtium moles ingruens Livonia ipſum excluderet, mature ſuperato Duna in adverſa ripa conſedit. Quin nec à periculo immunis erat Livonia, cui jam hoſtium manus quindecim bellatorum millibus conſtans minabatur. E Boruſſia quoque cum Brandenburgicis copiis movens Bogislaus Radzivilius poſt trium hebdomatum oppugnationem Grubinum deditione deperat: ut in Curlandia præter Mitaviam, & Bauſcham Svecis nihil reſtaret: quarum utrique à Polonis obſidium circumpoſitum. Sed Bauſcha utivim hoſtium ad finem usque belli egregie ſuſtinebat, ſemel atque iterum aſſultantibus Polonis magna cum ſtrage rejectis; ita Valentinus Meierus ſummus vigiliarum præfectus ſub finem anni Mitavienſem arcem deditione facta hoſti tradebat nulla neceſſitate, cum annonæ adhuc ſatis, & trecenti quadraginta pedites integra valetudine ſupereſſent. Ob quod flagitium is Rigæ in cuſtodiam datus eſt. Poloni dehinc ſemel atque iterum de induciis in Majum usque Menſem incundis proponebant, quod tractatio in Boruſſia felicem exitum ſponderet. Quas Duglaſſius deficiente mandato, ac ne Moſcis ſuſpicionem incuteret, declinabat.

Per Boruſſiam geſta. §. 72. In Boruſſia poſt captum Thorunium Poloni ſuper induciis movebant, à quibus & Dux Adolfus Joannes alienus non erat, ſaltem ut per eas præſidium Strasburgenſe ſervaret. Sed quia Dux Rege inſcio tale quid concludere non audebat, negotium extrahebat, quoad à Rege reſponſum adeſſet. Qui eas iniri vetabat, quod Poloni id quærerent, ut eo majore vi Duglaſſio ingruere poſſent. Ac alias diſplicebat Regi, à Duce de iisdem agi cœptum, velut qui nullo modo volebat à præfectis bellicis ejusmodi negotia attingi. Et longe ſatius Regi videbatur arma in Boruſſia moveri diſtrahendo Brandenburgico, & ut pars hoſtium ab ipſo è Dania avelleretur. Quo fine Paulus Wirzius cum equitatu, qui in Pomerania conſiſtebat, in Boruſſiam abire juſſus eſt, in cujus locum Pomeraniæ cura Mullero commendabatur, aliis equitibus eodem miſſis. Is copiis apud Golnoam con- *Golnoa.* tractis Slochoviam verſus tendebat, *Slochov.* cui Dux ſuperato Viſtula ibidem erat occurſurus. Avertendo hoſti rumor ſpargebatur, præſidia oppidorum permutanda ſuſcipi. Ita Dux Mariæburgo Montaviam progreſſus apud Al- *27. Jan.* *Montau.* bum Montem Viſtulam ſuperat; inde Conitium iter dirigit, quo Bulo- *Conitz.* vium ad hoſpitia paranda præmit- *Bulov.* tit. Sed oppidani non ſine ferocia terna vice imperatam deditionem reſpuebant, multis ignominioſis dictis in Svecos jactatis. Unde ut edito exemplo cæteri ſtolidam pervicaciam dediſcerent, aſſultu dato poſt duarum horarum pugnam in oppidum penetrat, viginti ſuorum deſideratis, aut ſauciis, quos inter ipſe Bulovius, dum hæſitantem militem prævius ducit, brachium globo trajectus eſt. Primo impetu oppidanorum non pauci cæſi; oppido direpto miles inſigni præda potitus eſt. Inde Slochovia intacta præteritur, ac Ham- *Hammerſtein.* merſteinam ad fines Pomeraniæ tenditur, quo hoſti perſuaſio naſceretur, Ducem in Germaniam abire, ne iſte copiis contractis reverſuro ſe objiceret. Conjunctione cum Wirzio apud *1. Febr.* Fridlandiam facta retro Slochoviam *Fridland.* & Conitium itur, unde præſidium educitur. Præmiſſus dehinc Let- *Letmat.* matus tribunus ad reparandum fluminis Woiſidovvæ pontem, opere *Woiſidovva.* perfecto ad caput pontis ſtationem diſponebat. Eam ſequenti mane ſedecim Polonorum vexilla ad explorandum miſſa intercipiebant. Sed mox Letmatus in iſtos irruens captivos recuperabat, cæſo Polonorum duce: ac triginta aliis, eosque ſesquimilliare in Sylvam usque perſequebatur. Inde ad Cænobium Biſchlavicam, *Biſchlavvia.* ac longius Svetzam tenditur, ubi in *Svetz.* præcurſores Svecicos duo Polonorum vexilla impetu facto iſtos ad primum agmen repellebant. Sed quos ingruens mox Letmatus fundabat, ac plerisque cæſis præfectos ac duo vexilla capit. Inde exercitus Culmæ ad- *Culm.* movetur, ubi præſidium, quinque dimacharum vexillis conſtans, terrore correptum ſtatim arbitrio Ducis ſe dedit; qui gregarios ſua ſub ſigna recepit, præfectos dimiſit. Non modica ibi

1659. præda parta. Sed quia invalida oppido munimenta, præſidium imponi haut placuit. Inde Graudento annona illata; inter quod oppidum & Neuburgum Dux iterum Viſtulam transgreſſus validam catervam Mariævverderam præmiſit, cui Brandenburgicus centurio inſidebat. Is cum deditio imperaretur, non ſine ferocia defenſionem viſus eſt meditari. Sed mox adventante Duce deſerto oppido in arcem ſe contulit; qua tamen mox arbitrio Ducis dedita decem manipuli peditum cohortibus Svecicis admiſcebantur. Ei arci præſidium immiſſum ſervandæ inter Mariæburgum & Graudentum communicationi. Dehinc Riſenburgum iter intendit Dux, ubi præfectus incenſis ſuburbiis defenſionem parabat. Sed cum tanti non videretur iſti loco oppugnando tempus, militemque impendere, Roſenbergam, inde Salfeldam itur, quæ nulla defenſione tentata Ducem admiſit. Ei oppido præſidium impoſitum. Hollandiam, cujus præſidiarii incenſis ſuburbiis defenſionem parabant, intactam præteribat Dux, prælio certare cum hoſte cupidus, qui apud Braunsbergam conſiſtebat; quo & ipſe relictis Mulhuſæ ſarcinis expedito cum agmine properabat, hoſtem ſi poſſet in ſuburbio tendentem oppreſſurus. Sed ea deſtinata in irritum cadebant, quod glacies in Paſſario fluvio copiis transportandis non amplius ſat firma eſſet; ac Brandenburgici, qui ibi egerant, Regium montem ſe reciperent. Inde Dux Lipſtadio capto præſidium imponit. Morungæ cives Duci oppidum citra moram tradebant, milite in arcem refugo, qui & mox, cum vis admoveretur, citra exceptionem ſe dedebat. Centum viginti equites, quadraginta dimachæ erant, qui turmis Svecicis admiſcebantur. Dirſchavia poſt invaditur, locus opportunus tegendæ Majori Inſulæ, & ſtruendo ponti; quæ per aliquot horas machinis verberata deditionem fecit ea lege, ut qui antea Svecis militaſſent, ad vetus ſacramentum redirent, quorum ſeptuaginta erant, reliqui Mevam deducerentur. His rebus geſtis copiæ per Inſulam Gedanenſem diſponuntur; ubi Wirzius catervam Gedanenſium urbe egreſſam opprimebat, præter cæſos quadraginta captis. Huc converſo Duce Brandenburgici Lipſtadium citra pactum receperunt, quod ſtraminea tecta ignem conceptum toto oppido diffudiſſent. Morungam aſſultantes acriter repellebantur, etſi poſt Dux eo oppido, ac Salfelda & Mariævverdera præſidia ultro deducebat, ne copias imminueret. Ea expeditio Svecicas copias non parum attriverat per frequentes deſertiones, & quia præfecti laxa admodum diſciplina militem continebant. Per Aprilem menſem copiæ in Minore Inſula quietem agebant reficiendæ equorum laſſitudini. Sed ineunte Menſe Majo Dux Bulovium trans Viſtulam mittebat ad occupandam Stargardiam, quam & hic adplicita portæ petarda irrupit, nullo ſuorum deſiderato. Cæſi ibi hoſtium centum triginta, capti ſexaginta quinque cum quinque vexillis. Aſt quia Dux impedimenta in Minore Inſula reliquerat, crediderat hoſtis, eo Stargardiæ abſente aliquid damni Svecis inferri poſſe. Ita is repente impreſſionem facit, ut qui in Minore Inſula reſtabant Sveci, modica cum jactura ſub caſtella ſe ſua recipere cogerentur. Sed quia nil annonæ ibi inveniebat hoſtis, nullo operæ pretio facto Lichtenfeldam retro abibat. Ac Dux copias in Majorem Inſulam traducebat extra ſubitæ incurſionis periculum. Cæterum iſta Ducis acta Regi haut ſatisfaciebant, qui plus debuiſſe profici judicabat. Sed Dux negabat à ſe plus potuiſſe præſtari, ac egregia ſua deſtinata ab aliis ſufflaminari; eoque offenſus miſſionem petebat. Ei Rex duas pedeſtres, legiones mari ſubmittebat, quæ exſcenſione in Nerungam facta, à Duce cum equitatu eodem excurrente in tutum deducebantur. Inter quæ oppidis Boruſſiæ paulatim fames ingruebat, quibus non plus annonæ erat, quam quod parce ad meſſem usque ſufficeret. Ac Galli tractatus pacis Polonicæ data opera extrahebant, quoad iſta loca, ad incitas redacta nulla penſatione in Polonorum ditionem redirent. Ac Poloni jam exercitum contraxerant, qui ſub finem menſis Julii in Boruſſiam deſcenſurus erat, primariæ cuipiam munitioni invadendæ, ac ut meſſe corrupta reliquis famen faceret. Unde Dux præſidium Stargardia iterum educebat, ne in loco parum munito fruſtra periret. Et quia per continuas pluvias magna ſegetis pars corrupta

Graudenz. *Marienwerder.* *Riſenburg.* *Roſenberg.* *Salfeld.* *Holland.* *Braunsberg.* *Mulhuſen.* *Paſſario.* *Lipſtad.* *Morungen.* *Dirſchau.* 11. *Mart.* 13. *Mart.* *Stargard.* 1659. 22. *Jul.*

Digitized by Google

VERSUS
Geometrica
Delineatio Vumlonia.
DANTZIGER HOFFT.
Ubi illud a Cedantemmare et reapsum Fiderale d: 2 Octob:
Anno 1550.

1659. rupta famem accelerabat, per Belgas quoque intercepto, quod è Pomerania ſubvehebatur, frumento, Dux deſperatis Boruſſiæ rebus, an alia de cauſa nobis incognita, cura ejus provincia in Laurentium Lindanum collata, in Pomeraniam trajiciebat, quo & Wirzius opportune admodum ingruentibus jam Auſtriacis adpellebat. Eo Ducis diſceſſu Rex vehementer indignabatur, quod hoſtis non aliter creditur ſ effet, quam ab iſto Boruſſiam conclamatam haberi.

Aug.

Res Boruſſiæ in angustum redigunt.

§. 73. Duce digreſſo res Boruſſiæ indies in deterius ruebant, quod hoſtis unice id ageret, ut Svecos inopia conficeret, quibus id virium non erat, ut diſpulſis qui incumbebant laxiores ſibi conditiones quærerent. Nam equitum armis inſtructorum duodecim centuriæ; inermium ſexcenti erant. Majorem inſulam ſeptingenti ſexaginta pedites inſidebant, præter eos, qui per oppidorum præſidia diſtributi erant. Tum Minor inſula plane vaſtata & incolis viduata; è majori inſula vix quadringenta pondera frumenti peti poterant. Inter quæ Brandenburgicorum caterva ſub Elbingam excurrens abigendis pecoribus à Schuzio tribuno in paludes compulſa fuit non paucis cæſis, octoginta captivis in oppidum tractis. Porro hoſte propius movente Dirſchavia à Svecis deſerebatur; cui tamen ſub diſceſſum ignem injicere obliti fuerant, ne hoſtibus uſui eſſe poſſet. Sed Graudentum Poloni Cæſareique quarto aſſultu irrumpebant, trucidatis quicquid occurrebat civium, oppidoque in cineres redacto Præſidiarii in arcem ſe recipiebant; ſed poſtera die exuto obſequio portas hoſti reſerabant. Unde præfectus, qui uno comitante in turrim confugerat, captivum ſe tradere cogebatur. Inde Major Inſula ab hoſte petebatur, cujus tuenda eo minor facultas erat, quod flumen ita ſubſediſſet, ut integræ equitum alæ explicatis ordinibus vado tranſire poſſent. Eam primo Lubomirſcius cum decem millibus apud Montavienſem angulum impetebat; ſed quem Sveci acriter reſiſtentes cedere cogebant. Aſt bis mille Brandenburgici, mille Gedanenſes navigiis accedentes apud Tyſmartum in Inſula locum capiebant. Unde Svecici Equites pars Mariæburgum, reliqui Elbingam ſe receperunt. Nam qui Hauptum ſe conferre juſſi erant, ingruente celeriter hoſte, ac ob profundos luto vias eo penetrare non poterant. Poſtquam in Majorem Inſulam perruptum foret, inter hoſtes diſceptabatur, quis nam potiſſimum locus impugnandus eſſet. Ac Poloni quidem Mariæburgum, Brandenburgici Elbingam, Gedanenſes Hauptum invadendum contendebant. Sed pervicere Gedanenſes, qui & oppugnationi omnia neceſſaria promte ſuppeditabant. Equidem Lubomirſcius caſtellum ad caput pontis, quo Nogatus fluvius Mariæburgi ſternitur, invadere parabat, ponti ibidem evertendo. Sed poſt fruſtra tentatam vim id cœptum omiſſum eſt, Polonique ſubigente annonæ defectu relicta Majore Inſula in Pomerelliam conceſſere. Aſt apud Hauptum acerrime res gerebatur, cujus præfectus Nicolaus Dancvvartus Lillieſtræmius, ſupremus vigiliarum præfectus, omni vi munitionem tueri nitebatur. Ubi primo caſtellum in oppoſita Hauptoripa ſitum hoſtis altero aſſultu expugnavit, humilibus aquis facilem acceſſum præbentibus. Inde ipſum Hauptum petitur; ubi nullo impediente hoſtis in aggere Nerungæ ſtationem ceperat, quod deficiente equitatu obſeſſi eruptionibus iſtum turbare non poſſent. Poſtquam ad tectam viam, qua foſſa cingitur, opera promota eſſent, hoſtis propugnaculum exterius ibi ſitum, ter magna cum ſuorum ſtrage repulſus, quarto demum aſſultu expugnavit: ſed quem Dancvvartus iterum magna cum cæde inde expulit. Nec eo ſegnius obſidium urgebat hoſtis, ut inter continua pericula plerosque præfectos amitteret Dancvvartus, gregariorum quoque numeris ita imminutis, ut vix tribus propugnaculis utcunque tuendis ſufficerent. Tum decuſſatim emiſſi globi, continuique ignes & ſaxa ita obſeſſos infeſtabant, ut quo ſe verterent non haberent. Et quia tecta ob continuas jaculationes deſerenda, aliaque tuguria in angulis hinc inde excitanda fuerant, multi ob ſolum parum ſalubre morbis corripiebantur. Quæ omnia hoſtibus per crebras transfugas prodebantur, è quibus plerique in Dania conſcripti fuerant. Et jam quoque domus cereviſiæ coquendæ, ac molentinum jumentarium deſtructum erat, bellico tamen paratu adhuc

Rast.

27. Aug.

4. Sept.

16. Sept.

1659.

Haupt.

Nogat.

Dancvvart. Lillieſtram.

1659. salvo. Sed cum hoſtis tota vi aſſultum pararet, qui ex utroque latere in foſſam penetraverat, ſimul frigus ingruens facilem per aquas acceſſum præbiturum erat, nec ſat copiarum ſtationibus tuendis ſuperabat, Dancvvartus demum quarta vice oblatas honeſtas conditiones poſt toleratum trimeſtre obſidium admiſit. Ipſe cum trecentis peditibus autem quinquaginta ægrotis, ac centum equitibus, magnam partem præfectis, ſimul ſedecim machinis, duobus mortariis in Pomeraniam deductus fuit. Interea temporis Sveci Stumam ultro deſeruerant; ac Strasburgum ſubigente fame à Joanne Pleitnero tribuno deditum fuit ea lege, ut præſidiarii Elbingam deducerentur. Eiusvero iſtos in itinere Roſenbergæ Brandenburgici ſiſtebant, armisque exutos omnes captivos Braunsbergam deducebant, utut Poloni pacto deditionis ipſis ſecuritatem à Cæſareis & Brandenburgicis diſerte ſpopondiſſent, additis etiam ducentis equitibus, qui comitarentur. Quibus inſuper habitis à Bogislao Radzivilio miſſus tribunus Hillius cum quingentis equitibus, ac dimacharum caterva Svecis manus injicit. Obtentui ſumtum, quod ſummo Electoris Imperio fraudi ſit, ipſo inſcio per ejusdem territorium militem traducere. Eo nomine Lindanus ad Lubomirſcium ſcribebat; qui Brandenburgicorum facto valde offenſus obſidibus datis ſe pro illorum liberatione cauturum oſtendit; ſed quos Sveci non admodum deſiderabant, fide verbo data contenti. Equidem dum pactum Strasburgi conciperetur, monitum fuerat, an non Miniſtris Electoris tranſitus præſidii Svecici per ipſius terras ſignificandus eſſet? Sed Lubomirſcius & Cancellarius Patzius id præfracte abnuerant velut ſuperfluum. Eo gravius iſti indignati Czarnecium juniorem cum bis mille Polonis raptim miſerunt, qui interceptum militem Brandenburgicis iterum eriperet; ſed hi feſtinato itinere jam Braunsbergam evaſerant. Unde Poloni irati ſedecim vicos cum templis in Electoris ditione direptos inflammarunt. Scribebat inde Poloniæ Rex literas ſuper iisdem utique dimittendis ad Radzivilium, ſed qui rem ad Electorem rejiciebat. Ita Svecis in Boruſſia præter Elbingam & Mariæburgum nihil reſtabat, jam non leviter cum inopia luctantibus; cui utcunque levandæ Lindanus tria millia inopis plebis media hieme Elbinga expellebat. 1659.

Hauptum deditur. 12. *Dec.* *1. Dec. Pleitner.* *Hille.* *Von der Linde.* *Patz.*

§. 74. Inter alia incommoda recrudeſcens in Dania bellum id quoque produxerat, ut pax Polonica in longum extraheretur, cujus ſuperiore anno propinqua ſpes affulſiſſe videbatur. Nicolaus quippe Lumbranus Legatus in Polonia Gallicus ſuperiore anno Wismariam accedens confirmabat, Polonos ſerio in pacem inclinare, Moſcis liquidam declarationem expoſcentibus ſuper Czaris filio in Regem aſſumendo. Nam quod hactenus congreſſus declinatus, nec diplomata data ſint, culpam penes Auſtriacos eſſe. Ac conſtituiſſe Polonos Livoniam Duna tenus, & actiones in Sveciam cedere. Tantum ſuper Boruſſia difficultatem ſupereſſe, cujus nullam partem Svecis relinquere poſſint, aut velint. Ea ſuper re cum Slippenbachius, & Gyldenclovius cum Lumbrano congrederentur præparandis velut tractatibus, acceptabatur Joannis Caſimiri in Sveciam renuntiatio, modo pure, & citra exceptionem, & quidem peculiari Inſtrumento fieret. Sed Gallus eam optime primario paci pacto inſeri autumabat: tum & Polonos eam Livoniæ partem ceſſuros, quam hactenus poſſederint, ſed nullo modo Curlandiam. De Boruſſia Polonos pronuntiaſſe; ſi obſtruatur Guttur quid de vita futurum? Pro ejus tamen reſtitutione duas milliones florenorum Polonicorum offerre. Quæ ſumma Svecis adſpernanda videbatur, cum Polonici Legati jam Holmiæ tres uncialium milliones præter totam Livoniam obtuliſſent. Sed Lumbranus non niſi de tribus florenorum Polonicorum millionibus ſpem faciebat. Contra Sveci hanc ſummam augendam contendebant; ac ſolutionis diem proferri, ac diffindi poſſe; interim Elbingam & Mariæburgum hypothecæ loco retinendas. In participationem vectigalis Polonos nunquam conſenſuros cenſebat, Lumbranus. Cum Sveci caveri ſibi cuperent, ne à Polonis Moſcus aut Auſtriacus Rex eligeretur; Lumbranus reponebat, eam rem jam à Polonis diſceptari, ac Svecos tantiſper partem Boruſſiæ poſſe retinere, donec Poloni in eventum Regem de- *Tractatus Polonicus extraheretur.* *Jul. 1658.*

ſigna-

1659. ſignarint. Nam hos ſtatim atque cum Svecis tranſegerint, viam inventuros amoliendis Auſtriacis. Ipſos quoque Moſcis compeſcendis ſufficere. His actis Lumbranus in Poloniam revertebat, intra bimeſtre reſponſum ſuper congreſſu inſtituendo allaturus. Enimvero poſt bellum in Dania renovatum Poloni rem extrahebant, ſucceſſus Fœderatorum in Dania ſpectaturi, & quid potiſſimum Belgæ ſuſcepturi eſſent. Quos & magnopere Cæſar ac Danus à pace retrahebant.

Cavillationes circa diplomata.

§. 75. Interim ne nihil agi videretur, circa diplomata tuti itineris Legatis mutuo danda diſceptabatur: è quibus Svecica pro Polonis & ſociis dudum perfecta Stetini jacuerant. Heic enim, non in Boruſſia iſtorum permutationem fieri Rex volebat. Sed à Polonis primum diplomata adferebat Akakia. In iis hæc vitia notabantur, quod chartæ non pergamenæ inſcripta ac ſimplici filo ſerico nigro conſuta eſſent. Sigillum quoque ita compreſſum erat, ut non adpareret, cujus eſſet. Eo redhibito per ſemeſtre ſatagebant Terlonus & Lumbranus, quorum ille ſtudio in Svecos ſine mandato ſui Regis in Poloniam iter paci promovendæ ſuſceperat, donec alia diplomata extunderent; quæ & ipſa tum ob alia vitia, tum ob ſigillum plane deformatum à Svecis acceptari non potuerunt. Unde cum Gallus ad alia exhibenda eos urgeret, Poloni demum annuerunt, additis tamen minis, niſi hæc acceptentur, nulla alia ſe daturos. Sed nec hæc ita formata erant, ut Svecis probarentur. Nam nec tituli Legatorum Svecicorum recte expreſſi, ac dies & menſis, quo data eſſent, omiſ-

25. *Maji.* ſus erat. Quin & inuſitatum ſigillum Poloni finxerant, in quo eques Lithuanicum inſigne clypeo, quo pectus tegit, Regni Sveciæ inſignia haut obſcure præferebat. Simul additum erat; eas literas *ſigillo Regio* firmatas, cum in ejusmodi negotiis *ſigillum Regni* adhiberi debeat. Ita & tertium diploma inſuper habitis Polonorum minis Sveci rejiciebant. Ad extremum ta-

17. *Jul.* men quartum, de quo prope jam deſperatum erat, ab Akakia adferebatur, quod cum recte ſe haberet, cum Svecico permutatum fuit. Simul ſpes pacis affulgebat, quam amantes patriæ viri in Polonia optabant ad declinandum ab Auſtriacis jugum, quod hi jam per arma Poloniæ intentare videbantur, Reginæ comprimis ac Lubomirſcii ſtudio circa pacem eminente. Poſtquam tantum temporis circa emendanda Polonorum diplomata conſumtum eſſet, jam Cæſarei quoque ſua diplomata ultro vitiis adſperſerant, ut nova morarum anſa foret. Illis Cæſar Joanni Caſimiro titulum Regis Sveciæ, tribuerat, quam ipſe Joannes Caſimirus adverſus Svecos non adhibebat. Omiſſus etiam erat titulus Scaniæ, ſubſcripſerat id Comes Wolkenſteinius, qui tamen eo tempore, quo diploma datum fuerat, (nimirum XX. Julii Anno 1658.) Francofurti ad Mœnum in prædiis ſuis egerat, nondum Vice-Cancellarii munere potitus, quod adhuc à Ferdinando Curtio exercebatur. In Brandenburgico notabatur, quod in titulo Comitis Benedicti Oxenſtiernæ omiſſum erat *Majeſtatis Regnique Svecia ſenator.* Deſiderabatur quoque ſecuritas pro tabellariis, curſoribus, literis, & literarum faſciculis. Ponebatur inſuper *Navim* pro *Naves*, quod non ſit ex dignitate Legatorum una nave vehi, quæ nec omnibus ſufficiebat. Nec proſpectum erat, ſecuritati navium minorum, quæ commeatum & alia neceſſaria per Pillaviam advecturæ erant. Quæ omnia emendari poſtulabantur. Porro Cæſareum diploma Akakiæ reddebatur, ut in Boruſſia correctum ab ipſo procuraretur. Nam Svecis haut placebat iſta ob ludibria negotium differre; eoque Rex poſtulabat, ut Poloni Svecicis Legatis adverſus copias Cæſareas in Boruſſia agentes caverent, ne expectatione Cæſarei diplomatis tractatus differetur, quem omni modo accelerari cupiebat. Unde & idem Legatos Stetino Stralſundam ſe conferre jubebat, ne forte ibi ab hoſte includerentur, usque adeo iratus Gardio, cujus cunctatione profectio in Septembris usque initium extracta credebatur, ut jam ſolum Slippenbachium & Gyldenclovium proficiſci imperaret, ni moras iſte abrupiſſet.

Legatorum Svecorum mandata.

§. 76. Porro Regi ſpem proficuæ pacis inter alia præbebant induciæ cum Moſco, velut quæ Polonis magis ad pacem compulſuræ ſint, quam eloquentia Gallica. Et quia Poloni cum Auſtriacis convenire non poterant, nec de Coſaccis ſat cautum eſſet, incumbente quoque cum Moſcis bello, neceſſi-

1659. ceſſitas utique pacem Svecicam imperare videbatur. Poſt iſtas igitur inducias Rex Legatorum ſuorum mandata ita temperabat. Circa Livoniam Polonicam, in qua Duneburgum, Roſita, Luttar, & Mariæhuſa oppida ſita ſunt, circa ſatisfactionem poſtulandam caute procederent, ne quid adverſus inducias cum Moſco concluſas fieret: eoque Polonos inducerent ut ipſi eam partem Livoniæ ultro offerrent, quos & iſta potius, quam alia daturos veroſimile ſit; ſic ut ea res unice Polonis tribui poſſet, velut ab his ſolis profecta. Tum ut à Polonis oblata acceptarent, quatenus Polonorum ſe jus porrigere poſſit, reliquis ad tractatus cum Moſco remiſſis. Ac ne induciæ cum Moſcis ulla parte tangantur, ſed in præſenti ſtatu ſubſiſtant, caverent, ut ea regio legibus induciarum cum Moſco includatur, ne quid in eam hoſtile Poloni deinceps tentent, nec circa eandem amplius ſatagant velut alteri ceſſam. Aut ſi Poloni jactent, ſibi hoſtem ſuum utique ibidem infeſtandum, ſtipularentur, ut Poloni ea loca, ubi Moſcis erepta fuerint, Svecis tradant. Præterea omni ope conniterentur, ut non cum Polonis ſolum, ſed & Cæſare, ac Brandenburgico pax coëant: id quod eo facilius fore ſperabatur, quod Rex ab utroque nil aliud poſtularet, quam ut pax Weſtphalica confirmaretur, ac ſibi frui liceret, quæ iſthæc ipſi tribuat, neve iſti ſeſe Svecicis bellis immiſceant. Eas conditiones ſi recuſent, totum orbem Regis æquitatem, iſtorum injuriam agniturum.

14. Febr. Roſiten. Lutta. Mariemhuſen.

4 Aug. Poſt & Legati monebantur, ne ceſſionem Boruſſiæ præcipitarent quoad circa totam Livoniam tranſactum foret, ſub qua Rex Curlandiam quoque & Semigalliam comprehendi volebat. Præcipue autem Slippenbachius jubebatur ratiocinia ſua, quæ ſemper jactabat, circa retinendam Boruſſiam oblivioni tradere; cui ſpes in pace Danica, reconciliatione cum Belgis, & auxiliis Angliæ collocabatur. Nam incumbens tam grave onus neceſſitatem adferebat pacem cum Polonis amplectendi, ſi vel maxime Boruſſia citra ſatisfactionem dimittenda foret. Et cum actiones belli non ſemper ex voto ſuccedant, ſatius eſſe in tempore nonnullam jacturam facere, quam omnia demum ruinæ exponere. Unde unicum ſibi ſcopum pacem haberet; quam Rex ſummopere optabat; aut ſaltem ut noſſet, 1659.
quid ſibi expectandum foret, quo conſilia ſua inde temperare poſſet. Gyldenclovio ſoli mandabatur, ut ad extremum, ſi alia lege Curlandia obtineri nequeat, omnem ſatisfactionem pecuniariam Polonis remitteret. Aſt rebus in Dania ingraveſcentibus, mandata hinc inde ad præſens tempus accommodabantur. Scilicet ut ſecuritati ſuæ probe caveri curent, ac aliquot milliaria circa tractatus locum hoſtilitati eximant, utque tabellarii, ac literæ hinc inde tuto commeent, haut interceptæ & reſignatæ. Quia Belgæ jam in hoſtilia eruperint, eorum Legatos ſequeſtres haut admittant. Sed ſi contra tendat adverſa pars cum Polonis clam tranſigere ſtudeant, cum Cæſareis citra ſequeſtres tractent. Satisfactionis loco totam Livoniam poſtulent, cum parte Polonis hactenus poſſeſſa, & Curlandia ac Semigallia; quam Poloni comitiis anno 1655. cedere jam decreverint Niemericie, & Mirzinſcio teſtibus; utique Duci in Samogitia, Pomerellia, aut alibi ſatisfiat. Sed quæ in Germania proponi poſſent, declinarent velut Brandenburgici provincias tangentia; niſi forte ipſi Brandenburgici ei rei occaſionem præbeant. Optionem tamen Duci relinquant, utrum in penſationem terrarum quid, an ſummam pecuniæ malit, quæ ultra quinquies aut ſexies centena uncialium millia adſurgere non poſſit, cum ſtati reditus Ducis viginti uncialium millia non excedant. Sed ſi Poloni Ducem utique reſtituendum pertendant, Legati id non alia lege admittant, quam ut Dux eam provinciam eadem qua antehac conditione poſſideat, quod multa per hoc bellum in odium Sveciæ ipſi à Polonis indulta dicantur: ut is deinceps Vaſallus Sveciæ ſit, ac Polonia juri ſuo in Curlandiam renuntiet, ut Regi jus præſidii ſit in munitis ejus provinciæ locis, ubi opus videatur; ut denique Ordines Curlandiæ pari cum Livonis conditione agant, nec una provincia prærogativæ quid præ altera habeat, velut quæ olim unum corpus compoſuerint. Si tamen tractatus ad hoc caput adhæſurus videatur, demum conſentirent, ut Dux & Nobiles præſentem ſtatum ac privilegia conſervent ſub dominio duntaxat directo Sveciæ. Piltenſis præſulatus penes Regem maneat, reſtitutis Duci

29. Oct.

quin-

1659. quinquaginta uncialium millibus, pro quibus is huic oppigneratus eſt. Circa ceſſionem quoque Livoniæ Regi diſerte vectigal Lithuanicum apud Dunenburgum reſervent. Pertendant quoque, ut Rex in partem vectigalis in Boruſſia admittatur, apud Regem Poloniæ hac ratione uſi, quod illud fiſco expediat, Reginæ quoque ſpe facta, illam dum vivit fruituram, quod Sveciæ è Pillavia & Memela provenire poſſit, ut tamen id è manibus miniſtrorum Svecicorum accipiat. Electoris autem conſenſui obtinendo oſtendatur; ſi in omnibus portubus æqualitas vectigalium inſtituatur ad taxationem Rigenſem, plus ipſi acceſſurum, quam deceſſurum, ac commercia per æqualitatem haut impediri; iſtaque participatione vectigalis Electorem poſſe ſibi Sveciam devincire, quo ad firmandum ſupremum ipſius in Boruſſia Imperium continuatur; quod præſtandum Rex recepturus ſit, ſi Elector viciſſim hunc tractatum præſtare velit. Ea participatio vectigalis ſi ſuccedat, partitio ita fieret, ut in Boruſſia Regia dimidia pars Polono, altera Sveco cedat: in Electorali Boruſſia Polono, Sveco, ac Electori, ſinguli trientes, aut ad extremum Electori dimidium, Sveco & Polono ſinguli quadrantes. Quod ſi Elector pacem reſpuat, Svecus & Polonus inter ſe vectigal dividerent iſto excluſo. Tum ut circa vectigal hoc Svecia directionem gerat. Præter hæc expectativam in Boruſſiam Ducalem prætenderent, velut ad quam Regi è pactis Labiavienſibus jus ſit quæſitum, & quia ejusdem beneficio Elector id primum nactus ſit; quæ & illi adverſus Polonos confirmando inſervire queat. Quod ſi ea in totam provinciam Electoralem obtineri haut poſſit, minimum ſtipulentur in id, quod ultra Paſſarium flumen, & Ortelsburgum verſus Lithuaniam ſitum eſt, excepto Warmienſi Præſulatu. Antequam autem in hac capita de Curlandia, vectigali, & expectativa conſenſum fuerit, Legati reliquæ ſatisfactioni haut renuntient; eoque quando iſthæc obtineri nequeant, ut à Polonia datis terris aut pecuniis ſibi ſatisfiat, urgeant. Pecuniariam autem ſatisfactionem remittant, aut intendant, prout Poloni circa jam dicta capita faciles, aut difficiles ſe oſtenderint. Ubi ante omnia, quæ Ragozius promittere coactus eſt, abolenda contra Erneſti Bogislai Ducis Crojæ prætenſio reſervanda ſit. His duabus ſummis incluſis ſexcenta uncialium millia poſtulent. Si pars vectigalis, & expectativa obtineri nequeat, duos milliones, aut duodecies centena millia petant; quæ tamen ſumma ad extremum plane remittenda ſit, excepto Ragozii debito, & Crojani actione, modo Curlandia obtineatur. Viciſſim Poloni ſi non publico inſtrumento ſaltem ſecreto promittant, poſt Joannis Caſimiri fata Auſtriacum aut Moſcum corona Poloniæ haut potiturum. Regi quoque tantiſper loca Boruſſiæ retinere liceat, quoad præſtanda præſtita ſint, ac ut præſidia interim è Boruſſia alantur. Si Elector pariter tranſigere velit; id hac lege fieret, ut omnibus fœderibus contra Regem initis renuntiet, omnia loca per Pomeraniam occupata reſtituat, tranſitum hoſtibus Regis per ſuas ditiones ne concedat; atque his tractatibus Neoburgicus quoque includatur. Aut ſi Elector pacem admittere nolit, à Polonis ſtipularentur, ne adverſus præſentem pacem ſit, ſi Rex Electorem in ſuis provinciis invadat, ac ut Regi innoxius tranſitus per Boruſſiam Polonicam, & Warmiam in terras Electoris concedatur; neve Electori à Polonis ulla auxilia ferantur. Tum ut hoc caſu Regi tantiſper præſidium Elbingæ habere liceat, quoad cum Electore transactum ſit, Elbinga deinceps in priorem ſtatum reponenda. Quod ſi nullo modo Elector pacem admittere velit, Polonis ab Electore hoc bello acta demonſtrarent, ac ſi bilem illis moverint, iidemque ultro anſam præbeant, fœdus adverſus iſtum & Auſtriacos acceptent, quod directum ſit ad Electorem Boruſſia expellendum, eamque inter ipſos dividendam: ita ut Paſſarius fluvius, & Ortelburgum fines conſtituant, ac Poloni verſus Viſtulam, Rex verſus Lithuaniam ſita retineat. Prius tamen quam quid de fœdere concludatur, ad Regem referant. Enimvero poſt cladem in Fionia Rex quantum poſſet cum Polonis concludere optabat, quo copias in Boruſſia ſervaret, ac adverſus Danum adhiberet. Unde Legati non plus poſtulare jubebantur, quam renuntiationem tituli, patrimonii Guſtaviani, & Livoniæ, ac ut urbes Boruſſiæ priori ſtatui relinquerentur, ac inprimis ne Elector Elbingæ potiatur: tum ut ipſe directum dominium Curlandiæ naneiſceretur, quod tamen ſi paci moram facturum ſit, & ipſum dimitte-

1659. 28. Nov.

1659. rent. Nam norat Rex Danum in poſtulata ſua quantumvis æquiſſima non conſenſurum: unde ad vi compellendum eundem omnes ſuas vires contrahere cupiebat.

Præliminaria pacis Polonica.

§. 77. Cæterum poſtquam Legati Svecici è Pomerania ante Weixelmundam adpuliſſent, ſtatim Gedanum de adventu ſuo ſignificabant, ac uti ſecuritati ſuæ rite proſpiciatur. Inde ante urbem in Nerunga exſcenderunt, & cum Heubodæ pernoctaſſent, per Hauptum ſe Berndorfium conferebant. Huic Lumbranus ad ipſos accedebat, Mariæburgum abiturus, quoad Polonici Legati venirent, quibuscum ſuper præliminaribus tractare poſſet. Quanquam autem Lubomirſcius, qui cum exercitu in vicinia conſiſtebat, in mandatis haberet eadem adornare, ac Lumbranus proponeret, poſſe ipſos propinquo loco cum iſto congredi: Svecis tamen haut conſultum videbatur nimium pacis ſtudium præ ſe ferre, Polonis ob ſucceſſus ſuos criſtas erigentibus. Ita iſti Elbingam abiere; quo & mox Lumbranus accedebat, qui inter differendum jaciebat; apud Polonos non quidem circa ceſſionem tituli & Livoniæ, ſed utique circa Curlandiam, & ſatisfactionem pro Boruſſia multum difficultatis fore. Nec Polonos usque adeo à ſeparato tractatu abhorrere. Super loco tractatuum Svecis placebat, ut ipſi Frauenburgum aut Tolamitum, Poloni Braunsbergam locum commorationis haberent. Monebatur de ſecuritate circum ea loca per aliquot milliaria, tuta annonæ ſubvectione, libero tabellariorum curſu; ac ut initium congreſſus ſit ad diem XV. Octobris. His rebus adornandis Lumbranus in aulam Poloni-

3. *Sept.*

5. *Sept.*

14. *Sept.*

cam proficiſcebatur; de cujus negotiatione per menſem ne verbum quidem audiebatur, donec Akakia Elbingam

22. *Sept.*

16. *Oct.* veniens ſuper loco tractatuum ſcrupulum moveret. Circa quem Svecis Polonis gratificari decreverunt, eludendis Auſtriacorum & Brandenburgicorum artibus; qui novis ſubinde motis difficultatibus tractatus extractum ibant, quoad præſidia Svecica fame conficerentur. Id tamen ſe gratiæ Reginæ potiſſimum dare ferebant; ſimul ſatis ſe animadvertere, à quibus hic agendi modus promanet; quorum aſtutiam ſi Poloni ſequi velint, nunquam ſcrupulos defore. Narrabat Akakia, adventum Legatorum Reginæ valde gratum fuiſſe, ac inde fiduciam de ſerio Caroli Guſtavi in pacem ſtudio conceptiſſe: tum ſtatim decreviſſe, valde licet reluctantibus Auſtriacis & Brandenburgicis, Thorunium concedere, quo tractatibus propior foret. Contra Auſtriaci demulcendis Polonis eo tempore præſidium ſuum Cracovia educebant, ſimul tamen poſtulantes, ut eæ copiæ adverſus Livoniam adhibeantur; ac ut Poloni ſatis haberent, oppida Boruſſiæ eminus circumſediſſe, ſede belli in Livoniam translata, ubi provincialium animi ægri admodum ſint; ac ejus invaſionis ſenſum Sveco fore acerbiorem, velut in proprio. Sed Poloni ſpe propinquæ pacis iſta rejiciebant, ob aliena commoda periculum ſubire aſpernati: id tamen conſilium arrepturi, ſi pax non ſuccedat. Interim Svecorum literæ intercipiebantur, & quæ notis ſcripta erant enodata vulgabantur. De quo cum iſti graviter quererentur, Fœderati cavillabantur, illis tantum literis ſecuritatem promiſſam, quæ per peculiares tabellarios ferrentur; non quæ publicis veredariis traderentur. Poſtquam Legati Svecici tertium jam menſem in Boruſſia hæſiſſent, nullo adhuc tractatuum loco ſtatuto, Poloni demum Olivam cœnobium proponebant. Is locus ideo Svecis haut repudiandus videbatur, quod neque adverſa pars in Frauenburgum, & Braunsbergam, nec ipſi in Strasburgum, Culmam, Graudentum, & Stargardiam, quæ ab hoſtibus nimia inſtabilitate propoſita fuerant, conſentire vellent. Tum ne arguerentur ſuper minutiis tricari, neu adverſæ parti anſam tractatus eludendi præberent. Ac confirmabat Lumbranus, ſpem boni ſucceſſus eſſe, ſi circa hoc aulæ Poloniæ gratificari velint, quæ Gedani tantiſper morari cupiebat. Commodum quoque videbatur, quod ibi communicatio mari haberi, ac abruptis forte tractatibus navibus diſcedi poſſet. Quia tamen Cœnobium tot hoſpites non capiebat, placuit Legatos ibi congreſſus agitare, in vico Sobbotho diverſari. Ea Svecorum facilitas Cæſareos non parum turbabat, qui iſtos nunquam huc deſcenſuros crediderant. Unde amota hac tractatuum remora ad ſuadendam belli continuationem revolvebantur, oſtentantes commodam, quæ nunc affulgeat, occaſionem Svecis non ſolum Boruſſiam & Curlandiam, ſed & Livoniam eripiendi. Quin & fœderatis in proclivi fore junctis viribus Sveciam de-

1659.

cerptis

1659. cerptis aliunde plumis exuere. Contra Regina Ludovica Maria acerrime pro pace nitebatur, quod Joannes Casimirus senio debilis foret, ipsaque multum pecuniæ Polonis credidisset, omnem ætatem in Polonia exigere certa. Porro ut Legati eo tutius Elbinga Olivam transire possent, induciæ in decem dies inibantur. Simul quia Cæsareum diploma nondum allatum erat, (quod mox tamen justa forma exhibitum,) Joannes Casimirus istis peculiari diplomate adversus quoscunque cavebat. Quin & concessus iisdem miles tutelaris trecentorum equitum & peditum, quibus centum Heiducci è satellitio Regis Poloniæ addebantur, qui quadrantem milliaris a Sobbotho in finibus Cassubiæ tendebant. Ipsi Legati in rheda Lumbrani Gedanum incogniti transibant; comitatus & supellex aperte transvehebatur.

Tractatus Olivensis initia.

§. 78. Ita tandem aliquando Poloni serio videbantur rem acturi metu machinationum Austriacorum ei Regno inhiantium, quas Poloni haut facilius, quam promta pace declinare poterant. Urgebat quoque Cosaccorum quorundam tumultus, & incumbens Moscus, qui cum ne pacem Poloni inirent, Chamus Tartarorum vetabat, irruptionem minatus, idemque pacem cum Svecis svadebat. Ac post solutum Stetini obsidium aliquid ferociæ Cæsareis & Brandenburgicis videbatur decessisse. Regina quoque clam Svecis significaverat, ne Polonorum sesquipedalia verba, & minaces gestus curarent; nam ipsis cupidinem pacis apud Fœderatos dissimulandam esse, quo hosce idonea ratione amoliri queant. Sed & illud observabatur, Lumbranum sat frigide eo in negotio se gerere, qui & connivebat, literas Legatorum contra fidem datam intercipi & publicari, cum penes ipsum foret id prohibere. Ac fassus erat Akakia, Lumbranum Legatorum congressum haut adeo urgere, quod metuat, ne ob utrinque eminens in pacem studium pax ibi propere nimium coiret. Cujus rei causa erat, quod Gallus pacem Poloniæ non prius succedere optaret, quam Danica quoque pax in portu esset. Unde Biærnclovio injungebatur apud Cardinalem testari; Regi pacem utrinque cordi esse; simul ut Lumbranus negotium serio urgere jubeatur, quod ipse diutius tot hostibus resistere nequeat, ac Austriacis insigne momentum accessurum sit se succumbente in magnum Galliæ præjudicium. Et quia jam Regis res eo prolapsæ erant, ut Borussiæ subvenire non posset, idem Legatis suis injungebat, ut etiam Curlandiæ prætentione desisterent, modo cessio tituli, & Livoniæ obtineretur. 1659.

§. 79. Cum Mosco inducias initas uti Regi summopere gratum erat; ita mox literæ ad Czarem dabantur, queis de exhibenda ratificatione significabatur, ac ut tempus, locusque congressui commissariorum designetur. Vicissim & Czar misso ablegato congressum desiderabat, quo super æterna pace ageretur. Cujus Rex valde cupidus ei negotio Benedictum Hornium, Gustavum Banerium Caroli F. Joannem Vestringium, & Andream Walviccium destinabat. Ac jubebatur Hornius statim Rigam se conferre, ut per literarum cum Nassokino commercia studium pacis apud Moscos aleret, quoad reliqui Commissarii adessent. Hisce Rex in mandatis dabat, ut si intelligant Moscis pacem cordi esse, queis nuper ingens clades à Tartaris illata erat, citra ambages ad tractatus accederent: quod sua plurimum interfit, ex ea parte sibi cautum esse. Sed ne inani forte spe sibi illudatur, certo temporis spatio tractatum circumscriberent, ac si pax non succedat, inducias Walliasare conclusas firmasse satis haberent. Congressus dehinc inter Hornium & Nassokinum Tomsdorfi medio inter Rigam & Kakenhusam spatio habebatur, ubi hic proponebat super æterna pace stabilienda; cui & iste pronum se testabatur; ac jam eo res procedebat, ut utrinque procuratoria ostenderentur. Sed cum in rem præsentem veniretur, Mosco justum procuratorium non erat, sed literæ duntaxat fiduciariæ à Czare ad Regem. Sed & locus incommodus erat non Duna flumine procul, incursionibus Polonorum obnoxius. Igitur placuit ad diem 30. Octobris inter Dorpatum & Helmetum congressum repeti; interim Mosci idonea procuratoria à Czare obtinerent. Ita dicto die apud Pæhestekyllam ad Embecam flumen conveniebatur; ubi Mosci multa de studio in Svecos, ac hostili in Polonos animo testabantur. Post permutata procuratoria Mosci à Svecis primam propositionem fieri cupiebant; id quod Sveci abnuebant, at ut Mosci scripto eam facerent expetebant. Ita Mosci postulabant, ut sibi retinere liceret lo-

Cum Moscis actæ. 27. Mart.

25. Maji. Vestring. Walvvick.

24. Aug.

25. Sept. Tomsdorf.

Dorpt. Helmet. 30. Octob. Pæhestekylle. Embeke.

1655. ca per Livoniam occupata, tum Ingria & Carelia reddatur, prout quondam ad Moſcicum imperium ſpectarint. Contra Sveci pertendebant, omnia ablata ſibi reſtituenda, ac inſuper à Moſco in Sveciam transferendam eam Careliæ partem, quæ adhuc Moſcoviæ ſubeſt, una cum Cargapola, & Lapponia Ruſſica. Inter diſceptandum dehinc Moſci primum Careliam Svecicam, Sveci contra partem Careliæ Moſcicam remittebant. Sveci dehinc extrema ſua poſtulata ſcripto offerebant, quæ erant, omnium ablatorum reſtitutio cum æqua ſatisfactione. Contra Moſci poſtulabant, ut Teſſinenſi pace ſtaretur, quod Stolbovienſis vi extorta ſit. Per Teſſinenſem autem pacem Ingria & Kexholmia ad Moſcos ſpectaverat. Ac innuebat Naſſokinus, ſe pro Livoniæ oppidis pecuniæ ſummam daturos, ac fœdus adverſus Polonos inituros; tum in Ingria Ivanogroda & Jama contentos fore. Sveci contra ſuper Kargapola remittebant. Sed ſequenti congreſſu Moſci prius conceſſa retractantes de ſumma pecuniæ pro Livoniæ oppidis ſilebant, ac inſuper Coporiam poſtulabant. Obiter quoque de prorogatione induciarum injiciebant, quod Naſſokinus quantum daretur provincia ſua frui cuperet. Demum Moſcis ulterius inſtantibus declarabant Sveci: ſe ſolam reſtitutionem ablatorum cupere, cæterum omnes injurias oblivioni tradituros. Sed Moſci prioribus inhærebant, oblata inſuper ingenti pecuniæ ſumma pro Livoniæ oppidis, & fœdere adverſus Polonos. Quanquam autem Moſcis pax utique cordi eſſe videretur, quod anno ſuperiore Tartari quadraginta hominum millia è Moſcovia abduxiſſent, ac Poloni ipſorum Legationem cum ignominia remiſiſſent; Naſſokinus tamen injunctum ſibi eſſe ferebat tractatus alio tempore continuare, nec tutum eſſe per Polonorum incurſiones diutius heie loci ſubſiſtere, Duna jam congelato. Igitur novo inſtrumento tractatus Walliaſare factus firmatur: interim limites regerentur, ac utrinque Legati per literas mutuo ſignificarent, quando juſſu ſuperiorum tractatus ſint reaſſumendi: propoſitiones utrinque factas ad ſuperiores referendas. Ita utrinque amice diſceſſum, ut id tamen cœptis de pace tractatibus fraudi non foret. Crediderat Naſſokinus Svecos oblata pecuniæ ſumma Livoniæ locis ceſſuros, circa quæ privatæ ipſius rationes verſabantur, quod ipſe Kakenhuſæ Gubernator eſſet, modica de cætero Moſcoviæ autoritate. Quæ & cauſa erat, cur is nullo modo permittere vellet, ut Legati Svecici cum ratificatione induciarum Moſcoviam proficiſcerentur, ne privati ipſius reſpectus, artesque detegerentur. 1659.

Cargapol. *1. Nov.* *Kexholm.* *4. Nov.* *Coporie.* *20. Nov.*

SA-

SAMUELIS LIBERI BARONIS
DE PUFENDORF

RERUM
A
CAROLO GUSTAVO
GESTARUM
LIBER SEPTIMUS.

Digitized by Google

EPITOME.

REx Norvegiam invadere inſtituit. 1660.
2. Regis ad Ordines propoſitio. Idem morbo corripitur, ac moritur. 3. Caroli Guſtavi elogium. 4. Tractatus Olivenſis ſuſcipitur. Procuratoria permutantur. 5. Propoſitio fit. 6. Varia tractatus obſtacula. 7. Sveci ad concluſionem properant. 8. Propius ad rem acceditur. 9. De Cauſa Curlandica. 10. De ſacris Livoniæ. 11. De renuntiatione in Sveciam. 12. De amneſtia & aliis. 13. Cum Fœderatis quoque tranſigitur. 14. Pax Olivæ concluditur, promulgatur, & ratificatur. 15. Tractatus Danici difficulter ſuccedunt. 16. Poſt mortem Regis tractatio continuatur. 17. Dani pacem averſantur. 18. Sequeſtres Danum urgent. 19. Svecorum conſultationes ſuper conditionibus pacis. 20. Ad rem demum acceditur. 21. Tractatus incipiunt. 22.

Capita

Digitized by Google

1660. Capita pacis excutiuntur. 23. Dani & Belgæ tricantur. 24. Sequestrium inter se æmulatio. 25. Belgarum insolens factum. 26. Sequestrium discordia pacem moratur. 27. Sveci & Dani citra Sequestres transigunt. 28. Sequestrium perversa officia. 29. Pax Danica concluditur. 30. Pax cum Mosco concluditur.

Diatur-

Prima Lata Via
Primaria Dn
Marschalli
Regia Ly
Regia Regalis Domus Excel Dn
Gubernatoris Marschalli Regni
Prefecti
Via quæ ducit in Sueciam
Via occulta ex
oppidi in munimentum principale
10 50 100 150
Virgæ Rhenanæ

In turnitate belli hostiumque numero Regis res eo redactæ erant, ut pace utique ipsi opus esset, quod tantæ moli sustinendæ solius Sveciæ vires amicorum auxilio haut sufficerent. Ne tamen quid indignum sua animi magnitudine admitteret, aliena arbitria subeundo, cum Polonis quidem æquissima conditione transigere decrevit, restituto Curlando, ac pro redditis Borussiæ oppidis haut alia pensatione postulata, quam ut titulo Sveciæ, & prætensioni in Livoniam renuntiaretur; quo tam levi pretio Poloniæ pacem redemisse maxime optandum fuerat. Ne autem ad invidorum libidinem Nidrosiam gratis amittere cogeretur, in Norvegiam summa vi impressionem parabat, quod tanto facilius ea quam cupiebat parte in pensationem potiturus esset, si in ejusdem possessionem se ipse immisisset. Ac spes erat posito bello Polonico, ubi veteranis è Borussia legionibus, novisque è Svecia delectibus firmatus foret, intra opportuna sibi loca ita se hostes lassaturum, ut pacem demum, qualem ipse volebat, concedere necessum haberent, unde favente hieme, quæ omnes aquas & paludes pervias reddit, Laurentium Kaggium, & Haraldum Strackium validis cum copiis Norvegiæ immittit, qui & pulsis, quæ objecere se ausa fuerant, hostium turmis, Haldæ obsidium circumponunt, qua expugnata lata in Norvegiam via pandebatur. Ac isti jam castellum oppido antepositum expugnaverant, ac in propinqua spe erant quod restabat quoque munitionum capiendi, cum inter inclementiam cœli glisentes morbi rem retardarent, & mox per mortem Regis consiliis mutatis id obsidium solutum foret. 1660. 16. Jan.

Rex Norvegiam invadere instituit.

§. 2. Cæterum Rex è Dania Gothoburgum delatus apud Ordines Regni eodem convocatos de conditione rerum suarum exponebat, quibus sustinendis opus sit novis delectibus, quo imminuti numeri iterum suppleri possint; quod validus exercitus præsentissimum sit remedium honestæ ac tutæ paci obtinendæ. Tum ut ab oppidis duplex nautarum numerus præstetur, & ab omnibus pecuniæ belli necessitatibus expediantur. Inde ac cum Senatu, & selectis Ordinum consilia suscipiuntur super ordinandis in futurum destinatis. Circa hæc dum quam maxime satagitur, Regem morbus invasit, qui initio nil periculi vitæ minitari videbatur, sic ut ideo is à solita se rerum cura, ac labore haut removeret. Is morbus extrahebatur per mensem, sine tamen evidentibus violentæ malignitatis indiciis, ac ut ad extremum non parum remittere videretur, sic ut jam propinqua spes plenæ convalescentiæ foret. Enimvero repente novo accessu febris acutior ingruere, ac biduo post validis augmentis ingravescere, non sine manifestis signis periculosæ malignitatis, quæ eo minus dispelli poterat, quod Rex per obesitatem ad sudorem permoveri non posset, ac lecti pertæsus fere in sella tempus exigeret. Fuere qui imperitiam medici Kœsteri arguerent, quod initio indolem morbi haut recte dijudicaverit, ac

Regis ad Ordines propositio. 4. Jan.

Rex morbo corripitur.

7. Feb.

1660. ac pro ſimplici febri ſcorbutica eum tractaverit; cum tamen de malignitate id genus febres tunc in vicinia graſſantes monere debuerint, ut idonea in principio remedia opponeret. Cum itaque illam ſibi neceſſitatem imminere animadverteret, quæ ſummis æque ac imis mortalium ſubeunda eſt, Reginam & præcipuos Coronæ miniſtros ad ſe evocavit; quos cum mœrore correptos ipſius caſu perſpiceret, ſumma verborum humanitate animos illorum erexit, univerſos, ac plerosque eorum peculiariter allocutus. Inprimis ſuadens, ut Reipublicæ navem mature in pacis portum ſubducerent, quod ſe amoto idoneus gubernator pro tanta tempeſtate haut ſuppetat. Sequens nox inter luctam cum violentia morbi conſumta. Poſteram totam diem velut circa certum tempus cum morte conveniſſet, negotiis ſuis diſponendis impendit, ac omnibus jam abſolutis, abdicata rerum humanarum cura, adverſus mortem intrepidus, quam nunquam ſe horruiſſe ferebat, ad Deum & cœleſtia converſus, Chriſtianoque ritu myſteriis magno cum devotionis ſenſu expiatus eſt. Tum medico juſſo, ut aliquot ante horas ſe moneret, quam expirandum foret, quieti ſe dedit. Poſt monente medico è lecto in ſella ad menſam ſe collocari, teſtamentumque ſibi ſuum prælegi juſſit præſentibus aliquot Senatoribus, ac poſtquam prius interrogaſſet, num quis eſſet, cui quid ſecus videatur, ac nemo reſpondiſſet, id ſua manu ſubſignavit. Tum & alias literas, juſſa atque inſtrumenta ſubſcripſit, inter extrema quoque ille bene meritos miniſtros præmiis mactans. Omnibus ita expeditis velut labore defeſſus quietem poſtulavit; & cum adſtantes in lectum eundem invitarent, repoſuit; ſe ſtatim atque eum ingreſſus ſit expiraturum; ſed haut eo ſecius periculum eſſe faciendum. Usque adeo intrepidus animus, quem toto vitæ tempore exſeruerat, ne inter extrema quidem deficiebat. Ita lecto impoſitus, poſtquam animam ſuam Creatori ac Liberatori commendaſſet, nullo doloris ſigno edito leni ſuſpirio inter brachia Marſchalli Comitis Gabrielis Oxenſtiernæ & Nicolai Brahæi Comitis, vitam clauſit hora circiter ſecunda poſt mediam noctem; cum toto morbi tempore mens inter graviſſima ſymptomata inconcuſſa perſtitit. Vulgavere quidam non ex inimicis ſolum, ſed & amicis Regis, morbum iſtum contractum ex animi mœrore ob cladem in Fionia acceptam. Enimvero etſi iſta ſat gravis foret, ut tamen ob eum inani ſe mœrore conficeret, id multum à magnitudine animi ipſius abhorrebat. Sane reverſi è Fionia Sulzbacenſis Palatinus, & Stenbockius haut quidquam aſpere aut per commoti animi ſigna excepti, & hic quidem ad gubernandam Scaniam remiſſus, iſte Selandiæ præfectus fuit, ut magis eorum virtutem teſtimonio proſecutus, quam ob calamitatem iratus fuiſſe videretur. Quin & citra commotionem apud adſtantes diſſerebat; neminem fortunæ imperare poſſe, & nihil magis obnoxium caſibus quam bellum: ac eam cladem ſibi ſatis videri penſatam, quod ſui milites in duplo majorem hoſtium numerum tam ſtrenue pugnarint. Sane jam longe ante iſtam cladem medici è gliſcente enormiter obeſitate vitam ei haut diuturnam ominabantur. Cæterum quia mors Regis in quam maxime periculoſa Sveciæ tempora incidebat, tot hoſtibus undique incumbentibus, ac tenera ſucceſſoris ætate, ne forte è temporaria quoque adminiſtratione turbarum quid accideret, teſtamento providere præcipua iſti cura fuerat. Igitur educatio, & tutela Filii, ſimul Regni cura cum conſilio Senatus exercenda conferebatur in Reginam Hedvigam Eleonoram, & quinque viros ſuprema in Regno munera gerentes, Drozelum, Archiſtrategum, Archithalaſſum, Cancellarium, & Theſaurarium. Circa quos ita diſponebatur, ut Regina quidem in regimine præſidis vicem obiret, ac duo ſuffragia haberet, quamdiu quidem ad ſecundas nuptias non tranſiret. Proximus ab ea locus aſſignatus fratri Regis Adolfo Joanni, Palatino, in quem Archiſtrategi functio collata. Petrus Brahæus Drozeli, Carolus Guſtavus Wrangelius Archithalaſſi dignitatem jam antea geſſerant. Sed Cancellarii munus tunc Magno Gabrieli Gardio Theſaurarii Her-

1660.

Rex moritur. 12. *Febr.*

Serenißimus ac Potentißimus Princeps ac Dominus, Dominus
CAROLUS,
Svecorum, Gothorum, Vandalorumq;, REX ac Princeps Hereditarius, Magnus Princeps
Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Uerdæ, Stetini-Pomeraniæ, Caßubiæ,
ac Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ ac Vismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ,—
Juliaci, Cliviæ, & Montium Dux, etc. etc.

David Klöcker pinxit. I. Boulanger Sculps. 1669. N. 5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustrissimus et Excellentissimus Dominus Dn.
GUSTAVUS BONNDHE.
Liber Baro in Lahela, Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ
Senator et Thesaurarius &c. &c.

N. 10.

1660. Hermanno Flemingio commissum. Addebatur gravis admonitio, ut omni cum fide atque diligentia operam dent, quo tantus pupillus sinceræ religionis scitis atque sensu, simul omnibus virtutibus Rege, ac Christiano dignis imbuatur, tum negotia Regni per minorem Filii ætatem ita tractent, ut suam administrationem Deo, totique orbi, ac præcipue universis Sveciæ Ordinibus adprobare queant. Post tamen conventu Ordinum Holmiæ habito circa testamentum, id motatum est, ut Adolfus Joannes Palatinus è tutorum numero ac omni parte regiminis excluderetur, ac Archistrategi munus in Laurentium Raggium conferretur, velut inter supremos duces Svecicos vetustissimum. Quo intra paucos annos defuncto in ejus locum anno 1664. suffectus fuit Carolus Gustavus Wrangelius, cui in Archithalassi munere Gustavus Otto Steenbockius successit. Nec minus Hermannus Flemingius ærarii cura dimotus fuit obtentu adversæ valetudinis, eaque Gustavo Bondio tributa, quem & ipse Rex ob eandem causam isti titulo Præsidis Cameræ succenturiaverat.

Caroli Gustavi elogium.

§. 3. Natus erat Carolus Gustavus patre Joanne Casimiro Palatino Bipontino Matre Catharina Caroli IX. Sveciæ Regis filia. Nicopiæ die 8. Novembris anno 1622. dum sacro lavacro initiatur, sacerdos se vidisse retulit lucem capiti infantis ad limbi instar circumfusam, idque & protinus adstantibus, & post constanter asseveravit. Emicabat statim è puero insignis indoles, sic ut pater magis eum venerari quam amare videretur; qui & solicite admodum eum educari, informarique curabat velut in certam spem Regni, quam è connubio cum Christina Regina conceperat, benevolentia è puerili conversatione inter ipsos orta. Post domesticam informationem Upsaliam missus est, cum annum decimum sextum ætatis ageret: ac ne crederetur aliquid opinionum circa sacra, publicis Regni confessionibus repugnans in ædibus paternis hausisse, Professoris Theologi Joannis Lenæi contubernio concreditus fuit, qui & circa divina eum instruxit, ac post in ejusdem gratiam ad exteros abituri libello *de Veritate & Excellentia religionis Christiana* conscripto adversus profanorum hominum corruptelas firmavit; quod inter peregrinandum sæpe cum talibus conversandum, quibus vel nulla religio, vel erronea sit. Sed & ex ista Upsaliæ commoratione id obtentum fuit, ut Lenæus iste, post Archiepiscopus factus, haut parum momenti adferret ad successionem Christinæ obtinendam, quod ab isto sacerdotum Ordo, & ab hoc oppidani, rurestresque fere pendeant. Toto eo tempore majorem gravitatem & modestiam ostendit, quam quæ in ista ætate deprehendi solet. Post biennium amplius Upsaliæ consumtum ad lustrandas regiones exteras missus est, formando melius animo è multorum egregiorum virorum conversatione. Unde per Daniam, ac Germaniæ maritimam oram in Belgium Fœderatum, inde in Galliam se contulit, quam circuitu quem vocant magno facto lustravit. Inde per Helvetios Argentoratum adiit, ut Bernhardo Duci Vinariensi innotesceret. Sed eo circa id tempus defuncto, per Helvetios iter relegens Parisios revertit. Toto peregrinationis tempore cum viris rerum civilium ac belli peritis conversari gavisus est; ac supereſt Itinerarium ipsius manu lingua latina scriptum, quo plurima istorum nomina exprimuntur. Præter alia Principe viro digna juvenilibus annis didicerat Latine, quamquam Regi potest sufficere; sed Gallica Lingua promte, Germanica non minus quam Svecica vernaculæ in vicem, Italica sic satis utebatur. Cum biennium amplius peregrinationi impendisset, consilium Hugonis Grotii secutus, qui super studiis literarum perficiendis sciscitanti responderat; id fastigii homines non diu nimis libris incumbere, sed rebus gerendis dare se oportere; domum revertit. Dehinc florentibus quam maxime tunc Svecorum armis in Germaniam se contulit, ut bellandi artes summo sub imperatore Leonardo Torstensonio addisceret. Sub quo volonem primo egit; inde cum satius videretur ordinaria militiæ munia obire, turmæ primariæ sub istius legione prætoria equestri, inde legioni Curlandiæ equestri tribunus præfectus fuit. Post quinquennium inter continua virtutis exercitia exactum in Sveciam rediit, spe Christinam sibi connubio jungendi: sed quæ isto destinato eluso summæ rerum

1660. per Germaniam eundem præfecit; ubi quanquam propera pax belli decoribus parandis materiam ſubtraheret; id tamen prudentia & conſtantia ſua effecit, ne conventa per aſtutiam adverſæ partis effectu vacua forent, quæ tanta armorum contentione expreſſa fuerant, utque adeo à cæteris tot annorum labor non fruſtra inſumtus eſſet. Succeſſor Regni deſignatus ita circumſpecte egit, ut ne præmature oſtenſa regnandi cupidine ſuſpicionem ac periculum incurreret. Regno potius talem ſe conſilio & armis exhibuit, qualem heic repræſentavimus. Quanquam autem ſupra modum blandiens fortuna ſemel atque iterum ad talia affectanda invitaret, quæ propriis tueri viribus haut licebat; tamen cum totius Europæ invidia in ordinem redigere iſtum conniteretur, nil ſe indignum per metum admiſit, ſed ingruenti neceſſitati & quantum potuit reluctatus, & quia illa trahebat, cum gravitate ſecutus eſt. Princeps Magnanimus, artium bellandi peritiſſimus, ac revera fulmen belli. Intrepidi animi inter infinita alia id quoque illuſtre ſpecimen habitum fuit, quod cum Legati Gallici vehementer diſſvaderent, ne prælium ad Warſaviam committeret, vires & numerum hoſtium exaggerantes, is reſpondebat: ſe noſſe vires hoſtium, ſed haut metuere, paratum tamen eſſe pacem intra duas horas inire. Sed ſi hoſtes nolint, ſe haut vereri aperto cum ipſis campi æquore concurrere; ac optare ut omnes ſui hoſtes eo campo congregati ſint, quo ſemel cum ipſis ferro cernere poſſit. Nec minus profunda rerum civilium intelligentia, ac ſumma prudentia, inter ancipitia quam maxime promta, ſic ut vix diſcreveris, conſilio magis, an armis polluerit. Eximia inſuper ac profluens, ac vere Principe digna eloquentia, quam non minus continua oratione, quam ſcripto expromere pollebat. Sane quæ ab ipſo concepta ſuperſunt ſcripta plurima, denſis ſententiis, ac ſolidiſſimis rationibus conſerta, ſingularem efficaciam ſpirant. Circa alliciendos hominum animos mira dexteritas, quæ & multos nulla aut ambigua præmii ſpe vitam pro ipſo aleæ exponere ſubigebat. Autoritatis porro ſuæ retinentiſſimus, officiique exactor accuratiſſimus; ac uti eorum quæ recte fierent, æſtimator æquiſſimus, ita ſocordibus atque ignavis apud eam nihil vilius, & qui ferre non poſſet, eas queis obſequii gloria relicta eſt, juſſa ipſius interpretari. Laboris indefeſſus, quem nulla voluptas aut delectatio intervertebat; & quanquam prægravante ad extremum obeſitate, haut ideo ſegnius officia ducis obibat. Quin non defuerunt, qui hoc ipſum reprehenderent, quod dum omnia, quæ Miniſtris commode delegari poterant, cura ſua complecti ardet, nimium ſe defatigaret. Milites amabat, & ab iisdem ad patentis inſtar amabatur, ut tamen eos, qui pacis artibus pollebant, non minus æſtimaret. Liberalis circa profuſionem, & qui quantum opes pertingerent, neminem qui egregie fecerat præmii expertem ſiniret; & qua donandi facultas deficiebat, humanitas & gratia ſupplebat. Regni ſui amantiſſimus fuit, quod & in eum ſtatum provehere cupiebat, ut plena iſti ſecuritas conſtaret, idemque propriis viribus ſubſiſteret, alienis rationibus haut obnoxium. Ac poſt tanta bella pacem ſibi quam maxime optabat, ut luxatas domi res componeret, ac præcipue, quæ augendis publicis juxta privatisque opibus faciunt. Sed tanto Principe diutius frui Sveciæ fata negarunt, quem in ipſo ætatis flore mors abripuit, parum ultra trigeſimum octavum ætatis annum progreſſum. Ut tamen gratum animum in tam egregie meritum teſtaretur patria, funus ei ductum fuit tanta magnificentia, quanta antehac nemini Regum contigerat. Quam pompam nummosque funeris ſolemnibus deſtinatos, cum cælatoris ſtylus exquiſite oculis ſubjecerit, ſupervacuum fuerit noſtrum quoque calamum eodem deſcribendo fatigari. 1660.

NAPOLI

Digitized by Google



1. Dn Tribunus Salomon Sacken cum quinquaginta Pedinibus è Legione Ostrogothica.
2. Deputati Communitatis seu quarti Ordinis ad Comitia.
3. Duo Conductores Actuarius Andreas Bouglon, et Casparus Ekman.
4. Uxores et filiæ Civium 73 paria.
5. Duo Conduct: Referendarii Kylander, et Andreas Bugg.

L

N:mo.

NAPOLI

Digitized by Google


REGNUM GOTHIÆ.
MAGN: DUCAT FINLANDIÆ
Nomi
D. Willelm. Philip
D. Gerbelit.
D Fitinghoff.
D. Ernest Plaatten
D Barkley.
D Gustavus Krou
D Bernhard Taub
D Bartold
Regalia seu Insignia Regni à quinque Supremis Regni Proceribus præfata.
1. Illustr Dn Baro Gustavus Bielke lege Illustr Dn Drotsch Coronam portabat. 2. Illustr Dn Com Laurentius
Kagge Reg Sue Marscus Gladium. 3 Illustr Dn Com Carol Gustav Wrangelius Reg Sue Archimagistus Sceptrum
4. Illustr Dn Com Magnus Gabriel dela Gardie Reg Sue. Cancellarius Privatum sin Globum aureum. 5. Illustr Dn
Baro Gustavus Bonde Reg Sue Thesaurarius Clavem.
Quatuor Senatores Regni qui singuli ex mortalis lacunis e feretro properdêes manu levabant.
6 Illustr Dn Baro Suante Banner 7 Illustr Dn Baro Comitus Kurk. 8 Illustr Dn Baro Gerard Flemmingh. 9 Illustr
Dn Baro Laurentz Creutz. 10 Illustr Dn Com Gabriel Oxenstierna Reg Sue Mareschall. R. 12. Dn Rinald Com
Dn Comendar Barner. Dn Reg Mareschallo adjecta suere. 13. Dn Bartoldus Mortagne Satellitio Regni præfect
NAPOLI

Digitized by Google

1660. *Tractatus Olivensis suscipitur.*

§. 4. Post mortem Regis cæpti ab ipso tractatus eo facilius succedebant, quod & invidia adversus Sveciam tanto Principe orbatam multum imminuisset, ac pupilli Regis tutores etiam cum aliquo dispendio patriam in tutum subducere fas judicarent, in lucro habentes, si Scaniam, Blekingiam, Hallandiam & Bahusium servare daretur. Unde & statim copiæ è Norvegia ab obsidio Haldæ revocantur; & Legati apud tractatus novis mandatis instruuntur, quibus negotiatio haut paulo facilior reddebatur. Et tractatuum quidem Polonicorum hic successus erat. Primo congressu Lumbranus procuratorium Svecicum cum Polonis, Cæsare, & Brandenburgico conjunctim tractandi inspicere cupiebat: & cum in eo nihil quod desideraret inveniret, quærebat, num Sveci procuratoria permutare, an deponere, & num exemplum, an autographum sibi consignare malint? Sveci ostentandæ promtitudini ipsum autographum tradebant, idque permutare, quam deponere malebant, accepta à Lumbrano syngrapha, ne id adversæ parti porrigat, nisi ab eadem omnibus vicissim procuratoriis exhibitis; aut ubi non acceptetur, ipsis restituendum. Poloni Svecicum procuratorium sine scrupulo acceptabant. Sed salvum conductum pro Cæsareis & Polonis remittebant; illum quia totus titulus Cæsaris non exprimebatur; hunc quia sigillum totum Regis Sveciæ titulum repræsentabat. Declarabant tamen, se di-

1660.

28. Dec. 1659. *Procuratoria permutantur.*

1660. ſe diplomatibus præterita æſtate exhibitis contentos fore, quoad emendata adferantur. Vice verſa Lumbranus Svecis tradebat adverſæ partis procuratoria, ſalvum conductum Cæſareum, ac peculiarem Electoris cautionem ſuper tabellariis, ac ſecuritate in loco tractatuum; in quibus minuta, quæ deſiderari poſſent, non curabantur. Sed in Poloniæ Regis procuratorio notabatur, quod pro *ſubortas* controverſias ſcriptum eſſet *ſubordinatas*: in Reipublicæ procuratorio, quod verba *bello Polonico-Svecico* eſſent raſa, & titulis Commiſſariorum Polonicorum nota abrupti ſermonis adjicerentur. Ex eo enim colligebatur, ſpatium pro inſcribendis eorum nominibus fuiſſe nimis anguſtum, eoque eorundem nomina poſt ſubſcriptionem procuratorii fuiſſe inſerta, & ſic non omnes Commiſſarios autoritate Comitiali deſignatos. Quæ poſt corrigebantur novo exemplo exhibito. In Cæſareo diplomate Rex & Regnum Poloniæ Regi Regnoque Sveciæ præponebantur. Scriptum quoque erat, Regem Sveciæ per Legatos ſuos in Boruſſia *negotia ſua tractare velle*, quæ dictio Regia Majeſtate indigna, & incongrua illis, qui velut principales partes ad tractatum pacis convenerant, videbatur. Omiſſa quoque erat cautio pro tabellariis & literis Legatorum. In Electorali diplomate deſiderabatur, quod tractatus pacis in Pomerellia diceretur inſtituendus, cum Sobbothum in Caſſubia ſitum ſit: & quod ſcriberetur, *Legatos, ſe recepturos è Pomerania in Pomerelliam, ſub dato Berlini die 12. Decembris Anno 1659.* cum conſtaret, Legatos ſub finem Auguſti è Pomerania in Boruſſiam ſolviſſe, ac tres amplius menſes Elbingæ hæſiſſe. Nec facta erat mentio ſecuritatis in loco, quo durantibus tractatibus ſubſiſtere debeant, ſed tantum de itu & reditu; nec circa ſecuritatem tabellariorum Germania & Livonia expreſſa erat. Ea vitioſa Inſtrumenta Sveci Lumbrano redhibebant; qui emendata ſe curaturum pollicebatur. Cæterum quod Sveci ſua procuratoria ſtatim ederent, id Polonis valde placebat, Cæſareis ingratiſſimum erat; ac dixerat Liſola: nimiam Svecorum humanitatem ſibi ſuſpectam videri. Nam inter Cæſarem & Moſcum conveniſſe dicebatur, ut iſte Poloniam *Soboth.*

usque ad Viſtulam, hic quæ ultra id flumen ſita ſunt haberet: quæ deſtinata Poloni maturata cum Svecos pace eluſuros ſe ſperabant. Quod cum Cæſareis ſuboleret, ſuffiaminandæ paci poſtulabant, ut initium tractatuum in ſex ſeptimanas proferretur, quo Dani interim huc accedere poſſent. Id quod Poloni velut iniquum rejiciebant; ac dicebat Lubomirſcius: eſſe hanc vocem naturæ, ut, ſi Polonia viam inveniat bello ſe extricandi, & alii æquas conditiones admittere nolint, illa pro ſui conſervatione curam agat. Ac ſatis perſpiciebant Poloni, Svecos ob miſeram præſidiorum in Boruſſia conditionem citra ambages ad pacem deſcenſuros. Sed & cupiebant Cæſarei & Brandenburgici ſcripto tractare, quo amplior cavillandi & tempus extrahendi occaſio foret; ſed Svecis potius videbatur unum articulum poſt alterum ſermone expedire, conventis per ſecretarios ſcripto concipiendis, uti Osnabrugæ factum. 1660.

§. 5. Sveci dehinc Cæſareis & Brandenburgicis propoſitionem per Sequeſtrem ſcripto exhibebant; cujus exordio Electorales offenſi eam redhibere cupiebant. Id quod Poloni concedere nolebant; liberum tamen eſſe illis reſpondere. Sed Lumbrano id temperamentum placebat, ut capita poſtulatorum ſine proœmio proponerentur; quod & Svecis probatum; eoque Electoralium reſponſum ſuppreſſit, obtendens, non expedire id à Svecis conſpici. Contra Lumbranus primo Regis, inde Regis & Reipublicæ ſimul, tum Cæſaris & Electoris propoſitionem à charta prælegebat, velut in compendium redactam, eamque chartam Svecis communicabat. Sed cum Sveci obſervarent exoleta recoqui de reſtituenda Svecia, ac bonis avitis, ac abolitione decretorum contra Sigismundi progeniem, non ſolum interloquendo proteſtabantur, ſed talia audire nolle, ſed & chartam Sequeſtri per Secretarium Legationis ſolenniter remittebant. Sed reponebat Lumbranus: ſi circa reliqua conveniri queat, Joannem Caſimirum renunciaturum; & hoc dicis cauſa duntaxat factum, nec ulterius à Polonis urgendum. Sed negabant Sveci, ſalvo Regis ſui honore talia ſe ad aures admittere poſſe. Reverſus inde Lumbranus Svecis referebat: Polonos judicare, Joannem Caſimirum *Propoſitio fit. 21. Jan.*

1660. mirum non posse, quin id postulatum proponat; cum si renuntiatio facienda sit, utique ejus juris mentio declinari nequeat; eoque petebat, ut Sveci saltem pure negando responderent. Sed Sveci per horam amplius repugnabant; nec per fidem suam jurato datam ac citra capitis periculum in eam se disceptationem descendere posse, aut velle. Contra Lumbranus constanter declarabat; non id agi, aut ea quæstio jam ventiletur; sed quia ipsi renuntiationem tituli & prætensionis postulent, id cui renuntiandum est utique præsupponi debere. Ad quæ Sveci: si hoc admittant, tacite se agnituros ejusmodi quæstionem sibi propositam, cujus ne umbram quidem tolerare velint; ac Polonis nullum jus competere, quod præsupponi debeat. Lumbranus: negare postulatum non esse id agnoscere: nec postulatum involvere jus, ni adversæ partis concessio accedat. Prioribus tractatibus idem petitum, atque rejectum fuisse. Unde ipsos, non facta mentione quomodo id sibi innotuerit, commode respondere posse; sibi non integrum esse aliquam propositionem recipere, in qua quæstio de Regno contineatur, quod haut agnoscant Joanni Casimiro ullum jus in Sveciam competere. Sveci igitur, ne negotium in primo limine hæreret, propositum à Lumbrano temperamentum hactenus admittebant, ut separata charta id facere vellent. Idque hoc modo factum: A se recipi non posse ullam propositionem, in qua de Regno quæstio contineatur; se quippe haut agnoscere Joanni Casimiro ullum jus in Sveciam competere, utpote quæ ad Carolum Gustavum jure pertineat, & jure ab eo possideatur. Quod scriptum & Poloni admitterent, Lumbranus se effecturum pollicebatur. Qui & confirmabat intra paucas septimanas negotio finem imponendum, ac Polonos Electoris actiones aucupari, haut gravatim ad separatos tractatus descensuros, ubi is Holsatiæ & Pomeraniæ loca restituere tergiversetur. Ex eo quoque desiderium pacis apud Polonos colligebatur, quod de visitationibus mentionem injicerent, etsi putarent à Svecis initium faciendum. Cui ab his responsum; id jure Polonorum esse, velut qui ipsis adhuc Elbingæ agentibus scripsissent, se ad locum tractatum accedere, ac ipsos ibidem expectare velle. Cæterum propositio, quam Sveci Cæsareis exhibebant, his capitibus constabat: Cesset hostilitas, redeat amicitia, confirmetur. Instrumentum pacis Westphalicæ, & quæ ibi restent exsecutioni dentur. Relinquat Cæsar subditos suos Augustanæ Confessioni addictos sacris suis, & libertati conscientiarum; restituat loca in Pomerania, Holsatia & Slesvicensi Ducatu occupata, caveatque Svecicis provinciis ab invasione in posterum; non impediat jura Regi è pace Westphalica quæsita: gaudeat Rex Sveciæ juribus communibus Ordinum Imperii circa delectus militum, & innoxios transitus: non ingerat se Cæsar controversiæ cum civitate Bremensi, & Capitulo ibidem; non impediat vectigal ad litus Meclenburgicum: ratihabeat tractatum limitaneum cum Electore factum: removeat obstacula, quæ investituræ feudorum hactenus obstiterunt, cujus acceptandæ tempus Regi Sveciæ haut ita angusto limite circumscribendum sit, sed ut hic facere id queat, ubi commodum sibi videatur: satisfaciat Regi pro injuriis, & damnis datis, ac de non amplius turbando in futurum caveat. In exordio propositionis Electori factæ Sveci non sine verborum acerbitate exprobraverant, quomodo se is adversus Regem hactenus gesserit. Ejus capita hæc erant: Renovetur amicitia, & renuntiet Elector fœderibus contra Regem initis: non concedat transitum hostibus Regis per suas provincias in terras Regis: liceat militem conducere in ipsius ditionibus juxta leges Imperii: restituantur loca in Pomerania, Holsatia, & Slesvicensi ditione occupata; satisfaciat Regi de damno & injuriis illatis, caveatque de non amplius offendendo.

1660.

§. 6. Jam eo res deducta erat, ut Joannes Casimirus Sveciæ, & Livoniæ renuntiare vellet, cui acedere poterat Livonia Polonica, si in promtu pecunia fuisset ad triginta uncialium millia, quæ Lithuanicis Commissariis donari potuisset, quorum uni Electori viginti millia annui reditus obtulisse dicebatur, si pacem impediret. Hoc quippe extremum tractatus sufflaminandi

Variatractatus obstacula. 4. Febr.

1655. nandi remedium Cæsarei & Electorales reservaverant, Lithuanos corrumpere ne in Livoniæ cessionem consentirent. Pro oppidis Borussiæ, quæ alias fames brevi in hostium manus traditura erat, sperabantur ducenta uncialium millia obtineri posse. Sed Curlandiam postulare pro bello & tractatuum ruptura habebatur. Cæterum duæ cumprimis difficultates urgebant, quod Belgæ Sequestres eandem cum Cæsareis & Electoralibus agendi viam insisterent; & quod Poloni de fœdere Svecico adversus Moscum caveri sibi vellent. Nam alias consultum sibi haut esse propter pacem Svecicam fœderatos suos Cæsarem atque Electorem deserere, eosque una cum Mosco in se irritare. Sed quia Sveci de hoc fœdere in mandatis non habebant, valde circumspecte agendum erat, ne Polonis protelarent. Igitur respondebant; post conclusam pacem rationes Sveciæ, Poloniæque nil aliud quam fœdus producere posse, in quod & Rex pronus sit; sed ejus conditiones ante pacem exprimi non posse, præsertim quia Rex cum omnibus suis hostibus jam tractet. Contra Cæsar, Elector, & Belgæ Polonis vel commodam cum Mosco pacem, vel conjunctionem armorum suorum adversus hunc offerebant, si pacem cum Svecis repudient. Simul novam difficultatem injiciebant, dum pro Dano restitutionem Scaniæ, ac cautionis vice sibi loca per Pomeraniam occupata deposcunt. Sed & Lumbranus, qui hactenus circa cessionem Sveciæ nil difficultatis fore asseveraverat, modo circa reliqua Sveci faciles se præberent, jam declarabat; Joannem Casimirum Sveciæ prætensioni renunciaturum non nisi cum conditione, & reservato dum vivit titulo adversus alios, qui Regis Sveciæ Ministri, aut subditi non sint. Addebat, Svecos nimis duros esse, ac omnia à Polonis fieri, de suo nihil remittere velle. Ac nimis contumeliosum fore, si Joannes Casimirus ita simpliciter abdicet, quod antecessores ipsius usurpaverint; ac si is importunius urgeatur, tractatus abrupturum. Ita dum omnes Svecis adversantur, ac subinde de tractatibus dissolvendis minas spargunt, sola Poloniæ Regina constantia ac dexteritate sua negotium sustinebat, quæ & eo rem deduxerat, ut cum ante Poloni Austriacos metuerent, hi jam istos adulari necessum haberent. Et quia Fantomius quidam instigantibus Austriacis ex aula Polonica in Galliam mittebatur de Svecis questurus, Reginæ instincta Akakia eodem profectus est istius negotiationi destruendæ.

Fantomi.

Sveci ad conclusionem properant.

§. 7. Ast Svecos ut ad conclusionem festinarent, urgebat misera Elbingæ & Mariæburgi conditio, Polonis haut incognita, quæ pace extracta una cum præsidiis brevi perituræ erant, Curlandia quoque præter Bauscham ab hostibus recuperata; & quia artibus adversariorum novæ subinde moræ injiciebantur. Ac jam Brandenburgici Polonis loca à se in Pomerania occupata offerebant; Sed Poloni cum Imperio nil sibi negotii esse volebant. Hœnarbus quoque Belgicus Legatus Belgas fœderi paratos ostentabat, ne heic concluderetur, quoad Danica pax confecta foret; sed cujus exiguam rationem Poloni habebant, præsertim cum peculiares inter istos & Svecos tractatus in Selandia fervere audirent. Denique & Moscicus ablegatus Gedani hærens impediendæ paci Svecicæ multa pollicebatur. Extrema porro declaratio Polonorum hæc erat; Joannem Casimirum titulo adversus Sveciam abstenturum, apud alios quoad vivat eodem usurum, cum parum adhuc vitæ ipsi supersit. Contra bona Divæ Brigittæ in Svecia sita sibi redderentur, quæ Pontifici oblaturus sit in usum templi, quod Romæ isti Divæ positum est. Livonia quoque cedendum, sed ut fines in medio fluminis Dunæ sint. Super satisfactione nil sibi mandatum, nec ejus quid à se præstari posse. Ad quæ Sveci: se velle cessionem tituli absque exceptione. Bona Brigittæ nullibi extare. Fines Livoniæ hoc modo constitui non posse, cum Rigæ territorium ultra id flumen ad tertium amplius milliare porrigatur; tum & Dunæmundam castellum in altera ejus fluminis ripa situm. Denique se utique aliquid satisfactionis sperare. Ita propinqua spes pacis erat, nisi aliorum machinationibus illa elideretur. Sane Cancellarius Poloniæ Slippenbachio significabat, ingentem sibi contentionem cum Austriacis

1650.

10. Mart.

5. Febr.

1660. Auſtriacis fuiſſe, quibus in os dixerit; Polonos nolle amplius ab iſtis ſeduci, ac pacem jam pro concluſa poſſe haberi, modo Gallia eam non amplius extrahat. Nam quamvis Lumbranus ſubinde teſtaretur, omnem à ſe operam paci promovendæ impendi, re ipſa tamen rem ſat frigide agere ſentiebatur.

Propius ad rem accedituꝛ. §. 8. Hucusque negotium ita diſceptandum fuerat, ut Lumbranus quater per ſingulas ſeptimanas cum Svecis Sobbothi, cum adverſa parte Gedani colloqueretur; ac rem eo jam redegerat, ut formulæ pacis utrinque conciperentur. Sed cum hoc modo res ægrius expediretur, Svecis una cum Lumbrano acriter inſtantibus, demum & jubente Joanne Caſimiro Poloni & Electorales ex urbe rus ſe contulerunt, ſic ut Oliva medio ſpatio inter Svecorum & Polonorum hoſpitium eſſet. Sed Cæſarei fere Gedani hærebant, ob adverſam Colobrati valetudinem: ita jam utrique Commiſſarii Olivæ conveniebant, per peculiarem quique portam & aream in conclavia ſua progreſſi. Ubi per Sequeſtrem omnia inter Svecos, Polonos, & Brandenburgicos communicabantur. Sed inter Svecos & Cæſareos Poloni Sequeſtrium vices ſupplebant. Ac ubi unus articulus abſolutus eſſet, à Secretariis Legationum utrinque ſubſcriptus commutabatur, & quoad inſtrumento inſereretur, deponebatur. Venerunt poſt mortem Regis ad Legatos mandata, ut jam Hœnartum Belgicum Legatum ad Sequeſtria munus admitterent. Sed hic de eo exercendo dubitabat, quod tractatus jam eousque provecti ſint, ut propediem abſolvendi ſperarentur. Ita ſatis viſum acta eidem communicari. Accedebat quoque Legati Hiſpanici Fontani Secretarius Lucianus Vienna operam ſuam conciliandæ paci offerens, de qua Lumbranus proponebat. Sed Sveci excipiebant: cum ſibi non conſtet de Fontani procuratorio ad obeundum Sequeſtris officium, ac num ipſi facultas ſubſtituendi competat, nec ſibi hanc in rem mandata ſint, ſe neſcire, an & quomodo ipſum ſint recepturi. De cætero Svecis haut ſpatium erat diu cauponandi, quod jamjam præſidiis fame pereundum foret, ita ut vix panis ſex dierum ſupereſſet, cum pax concluderetur. Sed nec in Articulis excutiendis ordine procedebatur, ſed prout Svecis aut adverſæ parti viſum fuit. Et elegerant conſuſum hunc agendi modum Fœderati, ut impedimenta tractatibus injicere poſſent, quæ tamen dexteritate & patientia Svecorum eludebantur. Primo congreſſus die Svecis mors Regis, quæ quinque ſeptimanas ante contigerat, innoteſcebat; de qua pars adverſa ante octiduum intellexerat. Ea hoſtium animos valde inflaverat, ut jam de abrumpendis aut ſuſpendendis tractatibus jactarent, ni Reginæ ſingularis cura obſtitiſſet. Lumbranus apud Svecos verbis doloris defungebatur, addens tanto enixius ſe pro Svecica cauſa laboraturum, quod Regi ſuo ſuprema pupilli Regis Sveciæ tutela per teſtamentum commiſſa ſit. Quod quomodo in mentem venire ipſi potuerit, mihi non conſtat, cum de eo in teſtamenti Caroli Guſtavi nihil extet.

13. *Mart.*

Colobrat.

3. *April.*

2. *April.*

§. 9. Iſthoc porro ordine negotia fuere pertractata, ut cauſa Ducis Curlandiæ primo loco expediretur, non ſolum Ducis Cancellarius Folckerſamus, ſed & Brandenburgici pervicere. Qui & tractatui impediendo varias difficultates moverant, quæ per aliquot dies magno ardore ventilatæ ſunt, ut metu rupturæ Sveci non ſolum in Ducis reſtitutionem conſentire, accepta tamen cautione de non ulciſcenda captivitate, ſed & à petenda Livonia Polonica deſiſtere neceſſum haberent, contenti Livoniam hactenus Sveciæ poſſeſſam obtinuiſſe, ſed cum hic articulus ſcripto concipiendus eſſet, aliquot per dies Svecis graves lites movebantur de particula Livoniæ ultra Dunam ſita, de Inſula Dalena & Ruma, de navigatione fluminis Bulleraæ, de commerciis in Duna flumine, de Polonorum prætenſa exemtione, utque ipſis immunibus adverſo Duna Mitaviam usque navigare liceat, de civitatis Rigenſis jurisdictione in cauſis commerciorum ex contractu delictis, ac ſimilibus; ut Sveci haut aliter judicare poſſent, quam adverſam partem anſam abrumpendis tractatibus captare. Sane Poloni inſolenter ſe jactabant. Cæſa-

De cauſa Curlandica.

Dalen. Ruma Bulleraæ.

1660. rei omnem lapidem movebant negotio remorando, ſi non evertendo, idemque conatus Dano, Moſcoque Gedani hærentibus erat. Tum Svecis ademtus Rex, nulli amici; Gallus languide rem agere, tota prope Europa in exitium Sveciæ conjurata. In Curlandia præter Bauſcham nil reſtare, in Boruſſia nullus à latere exercitus, qui poſtulatis pondus addere poſſet. Præſidia Elbingæ & Mariæburgi cum fame luctari. Ac ſi alicui poſtulato paulo acrius inſiſtere vellent Sveci, Lumbranus loco declarationis à Polonis referebat, oppida Boruſſiæ etiam citra tractatus in Polonorum manus perventura; quo facto ſacra per totam Boruſſiam protinus reformanda fuerant, Elbingæ quoque privilegiis abolendis.

De Sacris Livoniæ. §. 10. De Sacris Livoniæ non minus nunc, quam olim Slumsdorfi à Polonis & Sequeſtre urgebatur. Sveci quamquam ægrè huc deſcenderent, tamen cum dexteritate gubernatoris & Conſiſtorii iſta eludi poſſent, ac Cæſarei & Electorales inprimis hunc articulum captarent, ad quem negotium allideretur, Sveci non amplius reniti poterant, quo minus conſentirent, ut Catholicis ſubditis & incolis Livoniæ, ſi qui ſint, libertas conſcientiæ cum privato religionis exercitio intra privatos parietes ſine inquiſitione aut animadverſione permiſſa ſit, non autem advenis, uti Poloni cupiebant. Accedebat Joannis Caſimiri ſuperſtitio, per Jeſuitas Auſtriacorum inſtinctu obfirmata. Cui ſuccinebat Lumbranus, inani pietatis obtentu mire ſe jactans; ac ipſe ſubinde rupturam tractatuum minitans, ni Sveci annuere vellent. Qui & proponebat, ſi liberum religionis exercitium in Livonia relinquatur, Joannem Caſimirum plane titulo renuntiaturum. Magis tamen mirum viſum, ipſos Electorales inſigni cum fervore negotium id de libertate ritus Catholici in Livonia concedenda commendatum ire. Sveci autem vocabulo ſubditorum & incolarum ſatis ſibi caviſſe viſi ſunt, quod illi Catholici, qui ſubditi non ſint, nulla quoque religionis libertate frui debeant; ab per gubernatores prohiberi queat, ne qui Catholici deinde inrepant, negata facultate prædia aut domos emendi. Magna quoque lis erat de exulibus Livoniæ reſtituendis, quibus repugnabant Sveci, quod cum Guſtavus Adolfus Rex ipſis reverſuris triennium indulſiſſet, ipſique reverti neglexerint, bona iſtorum per donationes in proceres Sveciæ collata ſint, quæ his eripi iterum non poſſint. 1660.

De renuntiatione in Sveciam. §. 11. Circa renuntiationem prætenſi juris in Sveciam multum temporis conſumendum, ac graviſſimæ difficultates ſuperandæ fuerunt. Quanquam enim de hac, & Livoniæ ceſſione in anteceſſum clam transactum crederetur, tamen cum in rem præſentem veniendum eſſet, Joannes Caſimirus poſt Caroli Guſtavi cumprimis mortem quidquam concedere pertinaciter abnuebat, donec tandem longo labore expugnatus in renuntiationem conſentiret, inſtrumento pacis inſerendam, nullo autem modo peculiari diplomate exprimendam, quod & ſequeſter durum nimis judicabat; ac multa in eam rem exempla extare memorabat. Super ipſa quoque forma renuntiationis aliquot per dies acriter diſputatum, Polonis ſubinde rupturam minantibus, dum eam his verbis exprimendam contendunt, *jure, jure prætenſo, prætenſione, renunciatione & translatione juris in Regem Sveciæ.* Demum res eo deducta eſt, ut Joannes Caſimirus omnibus prætenſionibus in Regnum Sveciæ, & ſubjectas illi provincias, & avita bona in illis ſita pro ſe & hæredibus ſuis plene renuntiaret: titulum autem & inſignia ad dies vitæ ita ſibi reſervaret, ut illum in Polonia & apud alios Principes uſurparet; ſed in literis ad Regem Sveciæ & ei ſubjectos eodem abſtineret, adhibito titulo admutilato, uti Strumsdorfi conventum. Poſt fata Joannis Caſimiri Regibus & Reipublicæ Poloniæ cum titulo & inſignibus Sveciæ nil amplius fore negotii. Dicebat Lumbranus, nil novi eſſe, duos Principes ejusdem ditionis titulos gerere. Sic Angliæ Reges titulo Franciæ ſuperbire, Gallis irridentibus. Contendebant Sveci iſta ſeparato articulo exprimi; Polonis contra ut hoc modo inſereretur pervincentibus, quorum pervicaciam Cæſarei, Electorales, & Belgæ alebant, de exiſtimatione Joannis Caſimiri & anteceſſorum ipſius quam maxime agi jactantes.

§. 12. Cir-

1660. *De Amneſtia, & aliis.*

§. 12. Circa Amneſtiam initio Poloni cavillabantur, ſubditos Regis & Reipublicæ Poloniæ tutore aut advocato opus haut habere. Evicerunt tamen Sveci, ut non ſolum oppidis Boruſſiæ, ſed & Ordinibus Poloniæ, & privatis, qui Svecicas partes hoc bello ſecuti ſint, caveretur, eorumque privilegia ſarta tecta ſervarentur. Circa Boruſſiæ oppida peculiariter expreſſum eſt, ut exercitium religionis Evangelicæ, & Catholicæ, prout antea fuit, maneret. E Lutheranis in Polonia, quorum paucæ familiæ erant, ac Reformatis nemo Svecos requirebat; eousque tamen illis cautum eſt, ut cujuscunque religionis homines amneſtia frui debeant, & ut omnia maneant, ſicuti ante bellum fuerunt, ſub quibus etiam intelligantur Diſſidentes ab Eccleſia Romana, qui Privilegiis in Polonia ultra ſecutum gaviſi ſunt. Pro Ragozio & Coſaccis diplomata nullo modo impetrari potuerunt, & quotiescunque de iis mentionem injicerent Sveci, Poloni velut artificium extrahendo tractatui arguebant; non quod Amneſtiæ capaces non eſſent, aut Ragozius velut Sveciæ Fœderatus non ſit includendus, ſed quia hic anno 1657. pacem in campo fecerit, Coſacci in Comitiis Warſavienſibus ſuperiore anno cum Republica in gratiam redierint. Ita hi tranſactionibus ſuis fuerunt relinquendi. Circa ſatisfactionem nil obtineri potuit. Nam etſi Lumbranus ſaltem de ducentis uncialium millibus ſpem faciebat; morte tamen Regis id mutatum fuit; etſi Sveci poſtulatum ſuum ad centum uncialium millia, ac demum ad centum viginti millia florenorum remitterent, ſaltem mutui titulo deducendis militibus adhibenda; cum tantilla ſumma ſatisfactionis vocabulum non meretur. Nec pro Ragozio remiſſio debiti quadringenties mille uncialium obtineri potuit, quod iſta ſumma Quartianis aſſignata obtenderetur, quorum ſeditio ſit metuenda, ſi eam condonatam intellexerint. Guarantiam Cæſarei & Brandenburgici ita concepe-rant, ut certo ſibi perſuaderent, Svecos eam rejecturos, eoque anſam abrumpendi tractatus præbituros. Sed & in hanc Sveci conſenſerunt hoc modo, ut injuriæ quæ in poſterum unus alteri inferre poſſit, per Commiſſarios citra bellum expediantur, & parti lædenti junctis viribus, ubi æquas conditiones reſpuerit, occurrendum. Id quod æque in favorem Sveciæ, quam cæterorum cedere poterat. Etſi ſatis conſtabat, id caput potiſſimum à Brandenburgicis urgeri, ut ſibi cum omnibus initos tractatus firmarent. Sed vel ideo Svecis non reluctandum videbatur, ne perpetuum bellum meditari viderentur. 1660.

Cum Fœderatis quoque tranſigitur.

§. 13. Abſoluta fere pace Polonica cum Cæſare quoque & Brandenburgico Electore tranſigendum erat. Nam nec ipſi Poloni citra hos cum Svecis concludere volebant, quod metuerent, ne Cæſar ipſos invaderet, antequam Gallia ad auxilium ferendo præſto eſſet, ac Sveci bello Danico eluctarentur. Ac ut Polonis ſcrupulus injiceretur, Liſola per aulam Polonicam ſparſerat, Colbertum Croiſſium eo duntaxat fine à Galliæ Rege Viennam miſſum, ut peculiarem inter Cæſarem & Sveciam pacem conciliaret; ſed re infecta ipſi diſcedendum fuiſſe. Qui tamen mox vanitatis convincebatur. Svecis autem ut cum iſtis quoque pacem amplecterentur, graviſſimæ cauſæ erant. Nam id juſſerat Carolus Guſtavus; requirebat idem præſens Sveciæ ſtatus; nec ea res longiorem moram ferebat citra præſens periculum, offendendis quoque Germaniæ Ordinibus; cum Gallia nondum certi quid auxilii decreviſſet, nec cum ullo adhuc hoſtium plene tranſactum eſſet, Belgarum conſiliis præcipue ſuſpectis, ac exhauſtis Sveciæ viribus. Equidem non deerant in diverſum rationes. Non eſſe unde exercitus ali poſſit, cum poſt pacem ex hoſtico vivere nequeat: & exautorato nunc milite extraneo citra præmium, difficile in poſterum fore alios Sacramento Sveco allicere. Grave quoque tantas injurias inultas digerere, cum nunquam juſtior bellandi cauſa fuerit. Quin & Coſaccis & Brandenburgicis invitis licet ad pacem deſcendendum erat declinandæ invidiæ, quæ iſtam repudiaturos ſecutura erat. Cæterum cupiebant Sveci & iſta heic expedire, quæ circa pacem Weſtphalicam ipſis

1660. in dubium revocata erant. Sed cum Cæsarei eadem ad pacem Polonicam spectare negarent, ista ad leges Imperii remittenda erant. Cum Brandenburgico nihil aliud obtineri poterat, quam ut omnia in statum ante bellum reponerentur, simul Recessus Limitaneus firmaretur. Satagebant quidem Brandenburgici nonnulla inferere, per quæ fœdera Electoris cum Polono Welaviæ & Brombergæ anno 1657. inita probari viderentur, quorum vi iste Svecorum partibus desertis hostilia adversus hos induerat. Sed Sveci ista declinabant, velut quæ sine contumelia concedi non poterant. Id tamen Electoralibus indulgendum fuit, ut fœdera inter Regem & Electorem inita in perpetuum abolerentur, iisque à Rege renuntiaretur. Autographa tamen Instrumenta fœderum, frustra contendentibus Electoralibus, haut restituta. Ut Elbinga Electori à Svecis de manu in manum traderetur, Electorales acriter contendebant, velut quam fœdere Brombergano seu Bidgostiano Poloni hypothecæ loco pro quadringentis uncialium millibus addixissent; ac nisi ea tradita locis Pomeraniæ & Holsatiæ à se occupatis decedere nolebant. Ac Poloni ipsi cessionem Elbingæ faciendam palam urgebant: sed ad extremum id temperamentum proponebant, ut si Sveci eam urbem Electori tradere nollent, & ea traditio tamen post à Polonis fieret, id Sveci pro ruptura pacis non haberent, quod ea cessio sit contra urbis privilegia articulo secundo pacis firmata; etsi & ista cessio non nisi salvis privilegiis urbis fieri debebat. Eam in rem separatus articulus formatus est, Electori & Polonis traditus, sed Instrumento haut insertus. Ea re inter Svecos & Elbingensium Deputatos agitata illi demum id temperamentum his adprobavere, ut urbs post permutatas ratificationes non nisi Regi & Reipublicæ Poloniæ tradatur. Et quia Poloni clam insinuabant, Electorem nunquam Elbinga potiturum, Sveci ac Poloni Elbingensibus svadebant, ut eam summam undecunque corrasam, Electori intra tempus traditionis exsolverent. Id quod hi per Anglicos mercatores obtenturos se sperabant. Contra Poloni cavebant, id ipsis oneri non fore, sed eam summam è Republica refundendam. Denique postulabat Rautensteinius Neoburgici Palatini Ablegatus, Principem quoque suum his tractatibus includi. Quod cum cæteri facile annuerent, Electorales ita acriter contranitebantur, ut negarent se subscripturos, ubi ea inclusio fieret. 1660. *Rautenstein.*

§. 14. Ita demum post tantas difficultates pax Olivæ concluſa est die vicesima tertia Aprilis semihora ante mediam noctem; per quam controversia, quæ duas nationes tot per lustra cruento bello collisit, funditus demum sublata est, conditionibus pro isto Sveciæ statu sat honestis; cujus confectæ gratia magnam partem Ludovicæ Mariæ Reginæ Poloniæ debebatur. Solennis promulgatio pacis pridie Kalendas Majas fiebat, postquam super iis, quæ ante subscriptionem adhuc perficienda forent, inter quæ & formulæ ratificationum erant, plene conventum, ac subscriptio ab omnibus facta est. Placuerat initio subscriptionem in templo fieri, quo fine jam mensæ pro Svecis, Polonis, & Fœderatis positæ erant. Sed quia Cæsarei tanquam pars accessoria Polonos velut principalem partem præcedere, & directorium quoddam exercere, postulabant, iidemque Lumbranum præsentem ferre nolebant, mensæ sub vesperam remotæ sunt, ac subscriptio hoc modo peracta. Initio exemplaria subscribenda in portico, quæ è Svecico conclavi ad Polonicum ducebat, per Secretarium Lumbrani publice commutabantur, & clara voce prælegebantur magna hominum turba circumfusa, quæ Gedano hac excurrerat. Quæ res in seram noctem extracta est, sic ut hora decima demum subscriptio susciperetur. Quia autem subscriptio ab altera parte, præsentibus in eodem conclavi Polonis, Cæsareis, & Brandenburgicis, fieri debebat, sequester autem, quem Cæsarei agnoscere nolebant, quoties Cæsarei adessent, nunquam Polonos & Electorales adibat, id temperamentum inventum est, ut peracta recitatione Secretarii in Sequestris conclave se conferrent, ac exemplaria ad subscribendum ipsi offerrent. Quo facto Sequester Polonicum, Cæsareum, & Brandenburgicum Instrumentum Svecico Secretario, Svecica Instrumenta Polonico, Cæsareo, & Brandenburgico, *Pax Olivæ concluditur.* 23. *April.* *& promulgatur.* 30. *April.*

1660. denburgico Secretario tradebat, qui hæc Svecis ſubſcribenda offerebat, dum Svecicus Secretarius eadem Polonis & Fœderatis ſubſcribenda offert. Eo peracto Poloni Cæſareis, tum & Electoralibus peculiaria exempla ſubſcribenda obtulerunt, quod utrique Gallum Sequeſtrem non agnoſcerent, eoque ſimul cum Polonis & Gallo ſubſcribere nollent. Unde in autographo Inſtrumento Cæſareis tradito in epilogo Mediatoris mentio facta non eſt. Quod autem Electorales peculiare Inſtrumentum tradere debuerint, utut jam cum Polonis prius ſubſcripſiſſent, cauſa erat, quod in exemplo Polonis tradito tituli mutilati, in aliis autem tituli integri ponerentur. Hoc modo facta ſubſcriptione & ſigillatione quilibet Secretariorum ſuis ſuperioribus commutata inſtrumenta tradidit; inde cum Sequeſter gratulatione hinc inde defunctus eſſet, ſinguli ad hoſpitia ſe ſua contulerunt. Autographa tunc chartæ inſcribebantur, poſt cum pergamenæ inſcriptis permutanda, quod hæc longiorem ad deſcribendum moram poſtularent, ac Poloni diſceſſum valde feſtinarent, Lubomirſcio jam, & Pratzmovio Cancellario, ac Theſaurario Reyo digreſſis. Solennes viſitationes triduo ante ſubſcriptionem factæ ſunt; ac Poloni eum honorem Svecis Sobbothi ante meridiem exhibebant, quem Sveci iſtis poſt meridiem Strizæ reddebant. Electorales Svecos Calendis Maji ſalutabant: id officium hiſce Sveci poſt meridiem Flemingshofii reponebant. Cæſarei per Secretarium eo honore apud Svecos defuncti eodem modo receperunt. Perfecta jam pace Brandenburgici, demum qui è præſidio Straſburgenſi ſupererant dimiſerunt. Haut eo minus tamen concluſam jam pacem evertere nitebantur Cæſarei & Electorales Polonis auxilia ſua offerentes, quo Svecia exarmata ipſi armati manere, ac deſtinata ſua exſequi poſſent. Sed Poloni abnuebant, tandem aliquando ſuſpectis ſe fœderatis extricare cupidi. In concludenda pace Polonis fœdus Svecicum præ oculis fuerat: id quod HOverbequius Brandenburgicus Miniſter deſtruere ſtudebat, inteſtinis turbis ſcatere Sveciam poſt mortem Regis fingens. Poſt fruſtra conſumtas Fœderatorum machinationes ratificatio inter Svecos & Polonos Gedani hinc tradita. Unde & Fœderatis neceſſitas adferebatur triduo poſt ſuas ratificationes permutandi.

Pratzmovviski. Rey.

28. April. Stritz. 1. Maji. Flemingshof.

Et ratificatur.

HOverbeck.

1660. 6 Aug. 8. Aug.

Tractatus Danici difficulter ſuccedunt.

§. 15. Difficilius adhuc ſuccedebant tractatus cum Danis, ubi poſtquam ſub initium anni Sequeſtres Helſingora Hafniam ſe contuliſſent, multis diebus quid agerent nil audiebatur. Ac referebat Terlonus, apud Danos indies minus inclinationis in pacem ſentiri, quod ſperent, bello extracto lautioribus ſe conditionibus potituros, ac Legatos ſuos ingens operæ pretium Hagæ facturos. Idem dehinc cum Anglis Hafnia Helſingoram revertebat, apud Svecicos Commiſſarios inſtans, ut Rex ſatisfactionem, quam præcendat, remittat; alias omnem à ſe operam circa pacem ludi. Nam Danos jam ferociter loqui ac præſenti rerum facie ita ſe uſuros, ut de Scania, aliisque recuperandis ſpes ſit. Sequeſtres re expenſa haut potuiſſe aliud temperamentum invenire, quicquid apud Danos eam in rem connixi ſint, quam ut concluſerint, ſe Regi pacem Roſchildenſem obtenturos, demta Nidroſia. Extra hoc nil remedii ſupereſſe. Sveci ad hæc: Regi utique cauſam eſſe, quare Danos ſatisfactionem poſcat. Ac injunxerat Rex Commiſſariis ſuis, ut ante omnia guarantiam adornarent, inde ſuper certo agendi modo convenirent, nec ulterius progrederentur, antequam Danus declararit, an & quo modo in tractatus conſentire velit. Tum ut capita projecti ordine excuterent, nec inverſo ordine à ſatisfactione inciperent. Neu Sequeſtres formulas conciperent; quod Danorum ſit formulam aliam Svecis reponere, Sequeſtrium autem oppoſitas inter ſe formulas conciliare. Cæterum eo minoris Sveci à Sequeſtribus propoſita faciebant, quod noſſent, nil novorum mandatorum ipſos domo accepiſſe. Nec plus iidem Hafniæ proficiebant, ubi declarationem ad formulam Svecicam exigentibus Gerſtorfii valetudo obtendebatur. Nec de Aggershuſio Danus audire volebat, Bornholmenſes quoque dimittere abnuens ob fidem iſtis datam, quam ſalva conſcientia & exiſtimatione retractare nequeat. Cæterum meditabantur Dani reſponſum ad formulam Svecicam, cui totidem verbis inſerturi

1660. erant formulam à Sequestribus Hafniæ conceptam, additis paucis quibusdam postulatis, inprimis de satisfactione ob damna hoc bello accepta; circa quam Sequestrium se arbitrio submittebant, quo eos sibi conciliarent, simul pacis desiderium ostentarent. Et quia norant, à Sveco formulam istam nunquam admissum iri, eo ipso judicabant, promtum suum consensum fraudi sibi non fore, ac simul culpam pacis irritæ Svecis impactum iri. Unde Commissarii suadebant, à Rege par artificium adhibendum, quo ipso Dani non parum perturbandi sint, ac vel necessario illis servanda, quæ per astutiam promiserint: vel si recusent, eodem laqueo, quem aliis tendebant, capiendos. 21. Febr. Inter hæc Commissariis de morte Regis nuntiatum est; qui novo è regimine scisitantur, quid circa Nidrosiam fieri debeat, cui tam pertinaciter Sequestres insistant; præsertim cum Belgici Legati mandata acceperint; ut conclusionem pacis urgeant, ac si ad extrema sit procedendum in Scaniam, aut Selandiam aliquid tentent.

Post mortem Regis tractatio continuatur.

§. 16. Venere dehinc Sequestres Hellingoram, doloris imitamentis defungentes simul testati studium erga Sveciam hoc casu haut quidquam imminutum iri. Inde Terlonus & 27. Febr. Honivvodus Svecis formulam declarationis exhibebant, quam majoris cautionis gratia super ipsorum circa 28. Febr. pacem sententia postulabant. Eodem die nova procuratoria Svecicis Commissariis, simul nova securitatis diplomata pro Sequestribus & Danis afferebantur. Addebatur: etsi Sveciæ res utique pacem desiderent; ne tamen degeneris quid timoris ob mortem Regis ostendant, neu arcum nimium intendant; eoque Nidrosiam remittant, ac tertium articulum pacti Roschildensis silentio prætereant; tum reciproco artificio adversus Danum usi hujus formulam à Sequestribus mutuo sumtam acceptarent, perque eandem istum stringerent. Sic igitur Sveci, postquam probante Slingelandio nonnulla in Sequestrium formula 29. Febr. emendassent, in hunc sensum declarationem addebant: Acceptari à se pacem Roschildensem in gratiam Sequestrium, ac desiderio promtæ pacis, remissa Nidrosia, ac si quæ ob præsentia tempora cum consensu utriusque Regis mutanda videantur. Tum ut salva persistant, quæ sequestribus cum utroque Rege convenerunt; ne à Sveciæ Rege novi quid oneris navibus in Oresunda, aut Baltico Mari imponatur, neu Daniæ Rex à civibus trium statuum præter receptum vectigal novi quid oneris exigat. Cæterum se fretos justitia & integritate sequestrium rem ipsorum dexteritati committere. Loca, quæ ad Danum vi tractatus futuri spectabunt, à se post pacem ratihabitam restituenda eo tempore, de quo in tractatibus conveniendum sit. Polonum insuper & Brandenburgicum tractatui includendum, si velint, & quæ cum utroque intercedant controversias ex æquo componendas. Præter hoc Belgæ proponebant, si à Svecis sibi caveatur, naves suas neque ab excursoribus maritimis, neque à navibus ipsorum bellicis læsum iri, se classem suam à portu Landcronensi revocaturos, ac nil amplius hostile in Svecicam classem tentaturos, cui deinceps integrum sit futurum, quo placeat vela facere. Quod Svecis valde probabatur, nisi quod hoc unum scrupulum moveret, ne Belgis deinceps nulla cura circa componendam pacem futura sit, si navibus ipsorum in Mari Baltico securitas parta fuerit. Enimvero cum Sveci vicissim sequestres declarationem poscerent; se præstituros; ut reliqui articuli pacis Roschildensis Sveciæ salvi sint, nec nova postulata cudantur: eam abnuebant, causati, partem Collegarum suorum abesse, ac si ad hoc se obstringant, deinceps se non velut sequestres, sed ex contractu acturos. Ad extremum tamen Terlonus, qualem Sveci desiderabant declarationem exhibebat.

Dani pacem adversantur.

§. 17. Sequestres Svecorum declaratione accepta Hafniam reversi Friderico Regi eam communicant, postulantes, ut ipsi vicissim placeat exponere, quæ super pace mens sit. Id postulatum silente Rege mox scripto repetebatur, addito, vel minimam moram ipsius rebus magno præjudicio fore. Cum ne sic quidem Danus responso istos dignaretur, Belgæ, instantibus Gallo Anglisque, statuebant naves suas istius auxiliis subtrahere. Simul apud Svecos proclives se ostendebant induciis, quales nuper proposuerant, concludendis; ac ut conven-

tio

1660. tio Elbingenſis jam nunc effectum ſuum ſortiatur, qui alias in tempus concluſæ cum Dano pacis ſuſpenſus erat. Nec obſcure jactabant, ni Danus rationem audire velit, ſe arma in ipſum verſuros. Nec repugnaturos ſe, quo minus Sveciæ naves mare percurrant, ne militum quid ex Holſatia Hafniam advehi poſſit. Simul Michaeli Reutero ante Landscronenſem portum conſiſtenti mandata mittunt, ut deinceps hoſtilibus adverſus Svecos abſtineat, eorumque naves hinc
7. Mart. inde pro lubitu ire permittat. Id cum Rex Fridericus animadverteret, repente cum aliquot navibus incendiariis Landscronam ſe conferebat, præſentia ſua Belgis animum additurus, ut naves Svecicas ei portui incluſas deſtruerent, aut ſaltem ne inde diſcederent, quo ſpatium ipſi fieret conſilia ſua formandi. Ea de re Reuterus, qui jam diſceſſum Landscrona moliebatur, Legatis Belgicis ſignificabat, qui quid agendum foret, dubii hærebant. Nam parum decorum, ac dignum amicis videbatur, Regem deſtituere, qui jactabat, inde ſe non receſſurum, priusquam deſtinata effectui dediſſet. Sed ſi juſſa ſua retractarent, fides ab ipſis data proſtituebatur. Inter iſtas hæſitationes incidebat, Svecorum cautionem de non turbanda Belgarum navigatione nondum ſibi traditam. Eo prætexto Reuterum jubebant Landscrona haut movere, niſi novis mandatis acceptis. Sed poſtera die, cum deſideratum Inſtrumentum Helſingora allatum eſſet, ac Fridericus irritus Hafniam revertiſſet, Reuterus denuo Landscrona faceſſere jubetur. Conventionis porro inter Svecos & Belgas tunc initæ is ſenſus erat; ne qua vis aut injuria deinceps navibus bellicis aut onerariis alterius inferatur; & ſi ullam fieri contingat, antequam ducibus de hac conventione ſignificari potuerit, ut damnum ſtatim reparetur. Sveci cum hoc Inſtrumento alias literas miſerant, quibus laudato Belgarum ſtudio petebant, ut pactum Elbingenſe quamprimum ratificetur, ac ut interim eam vim habeat, ac ſi jam ratihabitum eſſet. Sed Belgis in præſens ſatis videbatur induciis adquieſcere; quo fine Wilhelmo Killegræo mandata in Fioniam mittebant, ut militem ſuum intra eam inſulam contineret, ac ne quid in Svecos ſuſciperet, niſi laceſſitus. Svecos porro, ut in has inducias conſentirent, non una cauſa movebat. Nam exſcenſione in Selandiam facta copiæ contrahendæ erant, queis ob anguſtiam annonæ ac pabuli pereundum erat. Sed nunc nulla invaſio metuebatur, quod citra Belgas Dani nihil ſuſcipere valerent. Simul inter Danos & Belgas diffidentia excitabatur, illis horum aſtutiam, his illorum ingratum animum arguentibus. Sed & in perpetuum inducias Sveci, quam ad certum duntaxat tempus concludere malebant; quod temporariæ induciæ Belgis ſuſpicionem excitare poſſent, velut tempus à ſe duntaxat extrahatur, & aliquid in Danos agitetur, remoram paci daturum. Sed induciis ad finem belli duraturis plane Belgarum auxilium Dano ſubtrahi videbatur. Cæterum dum Belgæ ſuper claſſe ſua à portu Landscronenſi revocanda hæſitant, Angli non parum turbabantur, quod iſtorum claſſis juxta priora juſſa reverſa non eſſet; eoque acres literas ad Belgas ſcribebant; quibus poſtquam de ſtudio ſuo in pacem, Danique pertinacia ne reſponſo quidem ipſos dignantis memoraſſent, petebant, ut ſicuti antea bellum terra Marique Regi Sveciæ feciſſent, cum hic pacem abnuere viſus eſſet, nunc quoque juſtitiæ promiſſorumque memores Dano auxilia ſua ſubtraherent, & antea & nunc aperte pacem averſanti, ac variis illuſionibus tempus extrahenti tanto cum Reipublicæ præjudicio: contra nil amplius hoſtile Svecis intentarent, nunc ſerium pacis deſiderium profeſſis. Ni id faciant, ſibi nomine Reipublicæ Anglicanæ declarandum Belgas conventa violaſſe, ac Parlamento integrum fore ejus injuriæ reparationem exigere.

1660.

§. 18. Enimvero cum jam claſſis Belgica Landscronam deſeruiſſet, ſequeſtres his offenſis ſepoſitis junctim Fridericum Regem urgebant, ut Svecorum exemplo ſuper pace admittenda declarationem edat. Sed hic reſponſum differebat, reditum curſoris in Belgium miſſi expectans, quod ſperaret Ordines Fœderatos per Legatos ipſius permotum iri ad lautiores pacis conditiones Daniæ curandas. Interim à Legatis Belgicis quærebat, quidnam retu-

Sequeſtres Danum urgent.

ſionis

1660. sionis isti pro expensis in hoc bellum expectent? id enim nosse sua interesse, quod istæ quantæcunque à Svecis repetendæ sint, velut autoribus belli, antequam pax sit concluſa. Ea quæstione uti negotium ducere studebat: ita per legatos suos Hagæ graviter querebatur, Belgicos in Dania Legatos recepta Svecorum declaratione raptim classem suam à Landscrona se inconsulto revocasse. Unde Svecos libertatem excurrendi nactos multas jam Danicas naves abripuisse, & quotidie ante portum Hafniæ in conspectu classis Belgicæ rapinas nullo impediente exercere. Tum revocatis in memoriam fœderibus, & promissis de Dania in pristinum statum reponenda petebat, ut fatalibus sibi induciis desistant, queis proximo anno suas Insulas prodiderint, & nunc occasionem corruperint classem Svecicam per naves incendiarias in portu destruendi: utque Reuterum jubeant serio rem in Svecos gerere, quoad hi ad ejusmodi pacem compellantur, per quam Dania plus securitatis, simul reparationem acceptorum damnorum nanciscatur. Neque effectu caruerunt istæ querelæ, quod Svecica declaratio, cum pacti Hagensis mentionem non faceret, à Belgis sat ampla judicaretur: & quia dubitabant, num effectus ita cito, uti desiderabant, sit secuturus. Unde Ordines literis ad Legatos datis testabantur, displicere sibi classem Landscrona avocatam, ac rapinas à Svecis tanta cum licentia exerceri. Addebatur, si pax concluſa jam non sit, ac Svecos in mora esse, adpareat, non solum horum excursiones impediant, sed & omnes vires terra marique ad eos quantum possint complectendos impendant. Porro cursore Danico Haga reverso Fridericus Rex Sequestres in aulam evocabat, ubi loco expectatæ declarationis quærebat, quid Sveci in pacto Roschildensi mutari desiderent? Ad quod Belgæ reponebant: id sequestribus curæ non esse, qui unice nosse cupiant, num is declarationem pro pace editurus sit. Post multas hinc inde diceptationes Fridericus, ne plane pacem repudiare videretur, demum pollicebatur, postera se die declarationem Svecicæ similem exhibiturum. Quod & factum est. Inter has tergiversationes Sveci instinctu Terloni Belgas ad jungenda secum arma ur-

18. Mart.

gebant ex vi pacti Elbingensis, quod à die exhibitæ declarationis pro pace validum esse debeat. Sed negabant Belgæ id hoc prætexto fieri posse, sed potius vi pacti Hagensis, quod & nunc urgeri superfluum sit propinqua compositionis spe. Simul querebantur, à Cojeto pactum Elbingense, ejusque illustrationes denuo disputationi subjici, tanto labore heic absolutas. Sed Dani declaratio hisce disceptationibus pausam imponebat; ac jam majore successus spe negotium pacis apud tentoria iterum suscipiebatur. Cæterum Belgicam classem Landscrona digressam octo naves Svecorum bellicæ sequebantur, quæ salutato Reutero non procul ab ipso anchoras jaciebant, portum Hafniensem clausuræ; à quibus multæ onerariæ naves securius accedentes intercipiebantur. Sed mox Belgæ Reutero injungebant, ne ante ora suæ classis hostile quid exerceri patiatur. Quod & ab isto accurate observatum; ac cum Sveci tres naves bellicas Dracoram misissent, Reuterus totidem eodem mittebat istarum actionibus speculandis. Unde Sveci Belgas suspectantes obtentu annonæ deficientis Landscronam repetebant, in ostio potius anchoris jactis in omnem eventum parati. Sed tres naves, quæ ad Dracoram jacebant, Mare Balticum ingressæ in navigium incidebant ex Holsatia veniens, quod Schackium, & Joannem Alfeldium Danicos Duces vehebat, jussu Regis Hafniam ituros. Qui captivi Malmogiam deducti Stenbockio custodiendi tradebantur. Sed qui cum illis è Fionia venerat, Walterus Vanius centurio Belgicus statim libertati restitutus, ac Hafniam dimissus est, velut jam pace inter Svecos & Belgas perfecta.

Vanius.

Svecorum consultationes super conditionibus pacis.

§. 19. Cum itaque jam tractatus successum viderentur, Svecici Commissarii inter se consultabant, an non satius sit articulum de solo æquandis recens extructis in Daniam munitionibus è formula excludere; quod Sveciæ quoque interesse Daniam ab aliis haut opprimi: id quod fieri posse, si ea munimentis exuatur, præsertim cum nunc ab exteris omnes ejusdem accessus sint explorati. Eorum conservationem sumtuosam Daniæ onerifore. Aliquando eadem fomenta dissensionum inter Regem ac Nobiles, ac inter hos & oppidanos præbere posse.

1660. poſſe. Eadem quoque Danis velut qualecunque ſolatium imputari poſſe pro malis per Svecos illatis. Ac ſi Dani utique velint, integrum ipſis fore eadem Svecis digreſſis inſtaurare. Circa Gvarantiam cenſebant, præſtare eam verbis laxioribus concipi, ne forte Sequeſtres ſibi quoque viciſſim aliquid ſtipulentur, eoque Sveciam ſuis litibus implicent. Et jam antea Galliam per rationes ſtatus ſui obligari ad conſervationem Sveciæ quærendam; quod & Belgis neceſſum ſit, ſi Elbingenſi pacto frui velint. In Anglia autem alias parum fiduciæ reponendum. Sed & haut conſultum eſſe Anglis ac Belgis occaſionem porrigi negotiis ſe maris Baltici ingerendi. Cœperant quoque Dani de arctiore cum Svecia fœdere jacere, velut Daniæ conſervatio amicitia & conjunctione cum Svecia nitatur. Sed metus erat, ne id aſtute ab iſtis inventum eſſet, diffidentiæ inter Belgas ac Svecos ferendæ. Unde & Tutores Regii iſtud plane adſpernabantur, memoria tractatuum nuperorum à Durellio, ac poſt pacem Roſchildenſem Hafniæ fruſtra ſuſceptorum. Deinde quia Dani Bornholmiam reſtituere, ac Gvineenſe debitum agnoſcere nolebant, dubitabatur, utrum ſatius foret pro illa Inſula & actione prædia Nobilium in Scania accipere, quæ ab ipſis Danis tribus uncialium millionibus taxabantur? an vero quinque minutas Norvegiæ præfecturas ad Glomam usque flumen poſtulare? Sane eas præfecturas Carolum Guſtavum vehementer deſideraſſe, velut ad ſecuritatem Sveciæ multum facturas, limite Sveciæ ac Norvegiæ deinceps in medio ejus fluminis futuro. Ac iſta occaſione elapſa nullam ſpem eſſe ea parte fines Sveciæ proferendi, quam nunc Terlonus oſtentarit. Sed quo minus iſtis præfecturis Norvegicis inſiſteretur, rationes erant, quod Fridericus Norvegiam velut patrimonium ſuum tanti æſtimaret, ut de Dania, quam illa, quid amittere mallet. Sæpius quoque Anglos, Belgasque teſtatos, ſe non toleraturos vel latum pedem Norvegiæ amplius decerpi. Ac eas partes ob Haldam, & Fridericiſtadium, ac vectigalia maximi à Danis æſtimari, cujus & portus Belgis hypothecæ titulo obnoxii ſint. Danos quoque rationem de ſecuritate in ſui favorem allegare poſſe, quod limitem ſuum ea parte amiſſuri ſint. Ac Sveciam tot per ſecula vetere limite tutam ſtetiſſe; quem nunc Bahuſium & Marſtrandia firmet. Igitur ſatius videbatur permutationem Bornholmiæ & debiti Gvineenſis cum prædiis Nobilium in Scania quærere. Carolum Guſtavum tanti æſtimaſſe poſſeſſionem eorum prædiorum ad ſecuritatem Sveciæ, ut millionem uncialium dare mallet, quam eadem Danis reddere. Et cum præcipui Nobilium Danorum prætoria ſua in Scania habeant, non poſſe non eosdem, ſi ibi habitent, machinari, ut aliquando Scania ad Daniam redeat. Nam etſi Regibus Sveciæ fidem jurent; ſtatuta tamen & indolem regiminis in Svecia ab iſtorum libertate admodum diſcrepare, ut non poſſint ita cum Svecis combinari, quin antiquum Regem ſint deſideraturi. Id quoque pro certo habendum, Danos perpetuo ſervaturos ſtudium eas provincias recuperandi, quicquid in contrarium promittant; cui fini præcipue inſerviat proceres ſuæ nationis ibi ſedere velut corycæos omnibus occaſionibus aucupandis Sveciam invadendi; quibus in proclivi ſit oppidanos, Sacerdotes, & agreſtes in ſuas partes pertrahere, ac ad comitia venientibus Secreta Regni expiſcari. Sed nec perpetuam illam duarum nationum repugnantiam, quæ in naturam tranſiiſſe videatur, unquam permiſſuram, ut ſincera Svecicam inter & Danicam Nobilitatem amicitia exſurgat. Quin verendum eſſe, ne uti Dani ſemper illecebris ſuis Svecos deceperunt, ita & nunc his conjuncti ſuam conditionem in Dania extollant, ut facile apud aliquos faſtidium rerum Svecicarum excitare queant, motuum in Svecia materiam. Poſſe quoque fieri, ut aliquis Sveciæ Rex offenſa in Nobilitatem Svecicam, vel pruritu novitatis, aut connubio cum Regina Danica favore Nobilitatis Danicæ captus hanc ad præcipuas Regni dignitates evehat velut ſibi ſubditam, ac pari cum indigenis jure gaudentem. Præterea ſi Dani prædiis ſuis iterum potiantur, Svecis inde migrandum eſſe: ita abo-

1666.

1660. oleri Caroli Guſtavi donationes, quæ cum in Boruſſia & Curlandia irritæ fuerint, multis querendi cauſam naſcituram, ſe ſanguinem ac laborem ſuum ſtrani charta vendidiſſe. Sane Regem inter dura hæc belli tempora & ærarii inopiam non potuiſſe miniſtris ſuis ſalario aut beneficiis ſatisfacere; unde iſtam viam remunerandi fuiſſe arripiendum; quæ cum citra prodigalitatem & cum ratione fuerit exercita, par eſſe Regis voluntatem valere. Alias Regno ingens onus incubiturum, cui neceſſum ſit futurum alia ratione bene meritis ſatisfacere, ni animis ægros protelare velit, ſuo exemplo multos averſuros, quo minus deinceps ſanguinem & vitam pro Svecia periculo gratis exponant. Quod ſi Dani Nobiles huic permutationi reluctentur opponi illis poſſe; æquum eſſe, ut & ipſi pro rata parte luant bellum, cui cauſam dederint. Ac ſi refuſione pro illis pociantur, ipſos lubentius migraturos, quam ſub inviſo Svecorum Imperio ætatem acturos. Eosdem & Gubernatoribus multum moleſtiæ daturos, eorumque deſtinatis ſe oppoſituros, præſertim ſi plebem à ſe pendentem habeant. Nec juramentum fidelitatis ab ipſis exigi poſſe, quamdiu in Senatu Daniæ, & eminentibus ejus Regni muneribus ſedeant, multo minus interdici illis poſſe, ne in prædia ſua accedant. Inauditum quoque apud alios ſtatus eſſe vicini Principis Conſiliarios, & præcipuos Nobiles in alterius Principis provincia domicilium habere, tali cumprimis, quæ olim ad alterum Regnum ſpectarit, & non aliud ſpiret, quam ut iterum ad idem revertat. Quamdiu iſti in Scania habitent, ipſis & provincialibus ſpem relinqui ad priſtinum dominium redeundi. Sed ſi omnes prædiis exuti fuerint, hanc quoque ſpem expiraturam, ac tanto ſecurius eam provinciam Sveciæ deinceps poſſidendam.

Ad rem demum accedituv.

§. 20. Cæterum quia Belgæ frigide admodum rem agebant, dum domo mandata expectant, Sveci de iſto lentore vehementer querebantur, Danum ita indulgenter haberi, cum ſecum tam rigide actum ſit. Sed jam confirmabant iſti, manda-

ta ſe accepiſſe, quibus nil præter 1660.
pacem urgere jubeantur. Unde Dani perſpiciebant, ſibi jam demum ſilentium eſſe abrumpendum. Nec tamen declarationem ſuam ſcripto, ſed per Commiſſarios edere volebant. Cui poſtulato Sveci acriter contradicebant; indignum eſſe Danis plus indulgeri quam ſibi. Ita demum Danus ſcripto declarabat, ſe citra moram ad tractatus acceſſurum, ac ſi quid in pacto Roſchildenſi mutandum ſit, id ſequeſtrium dexteritati à ſe committi. Ac jam Commiſſarios deſignaverat Olaum Pasbiergium, Axelium Uropum, & Petrum *Urop.* Rezium. Cæterum ſcripſerat Maza- *Rez.* zinus Terlono: Galliæ Regem non potuiſſe, quin per miniſtros ſuos publice urgeret, Sveco pro Nidroſia æquivalens dari. Conſultum tamen ſibi videri his temporibus, quibus tot hoſtes in Sveciam conſpirent, conſilia exigi non ad id quod deceat, ſed quod fieri poſſit; ac exigua jactura alibi egregia emolumenta conciliari, ne dum pervicaciter iniquitati temporum contra itur, longe majus periculum incurratur, quam quanti Nidroſia ſit. Sed & circa hanc Angli ſe Belgis opponebant, ne forte eandem pro factis ſumtibus ſibi retinere inſtituerent. Ac Sidneius citra ambages jactabat: rationis Angliæ non ferre, ut Belgæ Nidroſiæ pedem figant. Nam nunc una duntaxat claſſe ſibi adverſus iſtos opus eſſe: Belgis Nidroſiæ nidulantibus altera quoque in Scotia opus fore, quæ iſtorum actiones in Norvegia obſervet, ne inde ſibi in Scotia, aut Anglia Boreali noxa inferatur.

§. 21. Sic igitur Svecici Commiſ- *Tractatus incipiunt.*
ſarii Helſingora in caſtra revertunt; 24. *Mart.*
quo & ſequenti die Sequeſtres ex ur- 25. *Mart.*
be veniebant, novum ſecuritatis diploma pro Danis expoſcentes. Quibus tantiſper à Sulzbacenſi cavebatur, quoad juſtum diploma ex aula adferretur. Proponebat inde Terlonus de induciis, quas neceſſarias judicabat ad prævertenda omnia, quæ tractatus turbare poſſent. Tum per eas Duci Gottorpienſi ſpatium parari ad reſpirandum, qui nunc tota vi urgeatur. Sed Sveci reponebant: Danis hoc ipſo inſigne emolumentum naſci, dum per inducias libero commercio ac ſubvectione frui queant,

dum

1660. dum interea militi Sveco per otium cum inopia luctandum ſit. Ac mox Tutores Regis eas iniri vetabant, cum Danis per eas nil aliud quæratur, quam tempus extrahere, ac fraudes ſtruere; ac æque promte pacem quam inducias contici poſſe. Ac modo Belgæ auxilia ſubtrahant, ſe Danis compeſcendis abunde ſufficere. Duci Gottorpienſi ſuam calamitatem forti animo ſuſtinendam. Circa modum tractandi Sveci cenſebant, ſatius eſſe, ſi prius ipſi cum Sequeſtribus rem expediant, & poſt, ubi ſola articulorum adornatio reſtet, cum Danis congrediantur, ac una vice omnia expediant. Hanc enim eſſe breviſſimam viam rem conficiendi. Ac ſi per ſe cum Danis agant, facile exacerbationem animorum oriri poſſe, tractatibus impedimento futuram. Et alias utique ad Sequeſtres eundum, ſi quid controverſiæ inter Commiſſarios oriatur, quod componi nequeat. Sed Sequeſtres malebant partium Legatos congreſſos tentare, quousque progredi queant; ubi ipſis aqua hæreat, officia ſua ſe interpoſituros. Fremebat etiam Vogelſangus, Belgas tolerare non poſſe, ut Svecicæ naves quæ ante portum Hafnienſem jacebant, navigia annonam urbi ſubvehentia intercipiant. Sed quem acriter non Sveci minus, quam Sidnecius retundebant. Cur enim non liceat hoſtilia exercere adverſus hoſtem, nullis induciis factis? Ita tunc congreſſui finis impoſitus.

Capita pacis excutiuntur. 27. Mart.

§. 22. Acceſſum inde fuit ad capita pacis Roſchildenſis excutienda; cujus articulo ſecundo, quo unus in alterum fœdus inire vetatur, inter Svecos & Danos diſſenſio orta eſt, his contendentibus, offenſiva duntaxat fœdera prohiberi, non defenſiva. Nam defenſionem eſſe juris naturalis, & fas eſſe ab altero injuriam propulſare. Contra Sveci eam ſubtilitatem adſpernati nullo diſcrimine volebant, ne Dani quid in fraudem Sveciæ concludant. Nam ſi Dani ſincere rem agant, non eſſe quare heic querantur, cum Svecia ad idem ſe obſtringat. Neque iisdem licentiam adimi fœdera ineundi, quando placeat, modo nil contineant Sveciæ infeſtum. Nam ut ſocii defendantur, & aliquid ad ſui tutelam ſine alterius præjudicio concludatur, usque adeo à ſe non improbari, ut jam ipſi fœdus guaranticum cum tribus ſtatibus agitent. Cæterum id à ſe obſervari, Danos integrum ſibi eſſe cupere, ut ſtatim atque Sveci cum quopiam bello collidantur, iſti his ingruere queant eo duntaxat prætexto, quod ipſi hoſtium Sveciæ fœderati ſint; idque ſibi hujus virtute articuli, qui defenſiva fœdera permittat, fas eſſe: nec hoſtile quid ſibi cum Svecia intercedere, ſed facere non poſſe, quin ſociis ſuis aſſiſtant. Prorſus uti Belgæ poſt infeſtiſſima quæque patrata hoſtes Sveciæ audire noluerint. Sicuti & antea cum Dani fœdus cum Auſtriacis iniiſſent, Gerdorfius Bildio ſcripſerat: Daniæ Regem fœdus concluſiſſe cum Auſtriacis nomine defenſivum, reipſa offenſivum. Cæterum Svecos pacem infucatam cupere, ac ni hæc diſtinctio elidatur, Danos ſtatim poſt factam pacem Sveciæ iterum arma inferre poſſe, ſi huic in bellum adverſus Auſtriacos deſcendere placeat, obtentu ſumto, fœdus ſibi defenſivum cum Auſtriacis intercedere. Sed Dani id caput ad deciſionem ſequeſtrium rejiciebant; qui pronuntiabant, ſe idem cum Svecis ſentire, ne hos iniquum poſtulare.

Dani & Belga vincantur. 28. 29. Mart.

§. 23. Duobus ſequentibus congreſſibus nil profici potuit ob inconſtantiam Danorum, qui initio eum tractandi modum probarant, ut capita pacti Roſchildenſis ordine percurrerentur, & concinnarentur. Sed poſtera die ferebant, Regi ſuo expeditius videri ad pacem accelerandam, ſi Sveci una vice totum projectum edant, quod cum ſenatu ſuo perluſtrare, ſuumque reſponſum ad id depromere queat. Quod etſi Svecis negotio extrahendo repertum videretur, quia tamen Sequeſtres idem poſtulabant, projectum exhibeant; quod hi cum Danico conferre, & ex utroque unum concinnare conabantur. Heic Belgæ poſtulabant, ut Danus penſandis damnis Bornholmiam recipiat, abolito quoque debito Guineenſi. Id quod tam Sveci, quam Gallus & Angli repudiabant. Inſtabant quoque Sequeſtres, ut Ulefeldius amneſtia includeretur. A quo Legati Sveci haut alieni erant, ut dextre virum iſtum amolirentur, ſi viderentur ob Sequeſtrium interceſſionem ipſi admiſſa condonaſſe. Etſi Tutores Regii eundem amneſtia comprehendi nollent, velut ſubditum Svecicum in gratiam

1660. tamen Sequeſtrium pœnam mitigaturi erant viro quantumvis male merito, cum ipſe Svecorum ope bona ſua recuperaſſet. Inter hæc cum Belgæ ſubinde fremerent, ante ora ſuæ claſſis navigia Hafniam tendentia per Svecos abripi, hi naves ſuas obtentu penum reparandi Landseronam ſubducebant. Id quod Belgæ velut è diffidentia ortum interpretabantur; cum tamen animus ſibi ſit candide cum Svecis agere, ut ſi maximè ſiniſtrorum quid mandatorum domo accepiſſent, id in anteceſſum denuntiaturi fuerint. Idem porro ceſſionem Bornholmiæ, & debiti Guineenſis urgere haut deſiſtebant, adſpernantibus licet velut rem novam reliquis ſequeſtribus, & Thuano Hagæ acriter contranitente. Et cum aliquandiu eam in ſui gratiam fieri poſtulaſſent, demum in minas erumpebant: ſe claſſi ſuæ imperaturos, ut rem in Svecos gerat. Sveci ut iſthoc ſibi ſcripto conſignatum tradatur poſtulabant, quo toti orbi ipſorum importunitatem, & iniquitatem demonſtrare queant. Sed huc deſcendere Belgæ abnuebant. Enimvero iſte procedendi modus Anglis & præcipue Sidneio, tum & Terlono vehementer diſplicebat, quo nomine & aſpere in Belgas invehebantur. Id quod Svecis partim utile erat, ne Belgæ pro libidine graſſari poſſent, partim damno cedebat, quod negotium hoc modo extraheretur. Sed nec Dani in permutationem prædiorum Scanicorum pro Bornholmia & Guineenſi debito conſentire volebant. Denique & Angli in concluſione pacis penſationem ſumtuum à ſua Republica in hoc bellum factorum exigebant. Quod poſtulatum initio Svecos valde terrebat. Sed Angli declarabant, nil aliud ſe capere, quam ut à Svecis ea verba paci inſerantur: quia Anglia Sveciæ à tot bellis circumventæ, quos ipſa nunquam offenderit, familia miſerit, hanc nunquam memoriam benefactorum amiſſuram; quæ recognitio nobiliſſimum genus penſationis ſit, quam generoſæ animæ deſiderent: nec Sveciam unquam negleſturam Angliæ paria amicitiæ ſpecimina exhibere, ſi hæc iſtis opus habeat, & quantum ipſa poſſit. Aliud redhoſtimentum Angliam haut deſiderare à Regno tot bellis exhauſto. In quem ſenſum Sveci Anglis ſeparatum ſcriptum offerebant. 1660.

§. 24. Inter hæc lente admodum negotium pacis cedebat ob ſequeſtrium inter ſe æmulationem, & quia ab his nova ſubinde poſtulata proferebantur, quæ Regna pacificentia non tangebant. Ex quo genere erat æqualitas, quam tres ſtatus pro ſuis civibus in Svecia inter ſe ſtipulati fuerant; quam Belgæ huic tractatui inſeri volebant. Tum ut expreſſis verbis articulus tertius pacis Roſchildenſis aboleretur. Sed & nova difficultas ſurgebat, Svecos non parum perturbans. Quia enim pacto Elbingenſi Sveci Belgæque mutuum invicem auxilium promiſerant, Angli ſcrupulum inde movebant; num ſi ipſi cum Belgis in bellum incidant, Sveci ex eo fœdere Belgis ad auxilium adverſus ipſos ferendum teneantur? Unde à Svecis declarationem exigebant, Inſtrumento pacis inſerendam; pacificentium mentem nunquam fuiſſe pacto Elbingenſi ſe obſtringere adverſus ullum è Sequeſtribus, ſi inter hos bellum naſcatur. Sveci quid heic faciendum dubitabant, ne vel publica declaratione Belgas protelarent, qui pactum Elbingenſe eum in caſum porrigi volebant; vel negatione Anglos offenderent, aut tractatum remorarentur. Privatim tamen Sidneio teſtabantur; id pactum haut quidquam à Rege directum fuiſſe adverſus Gallos & Anglos velut amicos, & tunc bene meritos; qui & eodem comprehenſi ſint. Quin id pactum præcipue conſervationem commerciorum ſpectare. Cæterum Sveci ſpinoſam iſtam materiam ſummo ſtudio declinare ſtudebant; & ſi Angli ulterius urgerent, eam remiſſuri Hagam erant, ne ad eum ſcopulum pax Danica adhæreſceret. Aut ſi id non ſuccederet, Sidneio ejuſmodi cautionem in ſecreto daturi erant: quod Svecia utique intereſſet litibus illis haut involvi, quæ inter eas nationes germinare videbantur. Belgæ quoque à Danis ſatisfieri ſibi pro ſumtibus in bellum erogatis jam poſtulabant: id quod Sidneius hoc modo eludere volebat, ut pari modo Svecos ſatisfactionem nomine Reipublicæ Anglicanæ pro factis impenſis poſceret, quam poſtea publice inter tractandum remiſſurus erat, ut Belgis eadem neceſſi- *Sequeſtrium inter ſe æmulatio.*

28. *Nov.* 1659.

1660. ceſſitas foret. Sane juſſerant Tutores Regii, ne quid ſatisfactionis à Danis Belgæ ſibi ſtipularentur. Tum ut Legati demonſtrarent, Nidroſiæ ceſſionem haut eo fine factam, ut Danis ſatisfactio detur, quæ nulla iis debeatur, velut qui cauſam bello continuando dederint; ſed id factum amore pacis, & in gratiam ſequeſtrium, qui ſua nonnihil intereſſe putaverint, ac ut partem incumbentis Sveciæ oneris amolirentur. Ac fruſtra Danos eſſe, quod poſtulata ſatisfactione culpam belli renovati Svecis impingere inſtituant; cum ſibi abunde cauſarum ſit Danos refuſionem damnorum poſcendi, quæ ſane ingentia per Boruſſiam & Pomeraniam perpeſſi ſint. Sed & indies inter Sequeſtres gliſcebat æmulatio, quod Belgæ valida claſſe ſuccincti omnia pro libidine tempore cuperent, exigua Galli & Anglorum autoritate velut inermium. Unde cum Belgæ formulam pacis à ſe concinnatam Gallo Anglisque offerrent, hi eo facto valde offenſi, quo talia præverterent, conventionem formabant, ne quid in præſenti negotiatione agatur, ac validum ſit, niſi unanimi Sequeſtrium conſenſu perfectum; utique cauſa Guineenſis ad arbitrium ſuorum ſuperiorum rejiciatur. Eam conventionem Belgæ ad ſubſcribendam oblatam repudiabant velut ſuperfluam, cum conventione Hagenſi ſatis obligentur; nec ſe in id arbitrium conſentire poſſe. Daniæ oneri futurum.

Belgarum inſolens factum.

§. 25. Enimvero Sequeſtrium diſſenſiones, quæ hactenus intra modeſtiam verborum ſteterant, jam inopino Belgarum facto in exprobrationes hoſtibus ſolitas erumpebant. Ordines fœderati Svecorum declaratione haut contenti, cum poſt Reuteri à Landscrona diſceſſum apud Svecos deſiderium pacis exoleviſſe crederent, per iterata Mandata Legatis ſuis in Dania injunxerant, ut ſi Sveci pacem nondum acceptaſſent, omni mora ſepoſita ex Hagenſi conventione vi illos compellerent. Quæ mandata hi ſtricte ſe executuros jactabant. Porro Svecica claſſis Landscronenſem inter portum ſecura agebat, ſed quam Reuterus ante Hafnienſem portum conſiſtens juſſus erat obſervare, ac omnem vim opponere, ſi quid tentaret. Sveci igitur, utut aliquoties moniti ne Belgis fiderent, freti conventione cum hiſce inita ſuper ceſſatione hoſtilitatis; ac navigandi libertate, cujus inſtrumenta ſolenniter permutata fuerant, portu Landscronenſi prodibant. Novem bellicæ naves erant, una mercatoria, & exigua celox, ſuppellectilem Regiam Holmiam vecturæ; quæ ſub Huena anchoris jactis biduum jacebant ſecundum ventum expectantes. Legati Belgici hoc animadverſo Cornelium Evertſonium in Oreſundam cum ſeptem navibus mittebant, ſi eo curſum verterent, obſtiturum. Sed ſi in Balticum Mare tenderent, Reuterus ſe iisdem objecturus erat. Sveci ſecundum nacti ventum levatis anchoris præter Hafniam vela faciebant: ſed cum ad brevia apud Saltholmiam perveniſſent, Reuterus literas ad præfectum claſſis Svecicæ mittit à Legatis conceptas, queis poſtulat, ut iſto in loco anchoras jaciant; ſi longius progredi conentur, ſe ipſis obſtiturum; ne quid forte ab iſtis tentetur Svecicorum Legatorum declarationi, ac præſentibus tractatibus fraudi cedens. Sveci inopina re perculſi, cum aliquandiu quid facto opus eſſet dubitaſſent, Reutero per globum machina emiſſum denuo monente, demiſſis velis poſt mutuam ſalutationem anchoras jaciebant; cum pugnam adverſus validiores ſumere loco iniquo temerarium eſſet. Evertſonius, qui ex Oreſunda Svecos vela facientes inſecutus erat, ſtationem inter hos & Landscronam capiebat, ne in iſtum portum regredi poſſent. Ac poſtera die Reuterus propius movens Svecos velut indagine cingebat. Eo conſpecto è rotunda Hafniæ turri Hubertus & Harenus Belgarum Legati ſtatim ad Reuterum pervecti mandatis eum inſtruebant; ſimul Svecico præfecto denuntiant, iſthoc à ſe paci promovendæ factum, ac nullo modo id noxæ ipſi fore. Cauſa porro ejus detentionis fuerat, quod Belgæ metuerent, ne iſtæ naves poſt pacem in Boruſſia concluſam copias inde in Daniam adveherent, eluſa pace Danica, ſimul pacto Elbingenſi & Elucidationibus retractatis. Cui ſuſpicioni anſam præbuerant, quæ à Sidneio circa id pactum nuper mota erant Svecorum, uti Belgæ credebant, inſtinctu. Id porro factum non Svecos minus, quam Gallum Anglosque offendebat, qui & in os ipſis perfidiam exprobra-

1660. *Everſon.* *Saltholm.* 25. *April.*

bant; quod tam ſolenniter ceſſationem ab omnibus hoſtilibus promiſiſſent, addito, ſi forte à ſuperioribus contraria mandata acceperint, ſe iis Svecis quatuordecim dies ante ſignificaturos. Nunc Svecos fide ipſorum confiſos tam flagitioſe oppreſſos eo ipſo tempore, quo in loco tractatuum cum his agebant, & ex aſſe ſibi ſatisfactum profiterentur, ſic ut de pace non amplius dubitandum eſſet. Ea ſuper injuria Sveci ad reliquos Sequeſtres querelam deferebant: quæ literæ Terlono reddebantur eo ipſo tempore, quo Belgæ apud ipſum convivabantur: qui bile inflammatus in aſperam jurgium erupit, perfidiæque ac degeneris flagitii convitio iſtos adſperſit. Belgæ quod in facinoris ſui excuſationem proferrent, nihil habebant, quam permittendum fuiſſe ſuæ claſſi, ut rem adverſus Svecos gerat, pacem abnuentes; cum tamen pridie à congreſſu horum Hafniam reverſi eorundem in pacem promtitudinem laudaſſent, faſſi, ſe ab iis nihil amplius deſiderare poſſe. Nec minus ſidneius in perfidiam ipſorum declamabat, jam antea acriter pro Svecis adverſus Belgas certare ſvetus: ac iſthoc facto Galliæ Angliæque non modicam contumeliam illatam, quam inultam paſſuræ haut ſint, paulo minus quam bello Belgis indicto. Simul curſores ad ſuperiores ſuos mittebant. Aſt Belgæ hoc facto non contenti aliam iniquitatem addebant, dum inſciis & inconſultis Gallo, Anglisque Svecis formulam pacis mittunt, velut penes eos ſolos foret leges ferre, quas repudiantes bello ſint invaſuri, nequidquam Gallis Anglisque indignantibus. Ea formula inter alia volebant, articulum tertium pacis Roſchildenſis abrogari, ac ſibi juxta, Gallisque & Anglis integrum fore cum navibus bellicis Oreſundam tranſire. Tum ne Sveciæ Rex quocunque prætexto ullum onus in Oreſunda tranſeuntibus imponat.

Sequeſtrium diſcordia pacem moratur.

27. April.

§. 26. Venerunt inde Terlonus & Angli ad Svecos teſtati, nil commercii ſibi aut colloquii cum Belgis fore, antequam hi tam fœdum flagitium reparaſſent. Simul proponebant, ut ipſi cum Danis tractarent ſolis Gallis & Anglis Sequeſtribus, excluſis Belgis, qui hoc facto Sequeſtrium officio abeundo ineptos ſe reddiderint. Ac Danum optare quamprimum cum Svecia tranſigere, utque tractatus Belgarum arbitrio ſubducatur, quorum moroſitati perferendæ, contumeliisque devorandis dudum pertæſum ſit. Sveci uti gaudebant Danos tandem aliquando pacem bona fide velle; ita quid hoc caſu expediret dubitabant. Nam ſi Belgas excluderent, metuendum eſſe, ne in bellum res erumpat adverſus jam armatos, & viribus maritimis prævalentes. Aſt ſi officio eorum uti pergerent, nil ſalutare ab ipſis expectandum erat, qui & alias in hoc negotio ſuum commodum, non Regnorum quæſierant. Sed nec ferri inſolentiam illorum poſſe, qui non Sequeſtrium more agant, ſed pro Imperio leges præſcriptum eant, ac rationibus inſuper habitis horrida juſſa Ordinum Fœderatorum crepent. Iidem tamen ad querelam ſuper detentis navibus reſponderant: non quæri per eam damnum ut injuriam Sveciæ, ſed promotionem pacis, & ne quid interveniat, quod hanc turbare poſſit. Poſt aliquot dies denuo literas ad Svecos dabant, queis petebant, ut Sveci cum ipſis iterum congredi velint paci perficiendæ; exprobrantes, quod cum Gallo & Anglis ſoli concurſent, nec obſcure hoſtilia minati. Quibus Sveci reſpondebant de ſuo in pacem ſtudio, & quam perverſe hactenus à Belgis actum ſit magna cum pacis remora, quam nunc actu plane perfido, ac fœdo hoſtili modo ſuſtulerint. Ea tamen lege ſe iſtos ad tractationem admiſſuros, ſi naves detentas relaxent, ac tam atrocem injuriam reparent. Eo reſponſo irritati Belgæ jam naves detentas oppugnare, & bellum Sveciæ facere conſtituerant, ni Dani diſſuaſiſſent, ne bello recrudeſcente miſeriæ ſuæ in longum adhuc producerentur. Interim gliſcente inter Sequeſtres exacerbatione, cum Gallus Anglique Belgarum congreſſus abnuerent, velut qui fidem violaſſent, negotium pacis vado adhærebat, Svecis inter ſacrum & ſaxum ſtantibus. Nam ſi ſoli Gallo Anglisque adhærerent, repudiatis Belgis, naves detentæ perierant, ac Belgica claſſis in promtu erat ipſis invadendis irreparabili Sveciæ damno, pace Olivenſi

1660

26. April.

4. Maji.

non-

1660. nondum executioni data. Et quanquam Gallus & Angli ample auxilia pollicerentur, iis tamen innitendum non erat, quod ſine mandatis privato è ſtudio loquerentur; ac valde dubium erat, num Mazarinum libido bellum cum Belgis ſuſcipiendi ſubire poſſet, à quibus Gallia hactenus tot ac tam craſſas injurias inultas deglutierat. Ac parum ſpei de ſolido auxilio vacillans Angliæ ſtatus relinquebat; quæ & ſi vel maxime ſerio rem agere vellet, forte ſerum auxilium allatura ſit, poſtquam Belgæ præſentes & parati magnam Sveciæ cladem intuliſſent. Sed Belgarum officio admiſſo reliqui duo offenſi à Svecis disjuncturi ſe erant, qui ſoli Sveciæ amici ejus commodis ſtudebant. Quos ubi ſemel ſe ſubduxiſſent, haut facile dabatur iterum allicere. Belgis interim plus facultatis nactis in Sveciam virus ſuum evomendi, quid nupera reconciliatione parum mitigatum reperiebatur. Equidem Hannibal Seeſtedius, qui inter iſtas turbas heic ſe negotio ingerere cœperat, id temperamentum proponebat, ut Sveci Danique congreſſi inter ſe ſolos rem tranſigerent, ſed & id ipſum altioris indaginis videbatur. Nam dubium valde erat, num Dani eousque à Belgis ſe disjuncturi eſſent, quibus tam arcte innectebantur. Nec minus hac occaſione Dani uſuri erant ad quasdam conditiones ſibi proficuas ſtipulandas.

Sveci & Dani citra Sequeſtres tranſigunt

§. 27. Cum tamen neque diſcordia inter Sequeſtres ceſſaret, ac Belgæ infenſa ſpirare pergerent, quorum importunitatem jam Dani juxta ac Sveci deteſtabantur, Hannibale Seeſtedio parario brevior via initur negotium componendi. Nam & Svecis pax neceſſaria erat, & Dani bello extracto de corio ſuo luſum iri perſpiciebant. Igitur mutuo concedendo promtum negotio finem imponere inſtituunt; ac uti Danus pro Bornholmia Svecis Nobilium prædia in Scania annuebat, quibus ipſe aliunde ſit ſatisfacturus: ita viciſſim Sveci debitum Guineenſe
7. *Maji.* remittebant. Quo nomine per literas hiſce gratias agebat Fridericus Rex, grato ſe id animo agniturum teſtatus; ac alia officia ab ipſis expectare
15. *Maji.* favore Regio excipienda. Inde & ſecreti articuli adornabantur; ut Cornificio Ulfeldio bona ſua in Dania reſtituantur, isque cum conjuge ſua tuto in Dania habitare poſſit, ut tamen prius litem, quæ in Svecia ipſi intentata ſit, ad finem perducat: ut Ebboni Ulfeldio in Dania ſatisfiat: ut tapetia in Svecorum contumeliam facta aliis coloribus inducantur: ut *jus feciale* & *Manifeſtum Danicum* ſupprimantur, nec in poſterum unquam recudantur: ut libelli famoſi in Dania ſcripti, editique aboleantur; qualis erat, *ſpeculum fidei Danica, perfidiaque Svecica*; ac *Diſſertatio Politico-Hiſtorica de detentione Legati Svecici Hafnia*, & ſimiles, autore Gundæo Roſencrantzio in lucem protruſi; utque iſtorum ſcriptorum autoribus nunquam poſthac ullo congreſſu, ubi communia Regnorum negotia tractantur, adeſſe, multo minus præſentia pacta ſubſcribere, aut obſignare integrum ſit. *Gunde Roſencrantz.*

Sequeſtrium perverſa officia.

§. 28. Sic igitur paucos inter dies tractatus inter ſolos Svecos ac Danos abſolvebantur, poſtquam utrinque ſerium pacis deſiderium ſubiiſſet; cum per Sequeſtres negotium moleſtis tricis involutum vix unquam ad exitum deducendum videretur. Sane Angli pacem ita cito procedere nolebant, quod Belgarum claſſe alibi diſtricta ſibi ab his nil periculi immineret. Sed & Sequeſtres plane præter morem negotium pro ſua libidine temperabant, nunquam Svecis aut Danis communicato quid agitarent. Svecicam formulam ſibi traditam nunquam curaverant, nec horum rationes expendere dignati erant: Alias formulas ultro concipere auſi erant ſubinde in deterius vergentes, quas Svecis obtrudere conabantur, utut ſuper illis inter ſe parum concordes eſſent. E Svecica formula ſedecim articulos, eosque præcipuos expunxerant, ad vectigal Oreſundicum ſpectantes, fontem omnium cum Dania litium: quas radicitus tolli nolebant. Contra multa de propriis commodis infercire cupiebant, quæ Sveciam non tangebant. Tali modo res extrahebatur, vix ulla honeſti exitus ſpe. Ne tamen Sveci 15. *Maji.* Sequeſtres plane abdicaſſe viderentur, congreſſum iterum cum iis inſtituebant. Sed cum hi tempus inanibus ſermonibus tererent, ac Sveci, ut aliquod operæ pretium fieret, urgerent, aſpe-

1660. asperis verbis iisdem occurrebant: ni pati velint ipsos negotium persequi uti cœpissent, se discessuros, aut formulam oblaturos, intra quatuor horas ab istis subscribendam. Eo majore studio Sveci ad pacem tendebant, ut tandem aliquando imperiosos Sequestres amolirentur. Nec ideo tamen Sidnejus negotium turbare desinebat, quo Belgis ægre faceret, missa ad Svecos formula tractatus cum Anglia, multis indignitatibus referta, quæ nisi admitteretur, pacem Danicam à se subscribi posse negabat, quæ in fraudem Angliæ reduntatura sit, ni prius super genuino sensu pacti Elbingensis conveniatur, quod pariter cum pace Danica erat ratificandum. Sveci contra defectum mandati excusabant, demonstrato simul, id pactum Angliæ fraudi non esse, velut quæ isti includatur. Sed quia Anglo nihil propositum, quam pacem morari, quicquid rationum ingereretur, surda aure transmittebatur. Etsi non Sequestres solum, sed & Cæsar pacem Danicam turbare nitebatur, qui etiam post pacem Olivæ conclusam Dano septem militum millia offerebat, suis sumtibus alenda, quamdiu Dania iis indigeat. Sed & Legati Danici Hagæ apud Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem tunc in Regnum revertentem instabant, ut Anglicis Legatis mandata in Dania favorem darentur. Sed qui reponebat; se nil circa hoc negotium statuere posse, quoad è consilio status in Anglia intellexerit, quibus rationibus decreta ipsorum nitantur. Inter hæc igitur pacis obstacula Svecis decretum erat, si Dani cessim eant, Insulas Danicas funditus evastare, Nascovia, & Cronenburgo ad extremum defensis.

Pax Danica concluditur.

§. 29. Sed jam demum pax ista tamdiu extracta coalescebat; ad quam amplectendam Danos præter alia etiam movebat, quod ipsis destitutis pax Olivæ confecta esset. Nec minus Anglici Legati eam perfici cupiebant, quod revertente in Regnum Rege Carolo II. sua mandata essent expiratura, ipsique adeo re infecta inglorii redituri. Nec minus Svecos movebat ejus Regis reditus, ne forte ob propinquam cognationem in Danum inclinaret. Quæ ratio & apud Belgas valebat. Contra Dani, belli malis exhausti, quod spes ab Angliæ Rege in longum promineret, rebus domi nondum constitutis, certam pacem incertis bellorum eventibus præferebant. Omnibus itaque jam absolutis circa restitutionem oppidorum disceptabatur, quibus præsidia demum post ratificationem factam deducere Sveci volebant: Dani contra initium evacuandi oppida post subscriptionem fieri cupiebant. Id quanquam Svecis anceps videbatur; tamen quia Dux Gottorpiensis Tœnningæ in angustum redactus erat, mora interposita ad iniquas conditiones adigendus, consensere Sveci, ut aliquot post subscriptionem dies, castris ad Hafniam sublatis, & reddita Nicopia Falstriæ, Tœnningæ obsidium solveretur, Danicis copiis è tractu ad Eidorum, & Husum, abductis. His conventis Belgæ promtos se permutandæ ratificationi Elbingensis pacti ferebant, oblata Svecicarum navium relaxatione. Sveci ratificationi se paratos ferebant, amicitiæque in futurum colendæ, si Belgæ ejus specimen prius exhiberent, redditis navibus. Quod & reliquis Sequestribus communicabant, eosque ad simultates deponendas hortabantur, ut aliquando negotio finis imponeretur. Ita demum die vicesima septima Maji instrumenta prius collata hora quinta post meridiem à Sequestribus, inde à partibus subscribebantur. Postera die Belgæ Svecicas naves liberas dimittebant, quas vela facientes displosis tota classe machinis salutabant. Mox & instrumentum Gvarantiæ cum tribus statibus conficiebatur. Simul Sveci declarabant, se à trium statuum subditis nullum vectigal in Oresunda exacturos, velut qui nunquam id onus probarint, nisi quod in partem venire velint ejus pecuniæ, quæ pro alendis nocturnis ignibus pendi svevit. Circa causam Holsaticam ante biennium Hafniæ inita firmabantur. Pace facta Regi Friderico mors Caroli Gustavi solenniter denuntiabatur; simul secreto articulo abolebantur nummi à Danis in contumeliam Svecorum cusi. Quatriduo post pacem conclusam Palatinus Sulzbacensis copias Svecicas, (tria bellatorum millia erant,) castris ante Hafniam eductas in aciem disponebat, turba certatim ex urbe ad id spectaculum confluente; unde post festivam displosionem Roschildiam movebat, libertate urbi per biennium fere obsessæ reddita.

Tœnning. 5 m. *Eidor.* *Husum.* *27. Maji.* *28. Maji.* *2. Jul.*

§. 30. Pau-

Castra Suedica ad
HAFFNIAM,
Figi cæpta d 29. Octobr An. 1658. et soluta d 27. May An. 1660
quibus Haffnia Metropolis Daniæ et Regum sedes vno Anno sex mensibus et
27 diebus obsessa fuit
Accuratissime delineata per E. I. Dahlbergh L. General. Ceptiver Mat.
Notarum Explicatio.
1. Ser. Regis Suecor. Status primarij. 2. Aurea Domus pro S. R. M.ti an Arcuata
3. Status Excell. Dn. Comitis Marschalli Com. Stenbockij. 4. Celsiss. Principis Palatini
Sultzbac. cum Statu 5. Excell. Dn. Com. Erici Stenbockij supremi Regi tormentarij
Præfecti Statio. 6. Excell. Dn. Gen. Gustavi Banerij Statio. 7. Ex. Dn. Com. Caroli
Lewenhaupt Statio. 8. Excell. Dn. Gen. Comitis Claudij Tott Statio.
9. Templum Pagi Brønshøi
Agri elatiores
Scala 80. partes Rhinl.

Digitized by Google

1660. *Pax cum Moscis concluditur. Cardis.*

§. 30. Paucis quoque de pace cum Mosco concluſa agendum, cui pertractandæ locus Cardis vocabulo in finibus Eſtoniæ & Dorpatenſis diſtrictus placuit. Primo congreſſu Moſci jam de morte Regis inaudierant, etſi Sveci id adhuc inficiarentur. Moſci loca Livoniæ à ſe occupata retinere, Sveci eadem reſtitui volebant. Sed cum mors Regis diutius diſſimulari non poſſet, Sveci eam Moſcis ſolenniter denuntiabant; his poſtea ſolandi officio defungentibus. Congreſſu inde habito Sveci ferocius ſolito ſe jactabant, ne ob mortem Regis animis concidiſſe viderentur. Ac cum orta diſceptatione Moſci demum ſcripto peterent declarari, ſibi utique decretum partes Livoniæ recuperare, Sveci ſine mora eam declarationem Moſcis tradebant; quam hi ſe Czari miſſuros ſignificabant. Interim placebat Legatos utrinque in eodem loco morari, ne repentino diſceſſu tractatus abrupti viderentur. Poſt complures dies in diverſa diſcedebant. Legati, Moſcis denuo pecuniam pro oppidis Livoniæ offerentibus. Abibat inde in Sveciam princeps Legationis Sveciæ Benedictus Hornius, menſe demum Decembri Revaliam reverſus. Nec multo poſt Moſcici Legati Dorpatum acceſſere non leve deſiderium pacis præ ſe ferentes. Primo congreſſu mutuæ querelæ jactabantur de iis, quæ adverſus inducias acta arguebantur. Ac inprimis Moſci Magnum Gardium graviter accuſabant, quod tractatu Olivenſi Czarem Magni Ducis vocabulo nuncupaſſet; quod horrendi inſtar criminis ſit. Ad id Sveci reponebant; eum tractatum cum tertio agitatum: conveniſſe autem inter Svecos & Moſcos, quales ſibi invicem titulos tribuere debeant, non autem quibus utendum ſit, ubi cum tertio agatur. Tum linguaLatina cumPolonis actum, quæ non aliud vocabulum, quam Magni Ducis ſuppeditet. Ac ſi nova Latinitas fingatur, cæteros inanem ambitionem riſuros. Moſci contra omnes autores Latinos ſtultos pronuntiabant, quod tanto Principi ſplendidius nomen tribuere haut poſſent. Sveci contra querebantur, Regi ſuo à Czare titulumDucisLivoniæ denegari. Poſt multam diſceptationem Sveci declarabant, ſe haut longius tractando progreſſuros, ni Moſci teſterentur, priora pacta fore ſarte tecta, & loca Livoniæ reſtituenda. Circa reliqua facile tranſigendum. Moſci contra novum plane tractatum formare maluerant, retentis, quæ à prioribus ſibi arriderent. De cætero locaLivoniæ redditurі, ſi Ingriam recipiant. Quod à Svecis rejectum. Sequentibus congreſſibus cumSveci ante omnia reſtitutionem Livoniæ poſtularent, citra quam haut longius ſint progreſſuri, Moſci quidem verbis laxioribus inſinuabant; ſi Sveci caveant, ſe novi nil petituros, circa ceſſionem Livoniæ quod æquum ſit ſe facturos. Huic ambiguo reſponſo cum Moſci inhærerent, Sveci diſceſſum minabantur, quodMoſci negato ad æquiſſimum poſtulatum reſponſo animum paci averſum ſatis indicent. Igitur demum poſt longam tergiverſationem Moſci gradatim hinc & inde aliquot Nobilium prædia cedere incipiebant, adjecta è munitis oppidis Adzela. Sed Sveci hac cum declaratione diſcedebant, ſe ad alium conventum haut acceſſuros, ni Moſci in plenam reſtitutionem conſenſerint. Sed Moſci eo haut acquieſcentes utique tentare volebant, quousque progredi poſſent. Igitur Sveci, ut Moſcis ſcrupulum injicerent, ſequenti congreſſu non reſtitutionem ſolum partium Livoniæ, ſed & æquam ſatisfactionem pro injuria & damno dato, velut cautionem de non amplius turbando, ſimul ut omnia gravamina tollantur, poſtulabant. Moſci contra nullo modo in reſtitutionem conſentire volebant, ni caveretur, Svecos hac ſola contentos fore, nulla amplius ſatisfactione exacta. Cum Moſci obnixe hiſce inhærerent, Sveci iisdem ad reſtitutionem compellendis, poſt deducta Moſcici belli damna in ſatisfactionem poſtulabant Careliam Moſcicam, Kargapolam, & Lapponiam Moſcicam, cum millione uncialium. Moſci contra refuſionem damni ſeponi volebant, quoad ſuper reſtitutione Livoniæ tranſactum foret; cujus nonnulla loca minoris momenti primum, inde cum Sveci de Carelia remiſiſſent, Dorpatum offerebant; contra Kakenhuſam, Mariæburgum, Neuhuſam & Waſchnarvam retenturi; ac dejerabant, ſe nil amplius in mandatis habere. Sveci contra tali modo pacem ſperari poſſe negabant; ac intutum juxta atque inglorium ſuo Re-

30. Mart.
31. Mart.
5. April.
6. Maji.
23. Mart. 1661.
1660.
13. April.
Adzel.
5. April.
Neuhuſ.

1660. gi, ab iſtis quatuor loca limitanea retineri. Ad iſta extrema cum perventum eſſet, Moſci interrogabant, num Sveci temperamenti quid proponere ſcirent, quod ad præſentis negotii compoſitionem faciat. Sveci non aliud conſilium ſe noſſe ferebant, quam ut amico modo diſcedatur, ac ſe valedictioni diem velle dicere. Eo reſponſo Moſci non parum turbabantur, præſertim cum quædam copiæ è Svecia in Livoniam miſſæ eſſent ad terrorem Moſcis incutiendum. Cum igitur Moſci perſpicerent, Svecos diſceſſum agitare, id duntaxat dilationis petebant, ut curſorem Moſcoviam mittere poſſent ad nova mandata petenda. Id quod Sveci poſt longam tergiverſationem permittebant hac cum exceptione, ni alia interim mandata ſibi adferantur, ac ut intra menſem reſponſum adſit. Eo ſpatio elapſo Legatorum congreſſus repetebantur. Ubi Moſci primo fingebant, mandatum ſibi quatuor iſtis locis haut cedere. Sed inſtantibus Svecis Kakenhuſa primum & Waſchnarva, poſtridie Mariæburgo, demum & Neuhuſa cedebant. Obtenta Livoniæ reſtitutione Sveci ſatisfactionis loco millionem uncialium affectabant, non ſine minis jactantes, tot hoſtibus ſe pares fuiſſe, ac nullum ſibi amplius ſupereſſe. Moſci contra progreſſus ſuos in Lithuania à Svecis inhibitos acriter querebantur. Poſt tridui altercationem, cum Moſcis nihil extundi poſſet, Sveci dicebant, ſe eam prætenſionem ſibi reſervare; interim perſpecturos, quam æquos ſe Moſci circa reliqua capita exhibituri ſint. Nam ſcrupulum iſtis injecerant, quod Poloni cum Moſcis pacem decreviſſent, Smolenſcio hiſce relicto. Ita ad alia capita accedebatur, ut tamen res iterum parum à ruptura abeſſe videretur, quod Moſci loca Livoniæ utique retinere vellent, usque ad elapſum triennium induciarum Walliaſari concluſarum; & ut de transfugis non amplius inquireretur; ſed ut cuilibet dominum quem velit ſibi adſciſcere integrum foret. Circa quam rem diſceptatio ita incaleſcebat, ut irritatis animis à congreſſu diſcederetur. Poſt tamen acriter connixi Sveci obtinuerunt, ut pax Stolbovienſis per omnia firmaretur, & loca Livoniæ intra duos menſes à ſubſcriptione reſtituerentur, ſolo Mariæburgo à Moſcis retento, quoad ratificatio permutaretur. Animadverſum fuit, Moſcos circa reliqua capita ſat faciles ſe præbuiſſe, quo ſatisfactionem declinarent. Ita & iſta pax concluſa fuit.

1660.

Smolenſco

11. April. 7. Maji. Waſchnarva.

21. Jun.

TRACTA-

TRACTATUS
PRÆCIPUI
Quorum in his Commentariis fit mentio.

Digitized by Google

Digitized by Google

FOEDUS ANGLICUM.

SEreniſſimi ac Celſiſſimi OLIVARII, Protectoris Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ ſuarumque ditionum Comiſſarii Nos Nathaniel Fiennes, unus è Cuſtodibus Magni Sigilli Angliæ, & à Secretioribus Conſiliis Celſitudinis ſuæ, Bulſtrodus Witbock miles, unus è Commiſſariis Theſaurarii dicti Sereniſſimi Protectoris & Conſtabularius Caſtri de Windſor, & Gualterus Strickland, armiger, & à dictis Secretioribus Conſiliis Celſitudinis ſuæ: Notum teſtatumque facimus univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quovis modo intereſſe poterit, quod cum in Tractatu inter dictum Sereniſſimum ac Celſisſimum Protectorem Rempublicamque Angliæ & Sereniſſimam Potentiſſimamque Principem ac Dominam, Dominam Chriſtinam Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginam &c. &c. ac Regnum Sveciæ XI. Aprilis An. 1654. inito negotia quædam tam mutuæ amicitiæ ſtabilimentum, quam commoditates commerciorum & navigationis concernentia, in tempus commodius dilata eſſent, cumque dicto Sereniſſimo Celſiſſimoque Protectori viſum eſſet, Nos ſufficienti poteſtate ad tranſigenda eadem & reliqua, quæ ſequuntur negotia muniri, & Sereniſſimo Potentiſſimoque Principi ac Domino, Domino Carolo Guſtavo Dei gratia &c. &c. Prænobilem Virum, Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Chriſtiernum Bonde, liberum Baronem de Laghila, Dominum in Ymſioholm, Bordeſio & Springſtadh, dicti Sereniſſimi Regis Regnique Sveciæ Senatorem, Commerciorum Collegii Conſiliarium, & Legatum ſuum Extraordinarium, ad hunc actum ſufficienti poteſtate & mandatis munitum, in Angliam transmittere, ideo cum Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis dicto Legato extraordinario congreſſi, poſtquam Conſilia noſtra mutuo contuleramus, & ſuper ſequentia negotia ſedulo deliberaveramus, ita convenimus, quemadmodum infra Scriptorum Articulorum claris & perſpicuis verbis exprimitur, videlicet.

I.

Fœderatorum alterutri licitum erit intra Regna, Regiones atque urbes alterius ad pulſum tympanorum militum omne genus & nautarum conſcribere, Naves etiam tam bellicas & præſidiarias quam onerarias conducere, ſequentibus tamen ſervatis conditionibus.

1. Uter fœderatorum habere delectum cupiet, is notificabit intentionem ſuam confœderato ſuo, cum ſpecificatione locorum, in quibus commodiſſime inſtitui conductiones tales exiſtimat, quod ſi alterius fœderati conditio non permiſerit, ut illo in loco delectus habeatur, tum requiſitus alter alium locum aſſignabit, prout ſuis rationibus convenientius & utrique parti quam minime incommodum.

2. In numero militum naviumve conducendarum rerum ac temporum ratio habebitur illius confœderatorum, in cujus Regnis ac ditionibus delectus illi habendi ſunt, ne ſi majores copiæ, quam par eſt, poſtulentur, alter in propriis occaſionibus defectum ſentiat vel deſtituatur.

3. Milites in ea regione, ubi conſcribuntur, arma non accipiant, ne in navibus quidem, niſi intra viginti leucas ab eo loco, ubi in terram exponendi ſunt.

4. Tribuni, Centurionesve multos milites conſcribant, qui jam in alterius Regis vel ſtatus ſtipendio ſunt conſtituti, neque à ſignis quemquam ad ſe alliciant.

5. Milites, nautæ, naves in alterutrius Confœderatorum Regnis ac Regionibus conſcripti, conductæve, ut ſupra dictum eſt, contra amicos ſociosve alterius non adhibeantur, in quantum conſervationi fœderum inter ſe invicem atque ſocios percuſſorum & nunc vigentium, contrarium ſit.

II.

Cum in articulo undecimo fœderis inter Angliam & Sveciam nuper icti Upſaliæ 1654. convenerit, & deſignarentur, quæ bona & merces contrabanda ſive vetita in poſterum dicenda eſſent, tenore ſupradicti articuli nunc ſancitum eſt, uti hæc ſola, quæ infra recenſentur, pro vetitis habeantur, quo minus hoſtibus alterutrius ſuppeditari poſſint, nempe Bombardæ cum ſuis igniariis, & aliis ad eas pertinentibus, ignes miſſiles, pulvis tormentarius, fomites, alias Lunthen, globi, cuſpides, enſes, lanceæ, haſtæ, bipennes, tormenta, tubi catapultarii, vulgo mortaria, indutiles Sclopi vulgo pedardæ, glandes igniariæ, furcæ ſclopetariæ, Bandeliers, Salpetræ, ſclopeti, globuli ſeu pilæ quæ ſclopetis jaculantur, caſſides, galeæ, thoraces loricati, vulgo Curaſſes, & ſimilia armaturæ genera, milites, equi, omnia ad inſtruendos equos neceſſaria, ſclopothecæ, balthei, & quæcunque alia bellica inſtrumenta, uti etiam naves bellicæ & præſidiariæ. Pecuniæ quoque hoſtibus ſuppeditandæ pro vetitis habeantur, quas, ut & merces ſupradictas ad hoſtes alterius devehere non licebit ſine periculo, ſi ab altero Confœderatorum deprehendantur, quod prædæ cedant absque ſpe reſtitutionis. Neque fœderatorum alteruter ſinat, uti ſuorum cujusquam opera hoſtis aut perduellis alterius utatur, navesque vendantur, commodentur, ullove modo uſui ſint alterius hoſtibus aut perduellibus ad ejus incommodum aut detrimentum.

III.

Alterutri Confœderatorum ejusque populo ſubditisve cum alterius hoſtibus commercium habere iisve merces quascunque, de quibus ſupra exceptum non eſt, advehere licebit, idque ſine ullo impedimento, niſi iis in portubus locisve, quæ ab altero obſidiantur, quod ſi acciderit, vel obſeſſoribus bona ſua divendere, vel in alium quemvis portum non obſeſſum libere ſe conferre permiſſum erit.

IV.

Quoniam Articulo XI. Tractatus inter Sveciam & Angliam Upſaliæ 11. Aprilis Anno 1654. concluſi convenerit, quod etiam articulis prioribus cautum prohibitumque ſit, ne quisquam Confœderatorum opem ſuppetiasque alterius inimicis hoſtibusque ſubminiſtret, hoc tamen non ita intelligi debere, quaſi uni Confœderatorum, cui bellum cum hoſte alterius non fuerit, commercium cum dicto ipſius hoſte non liceat exercere. Verum hoc ſolum, modo cautum erat, donec amplius hac de re conveniret, ne illa bona mercesve, quas contrabanda vulgo vocamus, alterius hoſtibus advehere licitum eſſet ſine periculo, ſi ab altero Confœderatorum deprehenderentur, quod prædæ cederent absque ſpe reſtitutionis. Similiter Artic. XII. ejusdem Tractatus ad omnes ſuſpiciones evitandas, ne navigationes commerciave unius Confœderati tam mari quam terra, durante bello alterius Confœderatorum ipſi fraudi eſſent, neve inimicorum hoſtiumve bona ſub amicorum nomine occultata veherentur, concluſum ſtatutumque erat, ut omnes naves, vehicula, merces, homines-que ad alterutrum Confœderatorum pertinentes in itinere tranſituque muniti eſſe deberent ſalvi conductus, vulgo vocatis Paſſeportus & certificationum literis, à ſupremo ejus provinciæ urbisque unde exiverant, Præfecto aut Magiſtratu ſignatis, utque Paſſeportus & certificationum eæ formulæ obſervari deberent, de quibus mutuo utrinque fœderati convenirent, & ubi merces, bona, navigia, homines alterutrius confœderatorum ejusque ſubditorum ac incolarum in aperto mari, fretis, portubus, ſtationibus, terris ac locis, quibuscunque obvia aut obvii forent navibus bellicis publicis & privatis, vel hominibus ſubditis ac incolis alterius fœderati, vel quocunque modo in

do fit unum cum ipſis locum conve-
nirent, exhibitis duntaxat ſalvi condu-
ctus & certificationum literis, nihil ul-
terius ab iis exigeretur, in bona, na-
vigia aut homines nequaquam in-
quireretur, multo minus injuria, dam-
no aut moleſtia ulla afficerentur, ſed
perſequendo itineri aut inſtituto ſuo,
prout ſuperius ſignificatum eſt, liber-
rime dimitterentur, & Articulus XIII.
dictum Tractatum vel fœdus nihil
derogaturum præeminentiæ, juri ac
dominio cujuscunque alterius Con-
fœderatorum in ſuis maribus, fretis,
atque aquis quibuscunque, ſed quod
habeant retineantque ſibi eadem pa-
ri amplitudine, qua eousque gavi-
erant, & quæ illis jure competit.
Nunc itaque ut ejusmodi certificatio-
nium ac Paſſeportuum apta formula
formari & obſervari poſſit, quæ ſen-
ſui Articulorum prædictorum reſpon-
deat, utrinque concluſum ſtatutumque
eſt, ut ad fraudes quascunque & mer-
cum hoſtilium occultationes, om-
nesque diſputationum & querelarum
occaſiones evitandas in omnibus cer-
tificationum ac Paſſeportuum literis
tales, ut infra ſcriptæ ſunt, for-
mulæ, de verbo ad verbum obſer-
vari, & à ſupremo illius provinciæ
& civitatis magiſtratu, unde veniunt,
ſubſcribi ſignarique debeant, tum ut
vera nomina navium, vehiculorum,
mercium & navarchorum ſpecifica-
ri, dies quoque & tempora fideliter
& absque ulla fraude una cum aliis
ejusmodi deſcriptionibus, quæ in
ſequenti ſalvi conductus & certifi-
cationis formula expreſſæ ſunt, no-
tari debeant. Quare ſi ullus, qui ſub
fide illius juramenti, quo Regi, ſtatui
& civitati ſuæ obſtrictus eſt, aſſevera-
verit, vera ſe pertuliſſe, ſufficienti-
bus rationibus convincatur, fraudem
aliquam ſuo conſenſu ſub illa ejus aſ-
ſertione celatam fuiſſe, is ſevere,
& ſicut transgreſſor ejusdem juramen-
ti puniatur.

Nos N. N. Gubernator aut ſupre-
mus magiſtratus provinciæ vel civi-
tatis N. (appoſito titulo aut officio re-
ſpective Gubernamenti iſtius loci)
notum teſtatumque facimus, quod
die -- menſis --- anni --- perſonali-
ter ſe nobis ſtiterint in civitate aut
oppido N. ditionis (Serenisſimi Dn.
Protectoris, vel Sereniſſimæ Regiæ
Majeſt. Sveciæ, quemadmodum ca-
ſus fuerit) N. N. N. cives & habitan-
tes in N. ac ſubditi Sereniſs. Domini
Protectoris, vel Sereniſs. R. M. Sve-
ciæ atque ſub fide illius juramenti,
quo Sereniſs. Dno. Protectori & civi-
tati noſtræ vel Sereniſs. ac Potentiſs.
Regi Sveciæ ac Dn. noſtro Clemen-
tiſſimo & civitati noſtræ attinentur &
obſtricti ſunt, nobis declaraverint,
quod navis aut navigium N. dictum
N. laſtarum aut tonnarum capax, per-
tinet ad portum, civitatem aut op-
pidum N. ditionis N. quodque dicta
navis ejus aut ſubditorum Sereniſſ.
Dni. Protectoris, Sereniſs. R. Majeſta-
tis Sveciæ juſto titulo propria ſit, jam
vero de portu N. iter vel itinera dire-
cte deſtinaſſe ad N. ſequentibus onu-
ſta mercibus, videlicet (hic ſpecifi-
centur bona cum quantitate & qua-
litate eorum, exempli gratia, tot cir-
citer plauſtra vel involucra (tot circi-
ter) dolia &c. (quemadmodum quan-
titas & conditio mercium fuerit) ii-
demque aſſeveraverint ſub juramen-
to prædicto tantum N. ex dictis bonis
mercibusve ad ſubditos Sereniſſimi
Domini Protectoris Angliæ, Sereniſs.
R. Majeſtatis Sveciæ vel tantum N.
ad N.N. (cujuscunque nationis poſſeſ-
ſores fuerint, exprimatur) pertine-
re. Quodque N. N. N. ſub fide ju-
ramenti dicti affirmaverint dicta bo-
na ſuperius ſpecificata, & non alia eſſe
impoſita aut imponenda in præno-
minatam navem pro dicto itinere, &
quod nulla pars eorum bonorum ad
alium quenquam pertineat, quam
hoſce ſupradictos, neque in illa ſub
quocunque fictitio nomine alia bona
colorata aut relata ſint, ſed vere ac
realiter prænominatas merces in
uſum dictorum proprietariorum im-
poſitas eſſe, & non aliorum: Quod-
que dictæ navis navarchus nomina-
tus N. N. civis ſit civitatis N. Idcir-
co cum poſt accuratam examinatio-
nem nobis ſupradictis (Gubernatori
aut ſupremo Magiſtratui civitatis ſu-
pradictæ) ſufficienter conſtet, dictam
navim aut navigium bonaque impo-
ſita libera eſſe, & vere ac realiter
pertinere ad ſubditos Sereniſſim.
Domini Protectoris, Sereniſs. R. Maje-
ſtatis Sveciæ vel aliarum nationum
incolas ſupradictos: Ab omnibus
proinde ac ſingulis terrarum ma-
riumque Poteſtatibus, Regibus, Prin-
cipibus, Rebuspubl. ac liberis civita-

Digitized by Google

tibus, nec non bellorum Ducibus, Thalasſiarchis, Generalibus, Officialibus, portuumque præfectis, aliisque omnibus, quibus cuſtodia aliqua portus aut navis commiſſa eſt, quibuscunque navem hanc navigando obviam venire, quorumque in claſſes forte incidere & tranſire, aut in portubus morari contigerit, humillime & officioſe requirimus, ut ratione fœderum & amicitiæ, quæ reſpective unicuique aut ſuperioribus cujuscunque eſt, ac cum Sereniſſimo Dno. Protectore, Domino noſtro Clementiſſimo vel Sereniſſimo Rege Sveciæ, Domino noſtro Clementiſſimo intercedit, dictum navarchum cum navi N. & perſonis, rebus ac mercimoniis ad eandem ſpectantibus non modo ſine impedimento & moleſtiis iter ſuum libere perſequi permittantur, ſed etiam ſi ex dicto portu alio quovis tendere commodum duxerit, ei tanquam Sereniſſimi Domini Protectoris, Sereniſſim. R. Majeſtatis Sveciæ ſubdito cum navi ſua omnia humanitatis officia exhibeant, eadem viciſſim à Sereniſſimo Protectore noſtro, Sereniſſimo Rege noſtro, omnibusque ejus miniſtris & ſubditis in pari vel alio caſu expectaturi. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas civitatis noſtræ ſigillo muniri curavimus. Dabantur in curia noſtra Anno &c.

V.

Neuter horum fœderatorum naves, navigia, bona, merces alterius, ejusve populi ſubditorumve mari aliove in loco ab hoſtibus ſeu rebellibus captas abduci ſuos in portus ditionemve permittat, imo iſtiusmodi ne quid fiat, palam prohibeat. Quod ſi quæ naves, navigia, bona, merces-ve alterutrius populive aut ſubditorum ejus in alto, aliove loco captæ, in alterius portus regionesve ullo ab hoſte ſeu rebelle fœderatorum eorumve alterutrius aſportantur, divendi eas, ullamve earum partem in illo portu aliave ſua ditione non ſinat. Ut etiam Magiſter navis aut navigii hunc in modum capti, ut & nautici, cæterique vectores ſimul atque advenerint, protinus liberentur, curet, una cum omnibus captivis alterius Regni vel Reipublicæ ſubditis, quotquot ſimul adducentur, neve prædictam navem navigiumve eo in portu commorari permittat, quin imo eam navem cum bonis, mercibus atque onere confeſtim exire portu jubeat. Proviſo tamen, ne hoc articulo fœderibus ab altero Confœderatorum cum aliis nationibus antea initis præjudicium aliquod afferatur, ubi vero illa non obſtant, ſupradictus articulus plenum vigorem obtinebit.

VI.

Fœderatorum alterutrius bellicis & præſidiariis navibus portus, ſtationes fluminave alterius intrare, quo ejusmodi naves accedere conſueverunt, ibique in anchoris ſtare, manere, rurſusque abire, ſine ulla injuria aut moleſtia liberum erit, his tamen ſervatis conditionibus.

1. Ut quinque vel ſex navium numerum claſſis non excedat, quam absque indicio prius facto in portus fœderati deducere integrum ſit.

2. Ut absque ulla interlabente mora claſſis & navium Præfectus exhibeat ſalvi conductus ſui literas arcis, munimenti, urbis aut provinciæ Præfecto vel Magiſtratui ubicunque appulerit, cauſas adventus ſui notas faciat, ſimulque aperiat, in quem finem & quanto tempore in illo portu aut ſtatione manere conſtitutum habeat.

3. Ut naves ejusmodi non juſto propius ad ipſa caſtella vel munimenta appellant aut ſubſiſtant.

4. Ut non ultra quadraginta ſimul vel turmatim, & numero ad ſuſpicionem aliquam compoſito, nautæ ſociique navales & milites in terram deſcendant.

5. Ut nemini, ne hoſtibus quidem ſuis ibidem damnum inferant, mercatoriis imprimis navibus quibuscunque exitum vel ingreſſum non prohibeant, aut difficilem faciant.

6. Ut inde tanquam ex ſtatione ſua non egrediantur redeantque infeſtandæ cujuscunque gentis navigationi.

7. Ut omni modo vivant gerantque ſe modeſte, pacate & conformes locorum ſingulorum legibus aut conſuetudinibus, & mutuæ imprimis Confœderatorum amicitiæ. Ubi hæc prædicta ſecundum convenientem verborum ſenſum rite obſervata fuerint,

fuerint, permiſſum ſit navibus bellicis alterutrius confœderati legere oras & ſubſiſtere in portubus fœderati alterius & evitandis tempeſtatibus hoſtibusve, vel conducendis congregandisque navibus mercatoriis, aliisque juſtis de cauſis. Si vero alteruter Confœderatorum utile aut neceſſarium ſibi duxerit, majori navium numero alterius fœderati portus ingredi, & Commoditatibus illius frui, ſignificabit id confœderato ſuo duobus ante menſibus, atque tum de modo & ratione admittendi easdem conveniat.

VII.

Cum ex ſupradicto fœdere Upſaliæ inito cautum ſit, ut quæ damna confœderatorum alteruter ejusve populus ſubditive ab altero ejusve populo ſubditisve acceperint belli tempore inter hanc Remp. & Fœderati Belgii Ordines coorti, pro iis ſatisfactio detur, conſtitutum nunc eſt, ut Commiſſarii tres utrinque deligantur ac deputentur, qui de iis controverſiis omnibus cognoſcant & decidant: Qui Commiſſarii primo die Januarii ſequentis Londini conventum habebunt, tresque ſupradicti Commiſſarii eum in modum utrinque delecti ac deputati omnibus de rebus, quæ utrinque exhibitæ aut propoſitæ erunt, & dicto tempore acciderunt, deliberandi poteſtatem habebunt, tam de navibus bonisve reſtituendis, quæ adhuc retinentur, quam de ſatisfactione ob accepta damna ex retentione alterutrius navium, quæ jam liberatæ aut liberandæ erunt, aut ſi quo alio modo fieri conveniat, deque iis ex æquo & bono ſummatim judicabunt, ſine ulla provocatione aut formulis juris, cum id agat pars utraque & id maxime velit, ut quod par & æquum eſt, in ſupradictis controverſiis, nulla interpoſita mora tranſigatur, & ablatorum reſtitutio, damnorumque ſumtuum ac expenſarum ſatisfactio plene & realiter ex tenore prædicti articuli XIII. Tractatus Upſaliæ initi fiat & præſtetur. Quod ſi autem in cauſis quibusdam vel fundamentis probationum reſtitutiones vel ſatisfactiones concernentium inter dictos Commiſſarios convenire non poterit, tum differentiæ illæ ulteriori Confœderatorum conventioni relinquantur. Atque ut hoc minore cum temporis jactura fiat, dabunt iidem operam, ut intra ſex menſes poſt conventum primo habitum, totam harum quæſtionum cognitionem abſolvere poſſint. Ipſa vero damnorum reſtitutio ſatisfactioque à Rege vel ſtatu ipſo, cujus ſubditi ad ſatisfactionem perſolvendam adjudicati erunt, intra menſis ſpatium poſt ſententiam latam plenarie & ſine mora fiet & repræſentabitur.

VIII.

In commerciis omnibus, quæ in Boruſſia & Polonia, vel alibi in dominiis prædicti Sereniſſimi Regis Sveciæ hactenus à dicti Sereniſſimi Domini Protectoris dictæque Reip. ſubditis exerceri ſolita fuerunt, prærogativis omnibus, quas præ aliis nationibus antea habuerunt, poſthac etiam gaudebunt, & ſi privilegia plura aliquando cupiant deſideriis ipſorum omni poſſibili modo ſatisfiat. Quod ſi prædictus Sereniſſimus Rex Sveciæ cuivis præterea exteræ nationi aut populo ſibi non ſubjecto privilegia majora ſupradictis ampliora in Polonia Boruſſiaque conceſſerit, nationumve ullam aut populum ibidem ejusmodi privilegiis inſtruxerit, iidem, poſtquam id à Sereniſs. R. Majeſtate deſideraverint, fruuntur. Quemadmodum etiam ſi edicta aliqua, quæ Anglis & Scotis in Polonia Boruſſiaque habitantibus vel commercia exercentibus oneri eſſe poterint, poſt annum 1650. proclamata ſunt, eadem nullum poſthac obtinebunt vigorem, in quantum id prohiberi in poteſtate Sereniſſimi Regis Sveciæ fuerit, ſed ſubditi prædicti Domini Protectoris ab omnibus iſtis in poſterum totaliter liberi ſunto.

IX.

Quod ad commercium in America habendum, id quidem lege diſerte cautum eſt, ne cujusvis præterea Reip. ſubditis ſine peculiari licentia commercium illic promiſcue habendi poteſtas fiat, ſi quis autem ſubditorum Sereniſſimi Regis Sveciæ, ejusdem literis commendatitiis muni-

tus, hanc ſibi licentiam privatim ad eas quaslibet colonias petiverit, Dominus Protector, quoad rerum ac Reip. ſtatus pro tempore permiſerit, haut invitus hac in parte Sereniſſimi R. Majeſtatis Sveciæ deſiderio ſatisfaciat.

X.

Subditis Sereniſſimi Regis Sveciæ liberum erit, per maria atque litora, quæ in ditione hujus Reip. ſunt, piſcari, atque haleces aliosque piſces, capere, dum modo mille navium numerum piſcantes non excedant, neque inter piſcandum ullum iis impedimentum aut moleſtia afferatur, neque à navibus præſidiariis hujus Reip. neque ab iis, quibus Diplomate permiſſum eſt, res ſuas privatim ſuo Marte repetere, nec à piſcantibus in boreali plaga Britanniæ piſcationis nomine onera aliqua exigantur, quoque opus eſt commeatum ab eorum locorum incolis juſto precio comparare ſibi licebit.

XI.

Item conventum, concluſum & concordatum eſt, quod præſens Tractatus atque omnia & ſingula in eo contenta & concluſa à dicti Sereniſſimi ac Celſiſſimi Protectoris Commiſſariis & Sereniſſimi Regis Sveciæ Legato ſupradicto per Patentes dicti Protectoris & Regis literas ſigillo magno munitas, debita & authentica forma intra quatuor menſes --- proxime inſequentes (aut citius, ſi fieri poterit) confirmabuntur, mutuaque inſtrumenta intra prædictum tempus hinc inde extradentur.

Sequitur tenor Commiſſionis ex parte Sereniſſimi Domini Protectoris.

OLIVARIUS, Protector Reip. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ &c. Omnibus & ſingulis, ad quos præſentes literæ ſpectaverint, ſalutem. Sciatis, quod cum in Tractatu inter Nos & Sereniſſimam, Potentiſſimamque Principem Chriſtinam &c. &c. Upſaliæ inito negotia quædam tam mutuæ amicitiæ ſtabilimentum, quam commoditates commerciorum & navigationis concernentia in tempus commodius dilata eſſent, cumque Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Carolus Guſtavus &c. &c. ad Nos miſerit & legaverit Prænobilem Virum Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Chriſtiernum Bonde &c. ſufficienti poteſtate inſtructum ad tranſigenda eadem aliaque negotia, Nos de probitate, fide, prudentia & circumſpectione dilectorum Nobis Nathanielis Fiennes &c. Bulſtrodi Witbock &c. & Gualteri Strickland &c. plenario perſuaſi, ipſos ex aſſenſu conſilii noſtri fecimus, conſtituimus & aſſignavimus atque his præſentibus facimus, conſtituimus ac aſſignamus veros & indubitatos noſtros Commiſſarios, Procuratores & Deputatos, dantes & concedentes iis vel eorum duobus plenariam authoritatem, facultatem & poteſtatem generale & ſpeciale mandatum cum præfato Domino Legato extraordinario Sereniſſimi Regis prædicti tractandi, concludendi & determinandi de & ſuper omnibus præmiſſis, ſub illis modis, capitulis, forma, promiſſionibus, cautionibus & ſecuritatibus, quas ad firmam conventorum obſervationem putaverint requirendas. Et quicquid prædicti noſtri Commiſſarii cum prædicto Domino Legato convenerint, concluſerint, Nos bona fide promittimus (Nos & Succeſſores noſtros his præſentibus obligando) id omne obſervare, præſtare, omnique meliori modo firmum ratumque habere, quaſi ipſi intereſſemus. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras præſentes propria manu ſubſignavimus, iisque magnum ſigillum noſtrum Angliæ apponi fecimus. Dabantur è Palatio noſtro Weſtmonaſterii decimo quinto die Julii ſt. v. An. 1656.

Olivier P.

Sequitur tenor Commiſſionis Sereniſs. Regiæ Majeſtatis Sveciæ.

Nos CAROLUS GUSTAVUS &c. &c. notum teſtatumque facimus, quod cum id ſibi proprium habeat integerrima amicitia, ut augeri indies cumulariique amet, atque è re communi noſtra Regnique noſtri, deinde Sereniſſimi ac Celſiſſimi Olivarii, Domini Protectoris Reip. Angliæ, Scotiæ ac Hiberniæ, ſuarumque ditionum, noſtri boni amici ejusdemque Reip. ſit, ut de

arctiori adhuc fœdere ineundo invicem cogitemus, hoc præsertim tempore, ubi multos in perniciem nostram conspirare liquido constat, proinde in mandatis dedimus, ut & hisce in optima forma mandamus & committimus Legato nostro extraordinario, Illustri & Generoso, nobis sincere fideli Domino Christierno Bonde &c. Viro spectatæ prudentiæ, solertiæ ac probitatis, ut cum iis, qui à parte Domini Protectoris dictæque Reip. sufficienti potestate eum in finem deputati de arctiori inter Nos fœdere, iisque quæ huc pertinent, tractet, statuat ac concludat. Quidquid igitur antememoratus noster Legatus extraordinarius cum Plenipotentiariis Domini Protectoris ejusdemque Reip. egerit, concluserit, statueritque, id nos omni, vigore harum, ratum gratumque sumus habituri, præstabimusque reipsa. In quorum fidem roburque præsentes manu nostra subscriptas sigillo nostro majori firmari jussimus. Dabantur in Regia nostra Stockholmensi die 15. Junii An. 1655.

Carolus Gustavus.

Cantherstеen.

In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium Nos Serenissimi ac Celsissimi Protectoris Reip. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ &c. Commissarii vi & vigore suprascriptæ Commissionis seu Procurationis nostræ præsentem Tractatum undecim articulis comprehensum manibus & sigillis nostris subscripsimus & subsignavimus. Actum Westmonasterii 17. die Julii Anno 1656.

Conventio de Articulo secundo in fœdere inter Sveciam & Angliam Act. Westmonasterii die decimo septimo Julii 1656.

Cum in Articulo secundo fœderis inter Angliam & Sveciam Westmonasterii Anno 1656. initi scriptum sit convenisse, ratumque haberi ac Commissariis Serenissimi Protectoris & Domino Legato Extraordinario Serenissimi Svecorum Regis, uti bona, merces, resque aliæ in eo articulo nominatæ pro vetitis in posterum publiceque interdictis tantum haberentur, cumque Serenissimus Dominus Protector per Commissarios suos proposuerit, & cum supradicto Legato Extraordinario egerit, & quoad hoc bellum Angliæ contra Hispanos esset, sub pœna postmodum dicenda sanciretur, ne quid earum rerum merciumve quæ infra recensentur, ex Serenissimi Svecorum Regis ditione in ulla loca ditionis Hispanicæ comportetur, & quo hoc facilius concedatur, proposuerit etiam de omnibus illis mercibus, quæ ex ditione Svecica provenerint, à mercatoribus Anglis pacto pretio coëmendis colloquium instituatur, & huic postulato supradictus Legatus ut assentire possit, negaverit se datis à Serenissimo Rege suo instructum hactenus mandatis esse, remque totam Serenissimo Regi suo, prout ipsi visum erit, in integro reliquerit, hoc scripto declaratur, illum articulum secundum hac lege duntaxat firmum ac ratum fore, si Serenissimus Rex Sveciæ assenserit ratumque habuerit, quoad hoc bellum Reip. Angliæ cum Hispanis erit, ne ipse, neve quis ex populo ejus picem aridam liquidamve, cannabim, rudentes, carbasum, malosve ulla in loca ditionis Hispanicæ advehat, imo contra supradictus Rex diserte hoc interdicat; quod si quid earum mercium contra hanc pactionem eo advectum erit, id omne in prædam deprehendentibus Anglis cessurum & fisco addictum iri. Quare expresse reservatum est, quod si in id supradictus Rex non consenserit, tum totus dictus secundus articulus merces contrabandas concernens (sicuti etiam articulus tertius, qui ex eo pendet) nullum protinus vigorem obtinebit, & quæstio de mercibus contrabandis nominandis in eo statu manebit, qualis fuerat, antequam hoc tempore Londini aliquid de eadem tractaretur, reliquis articulis in pleno vigore semper manentibus. Et ulterius utrinque conventum & concordatum

tum est, virtute potestatum sibi utrinque datarum, quod licet præsens Articulus Tractatui prædicto non inseratur, eandem tamen vim & vigorem obtinebit cum prædicto Tractatu. Actum Westmonasterii die decimo septimo Julii Anno Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Sexto.

Nathaniel Fiennes
(L.S.)

Bulstrode Witbock
(L.S.)

Gualter Strickland
(L.S.)

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS ELBINGENSIS.

SEreniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini CAROLI GUSTAVI, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wismariæ: Nec non Comitis Palatini, Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis &c. Regis ac Domini noſtri Clementiſſimi, Regnique Sveciæ Senator, Cancellarius, Gubernator Generalis Boruſſiæ, Præſes Collegii Commerciorum & Judex Provincialis Norlandiæ Occidentalis, Lapmarchiæ, Jemptilandiæ, Herredaliæque Ericus Oxenſtierna, Comes Moreæ Auſtralis, Liber Baro in Kimitho, Dominus in Tidöö, Vibii & Juleſtad; Sacræ Regiæ Majeſtatis Admiralis locum-tenens & Conſiliarius Admiralitatis, Steno Bielke, Liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Græſöö & Tænga; & Sacræ Regiæ Majeſtatis Bellicus & Aulicus Conſiliarius, Guſtavus Baner, Liber Baro in Gamble Carlebii, Dominus in Orebii, Kræke-rum & Verpel; nec non Celſorum & Præpotentium Dominorum, D. Ordinum Generalium, Fœderati Belgii, ad Sacram Regiam Majeſtatem Sveciæ Legati Extraordinarii, Gothofredus Vær Sjögeland, Conſiliarius & Aſſeſſor urbis Dordracenæ; Primarius, ad conventum Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Deputatus Ordinarius, Fridericus à Dorp Masdami Dominus, Conſiliarius Ordinarius in Curiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Weſtfriſiæ, Petrus de Hulybert, Conſiliarius Urbis Medioburgi Zelandorum, Johannes Isbrants, Hoveling in Ruijgevardt, reſpective Deputati ad Concilium DD. Ordinum Generalium Fœderati Belgii, nomine Provinciarum Hollandiæ, Zelandiæ ac Urbis Groningæ & Omlandiæ. Notum teſtatumque facimus omnibus & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, quod ſicut à multis retro annis inter Sacræ Regiæ Majeſtatis Anteceſſores Reges Regnumque Sveciæ & Celſitudinem DD. Ordinum Generalium fœderati Belgii, intimior amicitia & correſpondentia integerrime culta fuit, eaque Fœderibus aliquot ſuperſtructis eum in modum corroborata, ut ad firmitudinem ſuam nihil niſi continuationem & renovationem ſubinde requiſiverit, ita Sacra Regia Majeſtas Sveciæ & Celſitudo DD. Ordinum Generalium Fœderati Belgii, nunc viciſſim ob oculos ſibi poſuerunt Fœdus, quo ab Anno Milleſimo, Sexcenteſimo Quadrageſimo ſe invicem obſtrinxerunt, & illud quo Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Quadrageſimo quinto ad reciprocam conſervationem ſe mutuo ſtrictioribus conditionibus devinxerunt, ſimulque ad idem Fœderis prædicti inſtitutum tanquam ad normam revocantes præſentium temporum circumſtantias, Nobis ſupranominatis Commiſſariis & Legatis utrinque conſtitutis injunxerunt, & in mandatis dederunt, ut inſpectis ſæpe indigitati Fœderis tabulis earundem obſervantiam ſtabiliremus, atque inſuper ſi quid præſens utriusque ſtatus requireret, id communi bono ac uſui adaptaremus. Hoc itaque propoſito congreſſi poſt commutata utrinque procuratoria, favente Deo, de commiſſis nobis negotiis ſequenti ratione convenimus.

Initio quidem, quemadmodum Fœdus Milleſimi Sexenteſimi quadrageſimi anni die prima Septembris Stockholmiæ concluſum, ut & ejusdem confirmationem Anno milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo quinto die decima quinta Auguſti Suderacræ factam, atque extenſas & adſtrictas ibidem pro conſervatione mutua leges pervidimus, ita omnes in utroque Fœderis inſtrumento comprehenſas conditiones hiſce renovamus, redintegramus & in pleno vigore ſuo firmamus, non aliter ac ſi ſinguli articuli hic verbotenus inſerti eſſent, firmiter promittentes à Sacra Regia Majeſtate Regnoque Sveciæ & Celſitudine D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii ſæpius prætactum fœdus in omnibus ſuis articulis & clauſulis inviolabiliter obſervandum & religioſe adimplendum fore: Imo ad ſcopi ipſius, qui Articul. I. prædicti fœderis indigitatur clariorem intellectum declaramus, eundem directum eſſe, & in poſterum fore contra turbatores omnes & quoscunque, qui adverſus perſpicuum ipſius Fœderis ſenſum quidquam agere ſuſceperint. Præterea examinantes ſæpedicti Fœderis intentionem, deprehendimus illam non alio collimaſſe, niſi ut ſimul cum defenſione reſpective Regnorum & Provinciarum utriusque Confœderati, & Conſervatione Dominiorum, Jurium, libertatum, immunitatum, pactorum & receptarum conſuetudinum, libertas Commerciorum & navigationis in Mari Baltico & Septentrionali ad anguſtias Canalis Anglo-Gallici excluſive aſſeratur. Ideoque conſiderantes, quantum interſit utrinque, ut hoc inſtitutum in turbato hocce Europæ ſtatu integrum & illibatum ſervetur, eo cogitationes & conſilia noſtra direximus, ut non tantum reſpectu aliorum prædictam navigationis & Commerciorum libertatem tueremur, ſed & invicem certas ſtatueremus Regulas, quibus omnia impedimenta adverſus ſupradicti Fœderis leges inter Fœderatos eorum reſpective Regna, Provincias, ditiones & ſubditos amoverentur, imo ſi quid huic contrarium poſt tempus initorum fœderum irrepſerit, id viciſſim ad priorem obſervantiam revocaremus. In hunc itaque finem convenimus, quod neque occaſione præſentium bellorum atque motuum in Polonia, Boruſſia & Regionibus vicinis, neque aliis de cauſis, quæ in poſterum exoriri poterunt, alteruter Fœderatorum ſui Fœderati aut ejus ſubditorum libertatem navigationis & Commerciorum in Mari Baltico & Septentrionali, atque in fluminibus, prædictis maribus influentibus, ullo modo directe vel indirecte adverſus clarum Fœderis annorum Milleſimi Sexenteſimi, quadrageſimi, & milleſimi ſexenteſimi quadrageſimi quinti contextum impediet vel gravabit, aut à ſubditis ſuis impediri vel gravari permittet, vel aliquam ipſis remoram injiciet, aut à ſuis injici curabit. Quin potius cum Nobiscum reputamus, qua ratione inter utriusque Fœderati proprias ditiones ac ſubditos commerciorum uſus quam optime provehi poſſit, & ipſo experimento egregie comprobatum eſt, vectigalium moderationem non parum eo conducere, eamque tempore concluſorum antehac Fœderum atque annis quibusdam id tempus immediate ſubſequentibus in utriusque Fœderati ditionibus commode ſatis huic inſtituto adaptatam fuiſſe, promiſimus, atque hoc ipſo promittimus & ſpondemus, quod uterque Fœderatorum, ſalvis Regalibus & Juribus ſuis circa Vectigalium conſtitutionem & diſpoſitionem, ad parem circiter modum & taxam, atque tum temporis conſtituta vectigalia fuerunt, eadem dehinc in ſuis reſpective Regnis, Provinciis ac ditionibus, quas nunc poſſidet, vel impoſterum poſſeſſurus eſt, accommodabit adeo ut quam moderatiſſima vectigalia, telonia & onera Commerciis & navigationi utrinque imponantur. Huic etiam adjicimus, & per expreſſum cavemus, quod neuter Fœderatorum aut ejus ſubditi in ſui Fœderati ditionibus circa vectigalium ſolutionem aliter haberi aut magis aggravari debeant, quam conjunctiſſima quæque Gens peregrina, quæ potiſſima fruitur ibidem aut impoſterum fruitur à vectigalibus immunitate. Quod ſi vero contingat certas ob cauſas & urgente neceſſitate nova, majora gravioraque vectigalia in alterius Fœderati Dominiis imponenda eſſe,

tum

tum eo casu majus graviusque à Fœderato aut ejus subditis non exigetur, quam ipsi proprii incolæ aut subditi pendunt: Sub qua tamen æqualitate nullatenus intelligi debent peculiarium societatum & subditarum personarum specialia privilegia. Ut vero omnibus liquido constare possit, quod hoc tractatu tum Sacra Regia Majestas Sveciæ, tum Celsitudo Dominorum Ordinum Generalium Fœderati Belgii nihil aliud sibi proposuerint, quam observantiam priorum Fœderum & conservationem suorum utrinque Dominiorum & jurium, ut & libertatis Commerciorum & Navigationis, atque ut palam pateat id utrinque agi & intendi, quo cum omnibus suis respective bonis vicinis, amicis & Confœderatis firma stabilisque pax colatur, & pacta conventa Fœderaque cum iis rite constanterque conserventur, convenit, atque concluſum est quemadmodum hisce convenit atque concluditur, quod Reges Galliæ & Daniæ, item Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, tum etiam Elector Brandenburgicus huic præsenti Tractatui includantur, cum omnibus eorum respective Regnis, Provinciis atque Dominiis, & in comprehensas ibidem conditiones recipiantur, si includi & comprehendi velint ac desiderent, atque quod omnibus iis conditionibus & commodis, de quibus præsenti instrumento inter Confœderatos convenit, gaudeant, Civitas quoque Gedanensis comprehendatur & includatur, quemadmodum hisce comprehenditur & includitur, cum omnibus suis juribus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus & legitime receptis consuetudinibus, salva atque integra fide, quam prædicta Civitas Regi Poloniæ debet, ita ut cesset inter Sacram Regiam Majestatem Sveciæ & Civitatem Gedanensem omnis hostilitas. Proinde neque altissime præmemorati Reges Galliæ & Daniæ, Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, Elector-que Brandenburgicus, neque præfata Civitas Gedanensis ullo modo ab alterutro Fœderatorum impedientur in Navigatione, atque libero Commerciorum usu in prædictis Maribus & fluminibus, ut nec in Regnis, Provinciis, ditionibus, Urbibus, Dominiis, Juribus atque libertatibus suis directe vel indirecte ullum iis incommodum vel injuria, nunc vel imposterum, ab alterutro Fœderatorum creabitur, sed econtra vera, firma, amicitia & bona correspondentia mutuo & reciproce cum iis coletur. Ut vero hæc, quæ supra scripta sunt, tanto firmiora maneant, ac religiosius observentur, quemadmodum à die concluſi hujus tractatus illa religiose observanda fore suscepimus & promisimus ad Sacræ Regiæ Majestatis & Celsitudinis D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii ulteriorem ratificationem & ratihabitionem, quæ intra quatuor ad summum menses abhinc invicem reddenda & commutanda erit, duo hujus Tractatus instrumenta ejusdem tenoris confici curavimus, quibus subscripsimus propriis manibus, eaque sigillorum nostrorum impressione roboravimus. Actum & concluſum Elbingæ, die prima & undecima Septembris, Anni Millesimi, Sexcentesimi, Quinquagesimi Sexti, signatum & sigillatum erat ut sequitur.

Ericus Oxenstierna, (L.S.)

G. van Slingeland. (L.S.)

Sten Bielke, (L.S.)

Frederick van Dorp, (L.S.)

Gustavus Baner, (L.S.)

Pr. de Huybert, (L.S.)

J. Isbrandts. (L.S.)

ELUCIDATIONES TRACTATUS ELBINGENSIS.

Ereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini Dn. Caroli Guſtavi Dei gratia Svecorum, Gothorum, Wandalorumque Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wandaliæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wismariæ. Nec non Comitis Palatini Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis &c. Regis ac Domini noſtri Clementiſſimi, Regnique Sveciæ Senatores ad hanc tractationem ſpecialiter Deputati Scheringius Roſenhan Conſiliarius Cancellariæ, ſummus Præfectus arcis Holmenſis & Judex Provincialis Sudermanniæ, liber Baro in Ikalaborg, Dominus in Torpa, Tyſta, Engelholm & Hagen, Steno Bielke, Ammiralis, & Conſiliarius Ammiralitatis, Liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Græſoë & Tanga; Nec non Celſorum ac Præpotentium D.D. Ord. Gen. Fœderati Belgii, ad Sacram Regiam Majeſtatem Sveciæ Deputati Extraordinarii & Plenipotentiarii Godefredus à Slingeland Conſiliarius ac Aſſeſſor Urbis Dordracenæ Primarius, Petrus Vogelſang, Conſiliarius & Syndicus Urbis Amſtelodami, Petrus de Huybert à Secretis Dominorum Ordinum Seelandiæ, & Wilhelmus ab Haren, Grietmannus & Toparcha de Bilt, ad conſeſſum D D. Ordinum Generalium Deputati, nomine Provinciarum Hollandiæ, Seelandiæ, Friſiæque. Notum teſtatumque facimus omnibus & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit. Quandoquidem noviſſimo Tractatu inter Sacræ Regiæ Sveciæ Majeſtatis ad eum actum conſtitutos Commiſſarios & D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Legatos nomine & juſſu Dominorum utrinque noſtrorum Elbingæ in Pruſſia die 1. (11.) Sept. 1656. concluſo, ſtatutum eſt, quod uterque Fœderatorum vectigalia aliaque onera in ſuis reſpective Regnis, Provinciis ac ditionibus, quas nunc poſſidet, aut in poſterum poſſeſſurus eſt, ad pacem circiter modum atque taxam accommodabit, prout ea tempore concluſorum ante fœderum, atque annis aliquot, id tempus immediate ſubſequentibus conſtituta fuerunt, atque ſi contingat certas ob cauſas ac urgente neceſſitate nova majora gravioraque vectigalia in alterutrius Fœderati ditionibus imponenda eſſe, quod tum eo caſu majus graviusque à Fœderato aut ejus ſubditis non exigetur, quam ipſi proprii incolæ aut ſubditi pendunt, atque cum futuris temporibus ſuper vero ac genuino ſenſu prædictorum verborum varia dubia exoriri ac controverſiæ moveri poſſint. Primo videlicet, an dicto caſu exiſtente ſtipulata ac promiſſa æqualitas inter Confœderatos eorumque ſubditos ac proprios ſubjectos intelligenda ſit de omnimoda æqualitate reſpectu totius vectigalis ſine diſtinctione, idque tam ratione onerum, quæ ante concluſionem præfatorum Tractatuum conſtituta, quam eorum, quæ poſtmodum ſpecialibus de cauſis & urgente neceſſitate introducta fuerunt, vel poſthac intro-

introducentur, an ea potius applicanda veniat dictis novis oneribus ac vectigalium augmentis: Deinde si dicta æqualitas de novis solummodo oneribus ac vectigalium augmentis intelligenda sit, à quo præcise tempore ejus ratio inchoanda.

Quocirca ad præcavendas omnes ejusmodi controversias, omnemque occasionem Litis imposterum præcidendam ad elucidationem uberioremque explicationem prædicti Tractatus Elbingensis nomine Dominorum utrinque nostrorum ac vigore potestatis ab iisdem acceptæ sequenti ratione convenimus. Ac primo quidem declaramus, quod sæpe dicta æqualitas de novis solummodo vectigalibus & teloneorum augmentis post Annum 1640. introductis intelligi, iisdemque duntaxat applicari debeat.

Quandoquidem autem in Svecia jam ante Annum 1640. & aliquot proxime insequentibus annis varia inæqualitas tam ratione mercium cum discrimine, subditorum Sveciæ an peregrinorum essent, quam ratione navium, quibus vehebantur cum discrimine inter Svecicas & Peregrinas naves in solvendis vectigalibus ac oneribus usu recepta fuit, sed tandem per certam circa vectigalia constitutionem die 8. Decemb. 1645. in Svecia itidem promulgatam, gravibus de causis omnis vectigalium, impositionum, & aliorum onerum inæqualitas ante dictum annum 1640. & postea aliquo tempore observata ratione mercium cum discrimine, subditorum Sveciæ an exterorum essent, sublata fuit, & altera illa inæqualitas in solvendis vectigalibus inter bona & mercimonia ratione navium, quibus vehebantur, cum discrimine inter Svecicas ac Peregrinas sola hucusque usu retenta & observata fuit; idcirco incolæ ac subditi uniti Belgii Provinciarum imposterum dictæ inæqualitati ratione mercium, cum discrimine, subditorum Sveciæ an exterorum sint, nullo modo neque directe neque indirecte, neque in accessu neque in reditu, subjecti erunt, sed inæqualitati isti quoad naves solummodo subjecti manebunt.

Quantum ergo attinet ad bona & mercimonia, quæ in Sveciam invehuntur, eorum ratione dicta Inæqualitas, quoad naves observabitur, secundum dispositionem secundi articuli memoratæ constitutionis de Anno 1645. ac proinde de omnibus bonis ac mercimoniis, videlicet halecibus, sale, aromatibus, pannis cujuscunque conditionis, ac generatim omnibus & singulis mercibus, sive sponte provenientibus, sive manu factis, quæ in Regnum Sveciæ invehentur, navibus onerariis Belgicis, pro quolibet Centum Thalerorum valore integer Ducatus vectigalis nomine plus exigi poterit, quam de iisdem bonis ac mercimoniis, eodem Centum Thalerorum valore constantibus exigitur, quæ navibus Svecicis annatis invehuntur, atque dimidius Ducatus supra id, quod de iisdem bonis ac mercimoniis eodem centum Thalerorum valore constantibus solvitur, quæ navibus Svecicis onerariis invehuntur, pro navibus autem annatis habebuntur illæ, quæ juxta articulum tertium supramemoratæ Constitutionis de Anno 1645. cum aliis ibidem expressis requisitis tum imprimis quatuordecim tormentis, aut ultra instructæ sunt, aut eo modo ædificatæ atque extructæ, ut ad minimum quatuordecim tormenta ad sui defensionem ferre possint.

Ut autem superior Articulus decenter & ad votum utriusque Fœderati observetur. Quicunque ulla bona aut mercimonia in Sveciam invecturi sunt, justum eorum valorem ac pretium declarare tenebuntur & si quandoque minus justo declaratum, Sacræ Regiæ Majestatis Officiales judicabunt, liberum ipsis erit dicta bona & mercimonia apprehendere, & in usus Sacræ Regiæ Majestatis convertere, modo veram quintam pretio quod declaratum fuerit superaddant, & Mercatoribus parata pecunia satisfaciant, antequam eorum bona sibi sumant.

Verum quod attinet ad bona & merces, quæ è Regno Sveciæ evehuntur, de iis, quæ navibus onerariis Belgicis transportabuntur, tanto majus vectigal solvendum erit, quam de iis, quæ navibus Svecicis evehuntur, quantum Anno 1640. observatum fuit, secundum differentiam certa vectigalium tabula in Svecia

cia die 4. Martii præfati Anni 1640. erecta, ſtatutam atque introductam, quæ Vectigalium tabula juſſu Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ tertia Columna ſecundum conſtitutiones atque conſuetudines poſtea promulgatas atque receptas, ampliata & à Commiſſariis Regiis Legationi Fœderati Belgii exhibita eſt, nunc vero utriusque partis conſenſu tanquam norma ac Regula ad deſignandam inæqualitatem & præcavendas omnes controverſias huic conventioni verbotenus inſeritur modo ſequenti.

Ac in reliquis oneribus, quæ poſt annum 1640. vectigalis aut quocunque alio nomine immutata, aggravata, vel de novo conſtituta ſunt, vel etiam impoſterum ſpecialibus ex cauſis vel urgente neceſſitate conſtituentur, ſupra id, quod §. Quantum ergo attinet ad bona ac mercimonia, quæ in Sveciam invehuntur &c. & ſuperius inſerta tabula exprimitur, incolæ & ſubditi unitarum Belgii provinciarum magis ac gravius non onerabuntur vel gravabuntur, quam ipſi proprii incolæ & ſubditi Sveciæ, ſed eo reſpectu omni moda æqualitas inter eos obſervabitur, ſine diſcrimine ſive eorum bona & mercimonia Svecicis ſive Belgicis navibus in Regnum Sveciæ invehantur vel inde evehantur: Atque omnis inæqualitas inter eos ſolummodo remanebit, in proportione Arithmetica ſecundum differentiam vectigalium ac onerum, quæ ſupra §. Quantum ergo attinet, ad bona & mercimonia, quæ in Sveciam invehuntur &c. Et in tabula mercium evehendarum determinata eſt, adeoque nulla majora aut graviora onera, quam quæ ſuperius expreſſa ſunt, ab incolis ac ſubditis Belgii exigentur, quam à ſubditis Sveciæ ſive in acceſſu, ſive in reditu, ſive directe ſive indirecte per differentiam ſolutionis vectigalium Licentiarum, Impoſitionum ac aliorum onerum in mercibus certa monetæ ſpecie vel quocunque alio modo.

Eadem omnino æqualitas, quoad dicta, nova, immutata vel aggravata onera poſt annum 1640. introducta vel poſthac forte introducenda obſervabitur in cæteris Regionibus ac Provinciis Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ ſubjectis aut impoſterum forte ſubjiciendis. Adeoque vectigalium tabulæ in præfatis regionibus ac provinciis ſæpius memorato anno 1640. publica authoritate receptæ, tam in acceſſu quam in reditu, pro regula & norma erunt, eodem modo, quo de tabula Svecica ſuperius cautum atque ſtatutum eſt.

Sæpememorata æqualitate utriusque Fœderati incolæ & ſubditi gaudebunt, non ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad bona, merces ac naves ſuas. Quapropter omnia onera, quæ poſt annum 1640. navibus mercibusque impoſita remanebunt, quæve poſthac ſpecialibus ex cauſis & urgente neceſſitate iisdem de novo, aut per modum augmenti imponentur, æqualiter exigentur à navibus mercibusque ſubditorum Sveciæ ac Incolarum Belgii absque ullo diſcrimine, ſive naves in ditionibus Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ, Fœderati Belgii vel alibi extructæ ſint, ſive etiam merces navibus ſubditorum Sveciæ vel Fœderati Belgii, vel etiam navibus in ditionibus Regni Sveciæ vel Fœderati Belgii extructis impoſitæ fuerint.

Ad explicationem quoque Clauſulæ præfatæ, ſtipulationi æqualitatis ſubjectæ, per quam in ſæpius allegato Tractatu cautum eſt, quod ſub iſta æqualitate nullatenus intelligenda ſint peculiarium ſocietatum, ac ſubditarum perſonarum ſpecialia privilegia, declaramus, quod dicta clauſula ſolummodo appoſita ſit ad conſervationem jurium dictis ſocietatibus, ac ſubditis per conceſſa privilegia competentium, non vero ut earum ſocietatum membra prætextu aut vigore iſtius Clauſulæ reſervatoriæ aliqua præ ſubditis ac incolis alterius fœderati immunitate in ſolvendis vectigalibus vel quibuscunque aliis oneribus fruantur, quæ poſt annum 1640. impoſita remanebunt, vel urgente neceſſitate de novo vel per modum augmenti, impoſterum imponentur, neque eorum reſpectu à ſubditis alterius Fœderati majora aut graviora onera quam ab iis exigentur.

Ultimo ad præcavendas omnes ſiniſtras conſequentias, quæ reſpectu urbis Gedanenſis oriuntur aut in-

Digitized by

impoſterum elici poſſent, in prava interpretatione Art. III. de vera ac firma amicitia & bona correſpondentia mutuo ac reciproce cum omnibus ſæpe memorato Elbingenſi Tractatu comprehenſis colenda.

Declaramus, mentem contrahentium in concipiendo iſto articulo non fuiſſe neque nunc eſſe, ut dicta amicitia Civitati Gedanenſi alias vel ulterius applicetur, niſi in quantum ea Converſationes ac Commerciorum uſum inter utriusque partis reſpective ſubditos & incolas concernit, non autem ut exinde præfata civitas ad aliquid aliud præſtandum obligetur, multo minus ut fidei, quam Regi Poloniæ debet, derogetur, eo tamen ſenſu (quemadmodum ſæpius memorato Elbingenſi Tractatu cautum eſt,) inter Sacram Regiam Majeſtatem Sveciæ & Civitatem Gedanenſem ceſſet omnis hoſtilitas. Cum autem de voluntate civitatis Gedanenſis circa negotium hoc incluſionis conſtare debeat, promittunt Legati uniti Belgii, ſeſe contenta hujus articuli explicatorii Senatui dictæ Civitatis primo quoque tempore perſcripturos, quo quantocyus incluſionem acceptare poſſint, quam acceptationem, ut ejus fructum percipere queat, ſignificare tenebitur, & quidem intra ſpatium Menſis proxime inſequentis eum diem, quo id ipſi in legitima ac debita forma notificatum communicatumque fuerit: Intra quod temporis ſpatium & Elector Brandenburgicus mentem ſuam ſuper incluſione declarare obſtrictus erit, ut ejus commodis ac beneficiis gaudere ac frui poſſit. Idque prævia tractatione & reconciliatione cum Sacræ Regiæ Majeſtate Sveciæ facta.

Convenit quoque, quod Reges Galliæ, Daniæque atque Angliæ Respublica eorumque reſpective ſubditi prærogativis omnibus per fœdus Elbingenſe atque hæc fœderis iſtius interpretamenta conceſſis communiter & ex æquo fruentur cum uniti Belgii ſubditis, poſt declarationem factam, quod includi velint.

De cætero reliqua contenta ſæpè dicti tractatus utrinque ſincere & bona fide interpretanda & ante omnia præciſe præſtanda & adimplenda fore, promittimus, & omnia hacce conventione comprehenſa exacte obſervanda ſpondemus, ſub approbatione & ratificatione Dominorum utrinque noſtrorum intra quatuor ſeptimanas à tempore receptionis invicem commutanda. In cujus rei fidem ac Certificationem duo hujus Tractatus exemplaria confici curabimus, ac ſubſcriptione & ſigillorum noſtrorum impreſſione munivimus. Actum Helſingoræ 29. Nov. (19. Dec.) Anni 1659.

Schering Roſenhan,
(L.S.)

Sten Bielke,
(L.S.)

Gr. van Slingelandt,
(L.S.)

P. Vogelſang,
(L.S.)

Pr. de Huybert,
(L.S.)

W. Harrn.
(L.S.)

ARTICULI TOSTRUPIENSES.

I.

Sit & maneat in posterum inter Regem & Regnum utrumque, nec non eorum subditos & incolas invicem Pax sincera & perpetua, & ita quidem, ut posthac omnes utrinque cessent dissensiones & discordiæ, contra vero ab utraque parte reducatur amicitia firma & secura, beneficioque Generalis Amnistiæ penitus oblivione sepeliatur, quicquid vel ante bellum vel ipso flagrante mali sive damni invicem inflictum fuit.

II.

Utraque Pars omnibus fœderibus in præjudicium ac detrimentum alterutrius initis renuntiet.

III.

Nec una pars contra alteram fœdera ineat, aut alterius hostibus opem ferat, & succurrat, quibuscunque demum id modis fiat.

IV.

Utraque Pars, quantum fieri potest, impediat, ne hostilis aliqua classis bellica per fretum Oresundicum aut Balthicum in ipsum Mare Balthicum penetret & irrumpat.

V.

Maneat itidem pactis Bromsebroënsibus pristinus vigor, in quantum per præsentes tractatus non immutantur.

VI.

Quicunque Reges, Respublicæ, Potestates & Principes hac pace comprehendi cupiunt, ab utroque Regum id requirere possunt.

VII.

Omnes naves Svedicæ ad subditos Svedicos spectantes, iisque propriæ à vectigalium pensione, visitationum onere & certificationum exhibitione liberæ ac immunes Oresundam vel fretum Balthicum transeant, dummodo in locis publicis, ubi Sacræ Regiæ Majestatis Daniæ teloniorum curâ est, legitimas suas atque justas Commeatus sive salvi passus Nautici literas, vulgo Siöpaß, monstrent & exhibeant. Aliarum vero mercium Svedicarum, navibus ad peregrinos pertinentibus impositarum, eadem ratio deinceps sit, ut antea, & ita quidem ut secundum tenorem Pactorum Bromsebroënsium legitimas certificationes suas exhibere teneantur, quarum ope & virtute ab omni telonio aliisque oneribus se liberas & eximias præstare poterunt.

VIII.

Sacræ Regiæ Majestati Sveciæ loco satisfactionis tam processione terrarum occupatarum, quam pro damno

Digitized by Google

domo per hoc bellum dato Rex Regnumque Daniæ cedat Hallandiam, Blekingiam, Scaniam & Bornholmiam una cum subjacentibus & appertinentibus insulis, nec non castellum Bahusiense in Norvegia una cum adjacenti districtu & præfectura, cum omnibus ac singulis Regalibus, juribus & appertinentiis, nullis exceptis, non secus ac Regnum Daniæ eadem hucusque possedit & obtinuit.

IX.

Regiæ item Majestati Regnoque Sveciæ Rex Regnumque Daniæ cedat districtum seu præfecturam Nidrosiensem, communiter Thrundheimensem appellatam cum omnibus & singulis appertinentiis, quæ jure meritove vel hodie eo pertinent, vel olim eo pertinuerunt, tam terra, quam mari, ut incorporentur Regno Sveciæ in perpetuam proprietatem.

X.

Ex adverso S. R. Majestas Sveciæ, quascunque Regis Regnique Daniæ terras, ditiones ac fortalitia durante hoc bello sive in Dania sive Norvegia vel etiam Slesvicensi Ducatu, Holsatia & Comitatu Pinnebergensi occupata restituat. Pariter Sacra Regia Majestas Sveciæ pro se & Successoribus suis renunciet omnibus juribus & prætensionibus, quas in Comitatum Delmenhorst & Ditmarsiam ratione Ducatus Bremensis habet vel habere potest.

XI.

Omnes utrinque captivi, cujuscunque demum conditionis aut fortunæ sint, absque ullo lytro liberi dimittantur.

XII.

Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ exercitus quam celerrime id fieri possit, & minimum intra secundam diem mensis Maji ditionibus & terris Sacræ Regiæ Majestatis Daniæ excedat, interea eidem sustentatione necessaria prospiciatur, ita tamen, ut stricta inter milites disciplina vigeat & exerceatur.

XIII.

Consensum etiam est, ut omnes Ordines, tam Nobiles, quam ignobiles, Ecclesiastici & seculares Provinciarum & Præfecturarum, vigore hujus Tractatus in Dania & Norvegia cessarum iisdem legibus, privilegiis & immunitatibus, ut antea fruantur, in quantum Constitutionibus Regni Sveciæ non repugnant. Aliis Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ nomine promittitur, illorum privilegia, quibus hactenus gavisi sunt, auctum potius quam imminutum iri. Bona item & possessiones quæ vel hæreditatis, emtionis, oppignerationis titulo, vel aliis quibuscunque demum jure licitis modis, illis competunt, ipsimet & eorum hæredes ac successores securi retinebunt.

XIV.

Sacræ Regiæ Majestati Sveciæ omnes terræ & loca, quæ durante hoc bello occupata, ac Sveciæ Regno adempta sunt, ubicunque demum locorum sita, restituantur, ut & tres naves Svedicæ circa belli initia in freto Oresundico detentæ, una cum mercibus, quibus juxta tenorem Certificationum onustæ fuerant, vel earundem justo pretio similiter reddantur.

XV.

Cedatur etiam S. Regiæ Majestati Sveciæ omnis jurisdictio Ecclesiastica & secularis, quam Sacra Regia Majestas Daniæ in quædam bona Terrarum Rugiæ obtinuit.

XVI.

Omnia Fortalitia & Munimenta tam hoc bello expugnata & capta, quam mediantibus Tractatibus cessa, absque tormentis & apparatu militari tradantur. Illarum vero regionum & provinciarum agricolæ, ubi fortalitia ista sita sunt, tenebuntur prædicta tormenta & commeatum ad littus devehere, ubi commodis-

modiſſime navibus imponi poſſunt.

XVII.

Duci Holſatiæ à Rege Daniæ ſecundum æquitatem fiat ſatisfactio, de qua cum ipſo tractatibus & decernetur.

XVIII.

Itidem hiſce promittitur Comiti ab Uhlefeld reſtitutio omnium ſuorum bonorum tam mobilium quam immobilium cum omnibus reditibus ex eo tempore, quo in manus Commiſſariorum pervenerunt, in hanc usque diem perceptis. Et integrum praeterea erit ipſi, ejusque Comitiſſæ, Socrui, liberis, amicis & famulis libere in Dania ac tuto habitare atque degere, ubicunque commodum ipſis viſum fuerit. Feudis vero illis nempe Hirſcholm, Munckelin, ut & S. Joannis Monaſterio in Norvegia Comiti Uhlefeldio ejusque filio olim conceſſis juxta tenorem inveſtiturarum libere fruantur, eademque retineant.

XIX.

Publicatum manifeſtum antiquetur, & aboleatur, nec unquam poſthac divulgetur, recudatur, aut venale habeatur.

XX.

Regiæ item Majeſtatis Sveciæ Sereniſſimus Rex Daniæ bis mille equites & bis mille pedites tradat & exhibeat.

Ut autem ſupraſcripta omnia, quæ ab utriusque partis plenipotentiariis Commiſſariis promiſſa ſunt, fideliter ſerventur, una nobiscum Domini Mediatores Sacræ Regiæ Majeſtatis Galliæ & S. Celſitud. Domini Protectoris Angliæ in teſtimonium iſthoc ſubſcripſerunt, & impreſſione ſuorum Sigillorum confirmarunt. Toſtrupii die 18. menſis Febr. An. 1658.

Le Chevalier de Terlon
(L.S.)

Philippe Meadowve
(L.S.)

Joachim Gerſtrup
(L.S.)

Chriſten Skiel.
(L.S.)

TRA-

TRACTATUS ROSCHILDENSIS.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Caroli Guſtavi, Dei gratia Svecorum Gothorum, Vandalorumque Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Wandaliæque, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wiſmariæ, nec non Comitis Palatini ad Rhenum, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis &c. Regis & Domini noſtri Clementiſſimi Nos Plenipotentiarii Commiſſarii Cornificius Comes ab Uhlefeld, Dominus in Graslitz & Herrmannitus, Eques auratus, altiſſime memoratæ Sacræ R. Majeſt. Conſiliarius ſecretior: Steno Bielke, Liber Baro in Corpo, Dominus in Geddeholm, Groënſoën & Tanga, itidem S. Reg. Majeſt. Regnorumque Sveciæ Senator, Admiralis & Collegii Admiralitatis Conſiliarius: Notum hiſce volumus, quod poſtquam aliquo abhinc tempore diſſenſiones, ſimultates atque controverſiæ ſuccreverint & certæ ſint inter ſæpe dictam Sac. Reg. Majeſtatem Regnumque Sveciæ ab una, & Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem & Dominum, Dominum Fridericum Tertium Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regem, Ducem Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitem in Oldenburg & Delmenhorſt, Regnumque Daniæ ab altera parte, quæ eousque tandem eruperunt, ut flagrantem iſthanc belli flammam inter S. S. R. R. M. M. & glorioſiſſima hæc Regna non ſine ingenti utriusque Regni & eorum ſubditorum damno, decremento, ruina atque deſolatione produxerint, & excitarint: Primum quidem Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum ac Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, poſtmodum vero Sereniſſimus Dominus Protector Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ pro ſingulari ſuo amore & affectu, quo hiſce ligerantes hoſce Reges & eorum Regna complectuntur, conſultum putarint omnia poſſibilia indagare media, quorum interventu accenſa illa & latiſſime circum ſerpens belli flamma in Regnis his ſeptentrionalibus ſupprimi & extingui, in ejus vero locum pax, tranquillitas, amicitia & bona confidentia ſtabiliri & ad præcavendum omnibus futuris malis reſtaurari poſſit. In quem finem tam S. Reg. M. Franciæ quam Sereniſſimi Angliæ Protectoris Celſitudo Extraordinarios ſuos Legatos ad utrasque S. S. R. R. M. M. Sveciæ & Daniæ miſerunt cum mandatis ampliſſimis, ut totius Chriſtianæ Religionis ſtatum & pericula, quæ ob geſta iſthæc, bella eidem imminere poſſent, utrique Regnum ob oculos ponerent, & ad compoſitionem, conſiliaque pacifica eo magis illos allicerent ac permoverent, ut & præterea ſuorum Dominorum ac Principalium Mediationem & interpoſitionem ad ſalutare hocce pacis opus ſerio promovendum offerrent. Quapropter etiam S. R. M. Rex & Dominus noſter Clementiſſimus tam S. M. Galliarum Regis, & S. Celſitud.

Domini Protectoris Angliæ perſuaſionibus & conſiliis, quam proprio inſtinctu & deſiderio ad ſuffocandum & delendum belli iſtud incendium, & firmandam conſervandamque pacem ac tranquillitatem intra Regnorum ſuorum fines, ut & fidam amicitiam & bonam correſpondentiam cum omnibus vicinis ac finitimis, præſertim vero cum Dania & Norvegia, quippe quæ non ampliſſimorum modo finium ſeſe invicem attingentium ratione, verum etiam in multis aliis plurimum mutui commercii obtinent, ſuorum confœderatorum amicabilius conſiliis patentes aures præbuit. Et cum tandem Sac. Reg. Majeſt. Daniæ itidem propenſionem ſuam per S. Celſitud. Domini Protectoris in aula ſua degentem Ablegatum extraordinarium ad pacem jucundam declaraverit, exhinc factum eſt, ut coitio quædam & congreſſus primum Rudcopiæ in Langelandia inter utriusque Regni Commiſſarios & Plenipotentiarios definiretur & conſtitueretur. Verum poſtquam interea temporis S. R. M. Rex & Dominus noſter Clementiſſimus armorum ſuorum ſucceſſu inſiſtens, eorundemque felicitate frui cupiens, una cum univerſo exercitu per Langelandiam in Lalandiam & Falſtriam pedem inferret, Commiſſarii Danici comitante eosdem S. Celſitudin. Domini Protectoris Ablegato Sac. Reg. Majeſt. non procul Wordingburgo huc in Sialandia obviam eundi anſam arripuerunt. Unde Sac. Reg. Majeſt. ut deſiderium ſuum, quo in pacem & concordiam fertur, approbaret, occaſionem iſtam præterire noluit, quin potius Nos ſuos Commiſſarios ſuo ac Regnorum ſuorum nomine conſtituit, debitaque & ſufficienti plenipotentia munivit. Quo facto Nos ſupra nominati cum altiſſime memoratæ Sac. Reg. Majeſt. ac Regni Daniæ Senatoribus & Plenipotentiariis, Commiſſariis, Nobilibus, Illuſtribus & Generoſiſſimis, Domino Joachimo Gerſtorfio in Tundbyholm, Equite aurato, Magno Regni Magiſtro & Præfecto Regio in inſula Bornholm, & Chriſtiano Skiel in Tulinge, itidem Præfecto Regio in Tryggevvalde convenimus, & poſt Plenipotentiarum, Procuratoriorumque noſtrorum tabulas mutuo perluſtratas, easque legitimas & ſufficientes repertas, & rite invicem permutatas in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis congreſſi ſumus, horumque Tractatuum initium fecimus. Et quanquam Commiſſarii Danici ut Regis & Domini ſui mentem & ulteriorem declarationem ſuper propoſita à Nobis puncta edocerentur, Hafniam abierint, nihilominus Tractatus ideo non abrumpebantur, præſertim quod promitterent, ſe in loco aliquo commodo nos quamprimum denuo conventuros. Id quod etiam ita contigit, dum primum in Prætorio ad Torrlanda Magla Sac. Reg. Majeſt. Dominum noſtrum clementiſſimum allocuturi, deinde in pago Toſtrup ad ibidem continuandum inchoatum pacis negotium comparuere. Ubi Nos una cum Chriſtianiſſimi Galliarum ac Navarræ Regis Conſiliario & ad Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ Legato Ordinario Illuſtriſſimo Domino Hugone Terlonio, Equite S. Joannis Hieroſol. ut & S. Celſitud. Domini Protectoris & Extraordinario ad Sacræ Regiæ Majeſtatis Daniæ Ablegato Illuſtriſſimo Domino Philippo Medovio adhibita accuratiſſima diligentia penſitavimus atque examinavimus omnes controverſias ac lites, quæ Regna hæcce invicem exercuerunt, omnesque modos atque vias ad eadem componendas, bonam veroſinceram & fidam amicitiam iterum producendam & ſtabiliendam inivimus. Quo in negotio ſupra laudati Domini Mediatores nomine ſuorum Principalium omnem ſedulitatem, prudentiam, dexteritatem, laborem atque induſtriam ſine ullo tædio & remiſſione tamdiu impenderunt, donec tandem inter Nos nomine S. S. M. M. Regum ac Dominorum noſtrorum Clementiſſimorum, eorumque Succeſſorum ac Regnorum Sveciæ ac Daniæ in certa quædam puncta ſive capita conſenſum ac conventum fuerit, quæ nunc heic Roſchildiæ, adſiſtente divina gratia mutuo beneplacito ab utriusque partis Commiſſariis melius elaborata, in ſolenniorem quandam formulam redacta, & ad præcavendum omnibus in poſterum litibus, erroribus ac controverſiis ulterius

terius diducta sint, modo ac tenore sequenti.

I.

Primum sit inter utrumque Regem & eorum Successores, Regna, ditiones, Consiliarios, Ministros, subditos & incolas Sveciæ, Daniæ ac Norvegiæ firma, perpetua & nunquam revocanda pax, ita quidem, ut omnes in posterum suspiciones, sinistræ voluntates, dissidia, discordiæ, inimicitiæ & bella sopita & sublata sint, tum & quæ ab utraque parte tam antea, quam durante hoc bello acta fuerint, beneficio generalis & ad quosvis pertinentis amnestiæ sepeliantur, nec unquam in memoriam revocentur aut repetantur. E contrario vero perpetua amicitia, mutua animorum benevolentia, concordia ac fida vicinitas restauretur & conservetur, ita ut alter alterius commodum verbis & factis non secus ac proprium promoveat ac defendat, & quicquid alterutrius personæ, Regimini, Regnis, ditionibus ac subditis in damnum ac præjudicium cedere possit, avertere studeat, & quantum in se positum impediat.

II.

Et ut hæc eo melius fieri possint, mutuaque confidentia inter utrosque Reges & eorum Regna Sveciæ ac Daniæ foveatur ac conservetur, ab utraque parte tollantur & rejiciantur omnes confœderationes cum aliis potestatibus, Regibus, Principibus, Statibus ac Rebuspublicis quibuscunque, in alterutrius partes detrimentum aut noxam initæ & sanctæ, sicut etiam in posterum una pars contra aliam nulla fœdera feriat, nec alterutrius hostibus ullo modo aut sub quovis prætextu succurrat & auxilium mittat.

III.

Ad eundem finem inter nos constituimus, & mutuo promisimus, nos nunquam concessuros, ut peregrina quædam classis inimica, cujuscunque etiam illa fuerit, per fretum Oresundicum aut Balthicum in mare Balthicum transeat, sed ab utraque parte pro omnibus viribus id impedituros & aversuros esse.

IV.

Conventum quoque ac conclusum est, ut omnes naves Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ, ejusdem subditis & incolis tam ipsius Sveciæ quam subjacentium Provinciarum, Regionum ac urbium, sine omni exceptione propriæ sive sint armatæ, sive non armatæ, sive parvæ, sive magnæ cum mercibus cujuscunque generis, quas vehant, sine discrimine, non solum in Oresunda & freto Balthico ab omnibus vectigalibus, inquisitionibus, detentionibus aliisque molestiis ac oneribus, quocunque demum nomine venire queant, liberæ ac immunes, sed & nullatenus obstrictæ esse debeant, ut secum habeant vel monstrent certificationes quasdam de mercibus impositis, si tantummodo in Reg. Majest. Daniæ telonio Helsingora & Neoburgi legitimas suas salvi passus nautici literas exhibeant & ostendant. Verum cum bonis istis atque mercibus, quæ quidem ad Sac. Reg. Majest. ejusdemque Successorum subditos & incolas tam in Svecia ipsa quam in omnibus aliis Sveciæ subjacentibus provinciis, regionibus ac urbibus spectant atque pertinent, sed peregrinis navibus impositæ sunt, eadem in posterum ratio, quantum certificationes concernit, juxta tenorem pactorum Bromsebroënsium obtineat & observetur, in eum quidem sensum, ut si tantummodo legitimas suas certificationes ostenderint, tunc sine impedimento, detentione, interdicto aut vectigalium exactione, quocunque demum modo per Oresundam aut fretum Balthicum ultro citroque libere transire possint. Ast bona Svecica peregrinis navibus imposita, quæ legitimas certificationes suas ostendere nequeunt, vectigali in freto Oresundico ac Balthico obnoxia sint & subjecta.

V.

Quandoquidem Sac. Reg. Majest. Sveciæ in hocce bello occupaverit, & armorum suorum virtute adquæsiverit varias Sac. Reg. Majest. Daniæ

ac Norvvegiæ Provincias, regiones atque insulas, & in iis sitas munitiones atque urbes jure belli nunc possideat, Sac. Reg. Majest. Daniæ consensit & constituit pro se, suis Successoribus, Daniæ & Norvvegiæ Regibus ac Regnis tam in satisfactionem & compensationem pro occupatarum Provinciarum restitutione, quam in reluitionem damni Sac. Reg. Majest. Regnoque Sveciæ per hoc bellum dati, & sumtuum impensorum, ut & ad declinandas ulteriores difficultates, ut Sac. Reg. Majest. ejusdem Successoribus, Sveciæ Regibus ac Regnis cedantur Provinciæ Hallandia, (quæ olim Regno Sveciæ in assecurationem data fuit) Scania, Blekingia, Bornholmia unà cum omnibus ad dictas provincias, regiones atque præfecturas pertinentibus urbibus, arcibus, castellis ac munimentis, insulis, scopulis, superioritatibus, Præeminentiis, regalibus, jurisdictionibus tam Ecclesiasticis quam secularibus, censu, proventibus, vectigalibus, reditibus ac juribus tam terra, quam mari, sicut olim Reges Daniæ ac Norvvegiæ easdem possederunt, ut in posterum penes Sac. Reg. Majest. ejusdem Successores ac Regna Sveciæ in perpetua possessione, proprietate ac dominio sine controversia permaneant.

VI.

Similiter ceditur Sacræ Reg. Majestati ac Regno Sveciæ à Sacra Regia Majestate Daniæ arx & præfectura Bahus, ut & Domus & præfectura Trundheimensis seu Nidrosiensis unà cum omnibus subjacentibus urbibus, oppidis, arcibus ac munimentis, ut & bonis Ecclesiasticis & secularibus, præfecturis & appertinentiis, quæ sub iis de jure comprehenduntur & olim eo pertinuerunt tam terra quam mari, ut Regno Sveciæ in perpetuam possessionem ac proprietatem inferantur. Quemadmodum tam de his, quam reliquis cessis, & præcedente articulo nominatim recensitis ditionibus ac provinciis peculiariter confectæ cessionis literæ S. Reg. Majest. Regnique Daniæ Senatorum subscriptionibus ac sigillis confirmatæ fusius demonstrant.

VII.

Ceditur itidem S. Reg. Majest. ejusdem Successoribus ac Regnis Sveciæ à Sacra Regia Majestate ejusdem Successoribus & Regno Daniæ omnis illa jurisdictio tam Ecclesiastica quam secularis, in quantum eandem habuit super bona quædam in Principatu Rugiæ sita.

VIII.

Omnes præterea Nobiles, qui in cessis provinciis, terris ac præfecturis bona possident, & ibi habitant, obnoxii erunt, & tenebuntur Sac. Reg. Majest. ejusque Successoribus ac Regnis Sveciæ, homagium suum ac fidelitatis juramentum præstare, seque ad debitam obedientiam, fidelitatem & servitia obstringere, quemadmodum olim Regibus Daniæ obligati fuerunt. Eundem in modum omnes reliqui in prædictis provinciis habitantes tam Ecclesiastici quam seculares, cives & agricolæ ab hac die Sac. Reg. Majest. ejusque Successoribus ac Regnis Sveciæ tantum, ac in perpetuum erunt obligati, & omnes Præpositi ac Sacerdotes sequentur illum Episcopum, Superintendentem & Consistorium, cui vel quibus Regia sua Majestas id committet & injunget.

IX.

E contrario à Sacra Regia Majestate Regnisque Sveciæ promissum fuit, quod omnes status sive Nobiles sive ignobiles, sive Ecclesiastici sive seculares, sive cives, sive agricolæ istarum Daniæ & Norvvegiæ provinciarum & præfecturarum, quæ mediantibus his tractatibus fuerunt cessæ, bona sua ac proprietates, quæ vel hæreditatis, emtionis, permutationis aut oppignerationis titulo ante bellum eis competunt, vel à Regno seu privatis invicem jure acceperunt, retinere debeant, & ita quidem, ut in posterum quoque plena facultas ipsos maneat bona illa seu proprietates possidendi, utendi, fruendi, retinendi, ut & alienandi, vendendi aut permutandi, sicut olim obtinuerunt. Similiter retinebunt consueta sua jura, leges, antiqua

qua privilegia & immunitates ſine omni impeditione & turbatione, in quantum tamen illa non contrariantur vel pugnant cum legibus Fundamentalibus Regnorum Sveciæ, cum quibus ſcilicet ceſſæ hæ provinciæ ac præfecturæ in perpetuum poſthac adunientur & conſociabuntur. Ut etiam appareat Sacram Regiam Majeſtatem Sveciæ ex ſingulari gratia & indulgentia malle eorum conditionem meliorem reddere, quam diminuere, promiſſum fuit, ut omnes tam Nobiles, quam Ignobiles, qui Sacræ Regiæ Majeſtatis ac Regnorum Sveciæ, juriſdictioni ſeſe omninò ſubjecerint frui poſſint eadem admiſſione & acceſſu ad honores & beneficia, ac ſi in ipſa Svecia nati forent.

X.

Conſenſum quoque invicem eſt, quod quando fortalitia & terræ Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ Commiſſariis cedentur, tunc ſimul omnia, quæ in promtu erunt documenta & inſtructiones de provinciarum iisque ſubjacentium bonorum conditionibus, reditibus ac proventibus, ut & finibus, limitibus ac terminis, quæque juſtitiæ adminiſtrationem concernunt ſcripta, libri redituum & alia, quæ ejusmodi notitiam progignere poſſunt, tradenda erunt. (*in Hafnienſe additur*, quoad adhuc reperiuntur, nec jam ante extradita ſunt) Quo facto duo vel tres Plenipotentiarii ab utraque parte conſtituentur, qui omnes fines, terminos atque limites interceſſas, iisque vicinas & adjacentes provincias & præfecturas revidere, ſeparare, dirigere & ordinare poterunt, (*in Hafnienſi additur*, ubi nondum reviſi, ſeparati, directi & ordinati ſunt) quo eo melius omnes controverſiæ ac lites declinentur, & quilibet in pace & quiete iis frui poſſit, quæ jure ipſi competunt.

XI.

Similiter S. R. M. Sveciæ omnes iſtæ provinciæ & loca, quæ durante bello occupata, Regnoque Sveciæ erepta ſunt, ubicunque demum illa ſita fuerint, ut & tres naves Svedicæ, ſub initium belli in freto Oreſundico detentæ, una cum impoſitis mercibus vel juſto earundem pretio juxta tenorem Certificationum reſtituantur. Conventum quoque ab utraque parte eſt, quod omnes illæ prædæ, quæ per conceſſas Commiſſiones quidem capi potuerunt, ſed ante pacificationem Toſtrupienſem in portus deductæ non ſunt, veris Dominis ac proprietariis reſtituendæ ſint. Alia vero bona ac mobilia poſt illud tempus unius vel alterius partis ſubditis tam terra quam mari ablata, nec ante ſæpe dictam pacificationem à S.S.R.R. M.M. Sveciæ vel Daniæ dono aliis data, itidem reſtituentur & reddentur.

XII.

Contra S. R. Majeſt. ejusque ſucceſſores ac Regna Sveciæ cedunt S. R. M. Regnoque Daniæ omnia illa jura & prætenſiones, quas S. R. M. jure belli habere poteſt in omnia Fortalitia, munitiones, inſulas, provincias, urbes atque territoria, quæ in hoc bello virtute ſuorum armorum occupavit, nominatim in provincias Sialandiam, Lalandiam, Falſtriam & Langelandiam una cum munimento Nagſeovv, item Fioniam, Jutiam, Ducatum Slesvicenſem, Holſatiam, Stormariam & Dithmarſiam cum fortalitio Friderici-Odda, munimento Hal, Arce & Comitatu Pinnenbergenſi, ſicut & in inſulas Alſen & Arrhöe cum arcibus Ducatibus Sunderburg & Norburg, ut & in omnes tam in his duobus Regnis Daniæ & Norvvegiæ, quam in prædictis Ducatibus & illis ſubjacentibus provinciis & inſulis urbes occupatas, munimenta, fortalitia, præfecturas, Arces Nobilium & territoria, quomodocunque nominari poſſunt, & in hac transactione per expreſſum excepta non ſunt, illaque loca omnia, poſtquam ſecundum tenorem hujus tractatus iterum reſtituta ac tradita ſunt, cum ſuis apertinentiis ac juribus S. R. Majeſtatem ejusque ſucceſſores ac Regnum Daniæ ſine omni impeditione ſequentur.

XIII.

Eodem modo cedit S. R. Majeſtas pro ſe, ſuis ſucceſſoribus ac Regnis Sveciæ omnia ſua jura & prætenſiones, quas S. R. Majeſt. ratione Ducatus Bremenſis (*in Hafnienſi additur* aut quocunque alio titulo unquam habuit, aut habere poterit) aut habet aut habere poteſt in Comitatum Delmenhorſt & Dithmarſiam, transfert-

que illa ſua jura in S. R. Majeſt. Daniæ, ejus Succeſſores & Duces è domo Holſatica Regiæ & Gottorpienſis lineæ, ita ut S. R. M. Sveciæ & ejus ſucceſſores nunquam ulterius in eas regiones prætendere (*in Hafnienſe additur*, ſive de jure ſive de facto) vel velint vel debeant. Quod ſi etiam S. R. M. Sveciæ ratione dicti Ducatus Bremenſis prætenſionem quandam obtineret in bona quædam Nobilium in Holſatia, ceditur eadem ſimul vigore hujus tractatus, & promittitur, quod documenta, quæ in promtu ſunt, & huc pertinent, S. R. Majeſtati Daniæ & Domui Holſaticæ, Regiæ & Gottorpienſis lineæ tradentur.

XIV.

Sicut autem munimenta utriusque partis, tam quæ hoc bello occupata ſunt, quam quæ per hanc pacificationem ceduntur, ſine tormentis, apparatu & commeatu bellico tradentur, ita convenit invicem, ut agricolæ earum præfecturarum, in quibus illa munimenta ſita ſunt, teneantur, tormenta, apparatum bellicum & commeatum ad litus devehere, unde commodiſſime in naves imponi & deferri poſſint.

XV.

Concluſum quoque & promiſſum eſt, quod in iis fortalitiis, quæ ab una vel altera parte cedentur, certum aliquod ſpatium determinandum ſit, ubi ille, qui locum munitum cedit, ſuum commeatum & apparatum bellicum tamdiu conſervet ac cuſtodiat, donec tempore commodo eundem alio transferre poterit.

XVI.

Ut autem in eductione militis, tradendisque invicem provinciis, urbibus & munimentis eo melior ordo utrinque obſervetur, inter utramque partem hac de re ita convenit, ut quamprimum 2000. equites (quos S. R. Majeſt. Sveciæ hoc ipſo S. R. M. Daniæ promiſit) traditi fuerint; exercitus Svedicus ſtatim Sialandia excedat. Poſtea Helſingburgum die 27. Landscrona 28. Feb. Malmogia die 1. Martii tradentur. Die 4. ejusdem menſis Commiſſariis Svedicis Chriſtianſtadium, eodemque die Commiſſariis Danicis Naxkovia tradetur, quo tempore exercitus Svedicus è Lalandia, Falſtria & Langelandia educetur. Die 15. Martii Chriſtianopolis & reliqua Blekingia una cum Bornholmia, ſiquidem fieri poterit, & cœli tempeſtas id permiſerit, ſicut & 18. Martii Bahuſium tradentur, die 1. Maji tradetur Nidroſia ſive Trundheim, præterea Jemptelandia & Bremervörda, ut & cætera loca, quæ Rex Daniæ hoc bello occupaverit, ubicunque etiam ſita fuerint, Svedicis Commiſſariis reſtituentur. Contra S. R. M. Sveciæ univerſus exercitus eodem die è Fionia, Jutia, Slesvicenſi Ducatu, Holſatia, Stormaria & Dithmarſia, ſubjectisque inſulis, munimentis, fortalitiis, Nobilium arcibus ac domiciliis, quocunque ea nomine venire poſſint, proficiſci incipiet. Munimentum vero Friderici-Odda, Pinneburgum, Fortalitium Hall cum omnibus aliis locis, ubicunque demum ſita ſint, quæ durante hocce bello in S. R. Majeſt. Sveciæ poteſtatem venerunt, eodem die 1. ſcilicet Maji Regis Daniæ Commiſſariis tradentur. Eodem etiam tempore inſula Alſen una cum Sunderburgo & Norburgo legitimis ſuis Dominis reſtituetur. Quod ſi præterea loca quædam in prædictis Regnis, Provinciis, Ducatibus ac inſulis ab alterutra parte occupata fuerint, ea ſimiliter ac ſi expreſſe hic nominata eſſent, iis, ad quos antea pertinuerant, reſtituentur.

XVII.

Et ut in permutationibus Fortalitiorum, ut & eductione militum ex urbibus & provinciis prædicto termino incolis nulla vis aut injuria inferatur, aderunt ab utraque parte Commiſſarii, qui hujus rei curam ſedulam agant, ne videlicet ſubditis aliquid violenter eripiatur, vel aliud quid illicitum injungatur. Et quoniam exercitui Svedico, quamdiu in his terris commorabitur, de neceſſaria ſuſtentatione proſpiciendum eſt, ita quoque hac in re bonus ordo & diſciplina obſervabitur, & hoc quidem modo, ut poſt diem concluſæ pacis à ſubditis nihil amplius & denovo vel pro redimendis ædium incendiis vel ſub aliorum belli onerum prætextu, quocunque demum nomine venire poſſint, petatur & exigatur, niſi quod ad debitam exercitus ſuſtentationem, juxta conſtitutionem à Commiſſariis utrius-

triusque partis hac in re faciendam, quamdiu in Regno hoc permanebit, opus erit.

XVIII.

Quod ſupra dictum eſt, de reſtitutionibus & ceſſionibus terrarum in definito termino, intelligendum erit ſecundum leges Patriæ, & ita quidem, ut qui præfecturas jam habeant & poſſideant, reditibus fruantur usque ad diem proximam Philippi Jacobi, integrumque eis ſit, debita ſua, dicta die Philippi Jacobi Anno 1657. usque ad annum 1658. exigere, hoc tamen reſpectu, ut ſi quæ ſtatim ſolvi nequeant, tantum temporis indulgeatur, quo ſucceſſive & in certis terminis, ut dicunt, ſolutio poſſit fieri.

XIX.

Omnes utrinque captivi cujuscunque fortunæ ac conditionis ſint, ſine ullo lytro ſtatim liberi dimittantur, quod autem ipſorum ſuſtentationem attinet, pro eo ſecundum æquitatem ſatisfacient.

XX.

Liberum quoque erit omnibus ſubditis & incolis ceſſarum regionum ac provinciarum in alias civitates atque loca, ut ibi habitent concedere, dummodo id fiat ſecundum ſtatuta provinciarum & privilegia urbium, de quibus migrare volunt. Quod bona vero ſecuritatis gratia hoc belli tempore urbibus illata attinet, eadem legitimi Domini ſine ulla contradictione & impeditione repetere poterunt.

XXI.

Priores tractationes & pacta, videlicet Stetinenſia, Sioeredenſia & Bromſebroënſia, quæ inter inclyta hæcce Regna olim inita, valorem & vigorem ſuum integrum in omnibus articulis obtinebunt, & non ſecus ac ante belli hujus initium rata erunt, & quaſi huic tractatui ad verbum inſerta eſſent, niſi in quantum hic expreſſe immutata ſunt.

XXII.

Sacra Regia Majeſtas Daniæ tenebitur ſecundum æquitatem ſatisfacere S. Principi Friderico Slesvici, Holſatiæ Gottorpienſi Duci. Qua de re utriusque partis tam Reg. Majeſt. Daniæ quam ſuæ Celſitudinis Commiſſarii tractabunt. Ita tamen, ut tractatus iſti intra 2. diem Maij finem ſortiantur.

XXIII.

Si quid præterea in hoc bello acciderit, quod tam inter Sac. Reg. Majeſtat. Regnumque Daniæ, & S. Cels. Ducis Holſatiæ Gottorpienſis uno vel altero modo ſimultates & diffidentiam producere & creare poſſit, vel à Sacra Regia Majeſtatis Daniæ & Ser. S. Celſitud. inter ſe, vel ab eorum miniſtris famulis ac ſubditis invicem aliter, quam in bonam partem, acceptum fuerit, illud omne ab hac die in illius præjudicium aut moleſtiam nunquam in memoriam revocabitur, ſed virtute hujus transactionis ab utraque parte componetur, oblivioni tradetur, & in totum delebitur.

XXIV.

Promittitur etiam vigore hujus tractatus, quod Dn. Cornificio Comiti ab Uhlefeld intra ſecundam Aprilis currentis hujus anni omnia ſua bona tam in Dania, quam in Norvvegia, mobilia & immobilia reſtituentur, ut & pro omnibus illatis damnis ſufficiens ſatisfactio & compenſatio intra proxime futuram S. Joannis feſtivitatem dabitur, ipſique ut & ejus Comitiſſæ, Socrui, liberis, amicis ac famulis integrum erit manere ac habitare libere & ſecure in Dania, ubicunque ipſi aut eis placuerit. Præfecturis illis vero nempe Hirsholm, Munkelin, & Monaſterio S. Joannis in Norvvegia, quas Comes Uhlefeld ac ejus filius olim habuerunt, ſecundum tenorem inveſtiturarum fruentur, easdemque retinebunt, & ipſius itidem conjugi debitus titulus plenarie reſtituetur.

XXV.

Quicunque Reges ſive Resp. Poteſtates ac Principes pace hac comprehendi cupiunt, apud utrosque Reges id requirere debent.

XXVI.

Conſenſum quoque eſt, ut jus Feciale una cum manifeſto Danico omnino abrogandum & nunquam in poſterum divulgandum aut recudendum ſit.

XXVII.

Quo autem hæc omnia tam in verbis quam in factis, quemadmodum præſcripta ſunt, ab utraque parte firmiter, fideliter ac ſincere nunc & futuris temporibus obſervanda & implenda ſint, promiſſum invicem eſt, quod noſtra hæcce amicabiliter inita pacta & compoſitiones ab utriusque Regni Regibus Carolo Guſtavo Rege Sveciæ & Friderico III. Rege Daniæ manuum ſubſcriptione & ſigillorum impreſſione confirmabuntur, & pro majori ſecuritate ab utriusque Regni Senatoribus ſubſcribentur, & ſigillis eorum munientur.

XXVIII.

Concluſum quoque & promiſſum fuit, quod ab utraque parte unus Regni Senator cum Secretario circa ſecundam diem Aprilis Helſingoræ convenient, & hujus hactenus ratificationem utriusque partis ſubſcriptione & ſigillorum impreſſione roboratam & firmatam modo jam prædicto ſecum afferent, invicemque permutabunt, ubi ſimul Danici literas ceſſionis ſuper Hallandiam, Blekingiam, Scaniam, Bornholmiam, Bahuſienſem item & Trundheimenſem præfecturas ſecum habebunt, & eodem tempore Commiſſariis Svedicis in concluſæ pacis robur, firmitudinem, & obſervantiam tradent & exhibebunt.

In majorem fidem & confirmationem hæc, ut jam præſcripta ſunt, in omnibus ſuis articulis, acta, pacta, decreta & concluſa eſſe, & à parte Sac. Reg. Majeſt. Domini noſtri Clementiſſimi & Regni Sveciæ fideliter & firme ſervatum iri, eorumque præterea ratificationes prædicto die allatum & conſtituto loco traditum iri, ideo manuum noſtrarum ſubſcriptionibus hæc confirmavimus, & ſigillis noſtris obſignavimus, ſimul petentes à Sacra Regia Majeſtatis Galliæ Legato Ordinario, & S. Celſitud. Protectoris Angliæ extraordinario Ablegato, tanquam pacificationis hujus mediatoribus, ut in majorem confirmationem ac certiorem teſtificationem hæc nobiscum ſubſcribere, & ſigillis ſuis obſignare velint. Actum Roſchildiæ die 26. Febr. Anno 1658.

Le Chevalier de Terlon (L.S.)

Philippe Meadovve. (L.S.)

Corfitz dzref, af Wlfeld (L.S.)

Steno Bielke. (L.S.)

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULI SECRETIORES.

QUandoquidem divina favente clementia, & interveniente amicabili tractatione coortæ olim diſſenſiones & controverſiæ nunc ſedatæ, compoſitæ, penitusque ſublatæ & extinctæ ſint, præter tenuia quædam puncta ſive capita, quæ ob certas cauſas inſtrumento pacis non inſerta ſunt, nos infra ſcripti conſultum duximus, ut puncta iſta peculiari quodam receſſu comprehenderentur, deque iisdem inter Nos conveniretur modo & tenore, ut ſequitur.

I.

Promiſſum & concluſum eſt, Generali Majori Ebboni Uhlefeldio in actionibus & prætenſionibus ſuis, quas uno vel alio modo in Dania habere poteſt, & urgere ſolet, ſecundum leges, jura & æquitatem, debitam & plenariam ſatisfactionem procurandam.

II.

Et ut omnia, quæ errores quosdam poſt ſe trahere, vel animos ab hac vel illa parte exulcerare & diſtrahere poſſint, penitus eradicentur, & è medio tollantur, in majorem pacis confirmationem & augmentum conventum invicem eſt, ut periſtromata illa ſeu Tapetia, quæ in ignominiam & dedecus Regni Svedici contexta heic in Dania aſſervantur & cuſtodiuntur, aliis coloribus ſuperillinantur.

Et quamvis puncta hæc in inſtrumento pacis non allegata ſint & expreſſa, promiſimus nihilominus & recepimus, quod eundem valorem & vigorem obtinebunt, ac ſi prædicto inſtrumento pacis una cum aliis ratihabitis & confirmatis punctis de verbo ad verbum inſerta forent. In quorum majorem fidem & certitudinem Nos hoc ipſum manibus Noſtris ſubſcripſimus, ſigillisque noſtris communivimus. Actum Roſchildiæ die 27. Febr. An. 1658.

Joachim Gerſtorf (L.S.)

Chriſten Skiel. (L.S.)

TRACTATUS HAFNIENSIS.

SEreniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Caroli XI. DEI Gratia Svecorum, Gothorum Vandalorumque Regis &c. &c. Nos Commiſſarii Plenipotentiarii Scheringius Roſenhan, Liber Baro in Ikalaborg, Dominus in Torpa, Tyſta, Engelholm & Hagen, ſumme memoratæ Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sveciæ Senator, Conſiliarius Cancellariæ, & ſummus præfectus arcis Holmienſis, & Judex Provincialis Sudermanniæ: Steno Bielke, Liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Grænſoë & Tanga, itidem altiſſime memoratæ Sac. Reg. Majeſt. Regnique Sveciæ Senator, Admiralis & Collegii Admiralitatis, Cancellariæque Conſiliarius, notum teſtatumque facimus, quod, quandoquidem poſt nuper Roſchildiæ 26. Febr. 1658. inter inclyta duo hæcce Septentrionalia Regna concluſam, confirmatam & ratihabitam pacem variæ controverſiæ & ſimultates inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Guſtavum quondam Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ &c. beatæ & glorioſiſſimæ nunc memoriæ, Regnumque Sveciæ ab una, & Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum III. DEI Gratia Daniæ Norvvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regem &c. ab altera parte denuò ſubortæ ſunt, quæ diſſidia non ita pridem ſopita rurſum excitarunt, ac eousque propagarunt, & dilatarunt, ut inde non ſolum inter ſumme memoratam Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ glorioſiſſimæ memoriæ, & ſumme itidem memoratam Sac. Reg. Majeſt. Daniæ apertum bellum inceptum, verum etiam ſub Sereniſſimo ejus Filio, nunc Regni Gubernacula tenente, in hunc usque diem continuatum ſit, eaque de cauſa Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum ac Navarræ Rex, tum vero Sereniſſima Respublica Angliæ, ac Celſ. & Præpotentes Dom. Ord. Belgii, ex ſingulari affectu conſultum duxerunt, omni poſſibili modo id agere, ut bellum hoc tam late ſerpens ſopiretur, inque ejus locum exoptata pax, ſecuritas ac fida amicitia rurſum reduceretur. In eum finem aliquo abhinc tempore, proxime ſcilicet elapſo anno ad utrasque Regias Majeſtates Sveciæ, Daniæque ablegantes plena poteſtate munitos ſuos reſpective Legatos, Commiſſarios, Deputatos, Plenipotentiarios, primum quidem ſumme memorata Sereniſ. R. M. Franciæ ſuum Conſiliarium & ad Sacram Regiam Majeſtatem Sveciæ Legatum Ordinarium, Excellentiſſimum Dominum Hugonem Terlonium, Equitem S. Joannis Hieroſol. & deinceps Sereniſſimæ Angliæ Resp. ſuos ad S. S. R. R. M. M. Sveciæ, & Daniæ Commiſſarios & Plenipotentiarios, Excellentiſſimos Dominos, Dominum Algernonum Sidney, unum è Parlamento & è Conſilio ſtatus, autoritate Parlamenti; & Dominum Robertum Honnivvod, Equitem & ex Conſilio ſtatus prædicto: Tum Celſi ac Præpotentes Dom. Dom. Ordines Generales Provinciarum Fœderati Belgii

Belgii ſuos itidem Deputatos, Plenipotentiarios, Excellentiſſimos Dominos, Dn. Godefredum à Slingeland, Conſiliarium & Aſſeſſorem Urbis Dordracenæ Primarium, Dominum Petrum Vogelſang, Conſiliarium ac Syndicum Urbis Amſterdamenſis, Dom. Petrum de Huybert à Secretis D.D. Ordinum Zeelandiæ, nec non Dominum Wilhelmum ab Haren, agri Bilthani in Friſiis Grietmannum & Toparcham, ad conſeſſum D.D. Ordinum General. nomine Provinciarum Hollandiæ, Zeelandiæ Friſiæque Deputatos, Commendatos ut utrique S.S. Regiæ Majeſtati ad oculos ponerent, præſentium rerum conditionem & quantum diſcrimen quæque calamitas ſubſecutura hoc belli incendium eſſet, ni idoneis ac decentibus mediis mature ſedaretur. Tum &, ut compoſitionem pacificaque conſilia permoverent, & quo tanto magis ſalutare hoc pacis negotium promoveretur, ſuorum Dominorum &Principalium interpoſitionem & mediationem offerrent. Quapropter poſtquam ſumme memorata S. R. M. Sveciæ glorioſiſſimæ memoriæ Rex quondam noſter Clementiſſimus, inductus alte memoratorum Fœderatorum ſuorum ſedulis & amicis perſuaſionibus, tum proprio quo ferebatur motu ac deſiderio deponendi hujus belli, & obtinendæ ſecuræ duraturæque pacis, nec non firmandæ fidæ amicitiæ, & bonæ correſpondentiæ cum Sacra Regia Majeſtatis Daniæ vicino & amico ſuo in poſterum colendæ, tam ſalutari & Chriſtiano conſilio & oblatæ mediationi aures pronas & aſſenſum præbuit: & Sacra Regia Majeſtatis Daniæ Rex, ad id ſe induci ſivit, cum alte memoratorum fœderatorum ſuorum ſedulis & amicis perſuaſionibus, tum proprio quo ferebatur motu ac deſiderio deponendi hujus belli, & obtinendæ ſecuræ duraturæque pacis, nec non firmandæ firmæ amicitiæ & bonæ correſpondentiæ cum Sac. Reg. Majeſtatis Sveciæ vicino ſuo, in poſterum colendæ, & alte memorata moderna, Sereniſ. Majeſt. Sveciæ, Dominus noſter Clementiſſimus, divi Parentis veſtigiis inſiſtens, ejusque proni in pacem animi exemplo, nihil magis expetiit, aut cordi ſibi eſſe ſivit, quam ut omnes, quæ inter duo ſeptentrionalia hæc Regna enatæ ſunt controverſiæ, interveniente ſæpe memoratorum S. R. Majeſtatis Fœderatorum induſtria & cooperatione funditus omnino tollantur, ac firma tuta ac perpetua pax viciſſim ſanciatur: idcirco factum eſt, ut congreſſus inter utriusque Regni Commiſſarios & Plenipotentiarios conſtitueretur, & nos ſupra ſcripti cum ſumma memoratæ S. R. Majeſtatis Regnique Daniæ Commiſſariis, Plenipotentiariis, Illuſtribus Dominis, Domino Olao Paſbergio in Janit, Equite, Axelio Urupio in Belteberg, Equite, & Petro Rezio in Tijgeſtrup, ſupremo Theſaurario, Præfectis Regiis in Weſtervvick, Dalum & Mœna conveniremus, ubi poſt Procuratoriorum Plenipotentiarumque noſtrarum tabulas mutuo perluſtratas, easque legitimas repertas, & rite invicem permutatas, pacificationis hoc negotium aggreſſi ſumus, proponentes Nobis Inſtrumentum Pacis Roſchildianæ per omnes ſuos articulos percurrendum, eo quidem fine ac intentione, ut iſti tractatui, tanquam fundamento ſive baſi novam hancce pacificationem ſuperſtrueremus & experiremur, quomodo omnia & ſingula ita peragerentur, ut rite ſibi invicem reſpondere, & ad præſentium temporum conditionem adaptari & conformari poſſent. Quo in negotio etiam ſupra nominati Dn. Mediatores ſummam ſuam diligentiam, magnam induſtriam, prudentiam & indefeſſam curam ac laborem tamdiu & ſine tædio adhibuerunt, ut rem eo perduxerint, ut jam prædictum Pacis Roſchildianæ Inſtrumentum diligenter pervolverimus, quicquid in illo præſenti tempori convenire, & ex æquo reſpondere deprehenſum fuit, invariatum retinuerimus, probaverimus, confirmaverimus, quicquid vero mutatione aliqua indigere viſum erat, neceſſariis explicationibus, limitationibus, additionibus & reſtrictionibus adhibitis, præſenti tempori, negotiorumque conſtitutioni ita adaptaverimus, ut tandem divina favente gratia nomine S.S.R.R. Majeſtatum, Eorumque Succeſſorum ac Regnorum Sveciæ ac Daniæ mutuo beneplacito conventum ſit in hæc pacta & articulos qui ſequuntur.

I. II.

Uti I. & II. in Roſchildenſi.

III.

Uti IV. in Roſchildenſi.

IV.

Quemadmodum per pacta Roſchildenſia anno 1658. die 26. Febr. concluſa à Sacra Regia Majeſtate Regnoque Daniæ Sacr. Reg. Majeſtati Sveciæ ceſſa eſt arx & præfectura Bahuſienſis, ut & Scania, Blekingia & Hallandia Provincia cum omnibus eo appertinentibus urbibus & Caſtellis, Inſulis, ſcopulis, cumque Huena inſula poſtmodum quoque ceſſa cum omnibus aliis ſuperioritatibus, præeminentiis, regalibus, jurisdictionibus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, bonis & appertinentiis, cenſu, proventibus, vectigalibus, reditibus ac juribus, tam mari, quam terra, quocunque nomine veniant, ſicut Daniæ, Norvvegiæque Reges antehac eadem poſſederunt, Regno Sveciæ imposterum incorporanda in perpetuam & nunquam turbandam poſſeſſionem, quemadmodum peculiares Ceſſionales datæ Hafniæ 24. Febr. Anno 1658. à Sac. Reg. Majeſt. & Senatoribus Regni Daniæ ſubſcriptæ & ſignatæ ii amplius declarant; Ita hisce plane confirmatur & omni modo corroboratur earum Provinciarum, regionum, præfecturarumque ceſſio, ut dictæ Provinciæ, Regiones ac præfecturæ cum omnibus eo pertinentibus Urbibus, arcibus & caſtellis, inſulis, ſcopulis, ſuperioritatibus, præeminentiis, jurisdictionibus & omnibus juribus, quemadmodum ſupra memoratum eſt, in Sacræ Regiæ Majeſtatis ejus ſucceſſorum, Regnique Sveciæ ſempiterna & imperturbata poſſeſſione nunc & perpetuo maneant.

V.

Et ſiquidem ex re viſum, ut, quod conventionem de inſula Bornholmia attinet, ſeparato receſſui inſeratur, ideirco concluſum eſt, ut iſte actus ſive receſſus ejusdem ſit vigoris & roboris, ac ſi verbotenus hic comprehenſus eſſet, & ab utrisque Sac. Sac. Reg. Reg. Majeſtat. Majeſtatibus ratificetur, atque juxta reliqua pacta & conventa inviolabiliter obſervetur.

VI.

Quandoquidem etiam ignium nocturnorum, qui inter Schagam & Falſterbo non ſine ingenti navigantium commodo inſtituti ſunt, quidam in Sacr. Reg. Majeſt. Sveciæ ditionibus, ſumtibus & impenſis Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ, quidam vero in ditionibus S. R. Majeſtat. Daniæ ejus impenſis ali debent, iſtorumque ignium nomine vectigal quoddam à ſingulis navibus præter navigantibus Sacr. Reg. Majeſtati Daniæ ſolvitur. Conventum eſt, quod in refuſionem ſumtuum, qui alendis dictis ignibus impenduntur, & ad compenſandas ex æquo impenſas Sac. R. Majeſt. Daniæ obſtricta erit annuatim expendere ſummam trium millium quingentorum imperialium, cujus ſummæ dimidium ſingulis ſemeſtribus S. R. Majeſt. Sveciæ Miniſtro Elſingoræ vel Elſingburgi adnumerabitur, ita tamen, ut S. R. Majeſtat. Regnumque Sveciæ nec inde, nec quocunque prætextu ullum jus, vectigal, aut tributum aliquod in Oreſundico freto imperandi aut exigendi prætendat.

VII.

Conventum quoque eſt, ut quotiescunque Svedicarum bellicarum navium, una pluresve majores ſive minores, Fretum Oreſundicum tranſeunt, è regione arcis Croneburgenſis teſſeram Svecicam tormentorum diſploſione edant, ac viciſſim Danica teſſera ab arce edita ſimiliter honorentur, ſed & navium Danicarum Bellicarum una vel plures per Fretum tranſeuntes itidem ante Helſingburgi arcem teſſeram Danicam tormentorum exploſione edent, & ſimiliter ipſæ teſſera Svedica ab arce viciſſim honorabuntur. Sin vero acciderit, ut naves Svecicæ Daniæque vel in mari aut in portubus ſibi occurrant, vel invicem ſe ibi oſtendant, quo demum numero ab una alterave parte fuerint, nullæ ex eis tenebuntur velum velave ſupremi

mali

mali demittere, verum consueta tantum tessera juxta usum, qui ante hæc obtinuit, mutuo se amicabiliter salutabunt.

VIII.

Quandocunque continget, alterutrum Regum copias militares navesque armatas ex Oceano in mare Balticum, vel inde in Oceanum transferre & mittere, atque numerus earum juste suspicionem quandam creare possit, conventum atque concordatum est, quod siquidem copiæ militares, quæ simul transportantur excedant mille ducentos, naves vero bellicæ superent numerum quinarium, tribus ad minimum hebdomatibus utrinque id prævia notificatione, & quidem à Sacra Regia Majestate Sveciæ Helsingoræ aut Neoburgi, à Sacra Regia Majestate Daniæ vero Helsingburgi tantum facienda, absque ulla alia notificatione, quando sive copiæ sive naves bellicæ per Fretum Balticum transeunt, significandum sit priusquam adveniunt.

IX.

Uti VII. in Roschildensi.

X.

Pari modo conventum est, ut quicquid residuum est ex summa, pendenda propter onus salis, quo tres Svecicæ in Freto Oresundico sub initium prioris belli detentæ, naves oneratæ fuerunt, secundum liquidationem Hafniæ postea factam, exsolvatur, eaque de causa ita transactum, ut Regia Majestas Daniæ intra anni & diei spatium, prædictam restantiam per certos & qui solvendo sunt mercatores Hamburgi ei adnumeret, quem Sacra Regia Majestas Sveciæ ad eam summam accipiendam ordinaverit.

XI.

Uti VIII. in Roschildensi.

XII.

E contrario à Sacra Regia Majestate Regnisque Sveciæ promissum fuit, quod omnes status sive Nobiles sive Ignobiles, sive Ecclesiastici sive seculares, sive cives sive agricolæ istarum Daniæ Norvegiæque provinciarum ac præfecturarum, quæ mediantibus hisce Tractatibus fuerant cessæ, bona sua ac proprietates, quæ vel hæreditatis, emptionis, permutationis aut oppignerationis titulo ante bellum eis competunt, vel à Regno seu privatis invicem jure acceperunt, retinere debeant, & ita quidem, ut in posterum quoque plena facultas ipsis maneat bona illa seu proprietates possidendi, utendi, fruendi, retinendi, ut & alienandi, reddendi, permutandi, sicut olim obtinuerunt; similiter retinebunt, consueta sua jura, leges, & super bonis ipsorum ac prædiis dominicis antehac obtenta jura, privilegia & immunitates, cujusmodi sunt Dircæ, Vitæ ac Manus, ut & Patronatus secundum provinciæ leges ac constitutiones & jura sine omni impedimento & turbatione, in quantum tamen illa non contrariantur vel pugnant cum legibus fundamentalibus Regnorum Sveciæ, cum quibus scilicet cessæ hæ provinciæ ac præfecturæ in perpetuum posthac adunientur & confociabuntur. Quicquid in provinciis concessis, lege, judicio aut jure decisum, aliisque legitimis modis diremtum, & ad finalem litis processum perductum est, illud omne posthac penitus & modis omnibus immutatum & immotum permanebit. Ut etiam appareat, Sacram Regiam Majestatem Sveciæ ex singulari gratia & indulgentia malle eorum conditionem meliorem reddere, quam diminuere, promissum fuit, ut omnes Nobiles, qui Sacræ Regiæ Majestatis ac Regnorum Sveciæ jurisdictioni sese omnino subjecerint, quoad personas illorum utantur omnibus illis prærogativis & privilegiis, quibus Regiæ Majestatis Regnique Sveciæ subditi & Nobiles fruuntur, ut videlicet in Equestrem Curiam Nobilium Sveciæ recipiantur admittanturque & æquali cum iis ferendi voti jure gaudeant, secundum primam ordinandæ equestris Curiæ constitutionem, idque ita quidem, ut quotquot Nobilium probare possint, se aut majores suos Senatorio munere

in Regno Daniæ functos fuisse, ea prærogativa honorandos se sciant, ut in secundam classem Equestris Sveciæ Ordinis admittantur. Cæteri vero juxta Equestris Curiæ ordinantiam recipiantur, atque ita plane hoc ipso in Nobiles Svecos cooptabuntur, usuri pari cum cæteris Nobilibus Svecis accessu & admissione ad beneficia & honores, quamprimum se capaces ejus rei declaraverint. Similiter promisit S. R. M. Sveciæ, non minus curaturam sese cæterorum Ordinum in cessis hisce provinciis, terris ac præfecturis commoda & conditiones ad conservanda eorum antiqua privilegia & libertates sine impeditione aut turbatione ulla, ita ut & illi, si infidelitate & debita devotione erga S. R. M. Sveciæ perseverant, spem certam conditionis illorum meliorandæ habere debeant, & similiter pari cum indigenis Svecis jure ad beneficia & functiones adspirare.

XIII.

Ut omnes sive in Scania sive in Dania aut Norvvegia incolæ, qui bona & proprietates in Scania, Hallandia, Blekingia & præfectura Bahusiensi cæterisque cessis provinciis aut urbibus habent, Nobiles aut Ignobiles, Ecclesiastici vel seculares, cives vel agricolæ nullo penitus excepto, libere rursum bonis ac prædiis suis fruantur eaque retineant cum omnibus, quæ ibidem reperiuntur & ad ipsos pertinent, mobilibus vel immobilibus, utque eorum possessiones proxime venturo die S. Joannis adeant & recipiant cum cunctis antehac obtentis privilegiis ac juribus in bona, prædia ac proprietates eum ad modum, sicuti super iis in pactis Roschildensibus transactum & conclusum est, eaque à S. R. M. Sveciæ postea aucta & meliorata sunt, sine ulla vindicta aut damno inferendo ob id, quod ab uno alterove, cujuscunque sortis aut conditionis fuerit, durante hoc ultimo bello factum & perpetratum est, ea tamen conditione, ut utrinque quidem circumspecti atque moderati Commissarii constituantur, qui inter utramque partem amicabiliter transigant, & æquam liquidationem faciant, in plenam utriusque partis satisfactionem, ut ab initio statim exoptatæ hujus pacis cunctis dissidiis obviam eatur.

XIV.

Uti X. in Roschildensi.

XV.

Contra S. R. M. ejusque Successores & Regnum Sveciæ S. R. M. ejusque Successoribus & Regno Daniæ cedunt omnia illa jura ac prætensiones, quas S. R. M. habere potest in omnia fortalitia, munitiones, insulas, provincias, urbes & territoria, quæ in hoc bello virtute suorum armorum occupavit, nominatim in Selandiam, Lalandiam, Falstriam & Moenam cum omnibus inibi sitis arcibus & munimentis Nyscopia, Nascovia, Fortalitio Cooster, Corsoer, Coëga & Cronenburgo, itemque aliis in hisce Daniæ Norvegiæque Regnis occupatis urbibus, castellis, munimentis, præfecturis, Nobilium arcibus & territoriis, quomodocunque nominari possint, quæque in hac transactione per expressum excepta non sunt, nec S. R. M. horum aut priorum pactorum vicessa. Et postquam secundum tenorem hujus tractatus reddita & restituta fuerint, cum omnibus suis appertinentiis & juribus S. R. M. ejus Successores & Regnum Daniæ sine omni impeditione sequentur.

XVI.

Et quo possit mutua inter hæc duo Regna fiducia & amicitia eo melius stabiliri S. R. M. Regnumque Sveciæ nullam vult refusionem impensarum in munimenta, fortalitia & opera à S. R. M. Sveciæ in Dania excitata & extructa: verum ea cuncta S. R. M. Regnoque Daniæ tempore evacuationis nullatenus destructa, inque eo statu, quo nunc sunt, integra tradenda curabit.

XVII.

Similiter ad instantiam DD. Mediatorum & amore pacis ceditur S. Reg. Majestati Regnoque & Coronæ Daniæ Domus & præfectura Trunthеimensis seu Nidrosiensis una cum omnibus subjacentibus urbibus, oppidis, arcibus ac munimentis, ut & bonis Ecclesiasticis ac se-

ac fecularibus, præfecturis & appertinentiis, Fœdere Roſchildenſi Sacr. Reg. Majeſtati Sveciæ conceſſis, ut Regno Norvvegiæ rurſum in perpetuam poſſeſſionem ac proprietatem coaleſcat, nulla à Sacra Regia Majeſt. ſibi ſuisque ſucceſſoribus & Regno Sveciæ in poſterum reſervata prætenſione, in quem finem literæ ceſſionis S. R. Majeſtati Daniæ deſuper juxta articulum VI. pactorum Roſchildenſium factæ reddentur & caſſabuntur.

XVIII.

Uti XIII. in Roſchildenſi.

XIX.

Atque ut renovata hæc amicitia eo firmiori fundamento inniti queat, S. R. Majeſt. Regnumque Sveciæ deſerere atque remittere vult, quemadmodum hiſce deſerit ac remittit jus, quod Regia Majeſtas ejusque ſubditi propter negotium Guineenſe in quatuor tonnas auri prætendit, ita ut abhinc nihil ob eam ſummam ulterius petatur & exigatur, verum Sac. Reg. Majeſtas Regnumque Daniæ ab omni ſolutione ſine ulla vel minima prætenſione, immune penitus maneat.

XX.

Sicut autem munimenta utriusque partis, tam quæ hoc bello occupata ſunt, quam quæ per hanc pacificationem cedentur, ſine tormentis, apparatu & commeatu bellico tradentur arce Cronenburgenſi excepta, ubi juxta unitam conventionem ea tormenta retinenda, quæ à Svecis illuc non advecta, quæve præter hæc nec Svecica inſignia habent, nec aliis inſcriptionibus ad Svecos pertinentibus notata reperiuntur; Ita invicem convenit, ut agricolæ earum præfecturarum, in quibus illa munimenta ſita ſunt, teneantur tormenta, apparatum bellicum & commeatum ad litus devehere, unde commodiſſimæ in naves imponi ac deferri poſſint.

XXI.

Concluſum quoque & promiſſum eſt, quod in iis fortalitiis, quæ ab una vel altera parte cedentur, certum aliquod ſpatium determinandum ſit, uti ille, qui locum munitum cedit, ſuum apparatum bellicum & commeatum, qui nunc ibi reperitur, tamdiu conſervet ac cuſtodiat, donec tempore commodo eundem alio transferre poterit.

XXII.

Omnes utrinque captivi, cujuscunque fortunæ & conditionis ſint, ſine ullo lytro ſtatim liberi dimittantur. Quod autem ipſorum ſuſtentationem attinet, pro ea ſecundum æquitatem ſatisfacient. Omnes itidem S. R. Majeſtatis Daniæ ſubditi, quos Rex & Corona Sveciæ ex provinciis & regionibus Danicis in alia quæcunque loca transferri curavit, liberam atque nullo modo impeditam habeant poteſtatem revertendi poſtliminio in patriam, & in libertatem priſtinam remeandi. Captis, qui ſacramento militari ſe addixerunt, & ſub vexillis Svecicis merentur, detur facultas redeundi, quibus id volupe eſt, uti & ab altera parte iis, qui merentur ſub ſignis Danicis, dummodo id fiat intra ſpatium trium menſium poſt ratificatam pacem.

XXIII.

Conventum quoque eſt, quod loca ab alterutro Regum intercepta aut expugnata poſt initam Roſchildiæ pacem, vigore horum pactorum reſtitui, illique parti denuo accedere debent, cujus aut fuerunt, aut ex autoritate fœderis Roſchildiani debuerant eſſe, eruntque hæc omnia confecta & conſummata, omnesque Reg. Majeſtatis Sveciæ copiæ equeſtres & pedeſtres ex omnibus Reg. Majeſtatis Daniæ Regnis, Ducatibus, provinciis & terris eductæ intra quatuordecim dies ad minimum à die permutatæ ratificationis, quæ intra menſis ſpatium poſt concluſam pacem fieri debet. In hunc quidem modum, ut quamprimum pax ſubſcripta, eodemque die publicata fuerit, obſidio ad Hafniam ſolvatur, ita ut caſtra intra quatuor ſubſequentes dies evacuentur, & intra quatuor rurſum proxime ſequentes dies Nycopia, Falſtria & Moöna cedatur. Et

econtra eodem tempore Tonninga obſidione liberetur, totumque Eyderſtadium & Huſum evacuetur. Octiduo poſt iterum Naſcovia cedetur, Danisque tradetur, & ſub idem tempus ſimul ac naves paratæ ac præſto fuerint, eductionis copiarum initium fiat. Octiduo rurſus poſt hæc Koega cedetur, militesque inde deducentur. Quamprimum ratificationes intra menſis ſpatium poſt ſignatam pacem permutatæ, navesque ad transportandum militem paratæ & ad manus fuerint, quatuor diebus inſequentibus Corſoera tradetur, & militibus navigiis impoſitis avehendi copias initium fiet, atque tunc temporis una Celſiſſimi Ducis Holſatiæ terræ ab omnibus Regiæ Majeſtatis Daniæ militibus liberatæ erunt. Statim poſtea, quæ adhuc reſtant copiæ ſive pedeſtres ſive equeſtres, naves portubus opportunis conſcendent, ſimiliterque ex Cronenburgo avehentur, ita ut munimentum decimo quinto die poſt permutatas ratificationes, ſive quando ſex ſeptimanæ poſt pacis concluſionem elapſæ ſunt, totaliter cedatur.

XXIV.

Et ut in permutationibus fortaliciorum & eductione militum ex urbibus & provinciis prædicto termino incolis nulla vis aut injuria inferatur, ſed ordine cuncta fiant, aderunt ab utraque parte Commiſſarii, qui ubicunque locorum in urbibus & Trajectibus ſedulam curam agant, ne ſubditis aliquid vi & direptione auferatur, vel aliud quid illicitum injungatur, ſub debita pœna tranſgreſſori infligenda. Et quemadmodum exercitui Svecico, quamdiu in his terris commorabitur, ne neceſſaria ſuſtentatione proſpiciendum: ita quoque hac in re bonus ordo & diſciplina ſervabitur, & hoc quidem modo, ut poſt diem concluſæ pacis à ſubditis nihil amplius pro redimendis ædibus, vel ſub aliorum belli onerum prætextu, quocunque demum nomine fiat, petatur & exigatur, niſi quod ad debitam exercitus ſuſtentationem juxta conſtitutionem à Commiſſariis utriusque partis faciendam, quamdiu in hoc Regno permanebit, opus erit. Et ut eo citius ac melius evacuatio perficiatur, Sac. Regia Majeſtas Daniæ jam illico & in tempore ubicunque trajectus opportuni ſunt, in qualibet provincia imperari jubebit, ut omnes idoneæ naves, pontones ac navigia cum apparatu, nautis & hominibus neceſſariis colligantur, inque promtu ſint, quemadmodum S. R. M. Sveciæ ſimiliter in prope ſitis, & ad ſuam S. R. M. pertinentibus locis neceſſaria navigia procuranda jubere vult, quo militum eductio, locorumque evacuatio omni modo maturetur, nec niſi vento impediatur. Cunctaque navigia, una cum nautis & hominibus ad ea pertinentibus, ut & alia quæ à parte Daniæ ad prædictam evacuationem faciendam procurabuntur, poſt finitam & præfectam trajectionem ſine omni detentione atque moleſtia libere ſtatim dimittentur.

XXV.

Uti XX. in Roſchildenſi.

XXVI.

Priores transactiones & pacta, videlicet Stetinenſia, Siæredenſia, Bromſebroenſia & Roſchildenſia, tertio articulo excepto, qui hic plane excluſus eſt, inter inclyta hæcce regna olim inita valorem & vigorem ſuum integrum in omnibus articulis obtinebunt, & non ſecus, ac ante belli hujus initium, rata erunt, & quaſi huic tractatui ad verbum inſerta eſſent, niſi in quantum hic expreſſe immutata ſunt.

XXVII.

Cum Articulo XXII. Pactorum Roſchildenſium cautum ſit, quod S. R. M. Daniæ tenebitur ſecundum æquitatem ſatisfacere Celſiſſimo Principi Slesvici, Holſatiæ Gottorpienſi Duci, poſtea quoque ea de re utriusque partis tam R. Majeſtatis Daniæ quam S. Celſitudinis Commiſſarii inter ſe tractarunt, atque Hafniæ 22. Maji A. 1658. tandem transegerunt, atque concluſerunt, conventum hiſce; eſt, ut ea omnia pacta & transacta accurate obſerventur, & undecunque fideliter & ex amuſſi adimpleantur,

XXVIII.

XXVIII.

Si quid præterea in hocce vel ſuperiore bello acciderit, quod tum inter S. R. M. Regnumque Daniæ & S. Celſ. Ducem Holſatiæ Gottorpienſem uno vel altero modo ſimultates & diffidentiam producere & creare poſſit, vel tam à S. R. Majeſt. Daniæ & Sua Celſit. inter ſe, quam eorum miniſtris, famulis & ſubditis invicem aliter quam in bonam partem acceptum fuerit, illud omne ab hac die cum intuitu mutuæ conſanguinitatis, & imprimis S. R. Majeſtatis Reginæ Sveciæ, tum ut inter utramque Regiam ſcilicet Ducalemque Holſaticam Gottorpienſem Domum ſolida & perpetua amicitia permaneat, in ullius præjudicium nunquam in memoriam revocabitur, ſed virtute hujus transactionis ab utraque parte componetur, oblivioni tradetur, & in totum delebitur. Vult etiam S. R. Majeſtas Daniæ non ſolum, cum in Dania evacuatio fit, ſuum exercitum atque copias ſuas ex S. Cels. Regionibus, munimentis & urbibus educere, ſed etiam omnem operam dare, ut Sacræ Regiæ Majeſtatis confœderati S. Celſ. munimenta, urbes & terras ſimiliter ſine mora ac tergiverſatione evacuent.

XXIX.

Quicunque Reges ſive Reſpublicæ, Poteſtates & Principes pace hac comprehendi cupiunt, apud utrosque Reges id requirere debebunt. Per expreſſum vero hiſce includuntur, Imperator Romanus, Rex Poloniæ & Elector Brandenburgicus, una cum Regnis, Electoratu, Ducatibus & Provinciis eorum. Ita ut Sacra Regia Majeſtas Regnumque Sveciæ nullam quærat prætenſionem, ſub quocunque prætextu adverſus alte memoratum Imperatorem, Regemque Poloniæ ac Electorem Brandenburgicum propter auxilium ab ipſis hujus belli tempore contra Regnum Sveciæ ejusque confœderatos præſtitum.

XXX.

Includitur quoque huic pacificationi Dominus Antonius Guntherus Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Dynaſta in Jeveren & Kniphauſen, ejusque ſucceſſores Feudales & Allodiales, una cum Comitatibus, Dynaſtiis, terris, bonis ac juribus appertinentibus, uti & Dominus Joannes Princeps Anhaltinus lineæ Zerveſtanæ, ratione ditionis Zeverenſis, & Dominus Comes Antonius ab Oldenborgh, Nobilis Dominus in Varel & Kniphauſen cum ſuis Dynaſtiis, Dominiis, bonis ac juribus.

XXXI.

Conventum præterea eſt, omnes Hanſatico fœdere comprehenſas civitates, nullis exceptis includi, ut gaudeant & fruantur liberis & non impeditis Commerciis terra marique in utroque Regno. Et ſi quid in hoc bello evenit, quod unam alteramve partem offenderit, ſublatum id ipſum ſit, & perpetua oblivione ſopitum.

XXXII.

Et quandoquidem circa tempus Pacificationis Roſchildenſis ſecreti quidam articuli concluſi, qui hic reiterati non ſunt, illi omnes eundem vigorem obtinebunt, ac ſi verbotenus tractatui huic inſerti eſſent. Adhæc, quæcunque ſcripta durante hoc bello ab uno alterove in alterius nationis præjudicium atque ſcandalum tendentia edita eſſe poſſunt, hiſce penitus tollentur, caſſabuntur ac prohibebuntur, inque nullo ex hiſce Regnis abhinc divulgabuntur aut recudentur.

XXXIII.

Uti in Roſchildenſi XXVII. niſi quod pro Carolo Guſtavo ponitur Carolo Rege Sveciæ.

XXXIV.

Concluſum quoque & promiſſum fuit, quod ab utraque parte unus Regni Senator cum Secretario circa diem 24. Junii proxime futurum Helſingoræ convenient, & hujus tractatus ratificationem utriusque partis ſubſcriptione & ſigillorum impreſſione roborataam & firmatam modo conſueto ſecum adferent, invicemque permutabunt. Ubi ſimul Svecici

cici literas Ceſſionis ſuper præfecturam Drundheimenſem ſecum habebunt, & eodem tempore Commiſſariis Danicis ſinconcluſæ pacis robur, firmitudinem & obſervantiam extradent ac exhibebunt.

In majorem fidem & confirmationem hæc ut jam præſcripta ſunt, in omnibus ſuis articulis acta, pacta, decreta & concluſa eſſe, & à parte S. Regiæ Majeſtatis Domini noſtri Clementiſſimi & Regnorum Sveciæ fideliter & firmiter ſervatum, eorumque præterea ratificationes prædicto die allatum & conſtituto loco traditum iri, ideo manuum noſtrarum ſubſcriptionibus hæc confirmavimus. Et quoniam ad majorem eorum omnium ſecuritatem & conſervationem S. R. Majeſtatis Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, ut & Sereniſſimæ Reipubl. Angliæ & Celſorum ac Præpotentium D. D. Fœderati Belgii reſpective extraordinarii Legati, Commiſſarii & Deputati Plenipotentiarii, nomine ſuorum Dominorum Principalium ſimiliter promiſerunt, & cautione reciproca, ſive garantia tam generali omnium trium ſtatuum ſimul, quam ſpeciali ſingulorum ſtatuum ſeorſim obſtrinxerunt. Quemadmodum hiſce etiam in forma omnium optima, ampliſſima ſecuriſſimaque ſeſe invicem mutua obligatione obſtringunt, ut actorum transactorum ſponſores, fidejuſſores vindicesque ſint, idque effectum dent, ut hæc pacta conventa ſedulo ac penitus per omnes ſuos numeros impleantur, & rite in perpetuum obſerventur, tum quod procurare velint, ut ratificationes ſuorum Dominorum Principalium deſuper extradantur: Ideo ab illis, tanquam non ſolum pacis mediatoribus, ſed etiam pactorum conventorum ſponſoribus, fidejuſſoribus, vindicibus, petivimus, ut in majorem omnium confirmationem & certificationem hæc nobiscum ſubſcribere & ſigillis ſuis obſignare velint. Actum in Caſtris ad Hafniam die 27. Maji Anno 1660.

Hugues de Terlon
(L.S.)

Alo Sidney
(L.S.)

Gr. van Slingeland
(L.S.)

Schering Roſenhan
(L.S.)

Robert Honyvvood
(L.S.)

Peter Vogelſang
(L.S.)

Steno Bielke
(L.S.)

Peter de Huybert
(L.S.)

W. Haren,
(L.S.)

INSTRU-

INSTRUMENTUM PACIS OLIVENSIS.

In Nomine Sacroſanctæ & individuæ Trinitatis.

NOtum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, poſtquam à multis annis bella, diſſidiaque inter SereniſſimosRegesRegnaque Sveciæ & Poloniæ orta, & interdum induciis præcipue vero ſexennalibus A. 1629. deinde viginti ſexennalibus A. 1635. ſopita & compoſita fuerint, ac denique inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Guſtavum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, magnum Principem Finlandiæ &c. &c &c. & Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Joannem Caſimirum Regem Poloniæ, magnum Ducem Lithuaniæ &c. &c. &c. deventum ſit ad bellum, quod non ſolum dictos Reges, Regnaque eorum per plures annos exercuit, ſed & Poloniæ fœderatos ac belli ſocios, videlicet Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Slavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c. &c. &c. Sereniſſimo Regi & Regno Poloniæ ad ejusdem requiſitionem auxilia ferentem, nec non Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgicum Sac. Rom. Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, in Pruſſia &c. &c. &c. Ducem involvit, unde multa Chriſtiani ſanguinis effuſio cum plurimarum provinciarum deſolatione ſecuta eſt. Tandem divina bonitate factum, ut utrinque de pace univerſali, inter Regem Regnumque Sveciæ ab una, & Regem remque publicam Polonicam & ejus confœderatos ac belli ſocios ab altera parte, ſuſcepta ſit cogitatio, opera & ſtudio Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Ludovici XIV. Galliarum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi, qui huic paci conciliandæ Mediationem obtulit, & in ipſo negotio pacis per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Antonium de Lumbres, Dominum de Herbingen, Loos & la Coye, Comitem Conſiſtorianum, Regiique Ordinis Equitem Legatum ſuum eandem mediationem Sereniſſimis Regibus Sveciæ & Poloniæ, nec non Sereniſſimo Electore Brandenburgico acceptantibus, præſtitit. In eum ergo finem ex mutua partium conventione conſtitutus eſt dies quintus Januarii Anno 1660. congreſſui Plenipotentiariorum Olivæ inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore ac loco omnium paciſcentium legitime conſtituti Legati Plenipotentiarii, à parte quidem Sereniſſimi Regis Regnique Sveciæ Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Domini, Dominus Magnus Gabriel de la Gardie, Comes in Lecköö & Arensburg, Liber Baro in Eckholmen, Dominus in Habſal, Magnushof & Hoyendorp, Regiæ Suæ Majeſtatis Regnique Sveciæ Senator & Theſaurarius Generalis Gubernator Livoniæ & Locumtenens per Eſthoniam, Livoniam & Ingriam, mili-

militiæ Generalis, Judex provincialis Westergothiæ & Daliæ nec non Academiæ Upsalienſis Cancellarius: Dominus Benedictus Oxenſtierna, Comes in Korgholm & Waſa, Liber Baro in Moerby & Lindholm, Dominus in Coporie & Roſersberg, Suæ R. Majeſtatis Regnique Sveciæ Senator & Cancellariæ Conſiliarius: Dominus Chriſtophorus Carolus Slippenbach, Comes in Sahovede, Liber Baro in Liuſala, Dominus in Salinge, Suæ Reg. Majeſtatis Regnique Sveciæ Senator & Conſilii bellici Præſes: Et Dominus Andreas Gyldenklavv, Dominus & hæres in Schonela, Ekebii, Heylinge & Hulterſtadt Regiæ Suæ Majeſtatis Conſiliarius Status, & per Pomeraniam Regiam Reginalis & Cancellarius, ut & ſupremæ Curiæ Juſtitiæ Præſes. A parte vero Sereniſſimi Regis Reipubl. Poloniæ Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini et ordine Senatorio quidem Dominus Joannes Comes à Lezno, Palatinus Posnanienſis Reginalis, Majeſtatis ſupremus Aulæ Præfectus ac Mareſchallus, Generalis Maioris Poloniæ, Mariæburgenſis, Corſunenſis Gubernator: Dominus Georgius Lubomirski, Comes in Wiesniez & Jaroslavv, Supremus Regni & Campi-Mareſchallus, Generalis Cracovienſis, Scepuſienſ. Chmielicenſ. Percaslaviens. Caſimirienſ. Olſtinenſis Gubernator: Dominus Nicolaus in Prasmou, Prasmovvski, ſupremus Regni Cancellarius, nominatus Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis, Abbatiæ Siecichovienſis Adminiſtrator perpetuus, & Præpoſitus ſancti Michaelis Eccleſiæ Collegiatæ in arce Cracovienſi: Dominus Chriſtophorus Pac, ſupremus Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, Viſcovienſis, Oſtrinenſis, Koſienicens. Pleſezelens. & Nemanocens. Gubernator: Ex ordine vero Equeſtri Dominus Joannes Andreas de Raciborsko Mornſtin, Referendarius Regni, Rovvalenſis & Zavichoſtenſis Gubernator: Dominus Uladislaus Naglovice Rey Theſaurarius Curiæ Regni, Reginalis Majeſtatis Cancellarius, Neocorcinenſ. Libuſſienſ. Kamionacens Gubernator: Dominus Joannes in Gnin Gninskii Pomeraniæ Succamerarius, Gneſnenſis Gubernator. Ecà parte Fœderatorum Poloniæ, videlicet Sereniſſimi Imperatoris Romanorum, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Franciſcus Carolus Libſteinsky S. R. Imperii Comes à Colovvrat, Dominus in Reichenavv, S. Cæſ. Regiæque Hungariæ & Bohemiæ Majeſtatis Conſiliarius, Camerarius, Judicii majoris Provincialis Aſſeſſor, Regius Locumtenens & Appellationum in arce Pragenſi Præſes: Dominus Franciſcus Liber Baro de Liſola, à Thiſe & Marienfeld, Conſiliarius, Cameralis Aulicus. Et Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Joannes ab Hoverbecke in Eickmedien, Baronoven, Geyersvvald: & Dornkovv Dominus & hæres, Suæ Serenitatis Conſiliarius Status intimus, Electoratusque Dapifer hæreditarius, Hohenſteinenſis Præfectus: Dominus Laurentius Chriſtophorus à Somniz in Grumsdorf, Drenov & Gerbero Dominus & hæres, Suæ Ser. Conſiliarius status intimus & Orientalis Pomeraniæ Cancellarius, ejusdemque Ducatus Camerarius hæreditarius, Lauenburgenſis & Butovienſis præfectus: Dominus Albertus ab Oſtavv in Nerviken & Kegelſet Dominus & hæres, Suæ Serenitatis in ſupremo Ducalis Pruſſiæ Appellationum Judicio Conſiliarius. Poſt invocatum divini numinis auxilium, mutuasque Plenipotentiarum tabulas rite commutatas, Tractatus Pacis auſpicato inchoatus eſt. Et licet in ejus fere decurſu præmemoratus Sereniſſimus Rex Sveciæ diſponente ita divina providentia mortali hac vita deceſſerit, Tractatus tamen hic renovatis à Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino Carolo, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege & Principe hæreditario, Magno Principe Finlandiæ &c. &c. &c. Plenipotentiarum tabulis feliciter continuatus eſt, ac tandem ad divini Numinis gloriam & Chriſtianæ Reipubl. ſalutem partes omnes in mutuas pacis & amicitiæ leges conſenſerunt & convenerunt, tenore ſequenti.

I.

Sit pax univerſalis & perpetua, & vera ſinceraque amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem

pem ac Dominum, Dominum Carolum Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Ejusque Majestatis Succeſſores & poſteros Reges Svecorum Regnumque Sveciæ atque ſubjectas illis intra vel extra Imperium, ditiones ac provincias ab una: atque Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Joannem Caſimirum Regem Poloniæ, magnum Ducem Lithuaniæ &c. &c. &c. Ejusque Regiæ Majeſtatis Succeſſores ac Poſteros, Reges Poloniæ, magnos Duces Lithuaniæ, Regnumque Poloniæ & magnum Ducatum Lithuaniæ atque ſubjectas illis ditiones ac provincias, ut & ejusdem Majeſtatis & Regni Poloniæ Confœderatos, inprimis Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c. &c. &c. Ejusque Majeſtatis hæredes ac Succeſſores, provincias ac ditiones intra vel extra Imperium Romanum ſitas, & Sereniſſimum Principem ac Dominum Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgicum S. R. Imperii Principem Electorem & Archicamerarium, Magdeburgi, Pruſſiæ &c. &c. &c. Ducem, ejusque Serenitatis hæredes & ſucceſſores, provincias ac ditiones intra vel extra Imperium Romanum ſitas, ab altera parte: Ita ut altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiæ clam aut palam, directe vel indirecte inferat, vel per ſuos aut per alios inferri faciat, nec alterius hoſtibus auxilia quocunque nomine præſtet, nec cum alterius hoſtibus fœdera huic paci contraria ineat, nec quidquam in alterius ſtatus & ſecuritatis diminutionem per ſe, aut per alios moliatur aut tentetur, vel tentari faciat, ſed utraque pars alterius utilitatem honorem ac commodum promoveat, & fidam invicem vicinitatem, pacem & amicitiam ſerio colat & ſervet. Pacta vero & fœdera omnia, quæ partes paciſcentes inter ſe vel cum aliis Principibus ac ſtatibus utrinque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas & articulos integra & in pleno robore ſuo permaneant: Ita tamen, ut per ea præſens transactio Pacis nullum præjudicium patiatur.

II.

§. 1. Sit utrinque perpetua oblivio & amneſtia eorum omnium, quæ quocunque loco modoque à quacunque paciſcentium parte hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec eorum nec ullius alteriusve rei cauſa vel prætextu ulla pars alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, ſpecie juris aut via facti inferat, aut per ſuos aliosve inferri faciat.

§. 2. Hac generali amneſtia gaudeant omnes & ſinguli, cujuscunque ſtatus, conditionis & religionis fuerint, ut & omnes communitates, quæ ab utrinque parte hoſtiles ſecutæ ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem devenerunt. Nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ ſit, in ſuis juribus, privilegiis, ac conſuetudinibus generalibus & ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis quam in civilibus profanisque, quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt, ſed iis in totum fruantur ſecundum leges Regni. Nec ullis communitatibus aut privatis actio ratione adhæſionis hoſti intentabitur, ita ut nemini liceat alicui negotium faceſſere ratione illius adhæſionis hoſtilis, aut eam exprobrare.

§. 3. Civitatibus Pruſſiæ Regalis, quæ in poſſeſſione Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sveciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia jura, libertates ac privilegia, quibus ſive in Eccleſiaſticis ſive in profanis potitæ ſunt ante hoc bellum (ſalvo libero, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitio) earumque territoria, magiſtratus, communitates, cives, incolas & ſubditos Sacra Regia Majeſtas Poloniæ eadem qua olim clementia & gratia regia in poſterum proſequetur, fovebit & tuebitur. Dabitur iisdem quoque facultas, ædificia publica & privata per injuriam belli deſtructa reficere & reædificare, pro his vero, quæ neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur. Quoad ea vero, quæ militiæ Svecicæ

ciçæ tributi loco ab utriusque insulæ subditis exsolvere necesse fuit, à nemine molestia inferetur, sicut & propter decimas aliosve census quibus subditi insulani satisfacere tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur.

§. 4. Cunctæ actiones & inquisitiones adversus illos, qui partibus hostilibus hoc bello adhæserunt, vel easdem secuti esse insimulantur, quibuscunque in locis Poloniæ, magni Ducatus Lithuaniæ, Prussiæ regalis, Curlandiæque habitent, cujuscunque status & conditionis aut religionis sint, sive privati vixerint, sive officio publico functi aut servitio Suæ Majestatis Sveciæ in sago vel toga adstricti fuerint, institutæ necdum finitæ & ad executionem deductæ, abrogentur, omnique executione careant in perpetuum, & imposterum contra eos nulla unquam quæstio vel actio ex hac causa instituetur.

§. 5. Quæ durante hoc ultimo bello, jure fisci, ex occasione & prætextu adhæsionis aut protectionis alterius partis, cuiquam sive Nobili sive plebejo, cujuscunque status, conditionis ac religionis adempta, vel fisco illata, vel aliis collata sunt bona, sive Regia ac Reip. sive etiam privatorum sunt, mobilia quidem si tradita sunt, modernis possessoribus relinquantur. Si vero ejusmodi jura caduca hactenus in executionem deducta non sunt, antiquis possessoribus relinquantur, nec ulla actio dehinc adversus communitates aut privatos ratione ejusmodi bonorum intentetur. Bona vero immobilia hæreditaria, advitalitia & jure hypothecæ possessa, Fisco adplicata, tum quorum donationes & largitiones factæ sunt, sive jam ante tradita, sive nondum tradita sunt, maneant penes antiquos dominos cessantibus de cætero omnibus actionibus, ratione redituum sive ex publicis sive ex privatis bonis perceptorum.

III.

Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Joannes Casimirus Rex Poloniæ pro se ac hæredibus posterisque suis, amore pacis vigore hujus Instrumenti pacis solenniter ex nunc & in posterum renunciat omnibus prætensionibus in Regnum Sveciæ & Magnum Principatum Finlandiæ, & alias ipsis subjectas provincias, regiones, ditiones, civitates, castra & munimenta, sive hæc omnia nuper, sive ab antiquo acquisita sint, nec non in bona avita in Regno Sveciæ dictisque provinciis sita, in Regnum Sveciæ dictasque provincias & bona, præsentibus vel futuris temporibus nihil quidquam prætensurus. Quoad titulos & insignia ita conventum est, quod Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout hactenus, ita in posterum ad dies vitæ suæ utetur integris titulis & sigillis, insignibusque Regni Sveciæ in Polonia, & ad omnes Principes, status & privatos extra Sveciam sine ullo tamen plenariæ supradictæ Renunciationis præjudicio. Dictis vero titulis & insignibus non utetur ad Sereniſſimos Reges, Regnumque Sveciæ in literis aliisve Diplomatibus aut scriptis, sed observabitur ab utrinque receptus hactenus modus abbreviandorum titulorum cum Etcæterationibus, ita ut post verba Magnus Dux Lithuaniæ tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi moderni Regis Poloniæ, & viciſſim post verba, Magnus Princeps Finlandiæ, tres Etcæterationes in titulo Sereniſſimi Regis Sveciæ adjiciantur. Insignibus tamen Regni Sveciæ in sigillis Regis & Reipublicæ Poloniæ, dum in Sveciam scribitur, penitus omiſſis, post obitum vero moderni Sereniſſimi Regis Poloniæ Succeſſores ejus & Respublica Polona in Titulos & insignia Sveciæ nihil unquam prætendent, sed utrinque Reges & Regna suis quisque titulis & insignibus tantum plenarie gaudebunt & utentur.

IV.

§. 1. Sereniſſimus Rex & Status Ordinesque Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, à modo & in perpetuum cedunt vi hujus pacificationis Sereniſſimo Regi Sveciæ ejusque Succeſſoribus Regibus Regnoque Sveciæ, omnemque illam Livoniam trans Dunam, quam Svecia hactenus per tempus induciarum tenuit & possedit, ut & partes cis Dunanas omnes & Insulam Runen in mari sitam,

tam, quas per idem tempus induciarum Svecia tenuit & poſſedit, nec non quicquid juris Reg. & Reip. Poloniæ in Eſthoniam & Oſiliam hactenus ullo modo competere poterat. Atque hæc quidem omnia & ſingula cum omnibus ſuis pertinentiis terreſtribus & maritimis, urbibus, arcibus, propugnaculis, bonis & proventibus, nec non juribus, jurisdictionibus, Regalibus & ſuperioritatibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis, nullis penitus exceptis, in plenum dominium & proprietatem Regum Regnique Sveciæ transferunt, Ordinesque & ſubditos in illa Livonia, ejusque recenſitis partibus omni erga Regem & rempublicam Polonam obedientiæ vinculo & fidelitatis ſacramento exſolvunt, nihil unquam in eos, dictamque Livoniam ejusque pertinentias poſthac prætenſuri. Cis Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumque Sveciæ non ulterius quam hactenus fines ſuæ poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoveant, aut ſervitutes à ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiæ Ducis exigant, aut ullum jus ligandi, aliudve quodvis in Curlandia aut Semigallia prætendant. Commiſſarii vero ad declarandos & determinandos ab utraque parte fines ab utrinque deputabuntur & Commiſſio hæc intra quatuor ſeptimanas à ſubſcripto tractatu inchoetur & intra duas expediatur.)

§. 2. Quod religionem Catholicam ejusque exercitium in Livonia Svedicæ poſſeſſionis attinet, omnes incolæ Livoniæ ſubditique illi religioni addicti omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione, devotioneque ſua domi, ſine inquiſitione vel animadverſione privatim utantur.

§. 3. Tituli provinciales tam ſpirituales quam ſeculares, Senatorii & Equeſtris Ordinis in Livonia Svedica penes poſſeſſores modernos maneant, durante ipſorum vita, ſine ullis proventibus aliisve prætenſionibus. Nec ullum exinde præjudicium juri S. Regiæ Majeſtatis Regnique Sveciæ in Livoniam Svedicam, neque prætenſio quæpiam Regno Poloniæ, Magno Ducatui Lithuaniæ interea temporis & in futurum inde enaſcetur.

§. 4. Judicia omnia Decretaque ad cujusvis inſtantiam, modo non in invitos aut abſentes lata, nec non Contractus & Transactiones in locis, dum illa hoc bello Svecia tenuit, inſtitutæ judicialiter ſive extrajudicialiter, ſi modo ſtatui publico qui ante hoc bellum fuit, & pacificationi præſenti non contrariantur, firma maneant, æque ac ſi nulla regiminis & Magiſtratuum mutatio interveniſſet, ſalvis appellationibus & Reviſionibus in iis, in quibus hæc juris remedia hactenus haut fuerunt adhibita, & quæ in rem judicatam non tranſierunt. Sententiæ quoque & decreta, ſi quæ Rigæ in incolas & ſubjectos Magni Ducatus Lithuaniæ, tum & Curlandiæ Semigalliæque invitos vel inauditos & ex adverſo ſi ſimilia per Magiſtratus Magni Ducatus Lithuaniæ & Curlandiæ in Livoniæ Svedicæ ſubditos circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem & robur obtinebunt in perpetuum.

V.

§. 1. Pars Livoniæ eaque Auſtralis, quæ ante hæc & per hæc bella & temporibus induciarum ſub ditione fuit Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ, nempe Duneburgum, Roſiten, Lützen, Marienhuſen, itemque omnia loca, quæ per Comiſſarios ad id utrinque deputandos Polonicæ poſſeſſionis per tempus induciarum fuiſſe invenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, urbibus, pagis, fructibus & proventibus, teloneisque, juribus, directoque & utili dominio remaneant in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum & Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sveciæ in iſtam partem Livoniæ, ut ab altera diverſam, neque in Ducatum Curlandiæ Semigalliæque & diſtrictum Piltenſem vel reſpectu Livoniæ ſeptentrionalis, vel quovis alio prætextu nullum unquam jus prætendent aut prætendere poterunt. Cum vero Magnus Dux Moſchoviæ non modo Dictam Livoniam Polonicam, ſed etiam partem Sveciæ occupatas armis nunc teneat, ideo conventum eſt, ut ſi Reſpublica Polona aliquid ex Livonia Svecica quocunque tempore à Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, te-

neatur totum id Sveciæ ultro & gratuito non imputatis belli expenſis reſtitûere: Eodem modo & viciſſim, ſi regnum Sveciæ aliquid ex Livonia Polonica quocunque tempore à Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, tenetur totum id Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ ultro & gratuito, non imputatis belli expenſis reſtituere.

§. 2. Titulis & inſignibus Livoniæ tum Sacra Regia Majeſtas Sveciæ ejusque Succeſſores Reges Sveciæ ratione ſeptentrionalis Livoniæ, tum Sac. R. Majeſt. Poloniæ ejusque ſucceſſores Reges Poloniæ, magnique Ducatus Lithuaniæ ratione Auſtralis Livoniæ ſub titulo Ducatus promiſcue utentur.

§. 3. Si quas poſthac controverſias de limitibus aut de rebus aliis inter Regnum Sveciæ eique ſubjectas provincias, inprimisque Livoniam Svecicam ab una, & Regnum Poloniæ, magnum Ducatum Lithuaniæ, Livoniam Polonicam Curlandiamque & Semigalliam ab altera parte incidere & ſuboriri contigerit, ea per Deputatos utrinque Commiſſarios ad fines Livoniæ amicabili ratione complanentur. Si quæ vero lites minores exortæ fuerint inter ſubditos & incolas utriusque partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, quælibet pas ad ſuum competens forum remittatur & juſtitia indilate adminiſtretur.

§. 4. Subditi hoc ultimo bello fugitivi magni Ducatus Lithuaniæ, Samogitiæ, Curlandiæ, Livoniæ Polonicæ, quicunque in Livonia Svecica reperti fuerint, ſuis dominis ſine ullo proceſſu juris reddentur una cum ſuis mobilibus quæ inveniri poterunt, nec fugitivus ſub novo domino acquiſivit. Quod etiam vice verſa obſervabitur, ſi qui ſubditi fugitivi Livoniæ Svedicæ in magno Ducatu Lithuaniæ, Curlandia & Livonia Polonica reperti fuerint. Si qui etiam abducti ſunt, & adhuc ſuperſunt, reddantur & illi ſine proceſſu judiciario ſuis quique dominis.

§. 5. Quo favorem commerciis & navigationi S. R. M. Poloniæ conteſtetur, ſigna nautica in Domesnes & Luſerort extructa conſiſtere permittit. De ratione vero conſervationis & manutentionis eorundem convenietur, à Svecis cum fundi dominis. Nullo inde jure aut prætenſione Regni Sveciæ in fundos dictos aut territorium Piltenſe enaſcituro.

VI.

Illuſtriſſimus ſin Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux cum Sereniſſima Conjuge proleque ſua Ducali ac tota familia & aula absque ulla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium à die quinto Aprilis ſtili novi Rigam ſiſtetur. Inde vero intra dies quatuordecim decenti ac ſuæ dignitati accommodato convenientique modo, ubi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, ad fines Semigalliæ deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia non diſtracta, ubicunque intercepta, vel Rigæ depoſita, Literatoria ſimiliter ſive publica ſive privatorum Documenta bona fide extradentur & Mitaviam reportabuntur. Ante liberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari reverſalium diplomate caveat de non offendendo aut vindicando aliquid contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Sveciæ in futurum, ſalva fidelitate & obligatione.

VII.

§. 1. Sereniſſimus Rex Regnumque Sveciæ reſtituet Sereniſſimo Regi Reiquepubl. Poloniæ Mariæburgum Elbingamque cum ſuis fortalitiis, reliquaque in Pruſſia loca, quæ Svedicis Præſidiis tenentur, ac Mariæburgum quidem una cum arce ac fortalitiis ſuis, & Stuma, intra octiduum à ſubſcriptione moderni Tractatus, & depoſita in manus Excellentiſſimi Domini Mediatoris, Sereniſſimi Regis Poloniæ proviſionali horum pactorum ratificatione evacuabitur, & præſidium Svedicum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis fortalitiis, ubi tractatus modernus plenaria Sereniſſimi Regis Poloniæ ratificatione confirmatur, & per Reipubl. Comitiali autoritate delegatos pro futuro conventu ratificatus fuerit, quatriduo poſt ipſam ratificationum commutationem ſine contradictione evacuabitur, & in manus Sereniſſimi Poloniæ Regis ejusque Commiſſariorum tradetur.

detur. Bauſcum etiam, uti & reliqua, ſi quæ ſint in Svecorum poteſtate loca in Curlandia, præſidiis Svedicis evacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Livonia vel in abſentia ejus ad ejus locum tenentem pervenerit, de ſubſcripto tractatu, quæ notitia per tubicines utriusque partis conjunctim Rigam deferetur.

§. 2. Deductio militiæ Svedicæ, una cum bellicis tormentis majoribus & minoribus juxta factam hic conventionem, nec non cum impedimentis, fiet Elbinga diverſis vicibus intra tamen definitum tempus permutationis ratificationum & evacuationis Elbingæ, dato eidem libero & innoxio tranſitu, per Habum ad portum Pillavienſem, & inde ad naves proprias, quas milites conſcenſuri, ad ditiones Svedicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem navibus Elbinganis, & ſi illæ non ſufficiant, tum navibus adjacentium ſine aliquo pretio. Communicabit etiam præfectus militiæ Svedicæ & conveniet cum præfecto militiæ Electoralis, aut ejus locum tenente, de modo tranſitus per dictum portum Pillavienſem, & fiat de cætero ejusmodi deductio ſine damno & noxa ſubditorum in Pruſſia tam Polonicorum quam Electoralium. Quod ſi per periculum belli maritimo itineri militia ſeſe committere tuto nequeat, liber illi & innoxius tranſitus per terram, quam breviſſimo itinere, in ditiones juris Svedici proximas ſine damno incolarum Reip. Poloniæ & Sereniſſimo Electori Brandenburgico ſubjectorum, deducentibus Commiſſariis Sereniſſimorum Regis Poloniæ & Electoris Brandenburgici concedi debet: Juſtitia vero per præfectos indilate bona fide adminiſtretur damna & injuriam paſſis.

§. 3. Si cui, aut quibus in civitatibus Pruſſiæ evacuandis, earumque territoriis non placuerit manere, ſed mutato domicilio alio ſe conferre, iis liberum ſit in ſpatio trium abhinc annorum ſua divendere, ſine ullo impedimento aut onere ſub quocunque prætextu imponendo, ſalvis antiquis Civitatum juribus & privilegiis.

VIII.

Quicquid in Polonia & Magno Ducatu Lithuaniæ, provinciisque annexis, in iisque Curlandia, per hoc bellum Sereniſſimo Regi Regnoque Sveciæ eorumque Ducibus ac Legatis vel à privatis, vel à Communitatibus, Exercitibus & provinciis per neceſſitatem belli vel aliter datum eſt, quocunque titulo diplomatum, obligationum & literarum, inſtrumentorum & actorum publicorum, ea omni autographa, quæ ſuperſunt, Sereniſſimo Regi & Reip. Polonæ Ducique Curlandiæ circa ratificationum commutationem bona fide extradentur. Quod ſi naufragio abſorpta ſint, vel alio modo perierint, omnia ejusmodi ſcripta actaque privata & publica ex nunc caſſantur, annihilantur, nihilque exinde Reges Regnumque Sveciæ in provincias, exercitus, diſtrictus vel privatos in Polonia Magnoque Ducatu Lithuaniæ & provinciis illis annexis vel ſubjectis, in ſpecie etiam Curlandia & diſtrictu Piltenſi, juris prætendere velle aut poſſe omni meliore modo declaratur.

IX.

Reſtituentur quoque à parte Svecorum omnia Archiva, acta publica, Caſtrenſia, juridica, Eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca Regia, quæ ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ avecta, & quorum copia haberi poteſt, idque intra tempus commutationis ratificationum, vel ad ſummum intra tres menſes à facta commutatione.

X.

Obligationes atque recognitiones ſi quæ ſunt ab Illuſtriſſimo Curlandiæ & Semigalliæ Duce aut incolis Curlandiæ & Semigalliæ Diſtrictusque Piltenſis extortæ per Svecos aut viceverſa à Svecis per Polonos, in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur.

XI.

Debita inter utriusque partis

ſubditos & incolas, tum etiam à Ducibus & officiariis belli, ubicunque contracta utrinque bona fide ſolventur. Si quæ vero hoc bello ultimo obligationes & recognitiones extortæ ab utrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XII.

Depoſita aliaque bona mobilia, ubicunque reperiuntur, & fiſco nondum adjudicata, bona fide propriis dominis reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quæ fiſco adjudicata & extradita ſunt, præſtandam.

XIII.

Tormenta bellica majora minoraque in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ Pruſſia, Curlandia, cæterisque annexis provinciis à Svecis capta, ſive ſint Reip. ſive privatorum, ſive civitatum, quæcunque in locis evacuandis reperientur, exacte relinquentur. Quæ vero ex Svecia invecta ſunt in Poloniam, Lithuaniam, Pruſſiam, Curlandiam, liberum erit Sveciæ ſine ulla prætenſione ſecum auferre. Transactioni quoque deditionis Thoruniæ, quod adhuc reſtat, hac in re ſatisfiet.

XIV.

§. 1. Quicunque hoc bello ab utrinque inter Svecos, Polonos & Lithuanos in quocunque loco capti ſunt, cujuscunque conditionis & ſtatus, liberi & ſine ullo ſoluto pretio, niſi aliter ante hunc Tractatum ab ipſis conventum fuerit, dimittentur, priſtinæque libertati reſtituentur, ſolutis tamen impenſis Officiariorum in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis. Cæterum captivis quoque adnumerandi, & ab utraque parte reſtituendi ſunt, qui inviti militiæ alterius partis nomina dederunt. Omnes vero ſupradicti, qui quidem in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ, Pruſſia Regali, utraque Livonia aut Curlandia detinentur, intra tres ſeptimanas à ſubſcripto moderno tractatu, illi autem, qui extra Poloniam, Lithuaniam, Livonias & Curlandiam detinentur, intra tres menſes libertati reſtituantur. Quod autem de lytri conventi ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantum locum habebit, in majoribus Officiariis, utpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum Locumtenentibus & Capitaneis.

§. 2. Sacra Regia Majeſtas & Regnum Poloniæ, Magnusque Ducatus Lithuaniæ id paci huic perpetuæ dandum cenſuerunt, ut autoritatem & officia ſua interponant apud Chanum, Hordasque Tartarorum, quo ſine lytro captivi in Tartaria Svedici intra ſex abhinc menſes inde dimittantur. Dimiſſi vero per Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, annexasque iis provincias libere ac tuto tranſeant, & benigne habiti ad provincias & ditiones juriſdictionis Sveciæ promoveantur.

XV.

§. 1. Commercia priſtina ſint libera & non impedita inter utrumque Regnum Sveciæ & Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, ſubjectasque illis provincias, ſubditos & incolas tam terra quam mari, & in veteri uſu atque exercitio, quo fuerunt tempore induciarum conſerventur. Inprimis ſit liberum, commerciorum exercitium, liberaque defluitatio mercium per fluvium Dunam & Bulderaviam ſubditis & incolis Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ & Polonicæ Livoniæ, Curlandiæque & Semigalliæ cum ſubditis incolisque Livoniæ Svedicæ. Et viceverſa ſubditis incolisque Regni Sveciæ & Livoniæ Svedicæ ſit liber commerciorum uſus per eadem flumina cum ſubditis incolisque Poloniæ, Lithuaniæ, Livoniæ, Polonicæ & Curlandiæ, Semigalliæque. Teloneorum vero & vectigalium in flumine Duna & Bulderavia ut & maritimorum ac terreſtrium in Livonia eadem ratio, & in iisdem tantum locis ab utraque parte in poſterum ſit, uti & ubi tempore induciarum & ante hoc bellum ultimum fuit.

§. 2. Majoris quoque Poloniæ incolæ, cujuscunque conditionis ſint, ſive terra ſive aqua commercia ſua exer-

exercentes, nullis novis teloneis & Gabellis Stetini onerabuntur.

§. 3. Civitas quoque Gedanenſis & aliæ Pruſſiæ civitates in Regno Sveciæ & ſubjectis provinciis aliis gaudeant ea libertate commerciorum & vectigalium, qua gaviſæ ſunt ante hoc noviſſimum bellum.

XVI.

Dominus Comes Königsmarckius Campi-Mareſchallus Sveciæ abeque ulla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium à die quinto Aprilis ſtyli novi Dantiſcum modo decenti ſiſtetur, inde vero intra dies quatuordecim, ubi modernus tractatus ſubſcriptus fuerit, liberabitur. Ante reſtitutionem autem plenariam peculiari reverſalium diplomate caveat de non offendendo & vindicando aliquid contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Poloniæ, & ſpecialiter civitatem Gedanenſem, ſalva tamem debita Regibus Regnoque Sveciæ obedientia & fide.

XVII.

Sereniſſimus Rex & Respublica Poloniæ Illuſtriſſimæ Principis Annæ Mariæ, defuncti Illuſtriſſimi Ducis Januſſi Radzivilii, Palatini Vilnenſis, ſupremi exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Ducis, filiæ unicæ in adeundis ſecundum legitimas conſuetudines Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ hæreditatibus & bonis paternis ac maternis, vigore generalis amneſtiæ, præſenti conventione omnibus cautæ, ut ei ſatisfiat, condignam rationem habituri ſunt.

XVIII.

De mortuorum belli ducum atque officialium aliorum corpora, quæ ſive in Polonia ſive in Pruſſia adhuc inhumata, & nonnullis in locis aſſervata ſunt, tradentur, & non denegabuntur iis, quibus cura mandabitur ea inde deducendi. Quorum autem cadavera tum in priori, tum hoc ultimo bello humata ſunt in Elbingenſi, Mariæburgenſi, & in aliis in Pruſſia & Polonia templis intacta jaceant, ac ſepulchra eorum ab omni violatione & inquietudine ſint immunia.

XIX.

De Domini Ducis Crojam deſiderio ratione debitorum apud Remp. Polonam ita conventum eſt, ut prædictus Dominus Dux jus ſuum Originalium obligationum productione doceat in proxime futuris Comitiis Regni generalibus, ibidemque debita ratio ejus habeatur, ſalvo quoque jure Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ, ſi quod eidem ad præfatas ſummas pecuniarias competierit.

XX.

Quoad Dominorum Comitum à Dona poſtulatum & debitum apud Rempublicam Poloniæ, in quantum illud liquidari poterit, juſta eorum ratio in futuris comitiis Regni habebitur.

XXI.

Habebitur quoque æqua ratio à Svecia Domini Baronis Sigismundi à Guldenſtern, quoad bona in Regno Sveciæ vel illi ſubjectis provinciis prætenſa.

XXII.

§. 1. Eadem ſimiliter amicitia, amneſtia & præteritorum omnium perpetua oblivio, ſub iisdem clauſulis & vinculis in hocce inſtrumento contentis vigeat, & in perpetuum ſtabilita ſit inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c. &c. &. Præcipuum Poloniæ Fœderatum, bellique ſocium, nec non ejus Hæredes, ac Succeſſores, Regna & ſubjectas provincias tam in, quam extra Imperium Romanum, eorumque ſubditos & incolas, ac Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. ejusque hæredes ac ſucceſſores, Reges

Digitized by Google

ges Regnumque Sveciæ, & ſubjectas provincias tum in Imperio Germanico, tum extra illud ſitas, eorumque ſubditos & incolas, ita ut quicquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſive in Polonia, ſive extra illam, ſeu ratione auxilii Sereniſſimo Regi ac Reip. Poloniæ præſtiti, ſive quavis alia de cauſa mutuæ offenſionis atque inimicitiarum aut prætenſionum oriri potuit, perpetuæ oblivioni tradatur, neutrique parti quocunque prætextu licitum ſit, alterius Regna, ſtatus aut provincias clam aut palam, directe vel indirecte armis impetere, & ullum in ipſas hoſtilitatis genus exercere, ſed alter alterius commoda ſectetur, & omnia inter utramque partem, earumque ſtatus ac ſubditos ad priſtinum prorſus ſtatum, unionem & fidam correſpondentiam reſtituta & redintegrata ſint. Et nemini ex utriusque partis ſubditis, aut imperii ſtatibus ac Vaſallis noxæ ſit, aut præjudicio, quod alterius partes hoc bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicunque ex ſola cauſa hujus belli de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores & bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi fiſco nondum adjudicata & extradita ſint, indilate & ſine contradictione reſtituatur, iisque plenarie gaudeat ac fruatur.

§. 2. Ut autem firmioribus fundamentis hæc pax & amicitia ſtabiliri queat, S. C. Majeſtas loca omnia, quæ in Pomerania & Megapoli occupata præſidiis ſuis inſidentur, Sereniſſimo Regi ac Regno Sveciæ, ea vero, quæ in Holſatia & Ducatu Slesvicenſi Duci Holſatiæ Gottorpienſi (qui prævia tamen cautione de non vindicando juxta formulam, de qua hic convenit hac pace conſenſu partium incluſus cenſebitur) reſtituet plenarie, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, cæteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunque generis, item actis Cancellariæ, Archivis & literariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta ſunt, & adhuc non diſtracta extant. Quæ evacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniæ & Megapoleos, exceptis Wollino, Dam, & Grieffenhagen, intra duas ſeptimanas, à die permutationis ratihabitionis computandas, quo tempore Elbinga quoque Poloniæ reſtituetur. Wollinum vero Dam & Grieffenhagen, nec non loca Holſatiæ & Ducatus Slesvicenſis intra, alias duas ſequentes hebdomadas, à die ſupra memoratæ permutationis evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis præſidiariis militibus, & è provinciis ad Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Sveciæ, Duces Megapolitanos & Ducem Holſatiæ Slesvicenſis ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione & modo, de quo inter Generales utriusque partis, vel eorum locum tenentes intra tempus ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit.

§. 3. Cæterum quicquid circa res Imperii controverſiæ interceſſerit, juxta Imperii & pacis Germanicæ leges absque ſtrepitu armorum componetur, aut decidetur, & ſtabitur ab utraque parte per omnia diſpoſitione pactorum Osnabrugenſium & Conſtitutionibus Imperii.

XXIII.

Similiter tam à parte Sereniſſimi Imperatoris, quam Sereniſſimi Regis Sveciæ, captivi hujus belli cujuscunque ſint conditionis ac ſtatus, libere & ſine ullo ſoluto pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum tractatum ab ipſis conventum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum à die ratificationis dimittentur, & libertati priſtinæ, ſolutis ab Officiariis impenſis in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis reſtituentur, & captivis quoque annumerandi, & ab utraque parte reſtituendi ſunt, qui inviti ad danda alterius partis militiæ ſua nomina adacti fuerunt. Quod autem de lytri conventi ſolutione hic ſupradictum eſt, tantum locum habebit in majoribus Officiariis, utpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum Locumtenentibus & Capitaneis.

XXIV.

§. 1. Sit itidem pax perpetua veraque ac ſincera amicitia inter Sereniſſimum

niſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Ejus hæredes, ſucceſſores & poſteros Reges Regnumque Sveciæ, ejusdemque tam in Imperio quam extra illud ſitas provincias, ſtatus ac ditiones, & Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgicum S. Rom. Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiæ Ducem &c. &c. &c. Poloniæ Fœderatum bellique ſocium ejusdemque hæredes ac Succeſſores, provinciasque ſtatus ac ditiones in & extra Imperium Romanum ſitas, ita ut alter alterius honorem, commodum & utilitatem ſincere ſerioque in perpetuum promoveat.

§. 2. Pacta vero & fœdera omnia, quæ partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis Principibus ac Statibus utrinque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas & articulos integra & in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, ut per ea præſens transactio pacis nullum præjudicium patiatur.

§. 3. Sit etiam utrinque amneſtia & præteritorum omnium perpetua oblivio, ita, ut quicquid hactenus, quocunque loco & quavis de cauſa, ſive in Imperio Romano, ſive extra illud, ab alterutra partium vel ſub earum Imperio poteſtateque exiſtentibus, absque ullo perſonarum rerumque reſpectu geſtum vel admiſſum fuerit, nullo prætextu, via juris vel facti, directe vel per indirectum à neutra parte unquam vindicari poſſit. Et nec horum, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, vel etiam quoad miniſtros, Officiarios, aliosque incolas & ſubditos, ſtatum, bona vel ſecuritatem per ſe vel per alios clam vel palam inferat vel inferri faciat.

§. 4. Nemini quoque ex utriusque partis ſubditis, aut Vaſallis, cujuscunque conditionis & dignitatis fuerit, noxæ ſit aut præjudicio, quod alterius partes hoc bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicunque ex ſola cauſa hujus belli de ſuis poſſeſſionibus decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad mobilia bona, ſi hæc bona mobilia fiſco nondum adjudicata & extradita, aut alias diſtracta ſint, indilate & ſine ulla contradictione reſtituatur, eisque plenarie gaudeat ac fruatur. Atque proinde & Campi-Mareſchallo Comiti à Königsmarck, ut & Campi-Mareſchalli Comitis Wittenbergii hæredibus bona immobilia, quæ in ditionibus Suæ Serenitatis Electoralis ubicunque locorum ante hoc bellum poſſederunt, in eo ſtatu, quo nunc ſunt, reſtituentur, vigore hujus pacificationis, atque eo jure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt & poſſederunt.

XXV.

Et ne occaſione anteactorum lis & diſſidium aliquod oriri poſſit, Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ pro ſe, hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Sveciæ, virtute hujus inſtrumenti Pacis quam fieri poteſt validiſſime in perpetuum & inevocabiliter renuntiat pactis, quæ die 7. Jan. Anno 1656. Regiomonte, item die 15. Junji prædicti anni Mariæburgi, tumque 10. Nov. eodem anno 1656. Labiaviæ inter Sereniſſimum Sveciæ Regem glorioſæ memoriæ nuper defunctum & Suam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, ut & aliis omnibus conventionibus, quæ illis adjectæ, aut ſeparatim quocunque modo, durante hoc ultimo bello Polonico, ejusque reſpectu initæ ſunt. Atque ea omnia & ſingula in omnibus & ſingulis clauſulis, conditionibus & articulis ſuis irrita & nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem & effectum hoc ipſo & virtute hujus pacti penitus & in æternum detrahit, ita, ut contra Suam Serenitatem Electoralem Brandenburgicam, ejusque hæredes, agnatos, ſucceſſores, provincias, ubicunque locorum ſitas, & in ſpecie in Ducatum Pruſſiæ, atque ejusdem ordines & incolas, aut contra Sacram Regiam Majeſtat. ejusdem ſucceſſores, Reges, Regnumque Poloniæ ex nominatis & indigitatis ſupra pactis & conventionibus abolitis nunc & in poſterum ſive ſucceſſionis in Pruſſia,

ſive unionis, aut quocunque alio prætextu vel cauſa nomine Regis, Regnum, hæredum ac ſucceſſorum Regni Sveciæ nihil unquam allegari, prætendi aut poſtulari poſſit aut debeat. Quare præmemoratorum pactorum & conventionum Originalia cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, ſciſſis & in cineres redactis habentur, atque in æternum habebuntur.

Quemadmodum & Sereniſſimus Elector Brandenburgicus in Pruſſia Dux quam fieri poteſt validiſſime in perpetuum & inevocabiliter vigore hujus inſtrumenti pacis pro ſe, hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis profitetur, nihil ſe vel hæredes ac poſteros ſuos prædictis ex conventionibus contra Suam Regiam Majeſtatem Regnumque Sveciæ prætenſuros, ſed Sua Serenitas Electoralis pro ſe hæredibusque ac ſucceſſoribus ſuis hoc ipſo & virtute hujus pacti ſupra memoratis pactis omnibus jam abolitis renuntiat, & eadem omnia pro retraditis, ſciſſis & in cineres redactis nunc & in æternum declarat, & irrita ac nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem & effectum penitus & in æternum detrahit.

XXVI.

Sereniſſimus Elector Brandenburgicus loca omnia quo in Pomerania hocce bello occupata præſidiis ſuis inſidentur, Sac. Reg. Majeſtati & Regno Sveciæ cedit: Ea vero quæ in Holſatia & Ducatu Slesvicenſi Celſiſſimo Principi & Duci Holſatiæ Gottorpienſi (qui prævia tamen cautione de non vindicando juxta formulam, de qua hic convenit, hac pace conſenſu partium incluſus cenſebitur) reſtituet plenarie; cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, cæteroque apparatu bellico, nec non mobilibus, cujuscunque generis, item actis Cancellariæ, Archivis & literariis Documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta & adhuc non diſtracta extant. Quæ evacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniæ, exceptis Wollino, Dam & Grieffenhagen, intra duas ſeptimanas à die permutationis ratihabitionum computandos, quo tempore Elbinga quoque reſtituetur, Wollinum vero, Dam & Grieffenhagen, nec non loca Holſatiæ & Ducatus Slesvicenſis intra alias demum duas ſequentes hebdomadas à die ſupramemoratæ reſtitutionis evacuabuntur, deductis eodem tempore ex dictis locis, præſidiariis militibus & provinciis ad Sereniſſimum Regem Sveciæ & Ducem Holſatiæ & Slesvici Regentem ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione & modo, de quo inter partis utriusque Generales vel eorum locumtenentes intra tempus ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit. Ita tamen ne in præmemoratis reſtituendis & evacuandis locis vel communitatibus, quæ præſidia Electoralia habuerunt, aut quovis modo hoc bello in Suæ Serenitatis Electoralis fide & poteſtate fuerunt, vel cuiquam privato, quod partes Suæ Serenitatis ſecutus fuerit ulla ratione noxæ fraudique ſit, vel alia in re quoad priſtina jura, privilegia, bona, feuda & libertates illis competentes absque exceptione vel reſervatione præjudicet.

XXVII.

Captivi hujus belli cujuscunque conditionis ac ſtatus, liberi & ſine ſoluto ullo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conventum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum à die ratificationis dimittentur, priſtinæque libertati reſtituentur, ſolutis tamen ab Officiariis impenſis in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis. Cæterum captivis quoque annumerandi, & ab utraque parte reſtituendi ſunt, qui inviti militiæ alterius partis nomina dederunt.

XXVIII.

Debita inter utriusque partis ſubditos & incolas, tumetiam à Ducibus & officiariis belli ubicunque contracta utrinque bona fide ſolventur; ſi quæ vero hoc ultimo bello obligationes & recognitiones extortæ ab utrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XXIX.

Inter Sac. Reg. Majeſtatis Sveciæ & Suæ Serenitatis Electoralis Brandenburgicæ, Regni, provinciarum, ſtatuum, ditionum tam in Imperio Romano, quam extra illud ſitarum ſubditos & incolas priſtina reſtituantur commercia, atque in poſterum in plena vigore conſerventur.

XXX.

Si quæ bona à Suæ Serenitatis Electoralis ſubditis vel ejusdem ditionum incolis in Sac. Reg. Majeſtatis Sveciæ Regno, provinciis, ditionibus aut locis occupatis & hactenus poſſeſſis, ante vel ſub tempus hujusce belli depoſita, vel alio quocunque modo ea delata ſunt, ea ſine ulla mora vel effugiis Dominis ſuis reſtituantur, niſi jam fiſco adjudicata atque extradita fuerint.

XXXI.

Cum vero ad ſtabilitatem hujus pacis plurimum interſit, ut univerſaliter componatur, & inter omnes belli hujus ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur, ideo licet controverſiæ, quæ Sereniſſimo Regi Regnoque Sveciæ cum Sereniſſimo Rege Daniæ intercedunt, hic commode decidi non potuerint, & in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conventum eſt, ut Sereniſſimus Daniæ & Norvegiæ Rex, ejusque Regna & ditiones in hoc Tractatu concluſa in Dania pace comprehendantur, ita ut ea omnia quæ inter altememoratos Sveciæ & Daniæ Reges concluſa & conſtituta fuerint, ad hanc pacem pariter, ac ſi in hoc inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, ſalvo per omnia ipſo tractatu in Dania inter utrosque Reges & Regna concluſo vel concludendo.

XXXII.

§. 1. Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter partes pacifcentes omnes tum principales, tum fœderatas, earumque exercitus, à die concluſæ & ſubſcriptæ hujus pacis computando, in Pruſſia tam Regali quam Ducali exactis quotuor, in Pomerania & Megapoli duodecim, in Curlandia & Livonia quotnordecim, & in Holſatia & Slesvicenſi Ducatu exactis viginti diebus. Eodem quoque die in ſingulis præmemoratis locis negotiationes quævis priſtino uſui reſtituantur, & literarum commercia libera ſint.

§. 2. Generales præſidii Elbingenſis in Pruſſia, ac tam Cæſarei quam Electorales in Pomerania, poſt acceptam hujus armorum ceſſationis intimationem exactam curam adhibebunt, ut usque ad finalem pacis executionem militis ſuſtentatio non amplius exigatur more hoſtili, nec ultra juſtam & neceſſariam alimentationem provinciæ ipſorum armis inſeſſæ aggraventur. In quem finem Commiſſarii à partibus deputabuntur, qui curam ſedulam habeant, ne exorbitantiæ contra hanc conventionem fiant.

XXXIII.

Denique omnium belligerantium in Imperio partium copiæ & exercitus poſt reſtitutionem locorum ab omnibus partibus pacifcentibus dimittantur & exautorentur, eo tantum numero in ſuos cujusque proprios ſtatus traducto, quem quæque pars pro ſua ſecuritate judicaverit neceſſarium.

XXXIV.

Pacta hæc ratihabeantur à Sereniſſimo Rege Sveciæ ab una, nec non à Sereniſſimo Rege & Republ. Polona, ejusque fœderatis ab altera parte, qua de re ad modum ſequentem convenit.

1. Inſtrumentum hujus pacis manibus ac ſigillis Dominorum Commiſſariorum utriusque partis, tum & Excellentiſſimi Domini Legati Mediatoris ſubſcribatur & invicem tradatur & commutetur.

2. Sereniſſimus Rex Poloniæ eadem pacta illico à ſubſcriptione & ſignatione Dnn. Commiſſariorum Polonicorum diplomate ratificationis in forma conventa confirmet, atque ex nunc aſſecurationem ſuam interponat; ſubſecuturam intra ſpatium ad ſummum trium menſium computan-

dorum à ſubſcriptione hujus inſtrumenti pacis plenariam ejusdem R. M. ratificationem cum integra inſertione inſtrumenti pacis concluſæ, ad formalem inter utriusque partis Commiſſarios conventam.

3. Sereniſſimus Rex Sveciæ ſolenni inſtrumento hæc pacta nomine ſuo & Regni Sveciæ per ſubſcriptionem Sereniſſimæ Reginæ Matris Suæ, & Dnn. Regni Sveciæ Adminiſtratorum in forma conventa rata habeat.

4. Domini Delegati à Rep. Polona lege comitiali Anno 1659. deputati, nomine Reip. hæc pacta ſubſcriptione & ſigillatione ſua approbent in futura convocatione intra tres menſes celebranda.

5. Diplomata ratificationis tam Sac. Reg. Majeſtatis Poloniæ, quam Deputatorum Comitiali lege Delegatorum in proximis Comitiis, Conſtitutionibus & volumini legum Polonicarum inſerantur.

6. Inſtrumenta hæc ſolennia ratificationis tum utriusque Sereniſſimi Regis, tum dictorum Reip. delegatorum ab ambarum partium Commiſſariis intra ſpatium ad ſummum trium menſium à ſubſcriptione hujus inſtrumenti pacis computandorum, ad limites territoriales inter Elbingam & Mariæburgum utrinque per Excellentiſſimum Dominum Mediatorem à partibus paciſcentibus recipiantur, & ab eodem eo ipſo tempore inter partes commutentur.

7. Ut S. C. Majeſtas & Sereniſſimus Elector Brandenburgicus ratihabitiones ſuas itidem tempore & loco eodem tradi faciant.

8. Denique ut dicta Sereniſſimorum Regum & Reip. Poloniæ ac ejus Fœderatorum inſtrumenta ratificationum ad conventum & præſcriptam formulam, quoad titulaturam & ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conferantur & reciproce commutentur.

XXXV.

§. 1. Quo firmior ſtabilior & ſecurior pax hæc coaleſcat, & ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupramemoratæ partes paciſcentes omnes tam principales quam fœderatæ, ſe hanc transactionem & pacem, omnesque ejus articulos, capita & clauſulas ſancte & inviolabiliter ſervare velle & debere, & ne in poſterum violari queat, ſe invicem ad generalem guarantiam & evictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt, hiſce quam fieri poteſt firmiſſimo ſpondentes, ut ſi contingat, unam partem ab altera, vel plures à pluribus terra vel mari bello contra hanc pacificationem impeti, aggreſſor ipſo facto pro infractore hujus pacis ab omnibus habeatur, ejusdemque beneficio excidat, & tum altera reliquæque paciſcentium partes parti læſæ ad ſummum intra duos menſes à requiſitione partis læſæ, eidem communibus armis aſſiſtere, & bellum tamdiu contra aggreſſorem proſequi, donec pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, invicem teneantur.

§. 2. Si vero contingat unam partem ab altera, vel plures à pluribus gravi aliqua injuria citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideo læſo ad arma ſubito recurrere, ſed ante amicabilis componendarum hujusmodi controverſiarum ratio ineunda erit, videlicet ut læſus accepta injuria, ſi immediate cum lædente convenire nequeat, alios paciſcentes moneat, & Commiſſio generalis omnium paciſcentium nomine inſtituatur ad læſi confinia intra ſpatium quatuor menſium, in quo inter Deputatos utrinque Commiſſarios negotium diſcutiatur, & ſi poſſibile erit, intra quatuor ad ſummum alios menſes terminetur.

§. 3. Si vero lædentem, refractarium ad æqua, quæ proponentur, media deprehenderint, tum læſo licebit, facta tamen prius legitima belli denuntiatione, jus ſuum armis proſequi, & bellum, ut ſupra ſtatutum eſt, lædenti inferre.

§. 4. Quod ſi vero turbationes vi contrariisque artibus retundantur; ſolummodo tuendorum limitum cauſa, actus ejusmodi pro violatione pacis non reputabuntur, ipſa autem ſuper limitibus controverſia extra vim armorum terminetur.

XXXVI.

Cum autem pro majore ſecuritate hujus pacificationis tam Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Sveciæ, quam

quam Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex & Resp. Poloniæ & Sereniſſimus Elector Brandenburgicus poſtularint, ut Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, cujus ope ac ſtudio inter præmemoratos Sereniſſimos Reges & Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum pax promota, & mediatione ad optatum finem perducta eſt, executionis & obſervationis illius inter eosdem fidejuſſor exiſteret, Sacra Majeſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro ſe ac Succeſſoribus ſuis Regibus Galliæ ſpondet ac promittit, idque per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Antonium de Lumbres Legatum ſuum plenariis mandatis ad hanc Guarantiam cavendam inſtructum, ſe executionem horum pactorum, eorumque obſervationem ac perpetuitatem intra eosdem ſupra nominatos Principes omni meliori quo fieri poteſt modo, etiam armis, ubi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam. Et ſi quis eorum ſub hac fidejuſſione comprehenſorum, illam violarit, arma viresque ſuas parti læſæ ad ejus requiſitionem juncturum. Quod ut firmius omnibus conſtet, promittit dictus Dn. Legatus Gallicus, ſe ratificationem Regis ſui ſuper hanc guarantiam eodem tempore, quo ratihabitiones pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum quoque erit paciſcentibus omnibus eandem Chriſtianiſſimi Regis guarantiam & fidejuſſionem ſuſcipere, & alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus invitare & denominare principes ac poteſtates.

XXXVII.

Si qui Regum, Principum, nec non Rerump. ac Statuum amicorum hiſce pactis à quacunque parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis ejus facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declaraverint, & id conſenſu omnium partium fiat.

XXXVIII.

In quorum omnium & ſingulorum fidem, majusque robur omnium partium Legati & Commiſſarii cum Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Mediatore præſens pacis inſtrumentum manibus ſigillisque propriis muniverunt ac firmarunt. Datum Olivæ die tertia Maji Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Sexageſimo,

INDEX

arum rerum hac Hiſtoria conten-tarum.

A.

convertitur VI. 23.
ſis in Oreſundam ve-quo fine VI. 14. 15. 16.
dem diſcedit VI. 49.
cano Parlamento acta 8. 19. 20. 21. 22. 23.
rum in Dania negotia-41. 42. 43.
erendum maris impe-79.

B.

ellum Polonicum mo-ll. 33. 84. 85.
in Svecos animus III. 93. 100. IV. 92. 96. 97. V. 66. 68. 69. 70. 71. 101.
bellum indici haut pla-. 108. 109. 110.
anis auxilio veniunt V. 111.
ellum Danicum per tra-tus vi ſmixtos compone-nituntur, VI. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 44. 48.
elgis Rex tranſigit VI. 58.
gas Legatio VI. 62. 63.
ellat V. 107.
rgico Elector ante bellum Polonicum acta II. 54-55. 56. 57. 58.
eodem poſt cæptum id bel-lum acta II. 60. 64. 65. 66. III. 19. 20. 32. 33. 34. 35. 36. 37.
tus rebus Svecorum in Po-lonia diffidit IV. 28. 29.
cum Polonis amicitiam inſtaurat. IV. 30. 31.
bello contra Svecos im-plicatur IV. 32.
Daniæ ſubvenit V. 105.
Danis pacem ſuadet IV. 65.
cum eo poſt pacem Ro-ſchildenſem acta. V. 63.
Brandenburgici Legati à Rege non audi-untur V. 64. 65.
Bremenſes turbæ I. 12. ſeqq.
circa eas componendas ſtudium. I. 19.
ea componuntur I. 40.
Bremenſium homagium I. 38. 41.
de Bremenſis civitatis ſtatu I. 27.
Bremenſis provincia à Danis invaditur IV. 71.
Breſtia capitur IV. 16.

C.

Cæſar Regi adverſatur IV. 37.
à Polonis in auxilium ſolicitatur II. 72. III. 74.
cum Cæſare acta. II. 71. 73. III. 72. 73. 74.
Cæſar bello Polonico ſe miſcet. IV. 38. 39.
Cæſaris aliorumque ſententia ſuper reno-vato bello Danico V. 62. 102.
Carolus Guſtavus hæreditarius Princeps declaratur. I. 3.
privatus circumſpecte agit I. 4.
coronatur I. 5.
nuptias celebrat I. 7.
arma parat I. 56.
eique pleraque Polonia ſe dedit II. 30. 31. 32. 33. 34.
in Jaroslaviam anceps iter ſuſci-pit III. 7. ſeq.
Hoſtes feliciter perrumpit III. 12.
Ragozio jungitur IV. 11. 12.
Polonia excedit IV. 19.
Ragozianæ cladis non eſt cauſa IV. 22.
Leopoldi electionem impedire ſtudet IV. 41. 42. 43.
Auſtriacorum amicitiam incaſ-ſum affectat. IV. 47. V. 19. 20. 21. 47. 57. 59. 60.
ejus circa bellum Danicum conſi-lia IV. 55. V. 43. 44.
in Daniam tendit IV. 68. 72.
per glaciem tranſit. V. 2. 3. 4. 5. 7.
poſt pacem Roſchildenſem con-ſultat. V. 15. 16. 17.
conſilia in futurum ordinat V. 22.

Caro-

Carolus Guſtavus cum Dano Hafniæ per Legatos tractat V. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 31. 32. 35. 36. 37. 40.
denuo arma in Daniam movet & quare V. 43. 44. 45. 95.
in Amagria periclitatur V. 100.
à bello cum Auſtriacis abhorret. VI. 2.
Daniæ incumbere ſtatuit VI. 3. 39.
cum Brandenburgico reconciliari cupit VI. 69.
moritur VII. 2.
ejus elogium VII. 3.
Carolus XI. naſcitur II. 61.
ad Ceremonias ſpectantia I. 7. 13.
ſuper Chriſtinæ nuptiis agitata I. 2.
cum eadem poſt abdicationem acta I. 6.
Circuli præfectorum poteſtas I. 14.
Commiſſio Cæſarea declinatur I. 20. 21.
Conſultatio de bello Polonico I. 50. 51. II. 6. 7. 8.
cum Coſaccis acta II. 52. III. 69. IV. 25. 26. 27.
Cracovia capitur II. 29.
à Polonis recuperatur IV. 40.
cum Olivario Cromvello acta I. 9. II. 86. 88. 89. 90. 91. 92. III. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. IV. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. V. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 143.
cum Richardo Cromwello acta V. 115. 116. 117. 118. VI. 11. 12. 13.
Cronenburgum expugnatur V. 98.
Curlandiæ Dux de medio ſtatu agit II. 49. III. 61.
Regi eſt ſuſpectus IV. 54. V. 94.
in cuſtodiam datur V. 121.
per Curlandiam armis geſta VI. 70. 71.
Czarnecius vapulat III. 40.
circa Daniam Sveciæ conſiderationes I. 52.

D.

Dani amicitia excolitur II. 80. 81.
motus & conſilia circa bellum Polonicum II. 82.
cum Dano fruſtra de fœdere agitur III. 83. ſeq. IV. 57. 61. 62. 63. 64. 65.
Danici belli præludia IV. 55. 56.
Dani Svecos bello aggrediuntur & quare IV. 58. 59. 60. 66. 67.
Danicum manifeſtum IV. 69.
ad id reſpondetur IV. 70.
Dani provincia Bremenſi expelluntur IV. 73.
ſuper Danico bello componendo Hagæ convenitur VI. 24. 25. 26.
Danicæ pacis Tractatus VI. 45. 46. 47. 50. 53. 57. 59. 60. VII. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29.
Deputatorum extraordinariorum dignatio I. 34.

E.

Elbinga ſe dedit II. 62.
Elbingenſis tractatus III. 95. 96. 97. 99.
à Belgis illuditur IV. 87. 88. 89. 90. 91. V. 72.
Europæ ſtatus ſub initium belli Polonici I. 57.
circa Fœdus Rhenanum acta IV. 49. 56.

F.

Fœdus cum Brandenburgico II. 67. 68. 69.
Fionia à fœderatis fruſtra oppugnatur VI. 9. 10.
occupatur VI. 54. 55.
Fridericus Haſſiæ Landgravius cæditur II. 36.
Friderixudda expugnatur IV. 75.
cum Gallis acta I. 10. III. 60.

G.

Gallorum animus erga Sveciam II. 93. IV. 46. V. 18. 48. 49. 53. 61.
in Galliam Legatio VI. 64. 65. 66.
Gedanenſium apud Polonos conſtantia II. 53. IV. 6. 36. III. 17.
Cottorpienſis Ducis emolumenta V. 27. 33.
de Guineæ locis controverſia V. 39. 41. 45.

H.

Hafnia obſidetur V. 96. 99.
aſſultatur VI. 4. 5.
Hafnienſis pax VII. 29.
Hagenſe compactum VI. 24. 25. 26. 35. 36. 37. 38.
executioni datur VI. 27.
Hauptum à Polonis expugnatur VI. 72.
de Huena inſula controverſia V. 33. 34.

I.

Induciæ à Duce initæ I. 29. 30. 31. 32.
Joannes Caſimirus è Regno profugit II. 28.
vires reparat II. 70.

K.

Königsmarckius capitur III. 38.

L.

Lalandia & Falſtria occupatur VI. 7.
Langelandia occupatur VI. 6.
Legatio Electorum ad Regem V. 54.
Legatorum jura III. 94. IV. 93. 94. 95. V. 64. 65. I. 8.

Leo-

Leopoldi electio IV. 43. 44. 45. V. 50. 51. 52. 55. 57. 58.
Lithuani se dedunt ll. 42. 43. 44. 46. 47. rebellant lll. 45. 46.
Livoni ab Polonis infestatur IV. 53.

M.

Malmogiensis proditio VI. 52.
Mariæburgum expugnatur lll. 4.
Mosci sunt suspecti I. 11.
circa Moscos considerationes I. 53.
cum Moscis collisiones ll. 39. 40. 41. lll. 43.
circa horum amicitiam conservandam frustra satagitur ll. 75. 76. 77. 78. 79.
Mosci in bellum erumpunt lll. 48. 49. 50.
cum his tractata lll. 55. 56. V. 90. 91.
cum iisdem induciæ fiunt. V. 122 VI. 29.
de pace agitur IV. 50. 51.
Moscica pax VII. 30.

N.

Nascovia expugnatur VI. 8.
Nidrosia rebellat V. 107.
Nova Svecia ll. 85.

O.

Olivenses Tractatus V. 84. 85. 86. 87. 88. 120. VI. 74. seqq. VII. 4. seqq.
super pace cum Danis acta VI. 77. 78. V. 6. 8. 9. 10. 11.

P.

Pax Roschildensis V. 12. 13.
Pax Hafnienfis VII. 29.
Pax Olivensis VII. 14.
Pax Moscica VII. 30.
Poloni Carolum Gustavum in se irritant I. 43. seqq. ll. 1. seqq.
Poloniæ status sub initium belli I. 49. 54.
Polonorum cum Svecis tractatus inanis ll. 1. 13. 35.
Poloni pacem petunt ll. 21.
Polonia major se dedit ll. 15.
Poloni rebellant & quare lll. 2.
Cum Polonis circa pacem acta lll. 57. 58. 59. IV. 33. 34. 35. V. 6. 7.
Pomerania à Cæsareis invaditur VI. 67.
Prælium ad Czarnovam ll. 26.
Donaicam ll. 28.
Prælium ad Novodworum ll. 37.
Golumbium lll. 5.
Warkam lll. 13.
Gniesnam lll. 6.
Warsaviam lll. 25. 26. 27.
Liccam lll. 30.
Philippowam lll. 91.
Walkam IV. 52.
navale inter Svecos & Danos IV. 74.
ad Knæridam IV. 76.
Ivernæsam V. 4.
navale inter Svecos & Belgas V. 103. 104.
ad Niburgum Fioniæ VI. 56.
navale inter Svecos & Danos sub Lalandia VI. 7.

Q.

Quartiani se dedunt ll. 30.

R.

Radziejovius in custodiam datur lll. 42.
cum Ragozio acta lll. 63. 64. 65. 66. 67.
Ragozii expeditio in Poloniam lll. 68. IV. 9. 11. 12. 14. 15.
ei Cracovia traditur IV. 13.
ejus consilia titubant IV. 17. 19.
Ragozius male rem gerit IV. 21. 22.
Reductio bonorum coronæ I. 5.
circa religionem decretum ll. 9.
Rigæ obsidium lll. 51. IV. 53.

S.

Stetinum frustra obsidetur VI. 67.
cum Tartaris acta lll. 70. IV. 26.

T.

Thorunium se dedit ll. 61.
ad Turcam legatio lll. 71. IV. 23. 24.
Turcicus Legatus ad Regem venit ll. 95.

V.

Vectigal ad Gedanum ll. 18.
Vistulæ aggeres perfodiuntur IV. 8.
Uhlfeldii ruina VI. 12.

W.

Warsavia à Polonis expugnatur lll. 22.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Perſonarum, quarum in hac Hiſtoria mentio fit.

Achmetes IV. Turcarum Imperator. IV. 23.
Adolphus Naſſoviæ Princeps IV. 11.
Adolphus Joannes Comes Palatinus l. 7.
Adricaſius, *Fabianus* V. 93.
Akakia IV. 33.
Alefeldius, *Detlevius* V. 63.
Fridericus l. 7. V. 20.
Joannes V. 100.
Alegrettus ab Alegrettis ll. 76.
Alexius, Michaelowitz Czar Moſcoviæ lll. 47.
Anaſtaſius *Gabriel* lll. 11.
Antonius Gunterus Oldenburgicus Comes l. 42.
Alfendelius, *Henricus* lll. 51.
Appelbomius *Haraldus* l. 24.
Arenſonius, lll. 46. *Daniel.*
Arlens Joannes l. 37.
Armfeldius IV. 52.
Aſchebergius, *Rutgerus* lll. 5.
Aſcuæus, Georgius *Aſcue* V. 14.
Avaugurius, *Carolus* l. 10.
Aurſpergius, ll. 71.

B.

Babimoſcius lll. 14.
Bakoſus *Gabriel* Bacos Gabor IV. 9.
Balthaſar l. 18.
Banerius *Guſtavus Caroli F.* ll. 26.
Guſtavus Petri F. lll. 38.
Suanto V. 99.
Barchmannus, *Joannes* Vl. 81.
Barſenius *Georgius* V. 39.
Beckius, *Philippus Caſpar* V. 54.
Bendyſſius, *Thomas* lll. 83.
Benfeldus *Paulus* IV. 73.
Berens *Fabianus* ll. 63.
Bernetus *Conradus* IV. 51.
Bergius Vl. 70.
Bethlenus, *Bethlen* Janos IV. 13.
Beverningius, *Hieronymus* V. 67.
Beuningius *Conradus* von Beuningen l. 24.
Bicknertonus V. 71.
Bidalius Vl. 5.
Bielkius *Guſtavus* ll. 13.
Henricus Vl. 7.
Steno ll. 71.
Bielkenſtirna, *Claudius* l. 7.
Bildius *Andreas* IV. 75.
Chriſtophorus V. 89.
Bildius *Steno* V. 4.
Biærnclovius, *Matthias* ll. 22.
Biſtramus lll. 51.
Blanckius, *Nicolaus* l. 36.
Blondellus IV. 45.
Blumius, *Henricus Julius* V. 54.
Böttigerus ll. 16.
Boineburgius, *Joannes Chriſtianus* IV. 45.
Bomstorfius V. 89.
Bondius *Chriſtiernus Bonde* l. 52.
Boninus ll. 74.
Bonellus *Benjamin* l. 9.
Bonnus *Thomas* V. 34.
Borellus V. 101.
Bornemannus V. 3.
Boozma *Eppo* l. 34.
Bothius *Nicolaus* V. 121.
Bradſchavius, *Richardus* IV. 50.
Brahæus *Georgius* V. 5.
Nicolaus IV. 75.
Petrus IV. 68.
Brancovius Adamus Brancoſski ll. 22.
Braunius lll. 8.
Bremerus V. 99.
Bretlach ll. 27.
Brunellus ll. 65.
Bruno, *Carolus* V. 98.
Buckius V. 17.
Buchemius ll. 71.
Bucwaldus *Goſche* Vl. 63.
Fridericus IV. 15.
Bucholtzius Vl. 71.
Buddenbrocius lll. 51.
Bulovius, *Bartholdus Hartvigus* lll. 11.
Albertus IV. 50.
Burmeiſterus *Chriſtophorus* lll. 48.
Budbergius lll. 45.
Butlarus lll. 45.
Butler Vl. 56.
Byæus *de Bye* l. 43.

C.

Canaſilius, *Henricus Canaſiles* l. 43.
Canitius ll. 64.
Cannebergius lll. 27. Vl. 56.
Caunius *Chriſtianus Erneſtus* V. 54.
Canterſteinius *Laurentius* l. 54.
Capellus *Diſterius* la Chapelle lll. 11.
Carolus Joſephus Archidux IV. 37.
Carolus Magnus Marchio Badenſis lll. 18.
Carolus Meclenburgicus Dux lll. 28.

Carolus Ferdinandus Princeps Poloniæ *I.* 45.
Carlofius Henricus *V.* 39.
Caſtellorodericus Marchio *I.* 7.
Chanutus *Petrus I.* 10.
Charnicovius, *III.* 42.
Chmielinſcius, *Bogdanus I.* 60.
Chriſtianus Ludovicus Dux Luneburgicus *I.* 20.
Cojetus, *Petrus Julius I.* 9.
Columbus *V.* 121.
Comorovius, *Samuel* Comoroſki *II.* 39.
Conieſpolſcius, *Alexander II.* 30.
Coproglius, primus Vezirius *IV.* 53.
Coritzkius *III.* 10.
Coriſinius, *Stephanus Coriſinski III.* 22.
Coſſus, *II.* 53.
Coxus, *Owe VI.* 10.
Creutzius, *Laurentius V.* 18.
Cromvellus *Olivarius I.* 9.
Richardus V. 114.
Croiſſius, Colbert Croiſſy *VI.* 66.
Cronlothus *III.* 11.
Crommannus, *Wilhelmus III.* 51.
Cruſius *Chriſtianus V.* 121.
Cruſenſtierna *Philippus II.* 76.
Joannes Philippus V. 39.
Curtinius, *Antonius Courtin III.* 100.
Curtierius, *Courtieres VI.* 67.
Curtius, *Ferdinandus Curtz Comes IV.* 38.
Maximilianus IV. 45.
Czarnezius *Stephanus II.* 24.

D.

Dahlbergius, *Ericus IV.* 11.
Daniel Abbas *II.* 52.
Danielovicius, *Joannes Carolus II.* 32.
Delwigius *VI.* 5.
Dembrinius, *Dembrinski III.* 23.
Delborugius *IV.* 83.
Dobrzenius, *Joannes Ulricus II.* 54.
Dænhofius, *Gerhardus II.* 26.
Henricus II. 28.
Dona *Chriſtianus Albertus VI.* 67.
Chriſtophorus Delphicus III. 4.
Dorpius *Fridericus III.* 84.
Downingius *V.* 101.
Drakenbergius *Ericus V.* 107.
Drakius *Ericus IV.* 15.
Duclinſcius *III.* 31.
Duderſtadius *V.* 129.
Duglaſſius *Robertus II.* 28.
Durellius *Magnus II.* 83.
Duvallius, *Guſtavus IV.* 63.

E.

Ebersteinius Comes *V.* 39.
Edenus *I.* 19.
Eggericus *IV.* 78.
Ehrenſteinius, *Eduardus Philippi III.* 12.
Ekobladius *III.* 11.
Electus *II.* 53.
Engelius *Joannes II.* 50.
Joachimus IV. 26.
Erneſtus Croyæ Dux *III.* 17.
Erneſtus Guntherus Holſatiæ Dux *V.* 131
Erskeinus *Alexander II.* 74.
Eſſenus *Alexander II.* 76.
Evertſonus *Cornelius VII.* 25.
Eulenburgius, *Joannes Caſimirus III.* 56.

F.

Ferdinandus *III.* Cæſar *IV.* 73.
Ferdinandus *IV.* Rex Romanorum *I.* 12.
Ferſenus *Fabianus II.* 29.
Joannes III. 51.
Otto Wilhelmus III. 11.
Fiennes *Nathaneel III.* 81.
Flemingius *Laurentius III.* 52.
Fletwodus, *Carolus II.* 83.
Georgius II. 83.
Floris *Petrus V.* 104.
Folkerſanus *II.* 49. *Melchior.*
Pontanus, *Fuentes V.* 50.
Forbeſius *II.* 36.
Forbuſius *Arfridus V.* 44.
Forgellus, *Georgius II.* 26.
Theodorus III. 22.
Franciſcus Wilhelmus Epiſcopus Oſnabrugenſis *I.* 27.
Freeſius, *Hieronymus I.* 34.
Fridericus *III.* Daniæ Rex *V.* 96.
Fridericus Gottorpienſis Dux. *I.* 7.
Fridericus Landgravius Haſſo-Homburgus *III.* 31.
Fridericus Haſſiæ Landgravius *II.* 36.
Fridericus Marchio Badenſis *III.* 13.
Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus *I.* 2.
Friſendorfius *Joannes Fridericus III.* 42.
Fürſtenbergius *Wilhelmus IV.* 45.

G.

Gambrotius *Stephanus IV.* 48.
Gamviſcius *Zacharias III.* 71.
Gardius *Magnus Gabriel de la Gardie I.* 41
Jacobus Caſimirus II. 45.
Gaudius IV. 14.
Geddius *Owe IV.* 41.
Geerius, *Laurentius de Geer V.* 39.
Gentius *Bartoldus de Gent V.* 69.
Gengelius, *Joannes Wilhelmus IV.* 48.
Georgius Ragotzius Tranſylvaniæ Princeps *III.* 63.
Gerſtorfius *Joachimus II.* 81.
Nicolaus V. 54.
Gerdſenius, *Henricus Gerdſen V.* 104.
Glasnapius *V.* 93.
Gloxinus, *David I.* 34.
Goertzkius *III.* 21.
Goes Baro *Joannes IV.* 38.
Goltzius *III.* 35.
Goodſonus *V.* 117.
Goraiſcius *Sbigneus I.* 59.
Gorgaſius *III.* 7.
Gowanskius *V.* 91.
Goſievius *Vincentius Corvinus I.* 49.
Grammondus *Antonius IV.* 43.
Graſſius *IV.* 76.

Digitized by Google

Gravius Franciſcus III. 48.
Grudſinius II. 15.
Guldenclovius, *Andreas* IV. 33.
Gyldenlewius *Ulricus Chriſtianus* IV. 60.
Gyldenſtierna *Sigismundus* III. 4.
Guſtavus Adolfus Sveciæ Rex I. 2.

H.

Habbæus *Chriſtianus* IV. 47.
Haderslebias *Jonas* V. 4.
Hæringius I. 41.
Hafnerus, *Paulus* I. 16.
Hammerſchildius *Petrus* III. 7.
Hardius III. 72.
Harenus, *Wilhelm* von Haren VI. 28.
Haslangius V. 46.
Haſtfertius VI. 71.
Hatzfeldius *Melchior* III. 65.
Hauenſchildius III. 51.
Hayus *de la Haye* III. 60.
Hedwigis Eleonora Regina Sveciæ I. 7.
Heinſius *Daniel* II. 84.
Heiſterus, *Godofredus* V. 89.
Helmes *Paulus* II. 49.
Heldius *Nicolaus* VI. 7.
Helmfeldius, *Simon Grundel* IV. 54.
Hemmema VI. 56.
Henrichſonius V. 4.
Heſtrigius VI. 5.
Hiltius VI. 72.
Hildbrandus I. 46.
Hoëkius *Magnus* IV. 75.
Hoghuſius, *Henricus* V. 12.
Holckius VI. 36.
Honiwodus *Robertus* VI 34.
Hornius *Benedictus* II. 37.
Guſtavus I. 11.
Henricus II. 39.
Hornius, *Simon van Horne* VI. 63.
Hoverbequius, *Joannes* IV. 10.
Hubertus, *Petrus* III. 56.
Huitfeldus, *Arnoldus* V. 33.

I.

Jacobus Curlandiæ Dux I. 11.
Jena *Fridericus III.* 58.
Jephonus *Wilhelmus IV.* 77.
Igelſtræmius Haraldus III. 45.
Illieshuſius III. 85.
Joannes Adolfus, Saxo Vinarienſis Dux VI. 56.
Joannes Caſimirus Poloniæ Rex I. 43.
Joannes Caſimirus Comes Palatinus II. 2.
Joannes Georgius Anhaltinus Princeps IV. 15.
Joannes Georgius I. Saxoniæ Elector. I. 13.
Jonſtonus III. 51.
Ibrantius *Joannes* III. 56.
Julus *Octavius* III. 88.

K.

Kaaſius Hermannus III. 84.
Kœperus *Georgius I.* 36.
Kaggius *Laurentius VI.* 59.
Keminius *Joannes*, Keminijanos III. 64.
Killegræus VI. 51.
Kielmannus, *Joannes* V. 26.
Kiſelius *Petrus III.* 20.
Kleiſtius *Evvaldus III.* 85.
Kleius *Suederus Dietericus II.* 72.
Knauſtius IV. 106.
Kniphuſius, *Rudolfus Wilhelmus* I. 34.
Kochius *Joannes* I. 44.
Kœnigsmarckius, *Joannes Chriſtophorus* I. 16
Kœrberus IV. 73.
Kœſterus VII. 2.
Kœttericus, *Sebaſtianus Fridericus* I. 42.
Kolaſchius III. 14.
Kommorofius VI. 70.
Korfius *Nicolaus II.* 39.
Krabbius, *Ivarus IV.* 76.
Kraius *Otto IV.* 61.
Kruſius *Ericus Krus III.* 45.
Guſtavus III. 15.
Laurentius III. 8.
Krutcovius II. 37.
Kula I. 41.
Kurckius, *Guſtavus III.* 9.

L.

Labius *Joannes Fridericus II.* 72.
Lambecius V. 93.
Lamberus VI. 12.
Landscoronius, *Stanislaus II.* 32.
Lensmannus *Claudius III.* 51.
Leopoldus Cæſar III. 54.
Leopoldus Wilhelmus Archidux I. 6.
Leſſinius *Andreas II.* 35.
Bogislaus II. 35.
Joannes I. 45.
Letmatus VI. 72.
Lewenhauptius *Carolus II.* 36.
Guſtavus Adolfus II. 39.
Lewius *Fridericus IV.* 52.
Leyonhielmius, *Guſtavus Beatz V.* 101.
Liliebergius *Chriſtiernus Caroli F. III.* 2.
Liliecrona *Guſtavus IV.* 25.
Lilieſtroemius *Joannes II.* 19.
Dancwartus IV. 72.
Liliehæckius *Jacobus IV.* 76.
Lilienthalius, *Joannes I.* 40.
Lindanus, *Laurentius* von der Linde I. 7.
Lindebergius V. 2.
Lindenovius VI. 7.
Lionæus, *Hugo de Lionne IV.* 43.
Liſola *Franciſcus III.* 72.
Lodius *Ericus VI.* 71.
Lobcovicius *Wenceslaus IV.* 47.
Loſcherus *Andreas III.* 51.
Lonſcius *Samuel II.* 30.
Lorbacus *Dieteritus II.* 76.
Lubomirſcius *Georgius II.* 70.
Lubienius *Gabriel II.* 43.
Lubeckerus IV. 15.
Luconackius III. 6.
Ludovicus Naſſaviæ Princeps II. 36.

Digitized by Google

umbranus, *L' Ombres* III. 24.
undius *Jacobus* IV. 21.
uzovius *Conradus* V. 52.

M.

Aerius, *La Maire* V. 101.
Annerſchildius III. 5.
Andefeldius *Conradus* II. 15.
Aria Ludovica, Regina Poloniæ III. 38.
Matthæi VI. 56.
Aydelius *Georgius* IV. 32.
Mazarinus *Julius* Cardinalis I. 10.
Medovius, *Philippus Meadowe* III. 50.
Mælius *Sebaſtianus* IV. 45.
Mejerus *Valentinus* VI. 71.
Mevius *David* V. 56.
Mikoshius III. 65. *Michel* IV. 21.
Miesnitzius III. 41.
Minierius, *Jacobus de Minieres* V. 92.
Mislingius II. 49.
Möllerus *Joannes* I. 14.
Vincentius I. 23.
Molanus, *Claude des Meules* IV. 66.
Moltkius, *Levinus Claudius* V. 26.
Moltzanus *Adolfus Fridericus* I. 21.
Montacutius, *Eduardus Montagu* VI. 11.
Montecuculus *Reimundus* I. 19.
Morſteinius *Andreas* I. 56.
Mullerus *Burchardus* II. 36.
Myrſinſcius, V. 84.

N.

Naigi *Thomas* IV. 14.
Naruſſewitius *Daniel* II. 19.
Naſſokinus II. 39.
Nattius von der *Natte* V. 56.
Nettelhorſtius VI. 71.
Neoportus, *Nieuport* II. 82.
Niemericius II. 61.

O.

Oetinganus Comes IV. 38.
Opalinius *Nicolaus* II. 15.
Opdamus *Jacobus Waſſenarius* III. 94.
Orgius, *L' Orge* IV. 46.
Oſtrogie Dux *Uladislaus Dominicus* 35.
Oxenſtirna *Axelius* I. 4.
Benedictus I. 14.
Ericus I. 4.
Gabriel V. 43.
Guſtavus III. 25.
Joannes II. 11.

P.

Pacmorus IV. 2.
Palbitzkius *Matthias* I. 10.
Parclendus *Petrus* II. 47.
Pasbiergius, *Olaus* VI. 46.
Paſſaſinius VI. 56.
Patzius IV. 72.
Pauelſon, *Sueno* IV. 76.
Pegneranda VI. 66.
Penſinus *Marcus* I. 16.
Pereevallius III. 100.
Petkius *Stephanus* IV. 14.
Philippus Palatinus Sultzbacenſis VII. 2.
Picquius I. 8. II. 24.
Piaſinius *Joannes* II. 30.
Plantingius II. 63.
Platenus, *Nicolaus Erneſtus* III. 19.
Pleitnerus *Joannes* V. 89.
Pœppingius *Joannes* I. 34.
Poberus VI. 10.
Poelnitius *Gerhardus* III. 56.
Poettingius Comes III. 72. *Franciſcus Euſebius.*
Polumbinius III. 9.
Poppa *Andreas* IV. 14.
Porcia IV. 47.
Poſſius, *Guſtavus* Poſſe IV. 19.
Potokius *Stephanus* I. 49.
Andreas II. 32.
Pratzmovius VII. 14.
Printzenſchildius, *Joannes* V. 107.
Proſnovius, Proſnowski III. 68.
Prziemſcius II. 21. *Chriſtophorus & Sigismundus*
Putkamerus II. 64.

Q.

Qualenus, *Claudius à Qualen* I. 7.
Quaſtius VI. 56.

R.

Ratziejovius, *Hieronymus* II. 10.
Radzivilius, *Janus* I. 49.
Boguslaus II. 43.
Ragozius *Georgius* Transſylvaniæ Princeps II. 94.
Rauzovius, *Chriſtianus Comes* IV. 47.
Henricus V. 5.
Rautenſtenius VII. 13.
Rebenderus, *Bernhardus* III. 51.
Reckius II. 49. IV. 52.
Reenſchildius *Gerhardus* III. 92.
Reichavius IV. 73.
Renikingius *Theodorus* IV. 69.
Reetz *Petrus* VII. 20.
Rey *Uladislaus* V. 52.
Rhodius *Joannes* I. 11.
Ribbingius *Petrus* IV. 76.
Ridderhielmius *Iſrael* II. 16.
Riſingius II. 86.
Rokebyus III. 41.
Rolandius, *Claudius* II. 26.
Roltius, Roltz II. 89.
Roſa, III. 30. IV. 3.
Roſelindus *Joannes* II. 75.
Roſenhanius *Sebering* I. 24.
Roſenkrantzius Gundæus IV. 61.
Roſenſchmidius III. 51.
Roſenvvingius III. 90.
Roſinius *Chriſtophorus* II. 30.

Rumo-

Rumorius V. 4.
Ruyterus *Michael VI.* 16.

S.

Sadovius, *Sadovvski II.* 51.
Sapieha *Joannes II.* 30.
Witepski III. 10.
Leo II. 47.
Saſſius *Philippus Saſſ. V.* 73.
Sawitzki IV. 16.
Schakius *Joannes V.* 99.
Schafgotſchius II. 63.
Schedingius III. 22.
Schelius *Chriſtianus V.* 6.
Scheremetofius IV. 52.
Schönbeckius I. 41.
Schoenbergius II. 16.
Schönbornius V. 57.
Schönleben IV. 15.
Schrœderus I. 19. *Wilhelmus.*
Schultzius III. 51.
Schultzius N. I. 41.
Schwalkius *Joannes Fridericus II.* 29.
Schvvartzenbergius, *Joannes Adolfus Comes IV.* 47.
Sebeſſius IV. 15.
Seneterre IV. 46.
Seſtedius *Hannibal. IV.* 75.
Seſtedius N. IV. 38.
Sidneus *Alyeronus VI.* 34.
Silberſtirna *Joannes III.* 55.
Siniccius IV. 22.
Simlerus III. 9.
Seitzendorfius *Comes IV.* 38.
Skyttius *Benedictus III.* 61.
Bellilus IV. 20.
Joannes II. 40.
Slangenfeldius *Melchior V.* 89.
Slippenbachius, *Carolus Chriſtophorus I.* 5.
Slingelandus *Govertus III.* 94.
Snoilskius *Georgius I.* 14.
Sobieſcius *Joannes II.* 30.
Somnicius *Laurentius Chriſtophorus II.* 64.
Sparrius *Carolus III.* 11.
Guſtavus II. 85.
Petrus Laurentii F. IV. 75
Otto Chriſtophorus III. 20.
Spenſius III. 40.
Sperlingius III. 50.
Sporkius *Joannes VI.* 67.
Stakius *Haraldus IV.* 76.
Joannes IV. 76.
Stalarmius, *Axelius III.* 48.
Stalius III. 51.
Stanislaſski III. 61. IV. 15.
Starenbergius *Joannes Reichardus VI.* 67.
Stenbockius *Guſtavus Otto I.* 18.
Ericus II. 60.
Steinbergius *Antonius I.* 6.
Sternbachius *Caleſtinus III.* 64.
Sternſchildius *Claudius V.* 107.
Stirumb Comes II. 38.
Stoltzenbergius III. 9.
Streusſbychtus *Daniel III.* 7.
Streiffius III. 58.
Streithorſtius VI. 9.
Stricklandus *Walter II.* 90.
Stuartus I. 16.
Sucheus *Sanches V.* 50.
Schwerinus *Otto II.* 56.
Schwerinus N. VI. 2.
Sypeſteinius *Janus, VI.* 34.

T.

Tarto *Joannes II.* 35.
Taubius *Ludovicus III.* 45.
Reinboldus II. 71.
Wilhelmus V. 43.
Terlonus *Hugo IV.* 46.
Thælerus II. 45.
Thuanus *Joannes Auguſtus V.* 101.
Thurlovius, *Thurloe II.* 92.
Tœrneſchildius *Jacobus III.* 11.
Tollius *Tolle IV.* 52.
Tottius *Claudius I.* 6.
Trampius V. 10.
Trautmanſtorfius IV. 70.
Trautſonus *Comes IV.* 18.
Trubieſcus, *Andreas III.* 22.
Trompius, *Cornelius II.* 82.
Trollius *Nicolaus III.* 84.
Turrius, *Comes à Turre III.* 51.

V.

Varnerus IV. 20.
Vickius *Henricus IV.* 40.
Viſcontius *Joannes Baptiſta II.* 79.
Vitinghafius VI. 5.
Ulenbrokius II. 45.
Ulfeldius *Cornificius IV.* 19.
Canutus IV. 76.
Ungarus *Woltemarus III.* 53.
Volemannus *Joachimus III* 92.
Volmarus *Iſaacus IV.* 44.
Vorburgius *Joannes IV.* 48.
Vogettyus *La Voyette VI.* 5.
Urnius *Chriſtophorus Urne VI.* 4.
Uropus *Axelius IV.* 61.
Urybergius VI. 36.

W.

Wachmannus *Joannes I.* 36.
Wackerbartius IV. 71.
Waldeccius Comes, *Georgius Fridericus III.* 19.
Joſias III. 25.
Waldemarus Comes II. 63.
Warnhofius VI. 70.
Wavaſorius *Wilhelmus VI.* 5.
Wejerus *Jacobus II.* 36.
Adamus III. 9.
Weimannus *Daniel V.* 64.
Weingartius *Jacobus III.* 51.

Digitized by Google

Weiſſenſteinius *Alexander*. II. 38.
Welbergius III. 51.
Wellingius *Gothardus* II. 94.
Weſenbecius *Matthæus* I. 22.
Wibius, *Petrus Wibe* V. 37.
Wieſnevicius *Demetrius Georgius* II. 30.
Wilhelmus Naſſovius Princeps Gubernator Friſiæ. I. 39.
Willichmannus *Joannes* II. 39.
Windius *Georgius* V. 5.
Wiofski IV. 25.
Wirtzius *Paulus* I. 7.
Witelokius *Bulſtrodus* I. 9.
Wittenbergius Arfuidus I. 4.
Wittewitſon IV. 74.
Wittius *Jean de Witt*. V. 69.
Wolfsbergius *Bartholomæus* I. 58.
Wolfius *Fromondus* II. 37.
Wolfius N. VI. 6.
Wolframsdorfius VI. 67.
Woſſytius *Stanislaus* II. 30.
Wrangelius *Garolus Guſtavus* I. 52.
Guſtavus V. 104.
Joannes III. 22.
Wreſovicius, *Joannes Weicardus*. II. 36.
Wurtzburgius V. 89.
Wuſſovius II. 15.

Y

Yxculius *Jacobus* VI. 121.

Z.

Zawadzkius II. 53.
Zaworski II. 31.
Zdanovicius *Antonius* IV. 12.
Zeddelmannus III. 51.

Digitized by Google

Informatio pro Bibliopegis &c.

N. 1. Reginæ Christinæ abdicatio lib. I. §. 5. pag. 7.
2. Regis Caroli Gustavi Coronatio lib. I. §. 5. pag. 7.
3. Reginæ Hedwigis Eleonoræ coronatio lib. I. §. 7. p. 9.
4. Urbs Brema cum situatione adjacente I. 15. pag. 14.
5. Tabula Geographica Poloniæ ubi & Itinera Regis designantur II. 14. p. 63.
6. Wittenbergii Prælium circa oppidum Ousztie II. 15. p. 64.
7. Ichnographia Posnaniæ II. 16. p. 65.
8. Tabula geographica exhibens districtum inter Weichselmundam & Promontorium Reesehoest, positusque classis Svecicæ II. 18. p. 66.
9. Situs oppidi Cola & admissio Polonici Legati II. 21. p. 68.
10. Arx Lovicium ejusque expugnatio II. 24. p. 71.
11. Expugnatio Urbis Warsaviæ II. 24. p. 71.
12. Conflictus ad Czarnovam II. 26. p. 72.
13. Conflictus cum Quartianis II. 28. p. 73.
14. Deditio Arcis Wischnizensis II. §. 28. p. 73.
15. Expugnatio Tinschini II. §. 28. p. 73.
16. Cracoviæ Expugnatio II. §. 29. p. 74.
17. Koniespolscius & Potozky Juramentum fidelitatis præstant II. §. 30. p. 75.
18. Ichnographia Arcis Chrzistopore lib. II. 50. p. 90.
19. Arx Pinschow IV. §. 11. 254.
20. Conflictus Steenboky prope Nowodwor II. §. 37. p. 80.
21. Castri Swez delineatio II. 38. p. 81.
22. Delineatio Urbis & Arcis Dunburgi II. §. 39. p. 81.
23. Expugnatio oppidi Neumark & Gollup II. §. 61. p. 99.
24. Regis introitus in Thorunium II. §. 61. p. 99.
25. Delineatio Geometrica Urbis Elbingensis II. 62. p. 99.
26. Delineatio & situs Montower-Spize cum Fluvio Nogat II. 63. p. 100.
27. Mevæ & Strasburgi expugnatio II. 63. p. 100.
28. Regiomontis novæ Munitiones II. §. 64. p. 101.
29. Rex Sveciæ missum ab Imperatore Turcico Legatum audit II. 95. p. 137.
30. Delineatio Geometrica Arcis & Urbis Marienburgensis III. §. 4. p. 135.
31. Graudenzii delineatio & expugnatio VI. §. 73. p. 689.
32. Stibeloa & Castra ad Hauptum III. §. 4. p. 136.
33. Pugna prope Pagum Golumbo lib. 5. p. 137.
34. Gesta ad Sendomiriam III. 11. pag. 143. 2. Tab. Æn.
35. Conflictus inter Svecos & Lithuanos, ubi Rex flumen Sanum transiit III. 12. p. 144. 2. Tab. Æn.
36. Prælium ad Gnesnam III. 16. p. 147.
37. Ichnographia Castelli Pillaviæ III. §. 19. p. 151.
38. Delineatio Castri Ducis Adolphi Joannis in regione ubi Bugus & Vistula confluunt III. 18. p. 151.
39. Ichnographia Urbis Dantisci, vicinique districtus ad Mare Balthicum III. 21. p. 154.
40. Prælii ad Warsaviam dies primus III. 25. p. 158. Tab. Æn. 3.
41. Prælii ad Warsaviam dies secundus III. 26. p. 159. Tab. Æn. 2.
42. Prælii ad Warsaviam dies tertius III. 27. p. 161. T. Æn. 2.
43. Expugnatio Arcis Yltze III. 28. p. 162.
44. Prælium ad oppidum Philppowa III. 31. p. 165.
45. Obsidio Rigæ à Magno Moscoviæ Czare III. 52. p. 183.
46. Delineatio Arcis Krusowetz. Vid. Tab. sub Num. 31.
47. Urbs Briestzie in Cujavia & Castrum Pinschow III. 12. p. 255.
48. Urbs Piotricovia cum Arce Janowicz IV. 11. p. 254.
49. Exceptio Principis Rakozy prope Schmielovam IV. 12. p. 255.
50. Ragozii & Regis salutatio IV. 12. p. 255.
51. Prospectus oppidi Savichost lib. IV. 18. p. 355.
52. Expugnatio Arcis & Urbis Brestzie IV. 16. p. 259. Tab. Æn. 2.
53. Prospectus oppidi Sacrozin IV. 18. p. 262.
54. Urbs Warsovia IV. 18. p. 262.
55. Situs oppidi & Arcis Poltowsko & Bromberg. V. 20. p. 265.
56. Delineatio Arcis Flatou & Draheim IV. 10. p. 165.
57. Regnum Daniæ IV. 72. p. 332.
58. Delineatio Arcis Bremerfoerde & expugnatio fortalitii Behlem IV. 71. p. 332.
59. Delineatio oppidi Mœllen & Exercitus Svedici IV. 72. p. 333.
60. Castellum ad Pagum Lehe IV. 71. p. 332.
61. Conflictus prope Dirschaviam IV. §. 36. p. 286.
62. Delineatio Castelli ad Butzfliet & Kruck Schantz IV. 73. p. 339.
63. Tabula Geographica Jutiæ Septentrionalis, ut & oppidorum Coldingæ Meddelfarth & Frederichsusdæ &c. IV. 73. p. 333.
63. Ichnographia oppidi Itzehoe IV. 71. p. 331.
64. De-

Digitized by Google

64. Delineatio Fortalitii Friderici-Oddæ IV. 73. p. 333.
65. Caſtra Svecica ad Friderici Oddam IV. 75. p. 335.
66. Situs Ahlburger Fiördt ut & fortalitii prope Hals in Venſuſſel IV. 75. p. 335.
67. Delineatio Ichnographica Sonderburgi IV. 77. p. 338.
68. Ob-& expugnatio Friderichsodde IV. 75. p. 335. Tab. Æn. 2.
69. Pugna ad Pontem Genewodt IV. 76. p. 337.
70. Prælium ad Ifwersnaes in Fionia V. 4. p. 369.
71. Tranſitus freti Balthici minoris & oppugnatio navium prope Nyburgum V. 5. p. 370.
72. Tranſitus Regis per mare Balthicum glacie conſtrictum V. 7. p. 371.
73. Delineatio oppidi Naſchkoviæ lib. V. 7. p. 372.
74. Regum congreſſus Friderici burgi V. 14. p. 381.
75. Accubitus Regum Friderici burgi V. 14. p. 381.
76. Pugna navalis in ipſis faucibus Freti Oreſund Svecos inter & Belgas V. 104. p. 484.
77. Delineatio eorum quæ ad Landscoronam die 10. Nov. 1658. geſta ſunt V. §. 104. p. 458.
78. Ichnographia Urbis Chriſtianſtadt V. 12. p. 378.
79 Ichnographia oppidi Chriſtianopolis V. 14. p. 381.
80. Delineatio Bahuſæ V. 13. p. 380.
81. Ichnographia Urbis Midroſiæ V. 4. p. 381.
82. Delineatio fortalitii Polonorum ad Lyſoviam. V. 89. p. 469.
83. Delineatio Caſtrorum ut & Metropolis Daniæ Urbis Hafniæ V. 96. p. 476.
84. Ichnographia Helſingnoræ & Arcis Cronenburgenſis V. 98. p. 478.
85. Repræſentatio Scenographica arcis Cronenburgenſis V. §. 98. p. 478. Tab. Æn. 2.
86. Obſidium Hafnienſe V. 99. p. 479. Tab. Æn. 3.
87. Regis Svecorum diſceſſus è Sialandia & Adventus Helſingburgi V. 14. p. 371.
88. Delineatio Geometrica Urbis Hafniæ V. 99. p. 479.
89. Caſtra Svecica ad Hafniam VII. 29. p. 624.
90. Solennis Svecorum Regis ingreſſus in Urbes Landscoronam & Malmogiam V. 12. p. 378.
91. Delineatio Urbis Drontheim V. §. 107. p. 487.
92. Delineatio Scenographica Urbis Thorunienſis à Fœderatis Polonicis obſeſſæ V. 119. p. 501. Tab. Æn. 2.
93. Delineatio Urbis & Arcis Mitoviæ V. 121. p. 506.
94. Oppugnatio nocturna Urbis Hafniæ VI. 5. p. 517. Tab. Æn. 2.
95. Ichnographia Rutcopiæ VI. 56. p. 568.
96. Ichnographia arcis & oppidi Nicopiæ VI. 8. p. 520.
97. Ichnographia Stækæ in Inſula Mœna VI. 8. p. 520.
97. Ichnographia Naskoviæ VI. 8. p. 520.
98. Conflictus ad Urbem Neoburgum in Fionia VI. 10. p. 521.
99. Delineatio oppugnatæ à fœderatis inſulæ Fioniæ VI. 10. p. 522.
100. Delineatio oppidi Koeg VI. 56. p. 568.
101. Ichnographica delineatio Corſoræ VI. 56. p. 568.
102. Delineatio Neoburgi & Locorum vicinorum VI. 54. p. 565.
103. Prælium circa Neoburgum Fioniæ VI. 56. p. 567.
104. Delineatio Urbis Grypswaldæ VI. 67. p. 582.
105. Delineatio Urbis Demini VI. 67. p. 582.
106. Obſidio Urbis Stetini VI. 67. p. 582.
107. Geometrica delineatio Munitionis dictæ Danziger Hoofd prope Gedanum VI. 73. p. 589.
108. Delineatio oppidi Hallda in Norwegia VII. §. 1. p. 601.
109. Caſtrum doloris Regis Caroli Guſtavi VII. 3. p. 604. Tab. Æn. 13.
110. Regis Exſequiæ VII. 3. pag. 604.
111. Subſcriptio Pacis inter caſtra Danorum & Svecorum VII. 29.
112. Croneburgi novæ munitiones VI. 56. p. 568.
N. A. Situs loci ad Meſolenzam & Montower Spiz V. 89. p. 469.
N. B. Ichnographia Marieburgi à fœderatis Polonorum obſeſſi.

Effigies.

N. 1. Effigies Reginæ Chriſtinæ pag. 7.
2. - - Regis Caroli Guſtavi p. 7.
3. - - Reginæ Hedwigis Eleonoræ p. 9.
4. - - Ducis Adolphi Joannis p. 147.
5. - - Caroli XI. p. 602.
6. - - Petri Brahe p. 328.
7. - - Caroli Guſtavi Wrangelii 485.
8. - - Guſtavi Ottonis Steenbokii p. 165.
9. - - Magni Gabrielis de la Garde p. 183.
10. Guſtavi Bondii p. 603.

FINIS.

348263

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google